Vols 1-6
in 3 vols.
£5.50
C

VIII. 4-

DISSERTATIONES

SELECTAE

in

HISTORIAM ECCLESIASTICAM

AUCTORE

BERNARDO JUNGMANN,

Eccles. Cathedr. Brugens. Canon. hon.,
Philos. et S. Theolog. Doct., ac Profess. ord Hist. eccl. et Patrol.
in Universitate cath. Lovaniensi.

Tomus I.

MDCCCLXXX.

RATISBONAE, NEO EBORACI & CINCINNATI,

SUMPTIBUS, CHARTIS ET TYPIS FRIDERICI PUSTET,

S. SEDIS APOSTOLICAE TYPOGRAPHI.

PARISIIS: P. Lethielleux, via vulgo Cassette, 4. **BRUGIS**: Beyaert-Defoort. **TORNACI**: H. Casterman Vidua. **LONDINI**: Burns et Oates; R. Washbourne. **ROMAE**: Propaganda Fidei (F. Melandri.); Marini et Chiapperini, et J. Spithoefer. **TILBURGI**: W. Bergmans.

Approbatio.

Dissertationes in Historiam ecclesiasticam, auctore viro eximio Bernardo Jungmann, S. Th. et Philos. D., Historiae ecclesiasticae et Patrologiae in Universitate catholica Lovaniensi Professore ordinario, et ecclesiae cathedralis Brugensis Canonico honorario, novem annorum spatio exaratas atque ab auditoribus magno cum fructu exceptas, nunc primum, utpote ab omni, ut Nobis visum est, naevo immunes, atque solidissima doctrina refertas, approbamus et ultro imprimi permittimus.

Datum Brugis, hac 1 Junii 1880.

J. J. Epus Brugens.

Opus quod inscribitur: *Dissertationes selectae in Historiam ecclesiasticam, Tom. I, auctore Bernardo Jungmann, Eccles. Cath. Brugens. Can. hon. Philos. et S. Theol. Doctore, in Univers. Cath. Lovaniens. Hist. eccles. et Patrolog. Prof. ord.*, ex auctoritate Eminentissimi et Reverendissimi Cardinalis Archiepiscopi Mechliniensis et legum Academicarum praescripto recognitum, quum fidei aut bonis moribus contrarium nihil continere visum fuerit, imprimi potest.

Datum Lovanii, die 29 Junii 1880.

A. J. Namèche, Rect. Univ.

Amico Lectori.

Quas tibi hic offero Dissertationes, B. L., eum potissimum in finem conscripsi typisque mandavi, ut inservire possent iis, qui in alma hac Lovaniensi Academia ad profundiora S. Theologiae aut Juris canonici studia animum appellunt. Quamobrem in libro hoc componendo, duo mihi erant praestanda; nam et elementari ecclesiasticae historiae cognitioni, quam auditores mei in Seminario jam acquisivissent, superstruenda erat accuratior variarum rerum in Ecclesia gestarum informatio; et porro etiam per

uberiorem nonnullarum praecipui momenti quaestionum tractatum suggerenda ipsis erat materia concertationum illarum, quae hic publice habendae sunt ab iis qui ad gradus academicos adipiscendos aspirant.

Atque haec erant, nec plura, B. L., quae in limine hujus operis mihi visa sunt monenda.

Auctor.

Lovanii, festo die SS. App. Petri et Pauli a. 1880.

Dissertatio praevia.

De Historiae ecclesiasticae ortu ac progressu.

---

1. Cogitanti mihi in lucem edere Dissertationes de praecipuis, quae in historia ecclesiastica occurrunt quaestionibus, et consideranti quanam de re ad modum praefationis in hanc commentationem potissimum agerem, magna rerum copia se offerebat. Nam et de notione historiae ecclesiasticae deque ejusdem usu et utilitate, et de fontibus ex quibus ea haurienda est, et de connexione ejusdem cum reliquis diciplinis theologicis, tum et de method) qua ea tractanda sit, et de aliis bene multis quae ad hanc scientiam pertinent, amplissimus erat dicendi locus. Postquam autem in seligendo ex his unum aliquid diu animo fluctuassem, decrevi breviter exponere, quanam ratione inde ab initio christianismi ac deinceps usque ad nostra tempora historia ecclesiastica fuerit exculta, quas habuerit decursu saeculorum vicissitudines, quinam viri docti et venerandi huic disciplinae in utilitatem Ecclesiae adlaboraverint, et quo singuli modo ac methodo: ut inde colligatur, quinam fuerit status hujus disciplinae antegressis aetatibus, quinam sit temporibus nostris. — Historiam autem disciplinae nostrae in tres dividimus Epochas, quarum Dissert. indoles.

prima *ab initiis christianismi usque ad saeculum VII* sese extendit, altera *a saeculo VII usque ad saeculum XVI,* tertia *a saeculo XVI usque ad tempora nostra.*[1])

Epocha prima.

Aetas apostol. 2. Initio christianismi, quando Ecclesiae exultavit ut gigas ad currendam viam suam, originem ejus et propagationem *Apostoli et Evangelistae* nobis ex parte descripserunt. Eorum igitur libri, etiam si a divina inspiratione praescindimus, monumenta sunt summe veridica ac pretiosissima, quibus origo et missio divina Ecclesiae enarratur atque probatur a testibus summis, iisque argumentis, ut nihil possit desiderari firmius, solidius nihil. Notum tamen est omnibus, non id sanctis illis viris propositum fuisse, ut integram quamdam Christi Domini biographiam, vel completam nascentis Ecclesiae historiam scriberent. Scripsit S. Matthaeus eo fine, ut Judaeis ostenderet, in Christo vaticinia prophetarum esse adimpleta. Scripserunt Marcus, Lucas, Joannes Christi Domini facta et eloquia, sed eo potius scopo, ut menti fidelium hæc facilius obversarentur, utque ipsi christianismi divinitatem ex iis agnoscerent, quam ut enarrationem accuratam omnium quae acciderunt contexerent.

3. Etiam post aetatem Apostolorum vix invenimus auctores, qui historiam aliquam Ecclesiae conscribere aggressi sint. Temporum adjuncta rationem hujus silentii satis explicant. Quum enim Ecclesia ope et studio virorum Apostolicorum tunc fundaretur et propagaretur, in illo stadio laboris et actionis id unice illi viri spectabant, ut omnes vires suas et opera Ecclesiae confirmandae et dilatandae voverent, non vero id cogitarunt, ut præclara sua facta litteris consignarent. Huc pertinet quod ea de re antiquus scriptor ecclesiasticus notavit. *Antiqui,* inquit, *nihil scribebant, ne tempus quod scribendo consumerent, necessariae aliorum instructioni subtraherent, et requisitum otium*

---

[1]) Magna ex parte quæ sequuntur exacta sunt ad ea quæ scripsit Illmus Hefele, Freiburger Kirchenlexicon, B. VI. Art. Kirchengeschichte.

esset illis praeparandis, quae dicturi erant.[1]) Apostolorum igitur et discipulorum eorum silentium insignis nostra doctrina est. Etenim a propriae laudis et gloriæ cupiditate eos fuisse alienissimos, hoc ipso infallibili argumento evincitur, quod ipsis nulla penitus cura fuit, ut facta sua et prodigia clarissima post se longaeva hominum memoria celebrarentur. Satis erat pro Dei gloria et posterorum instructione, si modica factorum eorum pars nota esset. Reliquorum oblivio plus illorum virorum gloriam auget, quam centum historiae, quum nihilominus certum sit, populos ad fidem christianam eos convertisse multitudine innumerabiles, ecclesias in terrarum orbe eos fundasse plurimas, atque in iis eamdem fidem eamdemque disciplinam eos deposuisse. Architectorum sapientiam et operariorum industriam, nihil magis quam aedificiorum soliditas et magnificentia probant.[2])

Erat autem praeterea illa aetas tempus persecutionum, ita ut multi istis rerum angustiis a scribendis libris detinerentur. Qui vero scripserunt, eo stylum suum dirigere debebant, ut christianam religionem, contra Judaeos et gentiles maxime, vindicarent, eorum accusationes diluerent et doctrinae christianae aptam explanationem conficerent. Hinc omnes fere auctores illorum saeculorum characterem præ se ferunt apologeticum.

4. Commemorandus tamen nobis est ex illa aetate veluti primus christianus auctor historicus *Hegesippus*. Hic ex Judaeorum genere oriundus factus est christianus, ac mediante saeculo II Romam profectus ibidem *libros quinque* scripsit *Actuum ecclesiasticorum*. *Hegesippus*, ait S. Hieronymus, *vicinus apostolicorum temporum, et omnes a passione Domini usque ad suam aetatem ecclesiasticorum actuum texens historias, multaque ad utilitatem legentium hinc inde congregans, quinque libros composuit sermone simplici, ut quorum vitam sectabatur, dicendi quoque exprimeret* Hegesippus.

---

[1]) Auctor operis: Excerpta ex scriptis Theodoti, et doctrinae quae orientalis vocatur epitome, n. 27. (Inter opp. Cl. Alex.)

[2]) V. Fleury Hist. eccl. T. I. préface.

characterem.[1]) Ejus quidem libri nobis perierunt, sed propter styli simplicitatem et intemeratam fidei traditionem hunc virum magnopere laudat Eusebius. Apud eum varia fragmenta pretiosissima Hegesippi inveniuntur, quibus v. g. ea quae nota sunt de martyrio S. Jacobi, ac S. Simeonis Episcopi Hierosolymitani, necnon de cognatis Domini, ad nos pervenerunt.

Julius Afric.

Julius quoque *Africanus* saeculo tertio chronographus fuit christianus; *quinque de temporibus scripsit volumina*[2]), quibus texit historiam inde ab origine mundi usque ad initia saeculi tertii post Christum Dominum. Hujus historiae pariter tantum supersunt varia apud Eusebium fragmenta. Ex aliis scriptis ipsius magni momenti est ejus *ad Aristidem epistola,* cujus maxima saltem pars exstat. In eadem videlicet genealogias Domini apud Matthaeum et Lucam componere nititur; et de genere B. Virginis et S. Joseph varia tradit, quae ad quaestiones in interpretandis sacris Scripturis solvendas plurimum prosunt.

Alia documenta.

5. Quodsi alios non habemus ex primis saeculis auctores, qui ex professo historiam Ecclesiae adornare conati sunt, non pauca tamen supersunt monumenta et documenta, ex quibus eventus illius aetatis haurire et cognoscere possumus. Multa sane *in SS. Patrum et Scriptorum ecclesiasticorum operibus* consignata invenimus, unde Episcoporum successiones, christianorum mores et disciplinam, et facta colligimus plurima. *Acta martyrum* fons sunt illi, qui inquirit in eventus primordiorum Ecclesiae, gratissimus; et etiam *ex scriptoribus profanis,* praesertim ex Philone et Josepho Judaeis, non pauca erui possunt, quae christianismi historiam valde illustrant. Nihilominus parum certa foret priorum temporum notitia, nisi *providentia Dei disponente* factum esset, ut simulatque transacta illa persecutionum periodo Ecclesia exoptata fruebatur pace, etiam viri praesto essent, qui accuratam temporum illorum historiam perita manu voluminibus consignarent.

---

[1]) Catal. Script. eccl.
[2]) Hieron. Ibidem.

6. Disponente providentia Dei, inquam, hoc factum est. Haec enim mira plane ratione sese ostendit in tota illa splendida Patrum aetate, quae post tria prima saecula illuxit, et usque ad saeculum septimum sese extendit. Quod modico illo temporis spatio tantus numerus floruerit Doctorum et Patrum, qui christiana dogmata divina quadam scientia explicarunt, et insigni vi atque eloquentia contra haereticos vindicaverunt, ita ut eorum stupenda opera etiamnum post sacras Scripturas pretiosissimum Ecclesiae thesaurum constituant: id Dei directionem et protectionem, qua Ecclesiam prosequitur, manifeste ostendit. Ne quid igitur deesset in illa aetate Ecclesiae splendori, utque ipsa omni qui societati maxime insigni convenit aucta esset ornatu, tales etiam statim adfuerunt historiae populi Dei scriptores, qui inter auctores omnium temporum summos, locum sibi vindicant. Jam non incipientem, vel incerto gressu vacillantem conspicimus disciplinam nostram, sed illico valde perfectam et absolutam. *Eusebius, Socrates, Sozomenus, Theodoretus, Evagrius* apud Orientales historiam Ecclesiae hoc tempore eximia ratione tractarunt; apud Latinos vero *Rufinus, Sulpitius Severus, Cassiodorus* eorum vestigiis institerunt. Sed de his viris jam paulo uberius agendum esse videtur.

7. *Eusebius* Caesariensis Episcopus, qui et cognomen habet Pamphilus ex amico suo Pamphilo martyre, magno fruebatur favore apud Constantinum imperatorem. Qui cum ipsi concederet, ut pro ecclesia sua expeteret quosdam favores, Eusebius respondit, sufficientia esse ecclesiae suae bona, seque nec thesauros auri vel argenti, nec honores expostulare. Sed id unum se petere, ut accessus sibi ad imperii archivia, et usus concederetur documentorum publicorum ex saeculis transactis, quo res et historiam christianorum exoptata certitudine et fidelitate posset describere. Id enim sibi propositum esse, ut hac ratione gloriam Dei promoveret et Ecclesiae fata admirabilia posteritati conservaret. Annuit libentissime precibus Imperator, accessumque ad omnia archivia et documenta imperii ei concessit. Quum vero simul Eusebius vir doctissimus

Eusebius Caesar.

opera Patrum et scriptorum praecedentium saeculorum apprime cognosceret et perspecta haberet, facile vides, ipsi locupletissimos fontes patuisse, ut historiam suam conficeret. Magno igitur animo instituit de rebus christianis opus scribere absolutum atque perfectum, ut ex prooemio ejus summis auctoribus digno elucet. *Propositum mihi est,* inquit, *SS. Apostolorum successiones ordinemque temporum a Servatore nostro ad hanc aetatem usque decursorum, litterarum monumentis mandare: quot etiam et quae res in Ecclesia gestae a veteribus commemorentur: qui homines in illustrissimis provinciis huic* (Ecclesiae) *decore et cum laude præfuerint, principemque locum obtinuerint: qui in cujusque aetatis curriculo vel scriptis vel secus sacrosanctum Dei verbum constanter tueri ac defendere laboraverint: qui praeterea quotve numero et quo tempore fuerint hi, qui propter novarum rerum cupiditatem sint in summum errorem delapsi, seque ipsi falsae depravataeque doctrinae auctores palam praedicarint, et non aliter ac lupi rapaces quasi incursione facta gregem obtriverint: quae item et quam graves calamitates universorum Judaeorum gentem propter insidias quas Servatori nostro struxerat idque non ita multo post oppresserint: quoties porro, qua ratione, quibus temporibus divinus sermo effraenato gentilium impetu oppugnatus fuerit: qui etiam pro ejus defensione ardua certamina cum effusione sanguinis atque acerborum tormentorum perpessione variis temporibus confecerint: quae deinceps nostra jam ipsorum memoria, sanctorum caedes et martyria factitata sint: ad extremum, quam benignum et clemens Servator noster Ecclesiae tulerit auxilium.*[1]) Enumeratio haec eorum, quæ ad historiam christianismi pertinent, profecto est valde completa; institutum autem suum ab Eusebio etiam ad felicem finem perductum esse, una est omnium vox. Id vero eo magis admirandum est, quod non tritas potuerit percurrere semitas, sed aperuerit ipse. *Quoniam,* scribit, *hoc argumentum nos jam primi aggredientes quasi desertam et inusitatam viam inire molimur, idcirco precibus magnopere petimus a Deo Patre, ut itineris*

---

[1]) Hist. eccl. L. I. c. 1.

ducem se praebeat, quandoquidem hominum ne nuda quidem vestigia reperire possimus, qui ante nos eamdem viam triverint.

8. Scripsit igitur Eusebius, cui merito datum fuit nomen Patris historiae ecclesiasticae, *decem libros,* quibus complectitur *Ecclesiae historiam* usque ad annum 324, quo anno Constantinus devicit Licinium solusque imperio potitus est. Conveniunt omnes, ipsum esse auctorem veridicum, qui judicio critico in scribenda historia bene usus est, ac plerumque ipsa documenta affert, quibus facta quae narrat continentur, ea vero quae minus certa sunt etiam dubie refert. — Sufficiat, omissis reliquis Eusebii operibus, hic etiam paucis commemorare ejus *libellum de Martyribus Palaestinae, de vita Constantini M. libros IV,* ejusque *Chronicon* duobus contentum libris; ista videlicet sunt opera, quae pariter pro historia Ecclesiae sunt magni momenti. Id tamen quoad Eusebium valde lugendum est, eum aulae honoribus nimium fuisse addictum, ejusque fidem catholicam haud fuisse plane puram et integram, sed Arianorum erroribus aliquantisper foedatam. Argumentum sane luculentum, solam cognitionem historiae christianismi non sufficere, ut ab errore homo eruditus praeservetur, sed requiri animum antiquae Ecclesiae doctrinae et traditioni addictum et ab ambitionis fastu vacuum. Quae si consideraveris facile vides, etiam nostro tempore non esse mirandum, si auctorem et scriptorem in disciplina historiae ecclesiasticae celeberrimum tristi lapsu ab Ecclesia deficere conspicimus; similes hac in re invenies causas.

9. Sed quod instituimus jam prosequamur. Mox in Ecclesia orientali Eusebius dignos sui operis habuit continuatores. Saeculo V mediante *Socrates,* in urbe Constantinopolitana scholasticus seu causidicus et rhetor, *septem libris historiam Ecclesiae* complexus est inde ab anno 306, quo anno Diocletianus abdicavit, usque ad annum 439. Sic opus magnum Eusebii complevit et continuavit. Stylo simplici Socrates felici usus est successu; judicium criticum in factis discutiendis, fidelitatem in iis narrandis, plerumque ei adesse eruditi agnoscunt, atque a studio partium eum sat alienum esse conveniunt. Nimis tamen videtur favisse Socrates.

rigorismo cuidam in Ecclesiae disciplina, eumque in dogmatibus dijudicandis minus esse versatum, jam Photius animadvertit.

Sozomenus. 10. Eodem fere tempore alius causidicus Constantinopolitanus, *Hermias Sozomenus* pariter *Historiam Ecclesiae* scripsit *novem libris,* quibus fere idem temporis spatium ac Socrates complexus est. Stylo ornato atque gratissimo Sozomenus magnopere sese commendat; caeterum vero ejus opus non ejusdem est cum Socratis meriti; minus enim judicio ac rerum selectu excellit. — Utrosque autem superavit Theodoretus. *Theodoretus* Episcopus Cyri, clarissimus idem in sacris interpretandis Scripturis, qui paulo post quinque libris, ut continuaret Eusebii historiam, tempora inde ab ortu Arianismi usque ad initia saeculi quinti enarravit. *Quamquam,* scribit initio Historiae suae, *pictores qui veteres historias in tabulis et parietibus describunt, tum intuentium magnopere delectant oculos, tum rerum praeteritarum recordationem ad prolixum temporis spatium florentem servant; tamen scriptores, qui pro tabulis monumentis librorum, et pro colorum varietate orationis flosculis utuntur, memoriam rerum gestarum, (si quidem res pictorum artificio descriptas temporis consumit conficitque longinquitas), multo diuturniorem stabilioremque efficiunt. Qua ratione ipse equidem adductus sum, ut ea quae in Ecclesiastica historia desunt, scriptis mandare aggrediar . . . . . Atque ut Eusebius genere Palaestinus, a sanctorum Apostolorum tempore exorsus, res in Ecclesia inde usque ad tempora Constantini Imperatoris sanctissimi gestas conscripsit, sic ego ex illo ipso tempore, quo ab eo desitum est scribere, initium historiae ducere statuo.*[1]) Stylus Theodoreti, uti ex his jam vides, clarus est, sublimis atque concisus, pretiumque operis inde augetur, quod permulta ei inseruit historica documenta. — Quae scripserunt fere eodem tempore *Philippus Sidetes, Philostorgius* Ariani erroris sectator acerrimus, et *Theodorus* lector Ecclesiae Constantinopolis, maxima ex parte deperdita sunt; illa autem quae restant, etiam in operibus auctorum quos nomina-

¹) Hist. eccl. l. I. c. 1.

vimus fere inveniuntur. — Celebrium vero scriptorum agmen claudit *Evagrius* scholasticus Antiochenus, vir orthodoxia et eruditione clarissimus. Hic priorum historias continuavit usque ad saeculi sexti finem, ita ut ex ipso plurima quae ad Nestorianismum et Monophysitismum spectant colligantur. Quum stylo et dictione excellat, interdum tamen nimis credulus invenitur nimisque rebus profanis enarrandis inhaerens. — Ut generatim de his auctoribus historicis Orientis feramus judicium, omnes eruditi conveniunt, quemadmodum Graeci jam antiquitus prae omnibus aliis nationibus in disciplinis et artibus liberalibus excellebant, sic etiam opera virorum quos laudavimus exquisita esse ratione confecta. Antiquos enim scriptores classicos auctores nostri felicissimo imitati sunt successu, ita ut illa tempora, quae a Patribus Ecclesiae doctrina et libris scriptis illustrata fuerunt, etiam quoad historiam ecclesiasticam auream periodum constituant. Evagrius.

Auctores Latini.

11. Latini quidem non tanta sedulitate historiam ecclesiasticam illo tempore excoluere, sed Graecorum operibus magna ex parte inhaeserunt. Sic *Rufinus*, presbyter Aquilejensis, Eusebii historiam in linguam vertit latinam, multis tamen (haud feliciter) mutatis vel omissis; duobus etiam libris narrationem Eusebii ab ortu Arianismi usque ad regnum Theodosii Magni continuavit. Varii ipsi objiciuntur errores praesertim in chronologia, et pro acerbo animo suo injustas de quibusdam viris illustribus, e. g. de SS. Gregorio Nazianzeno et Basilio, sententias et querelas profert. — Adversarius Rufini, *magnus Hieronymus*, Chronicon vertit Eusebii, varias scripsit Sanctorum vitas Catalogumque scriptorum illustrium, hac ratione etiam de historia Ecclesiae optime meritus. — Stylo conciso et claro *Sulpitius Severus*, presbyter Aquitanus, initio quinti saeculi *Historiam* composuit *sacram*, decurrentem inde ab origine mundi usque ad saeculum quintum. Quodsi opusculum ejus aequari nequit magnis Graecorum operibus, tamen valde utile est, et auctori cognomen meruit honorificum Sallustii christiani. Vitam quoque S. Martini a Sulpitio Severo esse conscriptam, nemo est qui ignoret.

12. Commemorandus hoc loco est nobis etiam *Orosius,* presbyter Hispanus et coaevus S. Augustini. Quo hortante *septem* composuit *libros historiarum contra paganos,* quibus mundi et saeculorum eventus enarrans, ostendit, falso a paganis in christianorum culpam referri calamitates, quibus illo tempore imperium Romanum erat oppressum. — Magnam postremo utilitatem illi aetati et subsequentibus saeculis attulerunt scripta *Aurelii Cassiodori.* Qui quum per quinquaginta annos in republica Gothorum summis muneribus functus esset, a. 539 senex septuaginta annorum in monasterium secessit Vivariense, ibique monachus factus et abbas, juvenili labore atque fervore sacras disciplinas tum ipse coluit, tum alios docuit. Quod ad nostram pertinet rem, *Historiam tripartitam* libris composuit duodecim. Scripta videlicet trium Eusebii continuatorum, Socratis, Sozomeni et Theodoreti, in unum sapienter redegit modicum volumen, quod ex origine tripartitae historiae nomen est sortitum. Latinus quidem sermo in hoc volumine durus est, sed opus ipsum praeclarum, adeo ut medio aevo, quum ad Graecos scriptores difficilior esset aditus, eodem tanquam fonte praecipuo historiae ecclesiasticae merito uterentur. — Isti igitur sunt Latini ex aetate Patrum auctores qui historiae ecclesiasticae disciplinam excoluerunt. Quodsi ea quae de his animadvertimus iis adjungis, quae de scriptoribus Graecis exposuimus, concludes, in periodo illa historiam ecclesiasticam maxime floruisse.

Epocha secunda.

Conditio rerum generatim.

13. Jam ad alteram accedimus epocham, quam apte quoad disciplinam nostram statuimus, quaeque inde a saeculo sexto desinente usque ad saeculum decimum sextum incipiens sese extendit. Quodsi quaesieris, qualis fuerit status excultae historiae ecclesiasticae illa periodo, respondebunt tibi auctores protestantes cum Joanne Matthia Schroeckh, professore Wittembergensi et scriptore celebri, nullos fuisse toto hoc superstitionis tempore scriptores, quorum opera nomen historiae ecclesiasticae mereantur. Quum enim haec quoque disciplina unice a clero culta

fuerit, quem ignorantia, superstitione, ambitione plane infectum et corruptum fuisse protestantes volunt, „nonnisi congeriem, inquiunt, ingentem fabellarum, legendas incertas et falsas de vitis Sanctorum eorumque suppositis miraculis, narrationes persecutionum quibus haeretici oppressi sunt, chronica monasteriorum et episcopatuum ac similia invenimus opera, quibus dominationem suam sacerdotes magis magisque confirmare et dilatare nitebantur. Vel paucissima illa, quae alicujus momenti de rebus historicis supersunt scripta, monachorum sapiunt credulitatem et stupidam pietatem, ac nonnisi defiguratam quamdam nobis exhibent Ecclesiae historiam.“ Sed ejusmodi protestantium severa sententia nonnisi ex ipsorum praejudicatis opinionibus et funestis erroribus promanat. Etenim quum Ecclesia catholica vitam suam supernaturalem missionemque divinam illo aevo medio tanto cum splendore in tot eximiis Pontificibus, Episcopis, viris sanctis, innumerisque prodigiis et miraculis manifestet, quumque eo tempore societatem totam populosque christianos suo influxu ac salutari regimine veluti penetraverit: id conspicere, profecto illis haereticis ab Ecclesia rebellibus, summe invisum est atque ingratum. Hinc ab ista Ecclesiae gloria suos oculos detorquent, et lucem sicuti vespertiliones et noctuae fugientes, nihil nisi superstitionem, stupidam ignorantiam et superbam tyrannidem medio aevo viguisse passim conclamant.

14. Itaque jam videamus, quo modo disciplina nostra illa aetate sese habuerit. Id imprimis sese nobis offert animadvertendum, quum prima periodo in Ecclesia Graeca clarissimi floruerint auctores historici, minus celebres apud Latinos, contrarium observari hac medii temporis aetate. Neque id mirum videri debet. Etenim Ecelesia Graeca eo tempore superbia et vanitate inflata, magis magisque a centro unitatis recessit, ac postremo ab eodem omnino se separavit. Hinc in languentem ac miserum incidit statum, ac veluti ramus ab arbore praecisus et solutus, obriguit et exsiccata est, ita ut nec sanctitatis nec scientiae fructus eximii in eadem procrearentur. Ecclesia vero Latina eo tempore magis magisque roborata in peregrinas

propagata est regiones, et ubique etiam in illis gentibus antea tam ignaris et rudibus, quæ ad ipsam accesserunt, innumeros habuit viros pietate et scientia plane insignes.

Auctores Graeci.

15. Toto igitur illo tempore usque ad saeculum decimumsextum Graeci tantum unum habuere auctorem historicum, qui operibus suis nomen jure sibi acquisivit et famam, videlicet *Nicephorum Callisti,* sacerdotem et bibliothecarium Constantinopolitanum. Hic mediante saeculo XIV ex auctoribus ipsum praecedentibus et ex documentis antiquis, nunc magna ex parte deperditis, Ecclesiae historiam summa diligentia conscripsit. Propositum ei erat, opus illud usque ad sua tempora extendere, sed vitae fatis ipsi solum concessum est, decem et octo libros conficere, quibus usque ad Phocae imperatoris regnum, i. e. usque ad initium saeculi VII historiam suam perduxit. De dignitate historiae ecclesiasticae ejusque indole ac scopo Nicephorus praeclara scribit; ejusque diligentiam in factis colligendis et enarrandis omnes merito laudant. Sed non pauca etiam libris suis inseruit incerta et fabulosa, uti jam Baronius in Annalibus suis ostendit. — Multo minoris pretii est opus, quod circa annum 940, sub titulo *Ecclesiae Alexandrinae origines sive Annales,* Melchitarum patriarcha *Eutychius* lingua Arabica conscripsit. Habent tamen quae de rebus Muhamedanorum tradit pro disciplina historica suum valorem. — Addendi sunt illi qui dici solent *Scriptores Byzantini,* quadraginta fere numero, auctores videlicet minus clari, qui ex professo quidem res profanas, imperatorum vitas et res gestas conscripsere, simul vero ex rei natura plurima, quae ad Ecclesiam pertinent, suis scriptis inseruerunt. Inter ipsos ut paucorum nomina proferamus, v. g. numerantur *Joannes Cantacuzenus, Constantinus Porphyrogenitus, Anna Comnena* filia Isaac Comneni imperatoris, et *Leo Grammaticus.* — Haec igitur sunt quae de statu historiae ecclesiasticae in Oriente per medii aevi tempora dicenda occurrunt; et si auctorum illorum quos diximus scripta utilitate sua non carent, manifestum tamen vel ex his est, quantopere in Oriente status religionis fuerit in pejus mutatus, quantopere ipsa litterarum studia collapsa.

16. In Occidente vero interea tam multi fuerunt, qui rebus et fatis Ecclesiae describendis operam dedere, tantaque ac tam varia opera in lucem prodierunt, ut necessarium sit ad classes quasdam auctores reducere, ne taedium et obscuritatem pariat mera scriptorum enumeratio. — Decurrente tempore variae nationes ad christianismum conversae locum insignem tum inter regna politica, tum in christianae societatis republica occuparunt, simulque etiam litterarum studia apud ipsas, ope præsertim monachorum, effloruerunt. Brevi igitur factum est, ut non pauci viri accensi fuerint studio describendae *historiae suae gentis*. Inde prodierunt opera illa insignia, quibus singulorum aliquot populorum res gestae, et historia tum profana tum ecclesiastica, continetur. Sic *Gregorius Turonensis* eximiam scripsit *Historiam Francorum,* quam usque ad suam aetatem, ad finem videlicet saeculi VI perducit. Haec historia universim fidelis, pauca tantum continet minus vera et certa. Centum et quinquaginta annis post ipsum *Beda,* venerabilis vir et doctissimus, *Historiam ecclesiasticam gentis Anglorum* composuit libris quinque, quod opus summam semper sibi adscivit admirationem. *Paulus Diaconus,* cancellarius quondam Desiderii ultimi regis Longobardorum, post eversam gentis suae rempublicam, rebus hujus saeculi valedixit, et in monte Cassino monachus factus circa finem sæculi VIII *Historiam* composuit *Longobardorum* libris sex comprehensam. Stylo simplici, puro atque gratissimo gentis suae gloriam ac facta, tum in rebus profanis, tum in rebus sacris, describit. Et ne septemtrionis regionibus suus auctor deesset, *Adam,* Bremensis ecclesiae canonicus, *Scandinaviae et episcopatuum Bremensis et Hamburgensis historiam ecclesiasticam* usque ad saeculum fere XI confecit. Quod opus quovis tempore maxima fuit in aestimatione, et ab alio Ecclesiae Bremensis sacerdote *Alberto Krantz* labente saeculo XV continuatum et ad alios septemtrionis episcopatus fuit extensum. Addendus hisce est præter alios auctores minus celebres *Flodoardus* (a. 966), presbyter Rhemensis et electus episcopus Tornacensis; ipse videlicet *Ecclesiae Rhemensis Historiam* exaravit.

Auctores Latini.

Historiae particulares.

Historia Eccl. gener.

17. Alia classis auctorum historiae ecclesiasticae tempore medii aevi iis constituitur, qui *generalem totius Ecclesiae Historiam* composuerunt; atque non pauci ejusmodi scriptores occurrunt. Talis fuit saeculo IX *Haymo,* episcopus Halberstadiensis, qui libris decem *de christianarum rerum memoria* historiam quatuor primorum saeculorum scripsit. — *Anastasius,* origine quidem Graecus sed Romanae Ecclesiae bibliothecarius, saeculo X ex tribus Graecis auctoribus, Nicephoro Patr. Cptano, Georgio Syncello et Theophane, composuit suam *Chronographiam tripartitam,* ipsique etiam tribui solet celeberrimus *Liber Pontificalis,* seu *de Vitis Romanorum Pontificum.* Attamen eruditi existimant, plerasque in hoc opere vitas ab antiquioribus confectas fuisse auctoribus. — Apud Anglos *Ordericus Vitalis,* abbas monasterii Uticensis Normannorum, mediante saeculo XII historiam Ecclesiae usque ad suam aetatem scripsit; et initio saeculi XIV similem historiam universalem composuit *Bartholomaeus de Lucca* ex ordine S. Dominici. Maximum vero opus historicum medii aevi adornavit *S. Antoninus Archiepiscopus Florentinus;* in sua videlicet *Summa historiali* eventus inde ab origine mundi usque ad medium saeculum XV describit, sat feliciter etiam adhibita arte critica. Animadvertendum videlicet est, hanc artem medio aevo paulisper neglectam fuisse, donec Laurentius Valla, canonicus Romanus, et Nicolaus Cardinalis Cusanus eam quoque artem vehementius promoverunt.

Annales et biographiae.

18. Tertium postremo genus operum medii aevi quae historiam spectant, constituunt *Libri Annalium et Chronicorum,* necnon *Biographiae multiplices* virorum celebrium. Talium operum ingens est numerus; ad plura videlicet millia ea quae nobis supersunt accedunt, vixque aliqua civitas, monasteriumve aliquod invenitur, quod suos non habeat annales; nullusque fere est vir in rebus profanis vel ecclesiasticis clarior, cujus biographia litteris non sit consignata. Universa haec monumenta viri eruditi paulatim adunarunt, indeque collectiones variae monumentorum et documentorum medii aevi multis voluminibus comprehensae prodierunt.

19. Dum igitur omnia haec mediae aetatis opera consideramus, manifestum fit, ineptissime protestantes invectivis suis illa tempora calumniari, imo revera eadem abundare insignibus operibus, quae Ecclesiae historiam complectuntur. Id sane, uti jam innuimus, non diffitemur, haud semper auctores illius temporis artis criticae subsidiis satis usos fuisse, atque interdum certa ab incertis vel dubiis narratiunculis eos non sufficienter distinxisse. Vigebat eo tempore unitas Ecclesiae, omnesque hanc magnam societatem ut divinam agnoscebant ac venerabantur, et missionem ejus divinam etiam in historia ipsius per continuam et admirabilem Dei protectionem et directionem confirmari, perspectum habebant. Jam vero etiam in historiis principum et nobilissimarum familiarum, dum majorum fortia facta et eximiae virtutes recensentur, passim accidit, ut veris quaedam admisceantur minus probata vel exaggerata. Nec inde tamen quid timendum est; quia exigua illa additamenta veluti involvuntur et absorbentur copia factorum illustrium, de quorum veritate nullum potest dubium oboriri. Sic etiam in societate catholica nonnunquam simile quid contingit. Dum videlicet innumeris documentis et monumentis plane certissimis mira christianae societatis et Ecclesiae vita, per saecula ingenti splendore decurrens, continetur et refertur, quid miramur, si quaedam interdum adjecta inveniuntur, quae a criticis admitti ut certa non possunt, vel etiam rejicienda esse monstrantur? Caeterum jam in ipsa societate catholica medii aevi plures viri criticae artis disciplinam commendare et promovere studuerunt. Pleno autem successu eadem a catholicis adhibita est, quando haeretici protestantes Ecclesiam etiam ex historia impugnare, atque hanc pervertere et corrumpere studuerunt. Tantum vero abfuit, ut artis criticae accuratior usus Ecclesiae gloriam imminuerit, ut potius inde jam multo majori ipsa effulserit pulchritudine atque splendore.

Ars critica.

Epocha tertia.

20. Haec per se nos adducunt ad considerandam ultimam epocham, quae ab initiis saeculi XVI usque ad nostra

Aera splendida.

se extendit tempora. Nova igitur quaedam ac splendidissima pro disciplina nostra haec fuit aera. Variae concurrunt causae, quibus factum est, ut historiae ecclesiasticae studium et elucubratio magno cum fervore et diligentia susciperentur, atque opera egregia multiplicia in lucem prodirent. Ad ejusmodi causas imprimis pertinet *resuscitatum* saeculo XV *studium litterarum humanarum* ac praecipue litteraturae Graecae. Hoc studium, uti omnes norunt, in Occidente maxime excitatum fuit per Graecos, qui currente sæculo XV in Italiam accersiti sunt, vel etiam capta Constantinopoli in has regiones fugerunt. Tunc igitur ex linguae peritia usus documentorum Orientis obvius redditus est, simulque haec documenta ab eruditis illis Graecis in Europam adportata fuerunt. — Dein vero, quum *typographiae ars* nuperrime esset inventa, ejusmodi documenta et opera historica antiquorum facile poterant multiplicari atque in plurimorum manus devolvi. — Occasionem postremo et veluti impulsum ultimum ad studia historica persequenda dedit *pseudoreformatio illa,* qua tristi defectione variae nationes ab Ecclesia defecerunt. Jam olim S. Augustinus sapientissime scripsit: *Multa ad fidem catholicam pertinentia, dum haereticorum calida inquietudine exagitantur, ut adversus eos defendi possint, et considerantur diligentius, et intelliguntur clarius, et instantius praedicantur; et ab adversariis mota quaestio, discendi existit occasio.*[1]) Haec quae S. Doctor de doctrina fidei dicit, etiam disciplinae historiae ecclesiasticae merito applicari, luculenter saeculi XVI experientia ostenditur. Protestantes videlicet, ut suam ab Ecclesia defectionem qualicumque ratione defenderent, ipsa historia maxime abusi, eam ad suos errores tuendos plane pervertere conati sunt. In hunc scopum mediante saeculo XVI confecta sunt *Centuriatorum Magdeburgensium* venenata volumina. Duce Matthia Flacio Illyrico, homine qui furore ardebat hæretico, plures viri eruditi protestantes collatis viribus historicam Ecclesiae conscribere aggressi sunt; quumque per singula saecula

Centuriatores.

---

[1]) Civ. Dei L. XVI. c. 2.

res gestas describerent, *Centurias* suum opus appellarunt. Harum Centuriarum tredecim libri in lucem editi sunt. Auctores igitur illi protestantes haud exigua quidem eruditione, sed simul cum vehementissimo odio in Ecclesiam opus confecerunt, quo universam historiam falsificarunt et contra catholicos a vero detorserunt. Vel ipsi protestantes posteriores, ut Cave, Schroeckh, Stendlin, fraudes Centuriatorum agnoscunt, et ab ipsis *multa omissa, peccata multa, falso exposita multa,* fatentur. Quo tempore vero volumina apparuerunt, plenis buccis triumphum cantarunt haeretici, devictosque etiam ab ipsa historia Romani Pontificis asseclas, conclamarunt.

21. At non defuit divina providentia etiam in hac re Ecclesiae, conjunctisque haereticis opposuit virum unum, qui conatus istorum hominum elisit, atque ad nihilum redegit. *Caesar Baronius,* Romani Oratorii sacerdos ac postea S. R. E. Cardinalis, magnum illud negotium hortante S. Philippo Nerio suscepit, ut Centuriatorum refutaret calumnias veracemque Ecclesiæ historiam exararet. Saeculo igitur XVI labente opus illud in perpetuum celeberrimum scripsit, cui *Annales ecclesiastici* nomen est, ac duodecim voluminibus duodecim saeculorum historiam ingenti studio ac labore elaboravit. Non solum summa cum eruditione et fidelitate in hoc opere Ecclesiae fata enarrat et Centuriatores refellit, sed etiam innumera ei inseruit documenta inedita, ex archiviis ecclesiasticis aliisque deprompta, ita ut inde quoque summum pretium eidem accedat. Quod autem unus vir, (etenim adjutores Baronius non habuit,) omnia ista praestare potuerit, id prodigiosum revera dicendum est, nec aliunde explicatur, nisi quod ipse quidem amore Ecclesiae percitus omnes acerrimi sui ingenii vires intenderit, aeneamque adhibuerit patientiam et diligentiam; Deus vero, cujus causam defendebat, peculiare ipsi praestaret ad hostes debellandos auxilium. — Eximium opus Baronii continuarunt plures viri doctissimi, videlicet *Abrahamus Bzovius* Polonus, *Henricus Spondanus* Gallus, *Oldericus Rainaldus* et *Jacobus Laderchus* Itali; Spondano inter hos maximae laudes tribuuntur. Nostris diebus Augustinus

Baronius.

Theiner, Germanus, Baronii Annales prosecutus est. Quum vero opus amplissimum Baronii summam apud omnes excitaret admirationem, adverterunt tamen viri eruditi, identidem respectu artis criticae, ac speciatim chronologiae, aliquid desiderari. Hinc ut lacuna ista compleretur, *notas criticas* easque optimas libris Baronii adjecerunt *Antonius* et *Franciscus Pagi,* uterque Gallus et ex Ordine Conventualium S. Francisci. Editionem dein operum Baronii et utriusque Pagi necnon Raynaldi continuatoris Baronii, triginta et novem voluminibus curavit *Dominicus Mansi,* ex Clericis regularibus Matris Dei et postea archiepiscopus Lucensis, qui *Apparatum* quoque *notasque novas* adjecit. Ex his vides, quanti pretii jure habeantur illi Annales Baronii. Centuriatorum vero pestifera volumina, miserum esse et perfidum odii fœtum, rei exitus satis comprobavit. Libros illos mendaces ipsi auctores protestantes vix semel consulunt, dum centies Baronii utuntur operibus; continuatio autem Centuriarum jam ex tribus fere saeculis parata jacet, sed alto sepulta pulvere, quum nemo eam edere voluerit.

22. Scripta igitur ista Centuriatorum et Annales Baronii continuatorumque ejus, necnon multiplices libri qui occasione horum voluminum sive a catholicis sive a protestantibus confecti sunt, usque ad tempora nostra constituunt *genus quoddam speciale* operum quoad disciplinam historiae ecclesiasticae. Ut dein reliqua quae ultimorum saeculorum decursu hac in re praestita sunt accuratius prosequamur, opportune considerabimus, qui apud singulas quasdam nationes fuerint scriptores celebriores. — Habemus autem imprimis *Gallos,* quibus sine dubio palmam hac in re deferre convenit. Apud ipsos scilicet saeculo XVII conspicitur series auctorum illustrium, qui in historia ecclesiastica adornanda non minore fervore quam successu laboravere; id unum dolendum, plures ex his auctoribus addictos fuisse erroneis illis opinionibus et doctrinis nunc jam rejectis, quas Gallicanas dicere solent. Seriem auctorum aperit *Antonius Godeau* Episcopus Venicensis, qui amplissimam historiam ecclesiasticam pluribus voluminibus

Auctores Galli.

comprehensam, magni aestimandam et errore adhuc plane puram, mediante saeculo XVII edidit. Ipsum vero secutus est majoris nominis ac notissimus *Natalis Alexander*, ex Ordine S. Dominici religiosus. Locupletissimum triginta voluminum opus conscripsit, quo integra historia, antiqui Testamenti et novi Foederis seu Ecclesiae continetur. Summi pretii in ejusmodi opere sunt plurimae Dissertationes, eximia eruditione, et acri ingenii acumine confectae, quibus multas quaestiones dogmaticas et historicas discutit et illustrat. Eo magis dolendum est, quod errores suos Gallicanos non semel, veluti acetum acerbum et corruptum, iis miscuerit. Viri tamen bini non minus docti quam probi, *Constantinus Roncaglia* videlicet et *Dominicus Mansi*, notis adjectis antidotum quoddam salutare illis Alexandri opinionibus constituerunt, atque opus hac ratione correctum summae est pro studiis historiae utilitatis. Natalis Alexander.

23. Jam venit nominandus *Claudius Fleury*, auctor Fleury. nescio utrum dicam clarissimus an famosissimus, qui *centum libris* historiam Ecclesiae inde ab ascensione Domini usque ad saeculum XIV sermone vernaculo i. e. Gallico composuit. Magnae eruditioni hic in suo opere junxit stylum gratissimum, ita ut ejus volumina brevi omnium manibus tererentur. Attamen in arte critica ipse Natalem Alexandrum nullatenus adaequat, nec ejus opus haberi potest ut fons, ex quo veritas historica possit facile hauriri; documenta enim paucissima affert, et opinionibus erroneis vehementer infectus, easdem etiam libris suis intexuit, Romanorumque Pontificum est censor acerrimus et injustus. — Scripsit fere eodem tempore quo Claudius Fleury etiam *Sebastianus de Tillemont* opera sua, quae per Tillemont. quadraginta annos ab ipso ingenti studio praeparata fuerunt. Sex tomis *Historiam Imperatorum Romanorum* usque ad Anastasium tractavit; sexdecim aliis *Historiam Ecclesiae* per quinque saecula prima. His autem voluminibus non continuatam exhibet rerum et eventuum narrationem; sed quae de personis illustribus, de imperatoribus, principibus, Pontificibus Romanis, Episcopis, Doctoribus, quae de Conciliis, de haeresibus, de multiplicibus quaestionibus et

eventibus dispersa in antiquis monumentis et scriptoribus invenit, incredibili sedulitate et eruditione congessit atque adunavit. Singula igitur ipsis antiquorum auctorum verbis tradit, suasque ad illustrationem et explicationem adjicit amplissimas notas. Unde ejusmodi opus omnium forte quae recenti tempore scripta sunt eruditissimum, summae utilitatis est cunctis, qui profundioribus historiae ecclesiasticae studiis incumbunt. Observandum tamen est, in sua critica Tillemontium interdum fuisse nimis severum, nimiumque etiam eum fuisse Jansenistis amicum. — Magnis his Galliae auctoribus hic statim adjungamus Belgii Bollandistas, qui jam duobus ex saeculis, ingentis meriti et utilitatis opus summa cum laude prosequuntur, ut videlicet *Acta Sanctorum*, arte critica bene adhibita, in majorem Dei et Ecclesiae gloriam conscribant et edant. Quanti vero momenti sit ejusmodi susceptum negotium etiam pro generali historia Ecclesiae, evidens plane est omnibusque perspectum.

Bollandistae.

Alii scriptores.

24. Praeter summos illos scriptores Galliae, quos nominavimus, ibidem saeculo XVII etiam multi alii floruerunt doctissimi viri, qui speciali quadam ratione, vel editis collectionibus Conciliorum, vel scripta historia monasteriorum, ordinum religiosorum et virorum illustrium, vel disquisitionibus institutis in antiquitates christianas, aliisve similibus operibus, in eodem hoc nostrae disciplinae campo laboraverunt. Tales fuerunt *Maurinorum* varii monachi, uti *Mabillon, Martene, Martianay,* tales *Morinus, Petavius, Sirmondus, Harduinus, Labbeus* aliique quos recensere longum est. Accedunt etiam auctores illi complures quamquam minus clari, qui saeculo praeterito et nostro tempore haud sine merito historiam Ecclesiae scripserunt. Tales fuerunt e. g. *Ducreux* et *Berault-Bercastel,* et qui prae caeteris magnam laudem meretur clarissimus *Rohrbacher.* Ejus enim Historia ecclesiastica fideli rerum narratione et sanis principiis sese commendat, eoque magis illud opus aestimandum est, quod nostra aetate nemo opus tam completum et amplum universalis historiae ediderit. Fatendum tamen est, in quaestionibus subtilioribus arte critica eum

non omnes attingere numeros. Idem esto judicium de historia Ecclesiae generali, quam stylo valde concinno conscriptam *Darras* viginti quinque voluminibus usque ad medii aevi tempora perduxit; lugendum sane, quod morte praeventus opus absolvere non potuerit. Varii quoque auctores *compendia* historiae ecclesiasticae in lucem ediderunt.

25. Jam de auctoribus *Italis* breviter agamus. Pauciores invenimus ultimis saeculis in hac natione auctores, qui in ea de qua agimus disciplina ita laboraverunt, ut novas scripserint generales Ecclesiae historias. Id vero inde videtur ex parte saltem evenisse, quod qui studiis istis operam dabant, multum occupati fuerunt in continuandis, vindicandis et complendis Baronii operibus, necnon in emendandis auctoribus Gallis a labe opinionum erronearum, ita ut ipsis otium non suppeteret ad nova opera ampliora conscribenda. Habemus tamen clarissimum auctorem *Cardinalem Orsi* ex Ordine Praedicatorum, qui historiam scripsit Ecclesiae magni pretii, qua sex prima christianismi saecula complectitur. Opus illud dein prosecutus est *P. Becchetti* ex eadem familia religiosa, cujus narratio usque ad tempora Concilii Tridentini excurrit. *Casparus Saccarelli, Hyacinthus de Graveson* et *Laurentius Berti* alii fuerunt in Italia auctores qui historiam Ecclesiae tractaverunt, suisque laudem meruerunt operibus.—Historiam Concilii Tridentini speciali et celeberrimo opere explanavit Cardinalis *Sforza Pallavicini,* ut refutaret calumnias *Pauli Sarpi* Veneti, qui virulento animo falsatam hujus Synodi ediderat historiam. — Multos praeterea habemus, qui de antiquitatibus christianis, vel de personis et eventibus particularibus libros ediderunt. Sic *Mammachi, Selvaggio* et *Pelliccia,* nostroque tempore *P. Marchi* S. J. et clarissimus eques *De Rossi,* de antiquitatibus christianis magna cum eruditione tractarunt. Historiam Pelagianismi scripsit Cardinalis *Noris,* et monumenta plurima Ecclesiae Orientalis viri doctissimi plures ex familia Maronitica *Assemani* in lucem ediderunt. — Inter recentiores laudem sibi meruit illustrissimus *Palma,* historiae ecclesiasticae

Auctores Itali.

in seminario Romano et in Collegio Urbano de Progaganda Fide professor, ac dein S. D. N. Pii IX Secretarius a litteris Latinis. Is quatuor edidit volumina *Dissertationum,* quibus varia Ecclesiae tempora multum illustrat. Sed anno quadragesimo octavo hujus saeculi ab impiis rebellibus in ipso palatio Apostolico occisus, atque sic praematura morte litteris ereptus est.

Auctores Germani.

26. In *Germania* nonnisi inde a recentiori tempore inter Catholicos invenimus auctores celebriores, qui historiam ecclesiasticam speciali opera excoluerunt. Eousque utebantur Germani iis quae ex Baronii operibus a variis scriptoribus in compendia redacta, vel quae ex aliis linguis in idioma Germanicum translata erant. Quod si quaesieris unde id provenerit, quum viri doctissimi etiam elapsis saeculis Germaniae non defuerint, haud ita facile est rationes explanare. Causam tamen praecipuam quamdam in eo fuisse existimaverim, quod plurimi viri ingenio et pietate insignes occupabantur lucta practica et operosa contra protestantium haeresim, ut catholicos in fide confirmarent, haeresis progressus impedirent, et eos qui a veritate defecerant, reducerent. Hinc otium illis non erat, ut opera conscriberent, quae ad luctam illam et laborem urgentem directe haud spectabant. Sic igitur factum est, ut in contorversiis quidem polemicis et in disciplinis practicis, scilicet in theologica morali et jure canonico, non paucos saeculo XVII et XVIII Germania haberet claros auctores, quoad dogmaticam autem speculativam et historiam ecclesiasticam pauci tantum invenirentur. — Sed recentiori tempore, uti omnibus notum est, in tractanda historia tum profana tum ecclesiastica viri eruditi Germaniae prae caeteris excelluerunt. Jam saeculo transacto ad finem vergente varii fuerunt auctores, qui ampliora in nostra disciplina opera scripserunt; sed illi infecti erant viro Josephinismi, animumque prae se ferunt institutis Ecclesiae et ordini hierarchico saepe infensum. Unde auctorum illorum nomina eorumque opera merito mox oblivioni data sunt. Brevi post autem felicior aera illuxit.

Scriptores recentes.

27. Excitavit scilicet studium historiae ecclesiasticae

initio hujus saeculi praecipue *Leopoldus Comes de Stolberg,* vir etiam in disciplinis humanioribus clarissimus. Ex protestantismo conversus ad Ecclesiam catholicam, huic se totum devovit. Scripsit igitur *Historiam Religionis D. N. J. C.,* ex qua non minus summa pietas, quam eruditio eximia relucet. Hoc opus, quum non solum ab eruditis, sed etiam ab omnibus qui aliqua cultura ingenii gaudent, multum legeretur, incredibile est, quantum contribuerit, ut contra rationalismi impias fraudes catholici munirentur, et eorum animi religionis accenderentur amore. Quindecim voluminibus ipse Stolberg ab origine mundi usque ad medium saeculum V post Christum narrationem suam deduxit. Dein *Kerz* successu aliquanto minus felici, post ipsum *Brischar* ea qua par erat ratione, illam historiam continuaverunt, ita ut modo jam plus quam quinquaginta volumina comprehendat. — Huic operi adjungendum est aliud opus magnum atque perutile: *Synchronistica* videlicet *historia mundi et Ecclesiae in medio aevo.* Eam composuit quindecim pariter voluminibus nostris diebus clarissimus *Damberger,* primum parochus, dein Societatis Jesu sacerdos. Ab anno 476 usque ad finem saeculi XIV opus suum perduxit; sed morte praeventus absolvere illud haud potuit. Multum tamen nocet huic operi critica auctoris exaggerata, qua persaepe documenta corrupta vel supposita esse perperam pronuntiat. — Varii dein fuerunt viri eruditi, qui ediderunt compendia historiae ecclesiasticae valde utilia. Ex quibus maxime aestimantur illa quae composita fuerunt a clarissimis professoribus *Ritter* et *Alzog,* quamvis in quibusdam castigandas eorum sententias existimemus; clarissimus Alzog tamen in ultimis operis editionibus quae emendanda videbantur correxit. *Historia Reformationis* conscripta, *Ignatius Döllinger* quondam protestantismum miro cum zelo miraque eruditione exagitavit et refutavit. Qui et aliis operibus de historia Ecclesiae editis maximum sibi nomen acquisivit et famam; nunc vero, quod omnes viri boni dolent, in ultima jam senectute constitutus lugubre exhibet spectaculum rebellionis contra Ecclesiam. *Historiam Conciliorum* locupletissimam et ce-

leberrimam exaravit illustrissimus vir *Carolus Hefele,* quondam in Universitate Tübingensi professor, dein Episcopus Rottenburgensis, qui et aliis scriptis varii generis historiam Ecclesiae illustravit. Insigne autem illud ingentisque laboris opus usque ad tempora Concilii Tridentini ab eo perductum est. — Praeter ipsum autem Eminentissimus *Josephus Hergenröther,* antea in Universitate Wirceburgensi professor, modo vero a Leone XIII summo Pontifice in Cardinalium collegium cooptatus, de disciplina nostra egregie meritus est. Amplissimo opere is *historiam Photii* et schismatis orientalis descripsit, quod opus dixerim omnibus numeris absolutum; ut Ecclesiam contra recentiorum apostatarum perfidos insultus defenderet, eruditissimo opere quaestiones, maxime historicas, quae *habitum Ecclesiam inter et societatem civilem* spectant, praeclare enucleavit; ac praeter alia scripta hisce diebus edidit *historiam Ecclesiae* duobus voluminibus comprehensam, eamque tum concisione dictionis, tum copia rerum, tum doctrina praestantem. — Minoris molis compendia valde utilia etiam in lucem ediderunt his annis *Henricus Brück* in Seminario Moguntino, et *Fr. Xav. Krauss* in Universitate Friburgensi professores; hic tamen passim opinionibus inhaeret, quibus haud assentiendum censemus.

Monographiae. 28. Sed commemorandae etiam hic maxime sunt, quae dici solent *Monographiae.* Non pauci videlicet auctores in Germania eo verterunt studia sua, ut vitas seu historias celebriorum virorum, ac tempora quibus vixerunt, accurato examine instituto describerent. Inde prodierunt opera clarissima, uti *Vita Innocentii III,* quam edidit *Fridericus Hurter, Vita Gregorii VII,* quam tum *Voigt,* tum *Gfrörer* conscripserunt, *Vita Alexandri III* quam edidit *Reuter, Historia Romanorum Pontificum saeculi XVI et XVII,* quam *Leopoldus Ranke* confecit, *Historia Urbis Romae* quam nuperrime *Reumont,* et *Vita Sixti V* quam *Hübner* conscripsit. Fuerunt autem quidam ex auctoribus illis viri protestantes. Sed quum vitas Romanorum Pontificum sinceriore intentione perlustrarent, accidit, ut aequius de iis ferrent judicium, imo ut magna admiratione in eos

moverentur, eorum facta egregia extollerent, memoriamque ipsorum contra obtrectatores vindicarent et restaurarent. Duo ex illis viri eximii, Fridericus Hurter et Gfrörer, ex haeresi ad catholicismum redierunt. — Sunt tamen libri historici auctorum protestantium, etiam si benevolentiam erga Ecclesiam catholicam et Pontifices prae se ferunt, nonnisi cum cautela quadam legenda. Etenim praejudicatae opiniones et principia protestantismi veluti per se identidem in libris istis dispersa latent, atque incautus lector eo facilius iis afficitur, quo magis ipsi gratum est, viros heterodoxos tanta cum laude Ecclesiam ejusque Pontifices extollere. Hoc praesertim advertendum videtur quoad historiam Romanorum Pontificum, quam edidit Leopoldus Ranke; eadem etiam in linguam Gallicam translata fuit et magnopere commendata, quin tamen notae additae fuerint omnino necessariae, ut a falsis opinionibus lectores praeserventur.

29. Ad Belgium quod spectat, superest, ut pauca addam de libris praeclaris ab eximio meo in hac cathedra Praedecessore, *Henrico Gulielmo Wouters*, conscriptis. *Compendium* igitur *Historiae ecclesiasticae* ab ipso jam variis editionibus in lucem emissum, ubique gentium a viris probis et eruditis magno cum plausu fuit susceptum. Etenim revera nulla existit historia Ecclesiae, latina lingua et paucis voluminibus conscripta, quae huic operi possit praeferri. Illud sibi proprium habet, ut sit imprimis compendium historiae valde completum; omnia enim facta alicujus momenti, conciso, claro et castigato sermone fideliter referuntur. Dein etiam controversiarum seu quaestionum variarum quae in nostra disciplina occurrunt, solidam invenis in hoc opere solutionem, et, quamvis brevem, aptissimam tamen explicationem. Postremo, in toto hoc libro animus spirat, sanctae Ecclesiae catholicae et Sedi Apostolicae summe devotus, ita ut etiam legentes eodem accendantur. Mirum igitur non est, librum hunc in tam variis regionibus selectum fuisse, ut iis qui studia ecclesiastica persolvunt instar manualis libri inserviat. Opus hoc auctor ex parte illustravit et explanavit *Disser-*

Auctores Belgae.

tationibus, quibus multiplices quaestiones elucidat, difficultates dissolvit, fontesque aperit iis qui accuratius haec scrutari desiderant. Quas dissertationes tamen, ut compleret et integre ad finem perduceret, inopinata ejus praepedivit mors, qua ex hujus temporis angustiis atque laboribus ad meliorem vocatus est vitam aeternitatis. — Bollandistae gravissimum suum et perutile opus etiam nostris diebus continuaverunt, et pluribus voluminibus de vitis Sanctorum editis comprobarunt, clarissimorum praedecessorum vestigia apprime ipsos sequi, tum ferream diligentiam quod attinet, tum severiorem artem criticam et amplissimam eruditionem. Ex quibus *P. Carolus De Smedt,* antea in Collegio Lovaniensi S. J. professor, *Dissertationes* quoque praeclaras in varias Ecclesiae aetates, conscripsit, quas hisce annis edere coepit in magnam utilitatem eorum, qui profundiori examine Ecclesiae fata scrutari nituntur.

Conclusio.

30. Exposuimus compendio quodam evolutionem disciplinae historiae ecclesiasticae et statum ejus per varias epochas. Multa profecto forent addenda, si innumeros libros de quaestionibus specialibus confectos enumerare, vel haereticorum opera et incredulorum rationalistarumque conatus, quibus Ecclesiam ex historia oppugnare nisi sunt, explanare vellemus. At prolixioris styli hoc esset. — Quae exposui, saltem notionem aliquam generalem, seu picturam quamdam confido lectoribus praebuisse, unde perspectum habeant, qua ratione in Ecclesia disciplina nostra exculta sit. Id unum dico, quo ad studium diligens historiae ecclesiasticae clerici excitentur. Universim quidem verum est illud Tullii Ciceronis: *Nescire quid antequam natus sis acciderit, id est semper esse puerum;* at maxime sane convenit sacerdoti, ut Ecclesiae fata cognoscat. Quum vero ex historia nostris diebus increduli, haeretici et apostatae tanta cum perfidia veram religionem oppugnent, animosque circumveniant fidelium, plane necessarium est viro ecclesiastico, ut iis respondere remque Ecclesiae defendere valeat.

Dissertatio prima.

De Sede Romana S. Petri Principis Apostolorum.

I.

De indole hujus quaestionis.

1. Beatum Petrum Principem Apostolorum, quem Christus Dominus totius Ecclesiae Caput constituit, *Romam venisse, Romanum tenuisse Episcopatum usque ad mortem, ac Romae perfecto martyrio supremum diem obiisse,* factum esse solemne, quod pro tota re christiana summi momenti habetur, nemo est qui ignorat. Quum vero accuratiorem susceperimus instituere dissertationem hoc de facto, convenire videtur, ut de ejus indole atque natura, ac de ejus intimo nexu cum religione et Ecclesiae constitutione pauca dicamus. Questionis indoles.

2. *Nulli sane dubium,* inquit Concilium Vaticanum, *imo saeculis omnibus notum, quod sanctus beatissimusque Petrus, Apostolorum princeps et caput, fideique columna et Ecclesiae catholicae fundamentum, a Domino nostro Jesu Christo, Salvatore humani generis ac Redemptore, claves regni accepit: qui ad hoc usque tempus et semper in suis successoribus, Episcopis sanctae Romanae Sedis ab ipso fundatae ejusque consecratae sanguine, vivit et praesidet et judicium exercet.*[1] Instituit videlicet Christus Dominus primatum in sua Ecclesia perpetuum, et ex Domini instituto est, quod Petrus successores habeat. Ipsa autem B. Petri *morte in episcopatu Romano,* in ordine quem *historicum* di-

---

[1]) Constit. de Eccl. c. II.

cimus, *factum determinans seriem* legitimam Successorum ejusdem sicut in episcopali Sede Romana, ita et in eidem adnexis juribus primatus, constitutum fuit. Merito igitur theologi hac in quaestione secernunt *legem successionis* a *conditione* ejusdem. Lege successionis significamus *titulum* quo definitur successio, designamus *scitum juridicum*, quo praefinitum est, ut aliqua functio non sit simpliciter personalis, sed personalis ita sit, ut simul haberi debeat *realis atque perpetua*. Ea *lege* erunt semper summi Pontifices, Episcopi universales in Ecclesia, qua ipse Christus Dom. Petro primatum contulit et voluit eum perseverare. Ergo *lex* successionis in primatu est lex *Dominica* et non canonica, et *jure divino* Petro succeditur.

Lex successionis.

Conditio successionis.

3. *Conditione* successionis complectimur id omne quo fit, ut hic potius quam alius, hoc potius loco ac tempore quam alio quis succedat. Quod igitur *Episcopi Romani* B. Petro succedant pendet ex aliquibus factis. 1. Quod B. Petrus tenuerit Romanum Episcopatum, et quidem 2. usque ad mortem; quod 3. ante mortem non resignaverit alteri suam oecumenicam potestatem; quod 4. jus et potestatem suam Sedi Romanae reliquerit. Si haec nomine *facti originarii Petri* comprehendimus, dici potest, *hoc facto Petri,* tanquam conditione verificata, effectum esse, ut Romani Pontifices Petro succedant in primatu, quumque lex successionis sit juris divini, inde consequitur Romanos Pontifices succedere Petro in primatu jure divino.[1])

4. Ex dictis satis colligitur, quanti momenti illa sit quaestio *de Sede Romana B. Petri.* Convenit autem ad-

---

[1]) Distinctio illa *legis* successionis et *conditionis* etiam aliis in rebus conspicitur. Ita forma regiminis apud Romanos fuit, ut suprema potestas esset apud consules. *Lex* successionis in consulatu proinde debet collocari in ipsis fundamentalibus legibus reipublicae. Sed quod certo tempore esset potius consul Pompejus quam Antonius, ex *conditione* successionis derivandum est. Haec conditio erat certa quaedam electio. Si quaeris proinde, quo jure Pompejus successerit in consulatu, respondetur: jure Quiritum; si quaeris qua conditione, respondetur: conditione legitimae electionis. — Cfr. de hac quaestione Cajetanum. Opusc. III. De Rom. Pontificis institutione: c. XIII; Rom. Pontificem succedere Petro in Pontificatu totius Ecclesiae.

vertere, veritatem hujus facti, scilicet Episcopatus Romani B. Petri, certam esse *certitudine infallibilitatis*. Facta dispesci debent in classes duas; sunt facta adiaphora quorum existentia non nectitur cum doctrinis revelatis, et facta quae cum iis cohaerent, ita ut iis negatis etiam depositum fidei in discrimen vocetur. Tale est factum nostrum. Profitemur enim ut fidei veritatem, Romanos Episcopos Ecclesiae totius esse Primates, et quidem quia sunt successores B. Petri in cathedra Romana. Proinde factum de quo agitur est suppositum ipsius dogmatis, seu *factum dogmaticum*. Ejusmodi autem facta sunt certa certitudine infallibilitatis. Spiritus enim Sanctus Ecclesiae docenti lumine suo in iis omnibus agnoscendis et asserendis adest, quae nisi firma immotaque maneant ipsa periclitaretur fides. Quod vero asseritur ex lumine assistentis Spiritus Sancti, id certitudine infallibilitatis asseritur. Sed cum his optime cohaeret, talia facta dogmatica etiam firmissimis argumentis posse probari; atque ad historicum pertinet, argumenta haec explorare, proponere, evolvere, et contra oppugnatores haereticos vel incredulos facta ejusmodi vindicare. Facti certitudo.

5. Antequam vero in utrumque finem Dissertationem hanc disponimus, restat ut quaedam subjiciamus de *bibliographia* controversiae, quam profani homines quoad Romanum Petri iter et episcopatum excitavere. Contradixerunt huic facto saeculo decimotertio Waldenses ut testatur Moneta O. P., illius temporis auctor, in suo opere adversus Catharos et Waldenses. Negarunt videlicet, B. Petrum in urbe Roma commoratum fuisse ibique pontificatum gessisse, eo tantummodo nisi argumento, quod illa in Evangelio non enarrentur.[1] Scriptis autem primus omnium videtur *Marsilius Patavinus,* impius homo, factum historicum de quo agimus oppugnasse. Marsilius videlicet iste, qui saeculo XIV causam Ludovici Bavari Imperatoris schismatici adversus Pontificem Joannem XXII tuendam susceperat, simulque pessimus erat haereticus, in libro qui Bibliographia.

[1]) De Smedt; Diss. Vol. II. Diss. I. p. 1.

Scripta Adversariorum.

inscribitur *Defensor pacis*[1]) in dubitationem etiam adducere conatus est B. Petri in Urbem adventum. Insistit tamen potius in negando Romano Petri episcopatu, ut inde facilius Rom. Pontificum successorum Petri primatum convellat. *De beato vero Petro,* inquit, *dico per Scripturam sacram convinci non posse illum fuisse Romanum episcopum, et quod amplius est, ipsum unquam Romae fuisse. Admirandissimum namque videtur, si secundum legendam quamdam ecclesiasticam . . . . ea de Petro dicantur, et Lucas et Paulus nullam prorsus mentionem faciant.* Ab aliis, uti a Bellarmino, primus oppugnator Episcopatus Romani B. Petri ponitur Gulielmus magister Wicleffi ex Thoma Waldensi, doctrin. fidei T. I. L. II. c. 7. a. 1. Is valde similia habet verbis Marsilii, quem forte exscripsit. *Scriptura sancta,* inquit l. c., *non docet hoc* (Petrum Romam venisse), *sed legenda quaedam apocrypha.*

6. Initio dein Lutheranismi *Ulricus Velenus,* iter et episcopatum Romanum Petri oppugnavit, quem secuti sunt multi alii ex protestantibus furore haeretico obcaecati. Inter eos commemorandus est *Fridericus Spanhemius* junior qui eddit Dissertationem: *De ficta profectione Petri Apostoli in Urbem Romam, deque non una traditionis origine.*[2]) Haec dissertatio quatuor constat partibus. *Prima* traditionis auctores et praesidia recenset; *altera* traditionis ejusdem vanitatem demonstrare nititur ex silentio Pauli et Lucae similibusque aliis argumentis; *tertia* testium ipsorum discutit et refutat auctoritatem; *quarta* denique commentitiae traditionis originem et occasionem ostendit. Permultos alios auctores adversantes recensere non est necessarium; ipsi enim vix aliud praestiterunt ad recentissimos usque, nisi ut Spanhemii argumenta sophistica putidissime exscriberent et recoquerent. Idque, paucis adjectis, etiam varii scriptores protestantes nostri temporis faciunt. — Rationalistae plures protestantes, uti Baur, Winer et Lipsius,

[1]) Dictione II. c. 16 sub finem. Defensor pacis invenitur ap. Goldastum in sua *Monarchia* t. II. p. 245, Francof. a. 1654.

[2]) Exstat in Spanhemii Miscellaneis sacrae Antiquit. lib. III. opp. tom. II. p. 331 sqq. edit. Lugdun. Batav. 1703.

qui mythismi impias theorias sequuntur, quemadmodum generatim historiam initiorum Christianismi, ita consequenter etiam Petri iter et episcopatum Romanum ad mythos et fictiones ablegare conati sunt. Anno 1861 anonymus, Waldensi haereticorum sectae addictus, Augustae Taurinorum opusculum rudi calamo conscriptum edidit, insigni hoc titulo: *Impossibilità storica del viaggio di S. Pietro a Roma demostrata, sostituendo alla falsa tradizione la vera;* libellus autem iste inscitam compilationem continet ex iis quae ab antiquioribus haereticis conscripta sunt. Nota porro est disputatio *de Romano Petri itinere,* quae a. 1872 diebus 9 et 10 Februarii Romae inter quosdam sacerdotes catholicos et aliquos ministros protestantes habita est.[1]) Inter apostatas autem recentes plures fuerunt, qui factum hoc furore quodam impugnaverunt impiis libellis, quos recensere non est operae pretium.

7. Quam plurimi fuerunt auctores catholici, qui historicam veritatem eorum quae ad Romanam B. Petri Sedem pertinent a cavillationibus adversariorum vindicarunt. Vi argumentorum victi etiam plerique celebriores protestantes illud factum historicum ut certissimum habuerunt, imo varii, uti Cave, Pearson, Hugo Grotius, Usserius, Blondellus, Basnage, data opera illud propugnaverunt. Sufficiat nobis speciminis gratia auctores paucos citare, praesertim eos qui vindicaverunt Petri sedem Romanam contra illos adversarios quos nominavimus. Ulricum Velenum primus refutavit Cardinalis *Gregorius Cortesius* duobus libris *De Romano Petri itinere, gestisque Principis Apostolorum;* scripsit contra eum etiam *Joannes Fisher* Roffensis *Episcopus*, et *Bellarminus* satis fuse eum confutat *De Romano Pont. libro II.* Spanhemium cum aliis prae caeteris *Fogginius* contrivit praeclaro opere quod inscribitur: *De Romano divi Petri itinere et episcopatu ejusque antiquissimis imaginibus, Exercitationes historico-criticae* (Florentiae a. 1741). Rationalistarum my- Scripta Defensorum.

---

[1]) Vide: Reseconto autentico della disputa avvenuta in Roma le sere dei 9 e 10 Febbrajo 1872 fra sacerdoti cattolici e ministri evangelici, intorno alla venuta di S. Pietro in Roma. (Roma 1872).

thicorum commenta plures viri theologi Germani uti Windischmann, Herbst, Stenglein[1]), Hagemann[2]), variis Dissertationibus refutarunt. Contra Anonymum Waldensem scripsit Aloysius Ado librum cui titulus: *Il viaggio, il martirio, l'episcopato di S. Pietro in Roma dimostrati* (Napoli 1861); et P. Perrone S. J. opusculum quod inscribitur: *S. Pietro in Roma* (Roma 1864). In disputatione autem illa Romana (a. 1872) quam indicavimus tres sacerdotes Romani *Fabiani, Cipolla* et *Guidi* solidis argumentis haereticorum commenta rejecerunt[3]). — Inter Dissertationes R. P. De Smedt prima est de hoc eodem argumento; egregie iter et episcopatum Romanum B. Petri etiam vindicavit D. Hundhausen in Prolegomenis ad Commentarium in epistolam primam s. Petri. Sed maxime commemorandum hoc loco est opus, quod a. 1867 quum saecularia redirent solemnia martyrii BB. Apostolorum Petri et Pauli, edidit *P. Sebastianus Sanguinetti S. J.* sub titulo: *De Sede Romana B. Petri Principis Apostolorum Commentarius historicus criticus.*[4]) Hoc enim opere factum illud historicum fuse et praeclare demonstratur et vindicatur.

II.

Demonstratio facti.

Probationis ratio.

8. Antequam probationem itineris Romani S. Petri ejusque episcopatus evolvimus, de ratione nostrae probationis hoc advertere convenit. Primum indicabimus potius quam evolvemus *demonstrationem quamdam generalem,* quae ex probato et agnito primatu RR. Pontificum ejusque *nexu intimo* cum facto illo originario S. Petri, necnon ex universali *persuasione* societatis christianae desumitur; dein *ex documentis historicis antiquitatis* accuratius ostendemus, certissima facta esse iter Romanum B. Petri ejusque in hac ecclesia episcopatum usque ad mortem.

---

[1]) V. Theol. Quartalschr. a. 1820 et 1840.

[2]) Die Römische Kirche etc. in den ersten drei Jahrhunderten. (Freiburg 1863.)

[3]) Ex haereticis disputarunt Sciarelli, Ribetti et Gavazzi.

[4]) Romae, ex officina libraria Mensae Apostolicae 1867.

9. Atque ad primum quod attinet, ex historia christianismi cujuscumque aetatis, loci ac gentis luculenter colligitur, eum esse habitum Romanum inter Pontificem et christianum orbem universum, omnibus saeculis existentem, ut 1⁰ *in universa christiana historia, Romanus Pontifex centrum sit omnium ecclesiarum atque fidelium*, atque 2⁰ *ideo talis sit ac credatur, quod semper habitus sit ceu Petri successor in Sede Romana.* Praescindimus modo a quaestione, an jure vel injuria Sedi Romanae illa auctoritatis ratio convenerit, utrum eadem divinae institutioni, an humanae industriae sit tribuenda. Id unum advertimus, *ex factis historicis* invicte colligi, Romanam Sedem semper habitam esse ut centrum totius societatis christianae. Id quidem accuratius, praecipue quoad prima saecula decursu dissertationum nostrarum probandum est, atque argumentum quod modo indicamus inde erit complendum. Operae pretium tamen esse videtur, ut ea citemus quae de Sedis Romanae influxu scribit auctor Anglicanus, rationalismo infectus, videlicet D. Milman in suo opere: *History of latin chritianity*[1]). „Christianitas Latina, inquit, a suis exordiis, in suo charactere, in adjunctis omnibus suae explicationis ineluctabilem erga monarchicum regimen propensionem prae se tulisse dicenda est. Ejus urbs praecipua (Roma) plurium saeculorum spatio orbis caput exstiterat, et adhuc princeps urbs mansit occidentalium regionum Europae. Haec monarchia fastigium suum assecuta est sub Hildebrando et Innocentio III. *Hinc historia Romani pontificatus evasit centrum historiae latinae christianitatis.* Controversiae quae in Oriente exortae sunt, in quibus Occidentalis seu latina Ecclesia potiores partes habuit[2]), ea supereminente auctoritate quae ostendit in iis tanquam unicum scopum sibimet praestituisse Romanam Sedem, ut principatum suum firmius usque stabiliret; tum conversio ad fidem diversarum gentium barbararum,

Sedes Rom. centrum christiani orbis.

---

[1]) Auctor adhaeret absurdae hypothesi Anglicanorum de pluribus communitatibus christianis e quibus Christi exsurgat Ecclesia.

[2]) Facile hinc deduces argumentum primatus ab Orientalibus agniti.

ex quibus latinus christianorum coetus magna ex parte coaluit, deinde monachorum ordines ea multiplici forma quam lapsu temporis nacti sunt; ortus et progressus mahumetismi quocum latina religio tandem congressa est, primo quidem in Hispania, Gallia, Sicilia et Italia, maxime vero cum Pontifices Romani sese sacrarum expeditionum cruce signatorum duces effecerunt, et Islamismus et latina Christianitas de universi orbis imperio decertarunt; instauratio occidentalis Imperii; feudale systema cujus Pontifex spiritualis veluti supremus rector agnitus est, omni studio ad id ab eodem adhibito; diuturna et dirissima dissidia inter hunc et civilem potestatem; origo et dogmata sectarum, quae semet sejungere ab Ecclesiae unitate atque independentes communiones efficere tentarunt; exordia belli illius quod ad tutandam humani spiritus libertatem adversus latinum Christianismum coeptum est; progressus et incrementum litterarum, artium, christianaeque philosophiae; haec, inquam, omnia magna ponderis facta, sunt veluti episodia in chronicis et historia Romanorum Pontificum suo loco constituenda.[1]"

Quia Rom. Pontifex Petri successor.

10. Si vero quaeritur unde factum sit, ut Sedes Romana haberetur semper ut centrum totius orbis christiani, ex historia pariter certissimum est, id inde factum esse, *quod Episcopus Romanus crederetur successor B. Petri in pontificatu Romano.* Certe si catholicos omnium temporum interrogaveris, cur prae caeteris Rom. Pontificem ut centrum et caput Ecclesiae habeant, accipies responsum, eum successorem esse B. Petri, quem Caput Ecclesiae Christus instituit, Petri scilicet qui primatus jura moriens in Sede Romana fixerit. Haeretici et schismatici fatebuntur, hanc catholicis semper rationem fuisse, cur R. Pontificem ut Caput Ecclesiae haberent. Plerique eorum etiam convenient, revera in episcopatu Romanos Pontifices Petro successisse, et propterea summum sibi vindicasse influxum, quamvis praetendant, immerito ipsos sibi hunc primatum

---

[1]) L. c. Tom. I. L. I. c. 1. p. 20. — Vide haec apud Sanguinetti l. c. Cap. II, ubi fusius hoc argumentum evolvitur. — Textum latinum dedimus juxta ejus versionem.

tribuisse. Id certo nemo negare poterit, *historicam evolutionem Christianismi* eo fundamento innixam fuisse, quod R. Pontifex haberetur *successor B. Petri in episcopatu Romano*.

11. At si B. Petrus nunquam Romae fuit ejusque iter Romanum et episcopatus ad fabellas sunt releganda, consequitur, totam illam ingentem congeriem factorum, quibus continetur historica evolutio Christianismi sub influxu praeponderante Romani Pontificis ut centri, inniti commento aliquo fabuloso, inani quadam suppositione conficta. Jam vero id legibus moralibus adversatur. Etenim positis legibus moralibus fieri nequit, ut universa aliqua societas ita ex *commento* aliquo pendeat, ut tota quanta est eo innitatur ejus existendi ratio et modus agendi; et quidem ut ita innitatur inani ejusmodi fabella, ut contra omnem hominum morem quam plurimi volentes et libentes ob illam fabulam receptam sese propriis exuerint juribus atque alterius sese subjecerint potestati. Sane Christianismus historicus ad spectaculum quoddam illusorium reducitur, si factum illud fundamentale, ex quo ejus historica evolutio quam maxime repetenda est, ut inanis fabella haberi debet. Id divinae quoque providentiae repugnat.[1])

12. Sicuti vero tota christianismi historia *objective* spectata, quatenus ingens factorum multiplicium series consideratur, exigit, ut admittatur *verum* esse factum cui quam maxime innititur: ita idem comprobari potest ex *universali persuasione subjectiva* christianorum. Nam etiam Persuasio universalis.

[1]) Cfr. Sanguinetti l. c. cc. II. et III. — Advertendum est, nos modo seponere quaestionem cum Protestantibus *de jure divino* Primatus. Sed dicimus *factum historicum* existentis primatus, ejusque influxum in christianam societatem, negari non posse; ac negari pariter non posse nexum a christiana societate suppositum inter primatum istum a Romanis Pontificibus exercitum, et factum fundamentale ac determinans episcopatus Romani B. Petri. Etiamsi igitur haeretici praetenderent, Episcopos Romanos *usurpasse* immerito primatum, attamen omnino negare ipsum factum subnexum quod huic usurpationi speciem dare potuisset, scilicet iter Petri Romanum et ejus pontificatum, id est omnibus legibus moralibus obviare, ac Dei providentiam, qua religionem christianam dirigit, penitus rejicere. Caeterum argumentum prolatum eousque urgeri potest, ut ex consideratione proposita etiam jus divinum primatus vindicetur.

haec persuasio nonnisi ex ipsa facti veritate explicari potest. Universalem illam persuasionem inde a primis saeculis adfuisse, negari non potest. *Initio saeculi V,* ait ipse Milman, *successio legitima Romani Pontificis a Petro, fuit placitum christiani nominis universi receptissimum.* Facile vero patet ac necessario nexu colligitur, quod inferius etiam disertis probabitur argumentis, communem non minus saeculo IV eamdem persuasionem fuisse. Necessario, inquam, id nexu colligitur hac in re. Neque enim persuasio saeculo quinto universalis tunc veluti sponte oriri potuit, praesertim quum ejus aetatis monumenta eam veluti *ab antiquitate acceptam* tradiderint. Praeterea vero ea de re agitur, quae, quum in gratiam unius ecclesiae caeteras deprimat easque illi obnoxias efficiat, intelligi non potest saeculo quinto ab omnibus recepta, quin jam saeculo quarto communis exstiterit. Sicuti vero de saeculo quarto, ita etiam de praecedentibus judicandum est.

Subest veritas facti.

13. Persuasioni igitur huic constanti et universali vel subest ipsa veritas facti continuata testificatione peremptorie cognita; et habemus quod volumus, eaque suppositio unice rectae rationi satisfacit. Effectus enim ejusmodi qualis est persuasio *universalis et constans tali in re,* proportionatam postulat causam; proportionata autem causa non est nisi facti veritas cognita. Vel si qui contendunt, non ex veritate facti persuasionem hanc originem ducere, ipsorum est *positive* assignare rationem quae falsae persuasioni originem dederit, ac talem quidem rationem quae proportionata sit illi effectui. Jam vero non nisi hypotheses plane ineptas adversarii excogitare potuerunt. Sic Spanhemius mira arrogantia contendit, persuasionem inde provenisse, tum quod in prima B. Petri epistola nomen Babylonis occurrat, illudque nomen inscitia hominum praesertim Papiae Hieropolitani ita intellectum sit, ac si allegorice Romam designaret; tum quod in apocryphis quibusdam primaevae aetatis libris quaedam narrentur, quae Romae a B. Petro cum Simone Mago gesta sint. Nos quidem videbimus utrumque quod hic proponitur verum esse, ac Petri iter Romanum confirmare. Sed supponamus

haec esse falsa. Intelligi quidem posset utcumque, quomodo supposito Romano Petri itinere et episcopatu, tanquam facto probato et omnibus cognito, opinio de significatione Babylonis oriri potuerit, et quaedam gesta splendida haud comprobata attribui Petro potuerint. Sed nimis absonum est praetendere, persuasionem illam universalem et constantem, cujus consectaria universam Ecclesiae historiam intime pervadunt, ortum habuisse ex aliqua fabella et gratuita interpretatione voculae a quibusdam proposita.[1])

14. Generale hoc argumentum resumimus paucis, ut efficacius ejus vis appareat. Si alicujus facti perennis, universalis, summi momenti ratio reddi nequit, nisi agnita et affirmata veritate alterius facti quod fundamentum sit illius: tunc non minus nota, ac semper praesens est testificatio hujus facti originarii et causalis, quam veritas ipsius facti consequentis. Jam vero tota vita et evolutio Ecclesiae Romano-catholicae, et praeeminens influxus ecclesiae Romanae factum est universale, plane ingens et evidens. Porro per quindecim saecula ut facti hujus solemnis et ingentis fundamentum fuit agnitus et admissus ab omnibus Petri episcopatus Romanus, atque ex hoc episcopatu doctores Ecclesiae universim Ecclesiae constitutionem et magistralem auctoritatem explicabant et contra haereticos et schismaticos vindicabant. (Ita e. g. jam Irenaeus et Tertullianus). Haeretici vero ac schismatici numqum ausi sunt *hoc factum* ipsis tanquam fundamentale oppositum denegare vel in dubium revocare, sed aliis argutiis suos errores tegere studuerunt. Ergo eadem certitudine, qua constat de ipsa Ecclesiae Romano-catholicae vita et evolutione splendida, quae nititur Petri episcopatu Romano ut facto causali, eadem certitudine etiam constat de ipso hoc facto. Et sicuti universali persuasione per quindecim saecula ille Petri episcopatus creditus fuit, ac vel ab ipsis haereticis et schismaticis admissus: ita sanae rationi omnino repugnat, post illa saecula hoc factum negare vel in dubium revocare.[2])

Resumitur argumentum.

---

[1]) Cfr. Sanguinetti l. c.

[2]) Ita praeclare contra ministros protestantes in disputatione Romana R. D. Guidi, Reseconto p. 162 sqq.

Testimonia. 15. Jam procedimus ad probationem accuratiorem ex testimoniis antiquitatis.

Praenotanda. Ut cavillationibus inde ab initio occurramus, utque probationis vis melius determinetur, haec animadvertenda censuimus: 1° Non est confundenda quaestio de episcopatu B. Petri Romano usque ad mortem, cum quaestione de *duratione* hujus episcopatus. Per annos viginti quinque B. Petrum episcopatum Romanum gessisse, solidis argumentis evincitur, eamque sententiam etiam nos propugnamus. Quodsi vero aliqui auctores catholici hac de re non concordant, ista dissensio nullatenus afferri potest, ut incertum reddatur ipsum *factum* episcopatus. Certe de hoc facto est consensus unanimis, isque nullatenus turbatur, si de duratione variant opiniones. Inepte igitur aliquot auctores protestantes, ut quaestionem turbarent, urgere nisi sunt dissensum de duratione episcopatus. — 2° Ex iis quae superius disseruimus manifestum est, commorationem Petri Romanam ita ab universa christiana societate acceptam fuisse, ita affirmatam, atque ita exercuisse pondus suum ingens influxumque in vitam et evolutionem christianitatis, quatenus propterea haberentur *RR. Pontifices successores B. Petri.* Ad hoc autem manifeste non sufficit qualecumque iter Romanum B. Petri, nec qualiscumque commoratio aut martyrium Principis Apostolorum separatim spectata; sed requiritur episcopatus usque ad mortem. Sic igitur *pro indole sua atque natura* hoc factum in agnitione et testificatione societatis christianae continetur. Quapropter dum per varia saecula variorum testimonia considerantur, *ineptum est* testimonia ita *separatim* spectare, ac si alii quidem testarentur episcopatum Petri, alii tantum iter ipsius Romanum, alii tantum ejus martyrium, ac si quae episcopatum spectant ipsi ignorassent. Ex natura facti, et ex modo, quo societas christiana illud semper habuit ut fundamentum maximi momenti suae constitutionis et vitae, patet, *implicite* singula testimonia totum factum exhibere, et qui occasione data simpliciter de itinere Petri vel de ejus martyrio loquuntur, tamen *in concreto* loqui de illo itinere eoque martyrio quod cum episcopatu Petri cohaeret,

adeoque indicare *totum illud factum,* propter quod RR. Pontifices sunt successores Petri. — Sophistica quadam audacia fraudeque dolosa, quidam haeretici conati sunt testimonia ita dispescere, ut removerent ea, in quibus non diserte Petri episcopatus usque ad mortem indicatur, ac si illa essent nullius ponderis. At ineptum plane est, unam partem facti, e. g. iter Romanum Petri admittere, et reliquas negare. Factum enim de quo agitur est quidem coalescens pluribus veluti elementis, at est *unum,* neque potest pro lubitu pars una negari et alia concedi. — 3º Testimonia multiplicia sunt et in varias possunt classes dividi, quatenus alia sunt monumenta *verbalia,* alia *realia* quae factis et rebus constant; alia sunt *explicita,* alia *implicita* vel *complexa.* Sed ne nimium excurrat dissertatio nostra, huic partitioni parum inhaerebimus; sufficiat eam innuisse. — Haec autem nobis via et ratio optima visa est, ut rem de qua agimus solide ac tamen sine magna prolixitate demonstremus. A remotiore incipiemus saeculo et ex testimoniis apertis probabimus, persuasum omnibus fuisse Petri episcopatum Romanum. Descendemus dein ad saeculum minus remotum, et ostendemus, tunc quoque factum illud ut certum et indubium habitum fuisse. Ita postremo perveniemus ad tempora Apostolis supparia, et testimonia ad haec usque reducemus, ita ut clare perspiciatur, christianae societatis persuasionem in indubia facti veritate suum fundamentum habere.

16. Supervacaneum sane foret, colligere testimonia *saeculi quinti* ad rem nostram comprobandam. Conveniunt enim etiam protestantes, eo saeculo persuasionem de Romano B. Petri episcopatu in tota societate christiana fuisse communem. Sufficiat repetere ea quae superius ex Anglicano Milman citavimus: *Initio saeculi quinti successio legitima Romani Pontificis a Petro, fuit placitum christiani nominis universi receptissimum.* — Imo etiam quoad *saeculum quartum* quantum videtur, admittunt generatim omnes, de episcopatu Petri Romano sententiam fuisse communem. Juvat tamen clarissimorum aliquot Ecclesiae Patrum atque Doctorum verba commemorare, ut appareat hac de re

haud forte vagam aliquam opinionem, sed firmissimam persuasionem omnibus insitam fuisse.

Chrysostomus.

17. Audiamus igitur *S. Joannem Chrysostomum* Antiochenum et postea Patriarcham Constantinopolitanum. Is in primis quum Antiochia oriundus esset Syriamque inhabitasset, a regionibus Babyloniae haud dissitam, si, uti adversarii volunt, Babylon fuisset locus episcopatus vel martyrii S. Petri, certe quasdam hac de re traditiones reliquas facile novisset. Dein si non ageretur de re plane certissima et omnibus explorata, ob aemulationem Orientalium in Occidentales, minus disertus in sua assertione fuisset. S. Joannes Chrysostomus postremo ita sanctitate fulget et doctrina, ut hujus Doctoris sententiam pro totius Orientis voce valere, omnes facile nobis concedant. Is igitur *Homilia secunda in inscriptionem Actuum Apostolorum,* quam Antiochiae habuit: *Haec,* inquit, *est una etiam nostrae civitatis praerogativa dignitatis, quod principem Apostolorum ab initio doctorem acceperit. Aequum enim erat, ut ea quae nomine christianorum ante universum orbem terrarum ornata fuit, primum Apostolorum pastorem acciperet. Sed quum eum doctorem accepissemus, non in perpetuum retinuimus, sed regiae civitati Romae illum concessimus. Imo vero in perpetuum ipsum retinuimus. Nam corpus quidem Petri non retinemus, sed Petri fidem tanquam Petrum retinemus; porro dum Petri fidem retinemus, ipsum Petrum habemus.* Et Homilia XXXII in Epist. ad Rom. notum illud habetur Romae encomium: *Quemadmodum corpus magnum et robustum duos illa urbs habet oculos splendentes, horum videlicet Sanctorum corpora . . . Hinc rapietur Paulus, hinc Petrus. Cogitate et exhorrescite, quod spectaculum visura sit Roma, Paulum videlicet repente ex illa theca cum Petro resurgentem et sublatum in occursum Domini . . . . Hoc corpus* (Pauli) *urbem illam quasi moeniis cingit, quod omni turre et vallis innumeris tutius est; et cum hoc etiam Petri corpus; nam illum viventem honoravit. Ascendi, inquit, videre Petrum (Gal. 1,18). Ideoque hinc demigrantem illum contubernalem facere gratia dignata est.*

S. Hieronymus.

18. Chrysostomo jungamus *S. Hieronymum* pariter Ecclesiae Doctorem, hominem qui partem vitae suae in

Oriente, partem in Occidente et quidem Romae transegit, virum qui arte critica excelluit et quidquid habuit eruditionis antiquitas veneranda, in se veluti collegit. Multa quidem ex scriptis suis, uti ex epistola ad Damasum *piscatoris successorem,* testimonia de B. Petri Romano episcopatu colligi possent; satis est ut ea afferamus, quae in *Catalogo Scriptorum ecclesiasticorum* ipse de S. Petro habet. *Simon Petrus filius Joannis, provinciae Galilaeae, vico Bethsaida, frater Andreae Apostoli et princeps Apostolorum, post episcopatum Antiochensis ecclesiae, et praedicationem dispersionis eorum qui de circumcisione crediderant in Ponto, Galatia, Cappadocia, Asia et Bythinia, secundo Claudii anno ad expugnandum Simonem magum Romam pergit, ibique viginti quinque annis cathedram sacerdotalem tenuit, usque ad ultimum annum Neronis, idest decimum quartum. A quo et affixus cruci martyrio coronatus est capite ad terram verso et in sublime pedibus elevatis, asserens se indignum ut sic crucifigeretur, ut Dominus suus . . . Sepultus Romae in Vaticano juxta viam triumphalem, totius urbis veneratione celebratur.* Breviter et nervose Hieronymus ea hisce exhibet, quae ex antiquorum fida relatione et testificatione de B. Petro ut certa habebantur.

19. Reliquos praetermittentes veniamus ad *Eusebium,* qui certe maximam adhibuit diligentiam in factis referendis, ac dubia sollicite a certis secernit. Is igitur in suo Chronico, post relatam Caii Imp. occisionem et initium regni Claudii, scribit ad annum II ipsius (juxta Hieronymi paraphrasim): *Petrus Apostolus natione Galilaeus, Christianorum pontifex primus, quum primum Antiochenam ecclesiam fundasset* (πρώτην θεμελιώσας ἐκκλησίαν) *Romam proficiscitur, ubi Evangelium praedicans XXV annis ejusdem urbis episcopus perseverat.* Atque ad annum XIII Neronis scribit: *Primus Nero super omnia scelera sua etiam persecutionem in Christianos facit, in qua Petrus et Paulus gloriose Romae occubuerunt.* — In sua Historia eccl. variis locis Eusebius de Petri Romano episcopatu et morte loquitur. Ita H. E. L. II. c. XXIV: *Paulum eo* (Nerone) *Romae regnante securi percussum et Petrum etiam suffixum cruci, histo-* Eusebius.

riarum monumentis proditum est. Quin etiam insignis ac testata Petri et Pauli incriptio, quae in coemeteriis Romae ad hoc usque tempus manet, hujus rei gestae fidem facit. Rem dein confirmat testimonio Caii, de quo inferius sermo recurret. — De adventu Petri in urbe Roma etiam L. II. c. XIV scribit: *Confestim* (post narratum adventum Simonis Magi) *enim ipsis Claudii Augusti temporibus benigna et clementissima Dei providentia fortissimum et maximum inter Apostolos Petrum, virtutis merito reliquorum omnium principem, Romam adversus illam generis humani labem ac pestem perducit.* Et capitibus sequentibus plura de Petri commoratione et de Evangelio Romae a Marco conscripta narrat. Quod vero pro re nostra notare utile est, de Philone Judaeo loquens, scribit: *Quem Romae sub Claudii dominatu fama est (λόγος ἔχει) in colloquium Petri qui Romanis eodem tempore verbum Dei praedicabat, venisse.*

20. Tricas moverunt ineptas adversarii de Chronico Eusebii eo quod textus originalis Graecus non existat, Hieronymus in sua paraphrasi varia se mutasse fateatur[1]), et apud Syncellum (saec. VIII) qui in sua Chronographia Eusebii chronicon Graecum servavit, illa XXV annorum indicatio non inveniatur. — Sed imprimis, praeter Hieronymi paraphrasim existit etiam versio Armenica Chronici Eusebii. In eadem ponitur quidem textus citatus sub Caligulae regno; id vero inde optime intelligitur, quod in illo textu sermo fit de fundata ecclesia Antiochena. Caeterum enim Eusebium existimasse, sub Claudio Petrum venisse Romam, ex ejus historia patet. Versio Armena ita habet: *Petrus apostolus quum primum Antiochenam ecclesiam fundasset, Romanorum urbem profiscitur, ibique Evangelium praedicat, et commoratur illic antistes Ecclesiae annis viginti.* Vides, quoad rei summam plene concordare cum textu S. Hieronymi hanc versionem. Quod anni dicantur *viginti,* probabiliter errori librariorum adscribendum est. Utrum vero in textu Graeco Eusebii fuerit mentio illa annorum XXV, non videntur convenire eruditi. San-

[1]) In Prologo ad Chronicum ait: *Sciendum etenim est, me et interpretis et scriptoris ex parte officio usum esse.*

guinetti id vindicare conatur[1]), P. Pius Gams vero[2]) ex textu Graeco Syncelli colligit, apud Eusebium non fieri mentionem annorum. Sed ex ipsa narratione Eusebii tum in Chronico tum in Historia eccles. colligitur, ab ipso poni adventum S. Petri sub initio regni Claudii, mortem versus annum XIV Neronis, atque ita per se viginti quinque anni computantur. Speciatim Philo bis Romam venit, ut ex aliis historicis colligitur[3]), primum sub Caligula a. 40, secunda vice anno secundo Claudii. Evidens igitur est ex iis quae superius citavimus, Eusebium fuisse in ea sententia, B. Petrum initio regni Claudii Romam venisse, parumque refert discutere, utrum illi XXV anni in Chronico ab Hieronymo adjecti sint necne. — Ex dictis autem colliges quam impudenter Gavazzi (in disputatione Romana) testimonia Eusebii eliminare ausus sit, asserens, ex Chronico Eusebii nullum posse desumi argumentum. Chronicum enim ejus originale non adesse, textum Graecum exstantem esse Syncelli saeculi XI (!), Hieronymi paraphrasim non esse genuinam, Eusebium vero in sua Historia nullibi positive affirmare, B. Petrum Romam venisse. Haec ex dictis facile refutantur. — Ex Eusebio cf. etiam H. E. L. III. cc. 1 et 2 et L. V. c. 6, ubi Catalogum Pontificum Romanorum a S. Irenaeo scriptum exhibet, et dicit eum congruere cum serie historiarum quas ipse tradiderat.

21. Manifestum igitur est, saeculo IV a viris ecclesiasticis sanctitate et eruditione summis B. Petri episcopatum Romanum asseri ut factum certissimum quod documenta historica probant. Jam ex his testimoniis saeculi IV, spectato modo quo proponuntur, certe efflorescit probatio historica illius facti. — Vix necessarium est dicere, auctoribus quos citavimus sexcentos alios addi posse. Tales e. g. sunt S. Epiphanius[4]), S. Athanasius[5]), S. Ambrosius[6]), *Alii testes.*

---

[1]) L. c. p. 281.
[2]) Möhler, hist. de l'Eglise tom. I. L.'Apôtre S. Pierre, p, 133 note.
[3]) Cfr. Jos. Antiq. L. XVIII. c. 11. et Hieron. Script. eccl. s. v. Philo.
[4]) Haeresi 27. [5]) Apolog. de fuga sua.
[6]) Serm. de basilicis haereticis non tradendis etc.

S. Augustinus[1]), Lactantius[2]), Orosius[3]), S. Optatus Milevit.[4]), S. Petrus Alexandrinus[5]), et alii multi quos videre potes ap. Sanguinetti P. II., et ap. Foggini *Exercitatio tertia.*

Consensus Orientalium.

22. Sed opportunum videtur hoc loco addere demonstrationem solidam, quae *ex consensu omnium ecclesiarum orientalium,* etiam coetuum schismaticorum, quoad hoc factum, depromitur. Advertere itaque convenit, illud positum esse in moribus hominum, ut viros celebres patriae vel civitati suae vindicare studeant, gloriaeque sibi existiment non mediocri quod tales concives ipsi habuerint, quod nati vel mortui sint apud ipsos heroës, quodve sepulchra eorum possideant. Id jam invenimus apud gentiles;

Smyrna, Rhodus, Colophon, Salamis, Chios, Argos, Athenae,
Siderei certant vatis de patria Homeri.

Nec minus christianos frequenter de sanctorum patria, sepulchris, reliquiis, pia inter sese gerere certamina, nemo est qui ignorat. Ita s. Agatham Panormitani et Catanenses civem suam esse proclamant. — Quodsi igitur S. Petrus Apostolorum princeps in aliqua Orientis civitate diem obiisset supremum, profecto hujus rei traditio apud Orientales non defuisset; ac si non plane certum fuisset, in qua urbe Petro ultima advenerit vitae dies, aut ubi sit ejus sepulchrum, certe variae civitates inter sese de ejusmodi honore decertarent.[6]) Et eo vehementius Orien-

---

[1]) Lib. de haeres. c. 1; epist. 165. etc.

[2]) Instit. L. VI. c. 11 et de mortibus persec. c. 2.

[3]) Histor. L. VII. cc. 6, 7. [4]) Lib. II. c. Parmenionem.

[5]) Serm. de poenit. can. 9.

[6]) Quoad omnes Apostolos, uno Petro excepto, ejusmodi sententiarum diversitas invenitur. Unde colliges, summum fuisse consensum de loco mortis principis Apostolorum. — Ad rem P. Martin: „Chose étonnante, au milieu de toutes les divergences que l'on recontre dans les documents rélatifs aux Apôtres, il n'y a que saint Pierre au sujet duquel l'histoire n'ait jamais varié dans tous les monuments qu'elle nous a laissés. On ne peut pas en dire autant de ses collègues; il regne une telle incertitude sur le théatre de leur apostolat, qu'on n'est pas même toujours sûr de connaître le lieu de leur mort. C'est ainsi que saint Paul, dont le nom et le souvenir, dont le martyre et la mort semblent cependant inséparables de ceux de saint Pierre a fourni matière à plus

tales sibi asseruissent tales honores, quod prae caeteris maxime ipsi natalis solii glorias prosequantur, quodque inde ab antiquo simultate in Occidentales arderent. Jam vero tantum abest, ut aliqua Orientis civitas mortem Petri ejusque sepulchrum vindicaverit sibi, vel ut plures urbes de honore isto inter se certent, ut cum Occidentalibus omnes Orientales consentiant, Romae Petrum sedisse, martyrium consummasse, et ejus sacrum corpus ibi servari. Atque id tenent non solum Orientales catholici, sed etiam illae antiquae sectae quae jam ante saecula multa ab Ecclesia discesserunt. Ita in officio SS. Petri et Pauli quod a Nestorianis recitatur et saeculo quarto censetur esse confectum[1]), pluries eorum praedicatio et martyrium Romae perfectum encomiis celebratur[2]). — Firmissimo igitur argumento ex hoc coetuum orientalium consensu factum de quo agimus comprobatur[3].)

---

d'une erreur. Voici ce que nous lisons, par exemple dans le ms. karkaphien de Paris: Pierre chef des Apôtres fut crucifié à Rome, la tête en bas. Paul fut décapité dans la terre de Patras, où André avait été déja crucifié, et Thomas fut percé d'un coup de lance à Laquimoum chez les Indiens." — Revue des Questions historiques. 1873. *S. Pierre, sa venuee et son martyre à Rome.* p. 14.

[1]) Cfr. P. Martin: *Saint Pierre et s. Paul dans l'Eglise Nestorienne.* Revue des sciences ecclésiastiques 1875, pag. 153 sqq.

[2]) In officio nocturno v. g. dicitur juxta versionem Gallicam quam P. Martin exhibet: „Les chefs du bataillon des douze choisis par Jésus, notre roi victorieux, Pierre et Paul, étant fortifiés par la vertu de l'Esprit saint, sont entrés dans l'opulente Rome, en portant l'étendard de la croix. Dans la plus parfaite concorde ils ont semé la vie sur cette terre, qui n'avait jamais donné de fruits de gloire au Dieu de toutes choses. Ils y ont exstirpé la doctrine des démons, renversé les idoles de Jupiter et d'Apollon, de Simon le prêtre impur. (L. c. p. 408.) Pierre évangélisa Rome, Paul les Juifs et les gentils, mais tous deux ont terminé leur vie en combattant pour la vérité. Pierre a obtenu par la mort de la croix, la gloire qui ne passe point, et Paul a été frappé par l'épée, avant de recevoir la couronne de la victoire." (Ib. p. 411).

[3]) Vix est, quod mentionem faciamus narratiunculae illius qua referebatur, a centurione quodam occasione expeditionis quam Napoleo in Aegyptum suscepit, prope Joppen Syriae hanc lapidis sepulchralis inscriptionem detectam fuisse: *Simon Petrus discipulus Jesu hic jacet.* Omnes enim eruditi jam conveniunt, narrationem meram fabulam esse, et fragmen-

23. Jam veniamus ad testes *saeculi tertii*; videbimus autem, etiam ab iis iter et episcopatum S. Petri Romanum ut rem certissimam et plane exploratam asseri. Uti nostro tempore successores Petri dicimus Romanos Pontifices, ita S. Anat. Alex. jam illa aetate eos *Anatolius Alexandrinus* (cca. a. 276) brevi ea designat indicatione *successorum Petri et Pauli,* (quod videlicet ambo Apostoli Romanam ecclesiam fundaverunt). Loquens in *Canone Paschali* n. 10 de Asianis: *Indubitanter,* scribit, *omnibus annis quando XIV luna adfuisset, et agnus apud Judaeos immolaretur aequinoctio transvadato, Pascha celebrant: non acquiescentes auctoritati quorumdam, id est Petri et Pauli successorum, qui omnes ecclesias in quibus spiritalia Evangelii semina severunt solemnitatem resurrectionis Domini in die tantum Dominica posse celebrari docuerunt.* Vides, plane exploratum fuisse, Romanos Pontifices, qui in quaestione de Paschate suam auctoritatem urgebant, successores esse Petri et Pauli. — S. Cyprianus. Jam citemus *S. Cyprianum,* qui communem omnibus sententiam de episcopatu Romano B. Petri clare illis verbis testatur: *Factus est, Cornelius Episcopus, . . . quum Fabiani locus, id est quum locus Petri et gradus cathedrae sacerdotalis vacaret*[1]. Et alibi: *Post ista adhuc,* scribit, *insuper pseudoëpiscopo sibi ab haereticis constituto, navigare audent, et ad Petri cathedram atque ad Ecclesiam principalem unde unitas sacerdotalis exorta est, a schismaticis et profanis litteras ferre.*[2] Nil potest esse disertius, evidentius nihil.

24. Sed operae pretium est ut afferamus hoc loco etiam ea, quae in lite de rebaptizandis haereticis magna cum acrimonia et non sine offensa in Pontificem Romanum S. Firmilianus. scribit *S. Firmilianus,* S. Cypriani amicus et episcopus Caesareae in Cappadocia. Postquam dixit, non omnia *tradita* aequaliter Romae et Hierosolymis observari, nec tamen propter haec a pace et unitate discessum esse, sub-

---

tum illud inscriptionis per tot saecula ignotae in numero apocryphorum esse habendum. V. Perrone Inst. theol. T. VIII; De Rom. Pont. n. 669 in nota.

[1]) Epist. 51 ad Antonianum. [2]) Epist. 55 ad Cornelium.

jungit: *Quod nunc Stephanus ausus est facere, rumpens adversum vos pacem quam semper antecessores ejus vobiscum amore et honore mutuo custodierunt, adhuc etiam infamans Petrum et Paulum, quasi hoc ipsi tradiderint. Atque ego in hac parte juste indignor ad tam apertam et manifestam Stephani stultitium, quod qui sic de episcopatus sui loco gloriatur, et se successionem Petri tenere contendit, super quem fundamenta Ecclesiae collocata sunt, multas alias petras introducat et ecclesiarum multarum nova aedificia constituat, dum esse illic baptisma sua auctoritate defendit . . . . Judaeos, quamvis ignorantia caecos et gravissimo facinore constrictos, zelum Dei habere Apostolus profitetur; Stephanus qui per successionem cathedram Petri habere se praedicat, nullo adversus haereticos zelo excitatur.*[1]) In his verbis, quibus Firmilianus aestu abreptus Stephanum injuriose impetit ob epistolam ejus ad S. Cyprianum datam, duo nobis consideranda obveniunt. Epistola quidem S. Stephani ad nos non pervenit; sed manifestum est, Stephanum Pontificem magna cum auctoritate Cypriano scripsisse, et quaenam ex antiqua traditione quoad haereticos conversos observanda sint statuisse, *tanquam successionem Petri tenentem super quem fundamenta Ecclesiae collocata sunt.* Vides, B. Petri Romanum episcopatum suamque successionem a S. Stephano haud minori proclamata fuisse adseverantia ac solemnitate ut factum plane indubium, quam duobus saeculis post a S. Leone M. in notisssimis ejus sermonibus. Non potuit non videre Firmilianus, hac in re collocari fundamentum auctoritatis Stephani; ac Pontificis verba ipsi haud grata fuisse, satis ex eo ostendit, quod amaro ea repetit animo. Si potuisset Petri Romanum episcopatum et successionem Stephani inficiari vel in dubium vocare, hoc ei fuisset efficacissimum medium, ut vim illius auctoritatis infringeret. Quum vero magna cum acerbitate varias accusationes Firmilianus in Stephanum congerat, merito supponimus quod, si potuisset, etiam

---

[1]) V. vitam S. Firmiliani ap. Bollandistas, Acta SS. ad diem 28. Octobris.

illo usus fuisset medio. Sed episcopatum S. Petri Romanum et Stephani successionem neque negat neque in dubium revocat; ex quo patet, agi de facto quod omnes ut certum habebant. Modus loquendi mordax quo Firmilianus utitur tantum ostendit, quantopere ipsum pupugerint verba, quibus S. Stephanus inculcabat suam auctoritatem utpote successoris S. Petri in Sede Romana.

Tertullianus. 25. Ad initia saeculi III descendamus. *Tertullianus* pluries factum de quo agimus in suis scriptis commemorat atque testatur. Ita in libro *de Praescriptionibus* adversus haereticos, opponens profanae haereseos novitati antiquitatem Apostolicae doctrinae, quae una cum legitima successione in ecclesiis ab Apostolis constitutis servetur, haec de ecclesia Romana dicit (c. 36): *Si autem Italiae adjaces habes Romam, unde nobis quoque auctoritas praesto est. Ista quam felix Ecclesia, cui totam doctrinam Apostoli cum sanguine suo perfuderunt! ubi Petrus passioni Dominicae adaequatur, ubi Paulus Joannis exitu coronatur.*[1]) *Origenes,* vir longe eruditissimus, qui et Romam sub Zephyrino Pontifice venit[2]), de B. Petro idem testatur tertio tomo *Commentariorum in Genesim* ut nobis Eusebius[3]) refert: *Petrus per Pontum, Galatiam, Bithyniam, Cappadociam, atque Asiam Judaeis qui in dispersione erant praedicasse existimatur. Qui ad extremum Romae existens cruci suffixus est, capite deorsum demisso; sic enim, ut cruce collocaretur oraverat. Haec Origenes in tertio volumine Expositionum in Genesim disertis verbis commemorat.*

26. Commemorandum hoc loco videtur, factum de quo agimus etiam confirmari ab omnibus illis Patribus et Scriptoribus antiquis, qui tradunt, Simoni Mago Petrum Romae restitisse. Ut enim modo non inquiramus in veritatem eorum, quae de Simonis gestis, de ejus volatu et morte ab iis referuntur, certe illi Patres ut rem exploratam supponunt et testantur commorationem S. Petri in urbe

---

[1]) Cfr. etiam: Contra Marcionem L. IV. c. 5. — De Baptismo c. 4. — Scorpiac. cap. ult.

[2]) V. Euseb. H. E. VI. 14.

[3]) Ibid. III. 1.

Roma. Tales auctores sunt Arnobius qui scripsit saeculo III exeunte[1]; Epiphanius[2], Eusebius[3], Philastrius Brixiensis[4], Sulpitius Severus[5], Maximus Taurinensis[6], et alii[7]. Modo tantum ea advertenda veniunt, quae scribit *Auctor Philosophoumenon,* vir in legitimos Romanos Pontifices valde infensus. *Simon,* scribit, *deinceps quae improbaverat denuo aggressus, Romam usque quum pervenisset apostolis obstitit, contra quem maxime restitit Petrus eo quod praestigiis plurimos deciperet*[8]. **Auctor Philosophoumenon.**

27. Jam afferimus ex Eusebio testimonium celebre *Caii presbyteri* de sepulchro Apostolorum. Postquam Eusebius H. E. L. II. c. 25 dixit, historiarum monumentis proditum, Romae SS. Apostolos Petrum et Paulum martyrium sub Nerone passos esse, subdit: *Quam quidem narrationem abunde confirmant Petri Paulique nomine insignita monumenta quae in urbis Romanae coemeteriis etiamnum visuntur*[9]. *Sed et Caius quidam presbyter* (ἐκκλεσιαστικὸς ἀνὴρ) *qui Zephyrini Romanae urbis episcopi temporibus floruit, in eo libro quem scripsit adversus Proclum, patronum sectae Cataphrygarum, de loco in quo praedictorum Apostolorum sacra corpora* (σκηνώματα) *deposita sunt, ita loquitur: Ego vero, inquit, Apostolorum tropaea possum ostendere. Nam sive in Vaticanum sive ad Ostiensem viam pergere libet, occurrunt tibi tropaea eorum qui Ecclesiam illam* (Ro- **Caius.**

---

1) Advers. gent. l. II. 2) Haer. XXI. n. 5.

3) H. E. L. II. c. 12, 13.

4) Haer. XXIX; ap. Gallandi T. VII. p. 485.

5) Hist. sacr. L. II. c. 28.

6) Hom. V. in Natal. SS. Petri et Pauli.

7) Simonem Magum Romae fuisse et multos pervertisse, etiam Justinus, Irenaeus et Tertullianus scribunt.

8) L. VI. c. 20.

9) Ita vertit Valesius. Sed Graece est: *καὶ πιστοῦται γε τὴν ἱστορίαν ἡ Πέτρου καὶ Παύλου εἰς δεῦρο κρατήσασα ἐπὶ τῶν αὐτόθι κοιμητηρίων πρόσρησις*, ita ut vertendum videatur: „Narrationi huic fidem facit ea quae usque mode obtinet Petri et Pauli in coemeteriis ibi existentibus salutatio (veneratio).“ Confirmat narrata ex usu eousque Romae obtinente, ut fideles visitarent coemeteria ubi corpora SS. Apostolorum sepulta erant, eisque venerationem exhiberent.

manam) *fundaverunt.* Manifeste Caius hic de ipsis corporibus SS. Apostolorum loquitur Romae sepultis. Eusebius ea voce σκηνώματα, tabernacula, significat, uti etiam S. Petrus in epistola sua secunda (I. 14) scribit: *Certus sum, quod velox est depositio tabernaculi* (σκηνώματος) *mei, quod et Dominus noster Jesus Christus significavit mihi.* Ipsa sepulcra autem Caius hic *tropaea* nominat, uti Eusebius intellexit, et ex contextu colligitur. Inepte Lipsius et Anonymus Waldensis contendunt, agi tantum de monumento aliquo, non de sepulchris Apostolorum. — Ut alios testes saeculi tertii praetereamus, id unum advertere liceat. Manifestum est, saeculo tertio non minus quam saeculo quarto omnes convenisse de episcopatu Romano B. Petri, et data occasione scriptores illorum temporum ista de re ut de re certissima et notissima loqui.

S. Irenaeus. 28. Veniamus ad *saeculum secundum.* Atque imprimis nobis occurrit *S. Irenaeus,* insignis ille Ecclesiae Pater, qui ultimis decenniis saeculi II magnum suum opus *Contra haereses* confecit, cujusque testimonium summi momenti habendum. Irenaeus enim in ecclesia Galliarum fuit episcopus, ecclesiam Romanam in gravissimis negotiis adiit, et novit optime alias ecclesias ab Asia in Galliam usque, quum in ecclesiis Asiae sub Polycarpi adhuc disciplina vixisset. Polycarpus vero viderat ipsos Apostolos, speciatim S. Joannem. *Polycarpus autem,* scribit ipse S. Irenaeus, *non solum ab Apostolis edoctus et conversatus cum multis ex eis qui Dominum nostrum viderunt, sed etiam ab Apostolis in Asia, in ea quae est Smyrnis ecclesia constitutus episcopus; quem et nos vidimus in prima nostra aetate, multum enim perseveravit et valde senex gloriosissime et nobilissime martyrium faciens exivit de hac vita.*[1]) Ineptum

---

[1]) Contra haer. l. III. c. 3. — Non solum autem Irenaeus Polycarpum oculis viderat, sed familiariter eo ut magistro usus fuerat, uti patet ex iis quae refert Eusebius H. E. L. V. c. 19 ex Irenaei epistola *de monarchia ad Florinum.* Scribit videlicet Irenaeus alloquens Florinum: „*Ista dogmata presbyteri qui ante nos fuerunt, quique fuerunt Apostolorum discipuli, minime tibi tradiderunt. Vidi enim te cum*

igitur est cogitare, Irenaeum nihil de SS. Apostolorum Petri et Pauli scivisse laboribus et vitae fine, vel ea audacter tradere quae tantum rumoribus et fabulis nitebantur. Jam vero audiamus quae ipse scribit. Insignis et celebratissimus est ille locus S. Patris, quo demonstrare aggreditur, quanam ratione constet de vera et apostolica doctrina. Talem dicit esse eam, cujus organum est authenticum magisterium pastorum Ecclesiae in unitate cohaerentium. Tum subdit: *Quoniam valde longum est, in hoc tali volumine omnium ecclesiarum enumerare successiones, maximae et antiquissimae et omnibus cognitae, a gloriosissimis duobus Apostolis Petro et Paulo Romae fundatae et constitutae ecclesiae, eam quam habet ab Apostolis traditionem et annuntiatam hominibus fidem, per successiones Episcoporum pervenientem usque ad nos, indicantes, confundimus omnes eos qui quoquo modo vel per sibi placentiam vel vanam gloriam, vel per caecitatem et malam sententiam praeter quam quod oportet colligunt. Ad hanc enim ecclesiam propter potentiorem principalitatem necesse est omnem convenire Ecclesiam, hoc est eos qui sunt undique fideles, in qua semper ab his qui sunt undique, conservata est ea quae est ab Apostolis traditio. Fundantes igitur et instruentes beati Apostoli ecclesiam, Lino episcopatum administrandae ecclesiae*

---

adhuc puer essem in inferiori Asia apud Polycarpum, cum et in aula Imperatoris splendide lauteque vitam degebas, et sedulo te Polycarpo probare nitebaris. Nam ea quae tunc gerebantur, (cognitio enim quam a pueris combibimus una cum aetate accrescit simul, et quasi vinculo cum ipso animo penitus copulatur), multo firmius in memoria insident, quam quae nuper praeterierunt: adeo ut et locum in quo assidebat beatus Polycarpus cum dissereret, illius eo adventum et introitum, formam et modum vitae, corporis effigiem, disceptationes ac sermones quos apud multitudinem habebat, et ut necessitudinem ac vitae usum cum Joanne et reliquis qui ipsum Dominum vidissent, se habuisse narraret, et quo pacto memoraret eorum sermones, quin etiam quaenam ab illis de Domino audivisset; quo modo de miraculis ejus ac virtutibus et de doctrina denique, sicut ab illis qui fuissent suis oculis verbum conspirati, Scripturis vere consentia narraret, videar mihi posse rite recensere. Haec eo tempore per Dei misericordiam quam erga me ostendebat studiose et attente audiebam, atque non chartae et litteris, sed interiori mentis cognitioni mandabam.“

tradiderunt. Succedit ei autem Anacletus; post eum tertio loco ab Apostolis episcopatum sortitur Clemens . . . . Nunc duodecimo loco episcopatum ab Apostolis habet Eleutherius. Hac ordinatione et successione, ea quae est ab Apostolis in Ecclesia traditio et veritatis praeconatio pervenit usque ad nos. Et est plenissima haec ostensio, unam et eamdem vivificatricem fidem esse, quae in Ecclesia ab Apostolis usque nunc sit conservata et tradita in veritate[1]). His verbis Irenaeus ita clare et peremptorie enuntiat, a B. Petro Romanam ecclesiam esse fundatam, ut iis commentarium addere nihil aliud sit quam ea obscurare. Jam vidimus, S. Irenaeum iis praeditum fuisse characteribus, ut vel uno ipsius testimonio factum de quo agitur invicte probari posset. Id unum addimus, Irenaei testimonium esse *polemicum,* continere principium ipsum ex quo haereticos refutare volebat, atque eodem fundationem ecclesiae Romanae per Apostolos Petrum et Paulum ut rem omnibus compertissimam proponi.[2])

29. Est alius quoque locus S. Irenaei (L. III. c. 1.), quo iter Petri Romanum testatur, eumque textum etiam hic afferre opportunum videtur, quia eodem adversarii singulari modo abusi sunt. S. Irenaeus libro tertio refellit Gno-

---

[1]) Contra haer. L. III. c. 3.

[2]) Eo tempore quo B. Polycarpus, Irenaei magister, *necessitatem et vitae usum cum Joanne et reliquis qui Dominum vidissent* habuit, adjuncta mortis S. Petri Apostoli apprime nota fuisse, patet ex Evangelio S. Joannis. Evangelista refert verba quae Christus Dominus post resurrectionem dixit Petro: „Amen, amen dico tibi: cum esses junior, cingebas te et ambulabas ubi volebas. Cum autem senueris, extendes manus tuas, et alius te cinget, et ducet quo tu non vis.“ Dein addit: „Hoc autem dixit, significans qua morte clarificaturus esset Deum.“ (Jo. 21. 18, 19.) Alludit tum Dominus tum Evangelista manifeste ad crucifixionem Petri. (V. cl. Beelen in h. l.); — Optime noverat igitur S. Joannes, qui Evangelium scripsit post mortem S. Petri, adjuncta mortis ejusdem. Unde colliges eum etiam nullatenus ignorasse, in qua urbe princeps Apostolorum martyrium obiisset. Innotuerunt profecto haec Polycarpo Ioannis discipulo, et si S. Irenaeus tam accurate de S. Petro ejusque episcopatu Romano ac martyrio scribit, obvium est assignare fontem, unde ista (quae tamen et aliunde notissima fuisse censemus) haurire potuit. Id vero iterum dicimus, tale esse Irenaei testimonium, ut vel unico hoc argumento *peremptorie* factum de quo agimus probetur.

sticos, qui praetendebant, se habere secretam cognitionem quam ne Apostoli quidem habuerint. Hos haereticos ex duplici fonte refutaturus, ex *praedicatione* Apostolorum in Ecclesiis conservata et ex *Scripturis sacris,* ipso libri ingressu statuit, Apostolos perfectam habuisse cognitionem veritatis eamque Ecclesiis tradidisse tum *praeconio,* tum postea *Scripturis.* — *Non per alios,* inquit *dispositionem salutis nostrae cognovimus, quam per eos per quos Evangelium pervenit ad nos, quod quidem tunc praeconaverunt, postea vero per voluntatem Dei in scriptis nobis tradiderunt. Postea enim, quam surrexit Dominus noster a mortuis et induti sunt supervenientis Spiritus sancti virtutem ex alto, de omnibus adimpleti sunt et habuerunt perfectam agnitionem; exierunt in fines terrae (Apostoli), ea quae a Deo nobis bona sunt evangelizantes, et coelestem pacem hominibus annuntiantes,*[1]) *qui quidem omnes pariter et singuli eorum habentes evangelium Dei.* Dein expolit et explicat, quomodo omnes et singuli pariter habuerint Evangelium Dei, idque praeconio et Scripturis annuntiatum sit. Afferimus autem verba Graeca uti sunt in Eusebio (V. 8): *Ὁ μὲν δὴ Ματθαῖος ἐν τοῖς Ἑβραίοις τῇ ἰδίᾳ αὐτῶν διαλέκτῳ και γραφὴν ἐξήνεγκεν Ευαγγελίου, τοῦ Πέτρου καὶ τοῦ Παύλου ἐν Ῥώμῃ εὐαγγελιζομένων καὶ θεμελιούντων τὴν ἐκκλησίαν. Μετὰ δέ τὴν τούτων ἔξοδον Μάρκος ὁ μαθητὴς καὶ ἑρμηνευτὴς Πέτρου καὶ αὐτὸς τὰ ὑπὸ Πὲτρου κηρυσσόμενα ἐγγράφως ἡμῖν παραδέδωκε. Καὶ Λουκᾶς δὲ ὁ ἀκόλουθος Παύλου τὸ ὑπ᾽ ἐκείνου κηρυσσόμενον εὐαγγέλιον ἐν βιβλίῳ κατέθετο. Ἔπειτα Ἰωάννης κ. τ. λ.*

30. Ex S. Irenaei verbis illud imprimis certissimum, *BB. Apostolos Petrum et Paulum Romae Evangelium annuntiasse et fundasse ecclesiam.* Disertis enim verbis hoc S. Pater testatur, idque ad scopum nostrum per se sufficeret animadvertisse. Sed inepte testimonium impetit Anonymus Waldensis[2]). Ex S. Irenaeo, inquit, *S. Matthaeus scripsit Evangelium apud Hebraeos, dum Petrus et Paulus Romae praedicarent et ecclesiam fundarent.* At vero quo tempore Matthaeus apud Hebraeos Evangelium scripsit (quod

---

[1]) Cfr. Rom. 10, 15, 18. [2]) Impossibilità etc. pp. 98, 99.

reapse secundum antiquos non ultra annum 39 p. C. poni potest), certe Petrus et Paulus non erant Romae. Proinde, inquit, vel fatendum est, Irenaeum esse interpolatum, vel admittendum est, eum praedicationem et fundationem ecclesiae Romanae his Apostolis adscribere, quia per alios, per discipulos suos id fecerunt. Aderant videlicet quum Petrus in die Pentecostes Hierosolymis praedicaret *advenae Romani,* atque isti discipuli Petri Romanam ecclesiam fundarunt. Petrum vero Romae fuisse nequaquam ex Irenaeo probatur.

31. Reponimus imprimis, evidens esse Irenaeum tum hoc loco tum altero, quem citavimus, ipsis Apostolis et non aliis praedicationem Romae factam et fundationem Ecclesiae adscribere. Impudens illa explicatio Anonymi absona est. Quodsi S. Pater in chronologia errasset, inde nullo modo ipsum ejus testimonium rejici potest. Sed neque censemus S. Irenaeum in chronologia adeo errasse, neque consentimus recentioribus quibusdam auctoribus, qui scriptionem Evangelii S. Matthaei ad ultimos annos SS. Petri et Pauli referunt, et hoc loco S. Irenaei ad suam opinionem fulciendam utuntur. Existimamus, cum communi sententia de Evangelio S. Matthaei textum S. Irenaei apprime componi, dummodo recte intelligatur. Per illum videlicet genitivum absolutum *Πέτρου καὶ Παύλου ἐν Ῥώμῃ εὐαγγελιζομένων* non exprimitur relatio temporis, ac si Matthaeus eodem tempore Evangelium scripsisse dicatur; sed est inter partem utramque textus oppositio tum loci tum modi, quo hinc Matthaeus, inde Petrus et Paulus Evangelium tradidisse narrantur. Textus igitur apte sic vertitur: *Matthaeus sane* (vel profecto, *δή*) *in Hebraeis ipsorum lingua etiam scripturam edidit evangelii,* (non solum praedicavit), *quum contra Petrus et Paulus Romae evangelium praedicarent et fundarent Ecclesiam.* — In subsequente inciso vox *ἔξοδος* non est intelligenda de morte SS. Apostolorum Petri et Pauli, sed de *celebri profectione* eorum, ut reliquorum Apostolorum, ad docendas omnes gentes. Quum videlicet S. Irenaeus dixisset, Matthaeum adhuc *in Hebraeis* degentem Evangelium scripsisse, in altero inciso

opponit posteriorem scriptionem Marci et Lucae, dicens eos *post profectionem* Apostolorum in omnes gentes scripsisse. Profectionis Apostolorum paulo ante mentionem fecerat scribens: *Exierunt*, (ἐξῆλθον profecto graece dixerat), *in fines terrae, ea quae a Deo nobis bona sunt evangelizantes.*[1] Indicat autem profectionem SS. Petri et Pauli (τούτων) eo quod antea ut praecipuos eos commemoraverat, quodque Marcus et Lucas Petri Paulique comites essent. Hac ratione Em. Franzelin (Introd. in S. Script.) textum praeclare explicat[2]), aliam expositionem potes videre ap. Patritium de Evangel. L. I. c. 2. Caeterum ab interpretationibus hisce non pendet valor testimonii S. Irenaei, quatenus evidentibus verbis asserit, Petrum et Paulum Romae praedicasse ecclesiamque fundasse.

32. Praeter S. Irenaeum habemus ex saeculo II testem S. Dionys. Cor. amplissimum *S. Dionysium Corinthiorum Episcopum* (a. 170), virum in Ecclesia valde clarum. De ipso scribit S. Hieronymus: *Dionysius Corinthiorum Episcopus tantae eloquentiae et industriae fuit, ut non solum suae civitatis et provinciae populos, sed et aliarum urbium et provinciarum episcopos epistolis erudiret.*[3] Ejus autem testimonium de praedicatione SS. Apostolorum Petri et Pauli Romae factae deque eorum martyrio nobis conservavit Eusebius H. E. l. II. c. 25. Postquam narravit mortem Apostolorum suamque relationem ex Caio, uti vidimus, confirmavit, addit: „Porro ambos uno eodemque tempore martyrium subiisse Dionysius Corinthiorum Episcopus ad Romanos scribens testatur his verbis: *Ita et vos*, inquit, *tanta admonitione vestra sementem quae Petri et Pauli satione succreverat, Romanos scilicet et Corinthios simul commiscuistis. Ambo enim illi in urbem nostram Corinthum ingressi nos simul*

---

[1]) Alludit ad Rom. 10, 18: *εἰς πᾶσαν τὴν γῆν ἐξῆλθεν ὁ φθόγγος αὐτῶν, καὶ εἰς τὰ πέρατα τῆς οἰκουμένης τὰ ῥήματα αὐτῶν.* Cf. Rom. 10, 15.

[2]) Eamdem sententiam sequitur Aberle Theol. Quartalschr. 1858, S. 495 ff. 1854 S. 33 ff.; neque censeo eam refelli objectionibus in opere posthumo ipsius: Einleitung in das neue Testament von Dr. Aberle (1877), commemoratis ab editore cl. Dr. P. Schanz. pag. 37 nota 1.

[3]) Catalog. de script. illustr,

(*ὁμοίως*) *docuerunt, simul etiam in Italiam profecti postquam pariter praedicaverant,* (*ὁμοίως καὶ εἰς τὴν Ιταλίαν, ὁμόσε διδάξαντες*) *eodem tempore martyrium pertulerunt.* — Clara sunt haec verba S. Dionysii, eademque consensum unanimem ecclesiarum quoad factum de quo agimus, veluti de re notissima ac certa ostendunt.

33. Sed varias tricas adversarii iterum excogitarunt, ut Dionysium fabulas tradere possent contendere. Ex Actis Apostolorum et epistolis Pauli, inquiunt, videmus, Petrum non fuisse Corinthi illamque ecclesiam haud fundasse. Quod vero Dionysius dicit, Petrum et Paulum simul Corintho in Italiam profectos esse, manifeste pia quaedam fabella est. — Respondemus, si in Actis Apostolorum vel in epistolis S. Pauli ad Corinthios non commemoratur, S. Petrum Corinthi fuisse, inde nullatenus sequitur, eum aliquando in hac urbe non fuisse atque ibidem non praedicasse. Id factum esse, ex ipso Dionysio ut teste quamvis mediato, tamen fide plane digno, discimus. Porro non necessario textus Dionysii ita intelligendus est, quod *simul tempore* illi Apostoli Corinthi fuerint, sed illud *ὁμοίως* etiam *pariter* vel *similiter* verti potest. Neque necessario intelligendum est ex textu Dionysii, *simul profectos* esse Apostolos in Italiam, sed potest explicari vel sicuti vult Stenglein[1]) ita ut *ὁμοίως ὁμοσε* tantum significet, etiam in hoc convenire illos Apostolos, quod in Italia (Romae) docuerint, vel ut tantum exprimatur, in Italia eos *simul fuisse.*

34. Attamen per se nihil obstat locum Dionysii etiam eo sensu accipere, quod SS. Petrus et Paulus aliquando simul Corinthi praedicaverint et inde simul profecti sint, Petrus quidem directe in Italiam, Paulus non quidem directe, sed ea jam intentione ut postea Italiam visitaret. Tempus illud (juxta Franzelin) apte concipitur a. 53. Juxta hanc computationem a. 47 fuit Concilium Hierosolymitanum Apostolorum, post quod cum Judaei Romae a

---

[1]) V. Tübing. Quartalschrift 1840. p. 237. — V. etiam Tillemont Hist. eccl. Tom. I. Notes sur S. Pierre, note XXXVIII.

Claudio vexarentur imo expellerentur, S. Petrus per aliquot annos in variis regionibus fuit[1]). S. Paulus eo tempore fecit iter Apostolicum, et ab auctumno anni 48 usque ad tempus vernum anni 50 fuit Corinthi, ac mense Februario videtur profectus esse Hierosolymas ubi fuit tempore Paschatis. Mox tertium iter Apostolicum suscepit. Ex Epheso hieme anni 51 (vel ineunte a. 52) scripsit primam epistolam ad Corinthios; et non ita multo post decurrente anno 52 dedit secundam epistolam ad Corinthios. Versus finem anni ipse venit Corinthum, et ineunte anno 53 inde scripsit epistolam ad Romanos. Petrus, uti diximus, tunc Romae non erat; sed ipso anno 53 venit Corinthum Romam jam reversurus, quo brevi ante etiam Aquila et Priscilla reversi erant, quos Paulus in epistola salutat. (Ex hoc colligitur, edictum expulsionis Judaeorum ultra quadriennium non obtinuisse.) Tunc igitur quum Petrus Corinthum venisset, postquam S. Paulus epistolam ad Romanos jam scripserat, simul Corinthi bini Apostoli docuerunt, sed brevi tantum tempore. S. Paulus in ipsa epistola ad Romanos indicat, se velle Hierosolymas proficisci ut collectam pecuniam deferret, intentionemque postea visitandi Romanos exprimit. Atque sic optime concipi potest, binos Apostolos mox simul Corintho profectos esse, uti innuere videtur Dionysius.

35. Quidquid hac de re tibi placuerit, manifestum est, nonnisi stulta impudentia adversarios quosdam blaterare, per hanc Dionysii eqistolam ejusque forte sermones factum esse, ut legenda fabulosa (uti dicunt) de S. Petri itinere et episcopatu Romano propagaretur. Dionysius de BB. Apostolorum Petri et Pauli martyrio loquitur ut de re notissima ac certissima, et tantum data occasione circumstantias quasdam ex vita illorum Apostolorum commemorat. Vult videlicet intimam connexionem inter ecclesiam Romanam et ecclesiam Corinthiorum celebrare.

---

[1]) Orosius ex scriptis Flavii Josephi scribit: *Anno quidem* (Claudii) 9. (a. 48) *expulsos per Claudium urbe Judaeos Josephus refert.* Oros. Historiar. L. VII. 6.

Quid vero esse potest ineptius ea assertione, ex Dionysii dictis factum esse, ut opinio de S. Petri itinere et episcopatu Romano reciperetur? Profecto Dionysius non narrat nova, sed antiqua commemorat; si nova excogitasset vel incerta tantum et fabulosa narrasset, nec Romani nec alii ista accepissent.

Clemens Alex. 36. Commemoremus hoc loco etiam *Clementem Alexandrinum,* qui mediante saeculo secundo natus, Dionysii Corinthiorum Episcopi fuit coaevus. Eusebius (L. VI. c. 14) loquens de ejus libris Hypotyposeon inter alia refert. *Sed et in iisdem libris Clemens traditionem quamdam de ordine Evangeliorum, quam a vetustioribus presbyteris acceperat, refert in hunc modum. Dicebat, ex Evangeliis prius scripta esse illa, quae seriem generis Dominici continent. Marci autem Evangelium ex hujusmodi occasione scriptum fuisse. Cum Petrus in urbe Roma verbum Dei publice praedicasset, et Spiritu Sancto afflatus Evangelium promulgasset, multi qui aderant Marcum cohortati sunt, utpote qui Petrum jamdudum secutus fuisset, et dicta ejus memoria teneret, ut quae ab Apostolo praedicata erant conscriberet* etc. Vides, etiam Clementem ut rem notam commemorare praedicationem a. S. Petro Romae factam, et quae de origine Evangelii S. Marci narrat referre, ut a vetustioribus presbyteris accepta. — Clementi, ait Eusebius (L. II c. 15), quod Marcus ut discipulus S. Petri Romae Evangelium scripserit, *testis etiam accedit Papias Hierosolymitanus Episcopus;* et antiqui universim tradunt, Marcum Roma Alexandriam missum esse.

S. Ignatius. 37. *S. Ignatius Martyr* quoque in ea quam scripsit ad ecclesiam Romanam epistola, implicite testimonium perhibet de Petri et Pauli in urbe Roma commoratione omnibus nota. *Ego,* ait, *ecclesiis scribo, omnibusque mando, quod lubens pro Deo moriar, siquidem vos me non impediatis. Obsecro vos, ne intempestivam mihi benevolentiam exhibeatis. Sinite me ferarum cibum esse per quas Deum consequi licet. Frumentum sum Dei et per ferarum dentes molar, ut purus panis Christi inveniar . . . . Christum pro me supplicate, ut per haec instrumenta hostia inveniar. Non ut Petrus et Paulus vobis praecipio.* (Οὐχ ὡς Πέτρος καὶ Παῦλος

διατάσσομαι ὑμῖν). Illi apostoli, ego condemnatus; illi liberi, ego usque nunc servus. Sed si patiar, libertus Jesu ero et in ipso resurgam liber. Ut tricas adversariorum praeoccupemus, advertere juvat, S. Ignatium hoc loco ea attingere, quae ad fideles Romanos unice spectant; eos videlicet rogat, ne impediant ipsius martyrium. Dum igitur addit: *Non ut Petrus et Paulus vobis praecipio,* certe adsignificat eorum peculiarem ad Romanos relationem, quam traditio omnium saeculorum de SS. Apostolis Petro et Paulo Romae praedicantibus semper asseruit. Agnoverunt hoc etiam protestantes sinceri, uti Cave, Jacobson, Baratier qui scribit: *Cur Petrum et Paulum una nominat* (Ignatius), *nisi quod uterque Romae fuerit? Cur Petrum, si cum Romanis nullum nexum habuerit? Si enim Romae non fuerit, cum Romanis non scripserit, nil magis cum iis commune habebat vel iis praeceperat, quam Jacobus, vel Judas, vel Joannes. Manifestum est, Ignatium Romanum Petri iter novisse.*[1]) Quod vero Bressel recens editor protestans operum PP. Apostolorum aliter sentiat, id nonnisi praejudiciis adscribi potest. Scribit videlicet: *Ignatius Petri et Pauli idcirco meminit, quod inter omnes Christi discipulos et sectatores ipsi evangelium praedicando et docendo eminebant, adeoque auctoritate quadam insigniti reliquis praestabant. Unde miror, quod Jacobsonus eorum Ignatium meminisse scribit, quippe qui ex sanctis Apostolis soli christianis Romanis interfuerint*[2]). Sed hoc est obvium et naturalem propositionis significationem arbitrario modo seponere, et ob praejudicatas opiniones haud convenientem explicationem lectori obtrudere. Ignatius enim non alludit ad auctoritatem illam longius petitam ex praecellentia praedicationis Apostolorum Petri et Pauli, sed agit de deferendo obsequio illis qui apud Romanos res ordinabant praecipiendo (*διατάσσομαι*). — Etiam ex magnifica illa inscriptione, qua S. Ignatius epistolam suam ad Romanos insignivit, colligitur ab eo agnosci primatum, sane ob successionem in

---

[1]) Disquisitio chronologica de successione antiquissima Episcoporum Romanorum, p. 3. Ultrajecti 1740.

[2]) PP. Apost. edit. Dressel in h. l.; Lipsiae 1863.

Petri episcopatu. Dicit de eadem Ecclesia, quae *praesideat in loco Romanae regionis*, quod de praesidentia in totam Ecclesiam christianam manifeste intelligendum, nisi inepte sensum contorqueas; atque eam dicit προκαθημένην τῆς ἀγάπης (quae praesidet foederi caritatis).

S. Clemens Rom.

38. Praeclarum demum testimonium facti de quo agimus continetur in epistola *S. Clementis* ad Corinthios, quam propter schismata exorta ad eos direxit. Ista epistola semper in ecclesia summo in pretio habita est.[1]) In eadem de martyrio SS. Apostolorum Petri et Pauli ita loquitur, ut quamvis non disertis verbis Romam ut martyrii locum indicet, ex contextu tamen clare colligatur, eos ibidem martyrium subiisse. Capite quarto mala odii, invidiae, aemulationis describit, et postquam exempla ex veteri foedere proposuit c. 5. ait: *Sed ut vetera exempla relinquamus, ad proximos athletos veniamus* (τοὺς ἔγγιστα γενομένους ἀθλητάς); *sumamus aetatis nostrae generosa exempla. Propter zelum et invidiam qui maximae et justissimae Ecclesiae columnae erant, persecutionem passi sunt et usque ad mortem certaverunt.*[2]) *Ponamus nobis ante oculos bonos apostolos,* (τοὺς ἀγαθοὺς ἀποστόλους). *Petrum qui propter zelum iniquum non unum aut alterum sed plures labores sustulit, atque ita martyrium passus* (μαρτυρήσας) *ad debitum gloriae locum discessit. Propter zelum* (ζῆλον) *et Paulus patientiae praemium exhibuit, septies in vincula con-*

---

[1]) Scriptam censemus epistolam non statim post persecutionem Neronis, sed versus finem saeculi primi post persecutionem Domitiani; existimamus enim, tunc Clementem post Linum et Cletum rexisse Ecclesiam. In ipsa epistola indicia occurrunt satis clara, epistolam haud immediate post mortem Apostolorum scriptam fuisse. Loquitur enim Clemens de presbyteris dejectis, *qui longo tempore ab omnibus testimonium praeclarum reportarunt* (c. 44); loquitur de epistola S. Pauli ad ipsos *in principio Evangelii* scripta (c. 47), et *firmissimam et antiquam Corinthiorum ecclesiam* nominat. Ista indicant, inde a tempore Apostolorum jam aliquod tempus elapsum esse. — Ea de re inferius iterum agetur.

[2]) Graece: ἕως θανάτου ἤθλησαν. Ex codice Cptano nuper detecto jam constat haec lectio ἤθλησαν; quum in Codice Alexandrino hic esset hiatus, suppleverunt vario modo anteriores editores. Ex restituta lectione genuina invicte confirmatur, de martyrio cruento S. Petri hic agi.

jectus, fugatus, lapidatus, in oriente ac occidente verbi praeco factus, illustrem fidei suae famam sortitus est; qui postquam mundum universum justitiam docuit, et ad occidentis terminos venit, et sub praefectis martyrium subiit (μαρτυρήσας ἐπὶ τῶν ἡγουμένων), *sic e mundo migravit et in locum sanctum abiit, patientiae summum exemplar existens. — Viris istis sancte vitam instituentibus* (ὁσίως πολιτευσαμένοις) *magna electorum multitudo aggregata est, qui supplicia multa et tormenta propter zelum passi, exemplar optimum inter nos* (ἐν ἡμῖν) *exstiterunt. Propter zelum mulieres persecutionem passae, Danaidae et Dircae, postquam gravia et nefanda supplicia sustinuerunt, ad firmum fidei cursum pertigerunt, et debiles corpore nobile praemium acceperunt.*[1])

39. Clemens his verbis clare testatur de martyrio SS. Apostolorum Petri et Pauli Romae peracto. Quamvis enim urbem Romam explicite non nominet, quum de re omnibus nota verba faceret, tamen ita verba accipienda esse, sequitur tum ex eo, quod id continuae traditioni unice est consonum, tum ex contextu colligitur. Petrum jungit Paulo, quem Romae martyrium subiisse nemo negat, ea ratione uti etiam Ignatius, Dionysius Corinthius, Caius, Clemens, Alex., Irenaeus, duos hos Apostolos jungunt. Loquitur porro Clemens de persecutione Neroniana, in qua secundum Tacitum Romae *ingens multitudo* Christianorum ultimis suppliciis affecta est. Eo sane pertinent illa: *Viris istis sancte vitam instituentibus* (πολιτευσαμένοις) *magna electorum multitudo aggregata est.* — Dein ait Clemens: Electi illi Apostolis aggregati, supplicia multa et tormenta propter zelum passi *exemplar optimum inter nos* (ἐν ἡμῖν) *exstiterunt.* Hic nisi sensum omnino torqueas, nihil aliud intelligere potes, nisi Romanis illa exempla ob oculos fuisse, et Clementem proponere Corinthiis ea quae apud Romanos contigerant. Adverte etiam vocem πολιτευσαμένοις eum habere sensum, ut significet regere, moderari, leges ferre, et maxime societatem legibus institutisque firmare. Quod vero dicitur Paulus μαρτυρήσας

---

[1]) Cfr. Patres Apostolici ed. Funk; Tubingae 1878, p. 67 sqq.

ἐπὶ τῶν ἡγουμένων, hac voce varii censent significari *praefectos* Nymphidium Sabinum et Tigellinum, qui a. 67, quum Nero in Achaia degeret, Romae praefecti praetorii erant, vel Helium et Polycletum, qui Nerone in Graecia degente omnia gubernabant (Dio Cass. LXIII. 12. 19); alii existimant, vocem *de summis Romanorum magistratibus in universum vel rectius de imperatore ejusque consilio electo e principibus civitatis* intelligendam esse.[1]) — Facile autem vides, harmoniam quandam esse inter ea quae Clemens in hac epistola dicit Petrum et Paulum commemorans, et ea quae citavimus ex epistola Dionysii. Commemorans videlicet epistolam Clementis quae in ecclesia legebatur, Dionysius verba facit de BB. Apostolis Petro et Paulo, et specialem rationem eos tum ad Romanos tum ad Corinthios habere grato animo advertit. — Quod ad *Danaidas et Dircas* a Clemente commemoratas spectat, multum in his explicandis auctores insudarunt, et etiam alias lectiones proposuerunt. Sed explicatio omnino congrua est, quam l. c. Funk habet, dum sententiam doctissimi Aberle sequens cum ipso censet: *„Nerone christianos persequente complures feminas christianas coactas esse, ut vel personam Dirces, quam cornibus tauri rabidi alligatam fuisse fabulae tradunt, induerent sicque mortem crudelissimam paterentur, vel antequam necarentur ad crudele plebis spectaculum Danaidarum supplicia subirent Tartarique poenas repraesentarent, et ejusmodi martyres tum a fidelibus tum a paganis nomine Danaidarum et Dirces insignitas esse. Talibus vel similibus tormentis Christianos a Nerone cruciatos fuisse, testatur etiam Tacitus (Annal. XV. 44) narrans, pereuntibus addita esse ludibria.“*[2])

40. Vim testimonii S. Clementis adversarii variis cavillationibus elidere studuerunt; sed ex ipso textu ejusque expositione quae objiciuntur facile diluuntur. Sunt qui contendunt, ne martyrii quidem S. Petri Clementem certo

---

[1]) Funk l. c. p, 68. n. 7.

[2]) Funk l. c. p. 69. n. 2. — Cfr. Katholik 1878. II. Die Christen in der Arena. S. 283.

facere mentionem, quum vox μαρτυρήσας de testificatione fidei intelligi possit. Sed integer contextus ostendit, agi de iis qui violentae necis martyrium passi sunt, quod jam inde ab initio indicatur illis verbis, *persecutionem passi sunt et usque ad mortem certaverunt* (ἕως θανάτου ἤθλησαν). — Darby dum Clementis testimonium evertere nititur, ea tantum adducit, quae de Petro et Paulo a Clemente dicuntur; omittit reliqua, ex quibus magis elucet, agi de iis qui Romae martyrium obierunt. Dein advertit, satis patere Clementem, quem Romae anno 69 epistolam scripsisse supponit, Pauli quidem gesta luculentius novisse eaque fusius referre, quoad Petrum vero eum nihil scivisse, nisi ejus martyrium, tempus vero et locum ei haud nota fuisse. Merito inde inferri, Petrum nullatenus Romae fuisse nec ibi mortem obiisse.[1]) Ex iis quae diximus haec satis refelluntur; cur vero de Paulo uberius disserat Clemens quam de Petro, ratio facile reddi potest. Apprime ad rem Funk l. c.: *Clemens uberius de Paulo disputat quam de Petro, non quia ille abundantius caeteris apostolis laboravit, (1 Cor. 15, 10), sed quia aliquantum temporis inter Corinthios versatus est. Cum enim et ecclesiam Corinthiorum fundasset et Romae ob fidem martyrium subiisset, Clemens sperare potuit, exemplum viri qui et Romanorum et Corinthiorum apostolus dici potuit, pluribus verbis proferentem sese animos lectorum magnopere permoturum esse. Etiam c. 47, 1 (in eadem epistola) ad auctoritatem Pauli provocavit.*[2])

41. Quodsi testimonia quae attulimus perpenderis, simulque universalem persuasionem ac traditionem de B. Petri episcopatu Romano ac peracto ibidem martyrio, intelliges profecto, firmissimis hoc factum probari historiae argumentis quibus contradicere omnino ineptum est. — Reliquum est ut advertamus, persuasionem Patrum et antiquitatis etiam elucere ex variis *observationibus exegeticis* ad certos quosdam sacrae Scripturae textus; nec minus *monu-*

---

[1]) St. Peter never at Rome 2 ed. ch. 6. (4.)

[2]) L. c. p. 68. n. 5.

menta multiplicia urbis Romae, quae ex antiquissima traditione ad commorationem BB. Apostolorum Petri et Pauli relationem habent, veritatem facti apprime confirmare. Atque ad primum quod spectat, Chrysostomus, Theodoretus, Theophylactus ad varios textus, quibus S. Paulus in suis epistolis de Romanis, de eorum fide, de desiderio suo illos videndi loquitur, (Rom. 1, 8; Ibid. 1, 11; 2 Tim. 4, 21), occasione data advertunt, S. Petrum Romae ante S. Paulum Evangelium praedicasse, et respectu habito ad hoc factum verba Pauli interpretantur. Ita e. g. Theodoretus ad verba Rom. 1, 11: „Cupio enim videre vos, ut impertiar aliquid gratiae spiritualis ad confirmandum vos", scribit: *Quia primus eis magnus Petrus doctrinam evangelicam praebuit, necessario intulit: ad confirmandum vos.*

Exegetae.

42. Nota autem est et ab omnibus sanis exegetis recepta interpretatio Patrum loci illius celeberrimi I Petri 5. 13: *Salutat vos ecclesia quae est in Babylone coëlecta et Marcus filius meus* (*Ἀσπάζεται ὑμᾶς ἡ ἐν Βαβυλῶνι συνεκλεκτὴ κ. τ. λ.*) Affirmant enim SS. Patres et antiqui interpretes universim, voce Babylonis metaphora adhibita Romam significari, illamque epistolam a S. Petro Romae scriptam esse. Eusebius H. E. l. II. c. 15, postquam narravit, Marcum Petri discipulum Romae Evangelium scripsisse, idque a. S .Petro esse approbatum, prosequitur: *Refertur id a Clemente* (Alex.) *in sexto Institutionum libro; cui testis accedit Papias Hierapolitanus episcopus. Marci porro mentionem fieri a Petro in prima epistola, quam Romae scriptam esse dicunt, idque Petrum ipsum innuere, qui Romam figurate Babylonem appellat his verbis: Salutat vos Babylonis ecclesia*[1]). Vides, Eusebium illam interpretationem referre ut jam propositam. Obvio autem sensu verborum ipse tribuit hanc expositionem Papiae et Clementi Alexan-

Babylonis nomen.

[1]) In Graeco textu Eusebii ita legitur: *τοῦ δὲ Μάρκου μνημονεύειν τὸν Πέτρον τῇ προτέρᾳ ἐπιστολῇ, ἣν καὶ συντάξαι φασὶν ἐπ' αὐτῆς Ῥώμης, σημαίνειν τε τοῦτ' αὐτὸν τὴν πόλιν τροπικώτερον Βαβυλῶνα προσειπόντα.* Immerito Valesius in suis notis ad h. l. contra Rufini versionem advertit, haec non ab Eusebio ad Clementem et Papiam referri, sed illud *dicunt* indefinite accipiendum esse.

drino; contextus enim ostendit, illud *dicunt* (*φάσι*) ad hos viros quos supra nominaverat referri. S. Hieronymus pariter illam interpretationem ita commemorat, ut simul eam approbet. *Et Papias*, ait, *Hierapolitanus episcopus, meminit hujus Marci, et Petrus in epistola prima, sub nomine Babylonis figuraliter Romam significans*[1]). Alludit Hieronymus hic manifeste ad textum Eusebii. — Chrysostomus (vel Severus in Catena a Cramero[2]) edita scribit: *Babylonem igitur* (*οὖν*) *metaphorice Romam appellat, electam vero ecclesiam Christi eadem in urbe constitutam.* Ita etiam Oecumenius ac Beda et generatim veteres interpretes hac de re conveniunt. Quae vero ab adversariis opponuntur inferius expendemus.

41. Ad *monumenta urbis Romae* quod spectat, profecto fieri non potuit, quin BB. Apostolorum memoria multis locis ac aedificiis veluti affixa maneret. Ac revera tum carceres in quibus morati sunt, tum catenae B. Petri, tum locus martyrii, tum sepulchra Apostolorum semper celebratissima fuere. Imo etiam non paucae ecclesiae ab antiquissimis temporibus in celebrioribus locis, ubi vel Apostoli vel discipuli eorum, uti S. Pudens ejusque familia, Aquila et Priscilla aliique habitabant, aedificatae fuere. Eo etiam pertinent tum festum cathedrae S. Petri, tum ipsa cathedra materialis S. Petri quae Romae asservatur.[3]) Monum. Romana.

42. *De duratione Romani episcopatus B. Petri.* — Jam animadvertimus, quaestionem de Romano B. Petri episcopatu Duratio Episcopatus.

---

[1]) De viris illustr. ad *Marcum.*

[2]) Catena in epp. cathol. edid. J. A. Cramer Oxonii 1840. p. 82.

[3]) Juxta de Rossi duplex Romae servabatur cathedra S. Petri. Altera in coemeterio seu catacumba Ostriana servata solebat dici Sedes ubi Petrus prius sedit, et commemorabat primum ejus ingressum in urbem Romam. Ejus commemoratio minori solemnitate fiebat d. 18. Januarii. Altera erat cathedra servata in baptisterio Vaticani (a temporibus S. Damasi), eademque monumentum erat dignitatis pontificalis S. Petri. Ejus commemoratio majori solemnitate fiebat d. 22. Febr. Hac die martyrologia et breviaria nunc ponunt festum Cathedrae Antiochenae. Usus hic ideo paulatim irrepsit, quia memoria alterius cathedrae prorsus perierat, ideoque duplex commemoratio cathedrae Romanae intelligi et explicari non poterat. — Cfr. Bolletin. a. V. pp. 33 sqq.

non pendere a controversia durationis ipsius; convenit tamen, ut etiam hac de re agamus. Etenim si ista quaestio, quanto tempore B. Petrus Romanum episcopatum gesserit, in se consideratur, sane operae pretium est, ut eam determinemus; dein quae dicturi sumus maxime inserviunt ad ea confirmanda quae hucusque disputavimus. — Quod igitur ad durationem Romani episcopatus B. Petri attinet, notissimum est, Catholicorum plerosque tenere, *annis XXV B. Petrum Romanam Sedem tenuisse.* Negant vero id plerique protestantes, etiam illi qui admittunt iter Petri Romanum. Sic decretorie Cave Anglicanus scribit: *Etiamsi vero cum antiquis, Petrum Romae fuisse, et istius ecclesiae fundamenta posuisse, facile concedimus, ipsum tamen hanc cathedram per XXV annos tenuisse, adversus recentiores majestatis pontificiae propugnatores constanter pernegamus*[1]). Atque illi heterodoxi supputationibus chronologicis indulgent, ut ea ratione primatum quoque Romani Pontificis a Catholicis assertum impugnent. Sed varii quoque catholici auctores ista in re dissident; eosque movit potius ea ratio, ut semotis difficultatibus quoad durationem illius episcopatus, facilius et efficacius ipsum *factum* defendere et vindicare possent. Negant igitur etiam ipsi, Petrum ante Neronis imperium Romam venisse, et pro hac negante sententia jam Cave adduxit e catholicis Pagium, Norisium, Henschenium, Papebrochium, Valerium, Balutium, Toinardum, quibus e recentioribus etiam addi potest Herbst in sua Dissertatione jam laudata. Ac revera per se facilior et a difficultatibus omnibus soluta videri posset sententia eorum, qui unicam sub Nerone Petri profectionem Romanam tuentur. Sed tanta est veterum consensio de itinere Romano Petri sub Claudio ac de ejus episcopatu Romano XXV annorum, ut ex eadem factum historicum solide demonstretur, et re bene examinata nonnisi arbitrario et imprudenter ab hac sententia discedere possemus. Cum eadem porro plures circumstantiae, quas ex Actibus Apostolorum haurimus, congruunt; difficultates vero omnes

---

[1]) Hist. litt. Script. Eccles. saec. I. art. Petrus.

dilui possunt. Referemus primum ea testimonia, quibus *expresse* edicitur, XXV annis S. Petrum episcopatum Romanum gessisse: dein testimonia, quibus *tempus adventus* Petri in urbem Romam et *annus martyrii* determinatur, et videbimus etiam haec eo collimare, ut XXV annis S. Petrum Romanum fuisse episcopum concludere liceat.

43. Exstat igitur a medio saeculo IV de XXV annis Romani B. Petri episcopatus, Patrum scriptorumque ecclesiasticorum traditio continua, monumentorum serie consignata. Huc imprimis pertinent *monumenta Romanae successionis.* In antiquissimo Catalogo, qui dicitur *Liberianus*, eo quod in Liberium Pontificem medio saeculo IV desinit, anno ut videtur 254 conscripto[1]), ita legitur: *Imperante Tiberio Caesare passus est Dominus noster Jesus Christus duobus Geminis Consulibus VIII Kal. Aprilis*[2]*), et post adscensum ejus Beatissimus Petrus episcopatum suscepit. Ex quo tempore per successionem dispositum, quis episcopus et quot annis praefuit vel quo imperante. Petrus annis viginti quinque, mense uno, diebus novem. Fuit temporibus Tiberii Caesaris et Caii et Tiberii Claudii et Neronis a consulatu Vinicii et Longini usque Neronis et Veteris. Passus autem cum Paulo die tertia Kalendas Julias Consulibus SS.* (suprascriptis) *imperante Nerone. — Linus annis duodecim, mensibus quatuor, diebus duodecim. Fuit temporibus Neronis a Consulatu Saturnini et Scipionis usque Capitone et Rufo.* Erravit sane auctor hujus Catalogi, quod martyrium S. Petri in primum refert annum Neronis (54). Id vero inde provenit, uti jam Bucherius advertit, quod Romanum Petri episcopatum supputet inde ab ascensione Christi Domini; quumque XXV annis hunc episcopatum durasse exploratum haberet, consequenter mortem primo Neronis

Catal. Liberianus.

[1]) Apud Bucherium, *de doctrina temporum* p. 269. Dicitur Catalogus hic etiam Bucherianus, quia Bucher eum primum publicavit.

[2]) Antiquis testimoniis constat, Christum Dominum passum esse duobus Geminis Coss., videlicet C. Fusio Gemino et L. Rubellio Gemino Coss., anno aerae vulgaris 29. Diem autem mortualem Christi D. reapse fuisse censemus diem XV Kal. April, seu d. 16. Martii. Cfr. Patritii, In Evang. Vol. II. p. 536 sqq.

anno assignat. Sed vel ex ipso hoc errore colliges, sententiam de XXV annis Episcopatus Romani S. Petri plane communem fuisse.

Alii Catalogi. 44. Testantur idem Catalogus RR. Pontificum alter, qui dicitur Felicis IV, quia in hunc Pontificem desinit, anno aer. v. 530 circiter conscriptus, ubi pariter XXV anni Petri episcopatui tribuuntur, reliquaeque Pontificum quae exstant series. — Catalogis vero accedunt Patres, a saeculo IV eadem consensione idem referentes. Jam vidimus ea quae habet in suo Chronico Eusebius et ex ipso Hieronymus, qui etiam de Vir. ill. c. c. idem repetit. Porro etiamsi supponeres, in Chronico illud XXV annorum esse adjectum ab Hieronymo, tamen, uti advertimus, quum Eusebius iter Romanum Petri primis annis Claudii evenisse censeat, mortem vero XIV anno Neronis adscribat, spatium XXV annorum colligitur. Prosper, Cassiodorus, Isidorus Hispalensis, Beda pariter in Chronicis vel libris suis historicis diserte statuunt, XXV annis S. Petrum Sedem Romanam tenuisse. Ex Patribus vero priorum saeculorum nullus contrarium docet[1]; quod vero in operibus suis haud positive referant S. Petri episcopatum fuisse XXV annorum, non est mirum. Scopus enim illorum Patrum et Scriptorum qui tribus prioribus saeculis successionem RR. Pontificum recensuerunt, uti fecerunt Irenaeus, Tertullianus, auctor carminis adv. Marcionitas, et Caius presbyter, erat dogmaticus et polemicus, videlicet ut *ex ordine successionis apostolicitatem doctrinae probarent.* Ad hoc vero non intererat scire, quot annis singuli Pontifices Romani sederint.

Patres.

45. Caeterum haud dubium est, monumentis sive Catalogis saeculo IV et VI confectis subfuisse antiquiora documenta. Sicuti enim ex sequioribus temporibus id constat, ita etiam jure praesumimus, prioribus saeculis successiones et series Episcoporum et documenta quae eo spectabant in ecclesiarum archiviis conservata fuisse, eo vel magis, quod ista semper magni haberentur momenti.

---

[1]) De Lactantio inferius agemus.

Imo positiva indicia gravia habemus de his anterioribus documentis. Imprimis exstat fragmentum Chronographi cujusdam anonymi, qui scripsit saec. III, tempore Alexandri Severi. Inter alia in *Indiculo* qui superest ex aliquo Catalogo ejusdem deperdito, haec leguntur: *Nomina Episcoporum Romae et quis quot annis praefuit.* Jam ex hoc constaret, saeculo III seriem fuisse confectam Romanae successionis, annis Sedis Pontifici unicuique adscriptis. Verba porro illa, quae citavimus, omnino congruunt cum inscriptione Catalogi Liberiani superius relata, ac praeterea eruditorum judicio in hoc Catalogo indicia sunt, ex quibus apparet, eum fuisse veluti compactum ex aliis prioribus; pluresque supponunt, Catalogum Liberianum usque ad Pontiani pontificatum desumptum esse ex illo anteriori Catalogo saeculi III, quem censent Hippolytum virum eruditissimum composuisse[1]). — Caeterum certum quoque est, jam saeculo secundo Hegesippum Romae successionem Romanorum Pontificum usque ad Anicetum confecisse. Inter excerpta enim ex Hegesippo quae Eusebius nobis servavit, habentur etiam illa: *Γενόμενος δὲ ἐν Ῥώμῃ διαδοχὴν ἐποιησάμεν μέχρις Ἀνικήτου*, i. e. *Romae quum essem successionem confeci usque ad Anicetum*[2]*), cujus tum diaconus erat Eleutherius. Post obitum deinde Aniceti successit* (*διαδέχεται*) *Soter, post quem Eleutherius.* Nescimus tamen, utrum annos uniuscujusque ipse notaverit; probabile id videtur propterea, quia Hegesippus minus scopo polemico ac dogmatico, quam ut historicus istam *successionem* confecit. Caeterum ipse, quum ideo Romam venisset, certe Catalogum suum ex certa traditione,

---

[1]) Cfr. Lipsius Chronologie der römischen Bischöfe S. 40 ff. — Sanguinetti l. c. p. 184.

[2]) Euseb. H. E. IV. 22. — Valde mirum est, quod Valesius et etiam alii, ut Christophorson Anglus, vertunt, *mansi ibi apud Anicetum.* In ipso contextu enim immediate iterum verbum *διαδέχειν* bis occurrit, et pro indole sua etiam ab illis anctoribus *succedere* vertitur. Praeterea satis colligitur ex enarratione Hegesippi, eum usque ad Eleutherii pontificatum Romae mansisse. Optime id animadvertit S. Hieronymus. *De viris ill.* sub nomine Hegesippo scribens: *Asserit se venisse sub Aniceto Romam, et perseverasse usque ad Eleutherium ejusdem urbis episcopum, qui Aniceti quondam diaconus fuerat.*

imo ex antiquioribus Ecclesiae Romanae monumentis studuit concinnare. Atque ita vides, Catalogos RR. Pontificum inde a saeculo IV, quibus Petro episcopatus XXV annorum adscribitur, cum temporibus Apostolorum conjungi.

Adventus et mors.

46. Haec sententia de XXV annis episcopatus Romani B. Petri omnino confirmatur iis quae de *tempore quo Petrus Romam advenit,* ac de *tempore mortis* antiqui referunt. Testantur videlicet, anno II Claudii, seu a. 42 S. Petrum Romam venisse, et a. 67 martyrium subiisse. — Ad tempus adventus quod spectat, jam vidimus ea quae in Chronico Eusebii habentur, et quomodo id quod dicitur in Hieronymi paraphrasi, anno II Claudii S. Petrum Romam profectum esse, optime componatur cum versione Armena. Vidimus quoque, in Historia eccles. pariter Eusebium iter Petri Romanum adscribere tempori Claudii, et quidem primis annis, quum referat Philonem Romae cum Petro convenisse. S. Hieronymi verba etiam retulimus. — Orosius Hist. l. VII. c. 6 ait: *Claudius ab Augusto quartus regnum adeptus est . . . . Exordio regni ejus Petrus Apostolus Domini N. J. C. Romam venit, et salutarem cunctis credentibus fidem fideli verbo docuit, potentissimisque virtutibus approbavit. Atque exinde Christiani Romae esse coeperunt.* Orosius vero diu apud S. Augustinum in Africa vixit, Hieronymum in Palaestina invisit, et dein in Hispaniam reversus circiter a. 416 Historiam suam conscripsit. Consentiunt cum his auctoribus historicis Isidorus Hispalensis et Beda. — S. Leo vero sub Claudio Petrum Romam venisse clare indicat in Sermone I. de SS. Apostolis Petro et Paulo illis verbis, quibus S. Petrum alloquitur: *Nec mundi dominam times Romam, qui in Caiphae domo expaveras sacerdotis ancillam. Numquid aut judicio Pilati aut saevitia Judaeorum minor erat vel in Claudio potestas vel in Nerone crudelitas?*

47. Cum his vero optime concordant alia quaedam indicia. Praetermittenda imprimis non est antiqua traditio, dispersionem Apostolorum et profectionem in universum mundum post duodecim annos inde a Christi ascensione accidisse. Eusebius eam refert ex auctoritate Apollonii

martyris (saec. II) his verbis: *Ad haec tanquam ex veterum traditione* (ὡς ἐκ παραδόσεως) *refert* (Apollonius) *Dominum Apostolis suis praecepisse, ne intra duodecim annos Hierosolymis excederent.*[1] Paulo accuratius eamdem traditionem ex Itinerario Petri Clemens Alexandrinus (Strom. l. VI. §. 6) ita refert, ut ei fidem se habuisse ostendat: *Dicit Petrus, Dominum Apostolis dixisse: Post duodecim annos egredimini in mundum, ne quis dicat: non audivimus.* Quum vero ascensio Domini incidat in a. 29, vides versus a. 42 illos duodecim annos praecise elapsos esse. Etiam conversionem Cornelii et visionem Petri, qua ipsi significabatur tempus instare admissionis gentilium ad Christianismum, colligitur ab eruditis ex Actibus App. versus a. 40 accidisse.

48. Nemo porro antiquorum tradidit, Petrum Romam venisse antequam ab Herode Agrippa tempore Paschatis in vincula conjiceretur; sed iter Romanum post haec supponitur factum fuisse. Jamvero ista incarceratio Petri incidit in a. 42. Ex Josepho enim colligitur, aliquot mensibus postquam Claudius pervenit ad regnum (21 Jan. 41) Herodem Agrippam ab ipso totius Palaestinae regem constitutum in Judaeam venisse; id usque ad Pascha a. 41 fieri non potuit. Unde veluti per se perducimur ad a. 42, ut supponamus post liberationem ex carcere S. Petrum Romam profectum esse; eoque referri possunt verba S. Lucae Act. 12, 17: *Καὶ ἐξελθὼν ἐπορεύθη εἰς ἕτερον τόπον.* Mors Herodis, quam S. Lucas dein narrat, accidit, uti ex Josepho colligitur, auctumno a. 43. Sed huic anno non potest convenienter adscribi iter S. Petri Romanum. Etenim secundum antiquorum auctorum relationem, videlicet Eusebii in Chronico et Hieronymi, S. Marcus adhuc ante mortem Herodis a. III Claudii jam missus est Roma Alexandriam, postquam Romae jam scripserat Evangelium. In Eusebii Chronico habetur ad a. III Claudii: *Marcus Evangelista interpres Petri Aegypto et Alexandriae Christum annuntiat.* Hieronymus vero Catal. Script. sub nomine

---

[1]) H. E. l. V. c. 18.

Marcus dicit: *Assumpto itaque Evangelio quod ipse confecerat perrexit Aegyptum.* Et S. Epiphanius idem refert iis verbis, quibus innuit continuo post scriptum evangelium S. Marcum in Aegyptum missum esse. *Marco,* scribit, *qui Romae S. Petri comes fuerat, scribendi Evangelii provincia demandatur, quo scripto mittitur a S. Petro in regionem Aegyptiorum* (καὶ γράψας ἀποστέλλεται)[1]. Itaque si S. Petrus nonnisi a. 43 Romam venisset, ejus iter, fundatio Ecclesiae Romanae et scriptio evangelii per Marcum, dein hujus missio et adventus in Aegyptum paucis illis mensibus a Paschate usque ad auctumnum a. 43 fieri debuissent. Sed intervallum hoc manifeste pro his rebus gestis nimis exiguum est, adeoque iterum adducimur ad a. 42 pro itinere B. Petri ejusque adventu in urbem.

49. Jam *de anno martyrii S. Petri* quaedam dicamus. SS. Apostolos Petrum et Paulum eodem die martyrium subiisse, et quidem die 29 Junii, antiquissima monumenta testantur. Ita e. g. in Catalogo Liberiano dicitur de Petro: *Passus est cum Paulo die III. kal. Julias.* Martyrium non potest adscribi anno 68; etenim omnes conveniunt, sub Nerone Apostolos mortem subiisse, Nero autem ante medium Junium a. 68 occisus est. Porro sunt qui cum Prospero mortem Petri assignant anno Neronis XIII; alii, ut Eusebius, Hieronymus, Cassiodorus, eam adsignant anno Neronis XIV, vel anno Neronis ultimo, uti Beda et iterum S. Hieronymus. Sed istae sententiae optime conveniunt in annum 67. Etenim annus aerae vulg. 67 fuit Neronis XIII, si numeras ab ejus ingressu d. 13 Octobr. a. 54; fuit XIV, si pro more recepto computantur anni Imperii ex kalendis Januarii antecedentis; fuit etiam ultimus tum ex eo quod a nece Petri usque ad interitum Neronis annus integer non superfuit, tum ex eo quod annus 68 jam est Galbae annus I. Sic merito mors S. Petri anno 67 tribuitur, atque inter ejus adventum in Urbem ac mortem episcopatus XXV anni cum aliquot mensibus computantur.

---

[1]) Haer. 51. n. 6.

50. Iste annus etiam optime computatur secundum narrationem auctoris operis *De excidio Hierosolymarum* (L. III. c. 1), quod inter opera S. Ambrosii exstat. Ex hac enim narratione patet, Neronem in Achaia fuisse, quando jussit occidi Apostolos. Mandatum dedit eos necandi, *cum Judaeorum bello afflictam validam manum Romanorum cognovisset.* Clades haec accidit die 8 Novembris a. 66 (V. Jos. De bello Jud. l. III. c. 10), et illum nuntium accepit Nero in Achaia. Eo concesserat mediante hoc anno 66, et ibi mansit usque ad auctumnum a. 67. Itaque Petrus martyrium non subiit ante auctumnum a. 66, nec post mortem Neronis seu medium Junium a. 68, adeoque quum constet diem martyrii fuisse d. 29 Junii, non alius annus nisi 67 superest cui martyrium adscribi possit.

51. Consideremus modo quae contra episcopatum Romanum XXV annorum B. Petro adscriptum objiciuntur ab iis, qui caeteroquin S. Petrum Romam venisse admittant. Praecipue quidam antiquorum scriptorum textus citantur, quibus significari videtur, S. Petrum nonnisi tempore Neronis Romam venisse. Ex Origene urgetur locus ab Eusebio (H. E. l. III. c. 1) relatus ex tomo III expositionum in Genesim. *Petrus per Pontum, Galatiam, Bithyniam, Cappadociam atque Asiam Judaeis qui in dispersione erant praedicasse existimatur. Qui ad extremum* (ἐπὶ τέλει) *Romam veniens cruci suffixus est.* — Generatim animadvertimus imprimis, dum XXV anni Episcopatus Romani B. Petro assignantur, prae oculis habendum esse, quod jam observavit Baronius, *non tamen quod semper Romae permanserit, quippe qui universi gregis cura adstrictus, ut omnibus prospiceret, officiis et consiliis non deerat. Sic vides, Petrum his temporibus nunquam fere eodem loco consistere, sed ut opus esse videret, peragrare provincias, invisere ecclesias et pastorali sollicitudine exequi*[1]*).* Ad textum Origenis igitur respondemus, ex ejus verbis nullatenus sequi, negari ab ipso priorem adventum Petri. Summatim ibi ab Origene perstringuntur quae ab Apostolis gesta sunt, praedicatio nempe ab iis facta et in quibus regio-

Objectiones.

[1]) Annal. ad a. 39.

nibus; tum de Petro et Paulo etiam locus quo obierunt innuitur. Quum vero dicit ὃς καὶ ἐπὶ τέλει ἐν Ῥώμῃ γενόμενος, non asserit, tunc primum Apostolum Romam venisse, sed *post ea quae prius dicta sunt eum Romae versantem* martyrium subiisse. Sic saltem nihil certi ex Origene statui potest.

52. Facilius etiam componitur cum vulgari sententia locus S. Petri Alexandrini: *Petrus Apostolorum primus saepe comprehensus et custodiae traditus ignominiaque affectus postremo Romae crucifixus est.*[1]) Scopus S. Petri Alex. est, ut moneat fideles, martyrium quidem cum gaudio suscipiendum, sed non ultro quaerendum esse; atque exemplis prolatis eos docet. Hinc in textu allato de tempore quo primum B. Petrus Romam venerit, nullo modo agitur, sed tantum edicitur, post multa alia pro Christo tolerata *postremo* eum Romae mortem subiisse.

Lactantius. 53. Difficultatem sane majorem praebet ille locus Lactantii, quo maxime Herbst insistit, ut vindicet suam sententiam qua tenet, B. Petrum sub Nerone Romam venisse, ibique ante martyrium ad summum per annum et aliquot menses substitisse. Scribit igitur Lactantius de mort. persec. L. I. c. 2: *Extremis temporibus Tiberii Caesaris, ut scriptum legimus, Dominus noster Jesus Christus a Judaeis cruciatus est post diem decimum Kalendarum Aprilis, duobus Geminis consulibus; cum resurrexisset die tertio congregavit discipulos quos metus comprehensionis ejus in fugam verterat; et diebus quadraginta cum his commoratus aperuit corda eorum et scripturas interpretatus est, quae usque ad id tempus obscurae et involutae fuerunt* (al. fuerant), *ordinavitque eos et instruxit ad praedicationem dogmatis ac doctrinae suae, disponens testamenti novi solemnem disciplinam. Quo officio repleto circumvolvit eum procella nubis, et subtractum oculis hominum rapuit in coelum. Et inde discipuli qui tunc erant undecim, assumptis in locum Judae proditoris Matthia et Paulo, dispersi sunt per omnem terram ad evangelium praedicandum, sicut illis magister Dominus*

[1]) Serm. de poenit. can. IX. ap. Harduin Coll. Conc. I. col. 230.

imperaverat; et per annos XXV usque ad principium Neroniani imperii per omnes provincias et civitates Ecclesiae fundamenta miserunt. Quumque jam Nero imperaret Petrus Romam advenit, et editis quibusdam miraculis, quae virtute ipsius Dei data sibi ab eo potestate faciebat, convertit multos ad justitiam, Deoque templum fidele ac stabile collocarit. Qua re ad Neronem delata, cum animadverteret, non modo Romae, sed ubique quotidie magnam multitudinem deficere a cultu idolorum, et ad religionem novam damnata vetustate transire, ut erat execrabilis ac nocens tyrannus, prosilivit ad excidendum coeleste templum delendamque justitiam, et primus omnium persecutus Dei servos, Petrum cruci affixit et Paulum interfecit.

54. Iste est igitur Lactantii textus, ob quem Protestantes conclamant actum esse de assertione pontificiorum, annis XXV B. Petrum Romae sedisse, catholici vero plures etiam hanc sententiam teneri non posse existimarunt. Sed si quis censet, revera hunc Lactantii textum conciliari non posse cum communi sententia de episcopatu Romano XXV annorum, potius dicendum esset, Lactantium quoad chronologiam res minus accurate referre. Etenim argumenta quae attulimus, non eliduntur a Lactantio, si spectas ex una parte testium gravitatem et numerum, ex altera auctoritatem Lactantii. Stant enim pro sententia nostra testes plerique atque gravissimi, uti Eusebius, Hieronymus, Orosius, Prosper, Catalogi vetustissimi. Lactantius vero *unus,* profecto nec relative nec absolute est tantae auctoritatis, ut propter ipsius dicta reliquos deserere debeamus. Lactantius homo laicus erat, qui, uti constat, in rebus ad Ecclesiam pertinentibus non unum solum errorem admisit, nec ipse accurati historici, sed eloquentis apologetae agit personam. Illi vero testes viri ecclesiastici sunt gravissimi, in rebus Ecclesiae iisque historicis apprime versati.

55. De iis quae minus accurate dicta in hoc ipso textu Lactantii occurrunt, optime Sanguinetti: „Quaerimus *primo,* utrum accurate sit dictum ac in eo servetur ratio temporis, quando dicitur: ‚apostoli qui tunc erant undecim

assumptis in locum proditoris Judae Matthia et Paulo dispersi sunt etc.', dum plane alia ratio, diversum tempus utriusque assumendi fuerit. Quaerimus *secundo,* si verba ad Petrum spectantia pertineant ad primum ejus in urbem adventum, utrum sit accurate dictum, ‚per annos XXV usque ad principium Neroniani imperii per omnes provincias et civitates Ecclesiae fundamenta miserunt', dum sequeretur, intra spatium horum XXV annorum, inter has civitates et provincias *omnes,* unam Romanam urbem recensendam non esse, et utrum hoc verisimile censeri possit. Quodsi dicatur, iis verbis non excludi, ut alius Romam venerit ibique Ecclesiam prius Petro constituerit, praeterquam quod id manifestissimae veritati adversatur universae traditionis suffragio communitae, jam sequitur verba illa Lactantii: Cumque tum Nero imperaret etc., ex sese non significare primam Ecclesiae Romanae constitutionem, et corruit princeps adversariorum argumentum. Si enim verba haec Lactantii alterius adventum priorem Petro non excludunt, cur alium Petri praecedentem adventum excludant? Quaerimus *tertio,* utrum accuratum sit, Pauli martyrium abrupte commemorare, cum tamen de Paulo in immediato contextu ne verbum quidem interseratur, et plane de ejus in urbem adventu Lactantius conticescat." [1])

56. Itaque si quis existimet Lactantium opinatum fuisse, non nisi sub Nerone B. Petrum Romam venisse, ejus opinionem reponimus posthabendam esse positivis testimoniis gravissimorum auctorum. Caeterum textus Lactantii per se horum sententiae non refragatur. Id patebit, si scopus et contextus hujus auctoris prae oculis habentur. Scopus Lactantii fuit de mortibus persecutorum disserere, non vero accuratam et chronologicam texere relationem eorum, quae Apostoli fecerunt. Hinc ut de christianorum prima per Neronem persecutione et morte ipsius agere incipiat, aliqua praemittit, quibus *obiter* et *summarie* tangit ea quae ante Neronem acciderunt, videlicet praedicationem Evangelii per apostolos. Rem consideranti patet, haec constituere introductionem quandam

[1]) Sanguinetti P. III. c. IV.

viri eloquentis, qui festinanter properat ad scopum suum. Quod vero per XXV illos annos ante Neronem S. Petrus Romam haud venerit, id Lactantius nullatenus indicat; quae eo tempore acciderunt, ipse generali tantum modo tangit. Adventum Petri in urbem Romanam sub Nerone commemorat, ut modo rhetoris lectorem jam concinna et eleganti ratione sistat in loco ac urbe, in qua ulteriora quae fusius narrat acciderunt. Sed ex commemorato hoc adventu nullatenus inferri potest, cum Lactantii narratione non posse componi, ante Neronem B. Petrum jam semel iterumve Romae fuisse.

III.

Facti vindiciae.

57. Adversarii protestantes et increduli, ut B. Petri Romanum iter et episcopatum ad fabulas relegent, provocant ad *silentium S. Scripturae* ista de re, imo quosdam ex S. Litteris *textus allegant,* quos facto huic *contradicere* contendunt. Dein vero *variis modis explicare conantur,* unde ejusmodi opinio de Petri episcopatu Romano *ortum* habuerit. De hac oppugnatione igitur restat ut agamus, quo Dissertatio nostra omni ex parte sit absoluta. Silentium S. Script.

58. Primum de objectionibus quae ex Scripturis petuntur dicamus. Ut vero tricas quasdam adversariorum praeoccupemus, haec praemittimus advertenda. 1° Quando factum aliquod historicum solidis argumentis ex testificatione, quae est proprius historiae fons, probatum est, ejus veritas ac certitudo nullatenus convellitur eo, quod quaedam in ista re obscuriora minusque nota manent. 2° Iterum prae oculis habendum est, distingui *factum* et *chronologiam* facti. Ad facti indolem servandam sufficit per se, quod Petrus per aliquod etiamsi breve tempus ante mortem Romae fuerit, ibique Episcopatum usque ad vitae finem gesserit, uti contendit cl. Herbst. Hanc autem sententiam objectiones fere omnes, quae ex Scripturis petuntur, ne minimum quidem tangunt. Attamen nos etiam B. Petri episcopatum Romanum XXV annorum contra impugnationem vindicabimus. 3° Adversariis, si sapiunt, fatendum

est, silentium Scripturae *aliqua difficultatis specie* de duplici tantum libro Novi Testamenti urgeri posse, videlicet de Actibus Apostolorum ac de Epistola S. Pauli ad Romanos. Ex reliquis enim S. Pauli vel aliorum Apostolorum epistolis, illa *silentii* objectio nonnisi omnino inepte fieri posset. Quodsi unus vel alter textus *positivus* ex iis profertur, rem examinare non recusamus.

59. His praemissis jam argumentationem adversariorum examinemus. Contendunt igitur, „scopum auctoris Actuum Apostolorum illum fuisse, ut propagationem Christianismi describeret inde ab Hierosolymis Romam usque. Relationem autem concludi cum captivitate biennali Pauli Romana, atque finem hujus captivitatis incidere in initium persecutionis Neronis. Nihilominus Lucam ne minimam quidem B. Petri mentionem facere, quod certe fecisset, si Romae ipse Petrus fuisset. — Pariter explicari non posse, quod Paulus nec in epistola ad Romanos, nec in epistolis Romae scriptis, nec amice nec polemice, Petri mentionem faciat, si Petrus Romae Episcopus fuerit.“ [1]) Ad haec jam respondeamus.

Actus Apost. 60. Quod ad scopum Actuum Apostolorum attinet, scopus immediatus certe est *historicus*, ut fundatio Ecclesiae inter Judaeos, Samaritanos et gentiles enarretur. Hic tamen scopus immediatus medium est ad finem elenchticum et mediatum, eumque praecipuum, demonstrationis scilicet divinae originis christianae religionis et Ecclesiae. Jam inde vides, haud quaerendam esse in Actibus narrationem omnium eventuum, vel completam enumerationem chronologicam eorum, quae singuli Apostoli fecerunt. — Ut autem oeconomia libri plenius intelligatur, prae oculis habendum est, S. Lucam comitem fuisse B. Pauli, quo hortante etiam inde ab a. 48 *in gratiam gentilium* Evangelium scripsit. Doctrinae caput quod S. Paulus frequenter et data opera inculcat in epistolis suis, est de gentium vocatione ad fidem, ut illae, non observatis caere-

---

[1]) Lipsius, Chronologie der Röm. Bischöfe bis zur Mitte des 4. Jahrhunderts. Kiel. 1869. S. 168 ff. — Reseconto p. 100. — Cfr. etiam Arthur Darby M. A. etc., St. Peter never at Rome, 2 ed. ch. 1.

moniis legis, Judaeis in religione christiana omnino aequentur, neque hi prae illis potiora jura sibi vindicare possint. Hanc porro doctrinam non modo Judaei execrabantur, sed etiam inter christianos judaizantes haud defuerunt, qui Paulo adversarentur ejusque auctoritatem tollere auderent, adeo ut Apostolus plus semel apologiis etiam vehementioribus opus habuerit. Hujusmodi vero homines ex ipsis vinculis Pauli occasionem captare poterant, ut fideles ab Apostolo ejusque doctrina avertere tentarent. Unde per se exspectandum omnino est, in historia rerum gestarum scripta a fidissimo comite et discipulo Luca, dum Paulus in vinculis teneretur, *auctoritatem Apostoli ejusque doctrinam suscipi defendendam.* Et sane id Lucam instituere ex lectione libri deprehenditur. Ea enim facta, quae demonstrant gentilium vocationem ad fidem, vel quae cum hac vocatione cohaerent, quae miram planeque divinam S. Pauli ad apostolatum vocationem illustrant, quae denique ejusdem apostoli in vincula conjecti non modo innocentiam sed etiam gloriam et triumphum, Judaeorum vero obstinatam impietatem declarant, haec facta, inquam, in Actibus fusius, diligentius et praedilectione quadam tractari videmus. — Quum igitur Lucas tum qua discipulus et comes B. Pauli, tum propter rationem expositam, peculiari modo gesta S. Pauli in conversione gentilium describere suscepisset, mirum nullatenus est, quod gesta S. Petri non prosequatur. Advertendum etiam est, fidelibus Romanis, in quorum gratiam directe Actus Apostolorum conscripsit, gesta S. Petri inde ab ejus adventu in urbem Romam satis nota fuisse.

61. Sicuti ex silentio Actuum, ita etiam ex silentio epistolarum S. Pauli nullum argumentum cudi potest, S. Petrum haud gessisse episcopatum Romanum. Existimamus quidem, epistolam ad Romanos scriptam esse ex Achaia a. 53, eoque tempore probabiliter S. Petrum Romae haud fuisse, quum Claudius anno 9 imperii sui Judaeos Roma expulisset atque S. Petrus nondum rediisset. Sed etiam si S. Petrus Romae erat tempore quo S. Paulus epistolam ad Romanos scribebat, ex silentio Pauli de S. Petro nihil inferri potest. Numquid enim *debuit* loqui de S. Petro?

Epistolae S. Pauli.

At, inquiunt, debuit ipsi inscribere epistolam, vel saltem eum salutare. Reponimus, etiam epistolas S. Pauli ad alias ecclesias haud inscribi eorum episcopis Paulo probe notis, nec ipsos in salutationibus obvenire. Epistolae ipsae deferebantur ab iis, per quos S. Paulus eas mittebat illis, qui ecclesiis praeerant episcopis, et per suos nuntios Apostolus profecto ad episcopum transmittebat tum salutationem suam, tum alia quae ipsi communicanda erant. Epistola ad Romanos delata est Romam per Phoeben (Rom. 16. 1). Colligitur autem ex ipsis verbis Apostoli, eam fuisse diaconissam ecclesiae Corinthiorum, ac feminam non contemnendae auctoritatis in patria sua, quae propter negotia Romam proficiscebatur. Quid magis rei naturae conveniens, quam talem feminam, si S. Petrus Romae erat, primum eum convenisse, S. Pauli epistolam tradidisse, ac de Apostolo quaecumque Petri intererat scire ei detulisse, ita ut salutatio vel commemoratio Petri in epistola plane superflua esset.

62. Cur S. Paulus in epistolis Romae tempore primae et secundae captivitatis scriptis, (ad Philemonem, Colossenses, Ephesios, Philippenses. Hebraeos, Timotheum I et II), S. Petri mentionem haud faciat, nos quidem accuratam non possumus reddere rationem; sed id a nobis efflagitare profecto ineptum est. Adversarii nullatenus demonstrare possunt, Apostolum *debuisse* de S. Petro loqui; silentii vero potuerunt esse variae rationes. Potuit aliquando S. Petrus Roma abesse; potuit de ipso ut principe Apostolorum et Pontifice summo mandata peculiaria habere nuntius, qui Pauli epistolas deferebat, et de rebus Romanis accuratius fideles ad quos mittebatur edocebat; potuit etiam, ut quidam existimarunt, ex prudentia quadam identidem nomen Petri in illis litteris vitari; demum ut inter salutantes promiscue Petrus nominaretur cum discipulis Apostolorum ipsis inferioribus, parum convenisse videtur.

Effata positiva.

63. *Positiva quaedam effata* congesserunt etiam adversarii, contendentes, ex iis colligi Petrum Romae haud fuisse. Huc pertinent illa S. Pauli verba, quibus Philipp. 2, 21 Apostolus queritur de Romanis, *omnes quaerere quae sua sunt.* Id sane, inquiunt, non dixisset, si Petrus Ro-

manum gessisset episcopatum. Sed nubecula haec evanescit plane, si contextum attendis. Paulus loquitur in contextu de iis, qui coram ipso erant, ei ministrabant et in negotio religionis christianae propagandae assistebant. Ex his, inquit, se velle mittere Timotheum, eo quod alium non habeat, qui adeo de ipsis sollicitus sit. Tunc addit cum quadam reprehensione, quae tamen non nimis urgenda est, verba illa citata. En totus contextus: *Spero autem in Domino Jesu, Timotheum me cito mittere ad vos, ut et ego bono animo sim, cognitis quae circa vos sunt. Neminem enim habeo tam unanimem, qui sincera affectione pro vobis sollicitus sit. Omnes enim quae sua sunt quaerunt, non quae sunt Jesu Christi. Experimentum autem ejus cognoscite* (γινώσκετε), *quia sicut patri filius mecum servivit in Evangelio.* Quid haec ad B. Petrum? Numquid inter eos accensendus erat, quos Paulus Philippos mittere potuisset?[1])

64. Neque aliquid extundi potest ex verbis II Tim. 4, 16: *In prima mea defensione nemo mihi affuit, sed omnes me dereliquerunt: non illis imputetur.* Petrus ipse persecutione illa afflictabatur; certe de ipso nullo modo hic agitur. Sed agitur de aliis potentioribus, qui ipsi coram judicibus ut testes Paulo prodesse potuissent, at metu deterriti haud pro viribus ei aderant. Huc pertinet verbum *συμπαραγίγνομαι* (adesse), quod verbum technicum est in re judiciaria. *Adesse dicuntur amici aut advocati in foro periclitantibus,* (Donat. ad Terent.)

65. Superest textus Act. Apost. 28,22, ubi Judaeorum primi Romae a Paulo convocati dicunt quoad religionem Christianam: *Rogamus autem a te audire quae sentis: nam de secta hac notum est nobis, quia ubique ei contradicitur.* — Si Petrus, inquiunt adversarii, Romae fuisset atque ibidem ecclesiam fundasset, sane primis Judaeis non ita ignota fuisset christiana religio, uti ex illis colligitur verbis, quibus Paulum rogant, ut de eadem ipsis loquatur. Ita nuperrime Sciarelli et Ribetti[2]); sed etiam cl. Herbst

---

[1]) V. Sanguinetti p. 137.

[2]) Reseconto, pp. 20, 110.

ex his verbis probare nititur, ante adventum Pauli (quem octavo Neronis anno adscribit), Petrum Romae nondum fuisse. — Ad haec imprimis respondetur exceptione validissima, quae ex epistola S. Pauli ad Romanos petitur. Ex hac enim epistola manifestum est, jam (a. 53) ante adventum Pauli in urbem, ibidem florentissimam fuisse ecclesiam Christianorum. Quemadmodum autem per se rerum naturae maxime conveniens erat, ut post suam dispersionem Apostoli mox fidem Romam afferrent, ita ex traditionis testificatione amplissima constat, a S. Petro id jam Claudii anno secundo factum esse. Ex epistola Pauli certe colligitur, Judaeis fidem in Christum jam praedicatam, et non paucos ex Judaeis conversos fuisse.

66. Ulterius ad objectionem propositam reponimus verbis Fogginii[1]), qui praeter alia advertit: „Ea ratione illos (Judaeos) esse locutos, ut ostendant Evangelium nunquam alias accepisse, haud equidem video, sed potius Pauli, quem virum doctissimum putabant de eo sententiam audire velle videntur. — Quid, nonne et aliqua in eis dissimulatio esse potuit, aut si mavis quaedam cupido enucleatius a Paulo intelligendi, quae ad christianam doctrinam spectabant, cum jam et nonnulla ex fama accepissent, et fortassis etiam ex litteris, quas Paulus ad Romanos miserat? *Nomen Apostostoli qui et doctrina, et miraculis, et pro Christo toleratis laboribus, hinc usque ad sidera notus erat, nonne illos incendere desiderio potuerat loquentem diligentius audiendi?*"

67. Potuerunt etiam esse rationes peculiares Romae, propter quas primoribus Judaeorum doctrinae et res Christianorum minus perspectae essent. Forte christiani ex Judaismo conversi adhuc in pluribus Judaicam legem observabant, nec eorum separatio a Judaeis plane publica et aperta erat. Advertendum dein est ad id, quod Dio Cassius habet de Claudio Imp. Hist. l. LX c. 6: *Quum Judaei adeo frequentes Romae iterum fierent, ut difficulter sine tumultu propter multitudinem urbe possent exigi, non*

---

[1]) Exercitat VIII. — Vide etiam cl. Beelen, versio Flandr. in h. l.

ejecit quidem eos, patriis tamen legibus vitam agentes non passus est convenire. Itaque antequam edicto, Claudii anno 9, Judaei Roma expellerentur, videntur jam conventus publici illis interdicti fuisse. Etiam inde facilius fieri potuit, ut tota ratio vitae christianorum praepositis Judaeorum minus nota esset, si separatio Christianorum a Judaeis non erat omnino completa. Conventus vero Christianorum privati erant in aedibus privatis, uti ex epistola quoque S. Pauli ad Romanos satis colligitur.[1])

68. Provocant adversarii etiam ad 1 Petri 5. 13: *Salutat vos ecclesia, quae est in Babylonia collecta* etc.; ex quibus inferunt, B. Petrum in Babylone fuisse; alii quidem in Babylone Aegypti, alii in Babylone Chaldaeae vel in provincia Babylonia contendunt; ibi invenisse eum inter Judaeos laborum amplissimum campum, Romam vero nunquam venisse. Traditionem autem de Romano Petri episcopatu ex interpretatione falsa quorumdam provenisse, qui inepte metaphoram supposuerint. — Respondemus ad haec: 1° Etiamsi B. Petrus Babylone fuisset, et inde dedisset epistolam, inde nihil inferri posset contra ejus episcopatum Romanum, quum per se commoratio aliqua Babylone facta optime cum illo episcopatu concilietur. — 2° Sed uti nulla plane sunt vestigia traditionis in alterutra Babylone B. Petrum fuisse, scripsisse epistolam, vel episcopatum gessisse, ita id inde jam improbabile est, quod utraque Babylon eo tempore exigui fuerit momenti civitas[2]). Ex adversariis ipsis alii probant, B. Petrum non fuisse Babylone in Aegypto pro Babylone Chaldaeae certantes, alii contrarium ostendere nituntur. — 3° Nomine Babylonis in epistola S. Petri Romam significari, antiqui interpretes consona voce, uti vidimus, tradiderunt. Hic valet profecto, quod Tertullianus alia de re loquens in haereticos objicit: *Ex ipso ordine manifestatur id esse dominicum et verum, quod sit prius traditum, id autem extra-*

Babyloniae nomen.

---

[1]) Cfr. Stenglein, Tüb. Quartals. a. 1840.

[2]) Quaestionem hanc fusius prosequi longum esset, sed invenis eam optime tractatam ap. Foggini l. c. Exercit. X.

neum et falsum, quod sit posterius immissum.[1]) 4° Dum clamant, metaphoram non convenire cum epistola simplici et naturali stylo scripta, fucum faciunt, id ad verbum unicum applicantes, quod forte quoad periodos ampliores utcumque dici posset. Ecquis est, qui incongruum reputet aliquid allegoricum in epistolis scribere, ut etiam profani scriptores, Cicero, Plinius, aliique in suis litteris non dubitarunt. Nominum autem mutationem in Apostolorum litteris haud inusitatam esse, S. Pauli exemplum confirmat, qui II Tim. c. 4 ait: *et liberatus sum ex ore leonis,* quo nomine Neronem designat, ejus crudelitatem respiciens. Caeterum Roma gentilis illius temporis a S. Petro ad Judaeos scribente optime potuit exprimi per nomen Babylonis, quum ista civitas Babylonis Judaeis sedes praecipua et symbolum luxuriae, aliorumque criminum esset. Impietati vero effrenatae et idolorum cultui certe illa Imperatorum aetate maxime addicta erat Roma, quae *omnium gentium serviebat erroribus, et magnam sibi videbatur assumpsisse religionem, quia nullam respuebat falsitatem.*[2]) Similitudinis capita varia etiam recenset Orosius, a quo utrique urbi dantur *similis ortus, similis potentia, similis magnitudo, similia tempora, similia bona, similia mala.*[3]) Facile quoque conjicere poteris rationes peculiares, propter quas prudentia utens S. Petrus noluit expresse *Romam* nominare. Erroris vero pro iis quibus scribebat nullum erat periculum, quum Silvanus, qui epistolam deferebat, de S. Petro ac de Romanis oretenus loqui posset. — 5° Operae pretium est iterum animadvertere, etiam in Liturgia et in Officio Syrorum et Chaldaeorum identidem commemorari Petri episcopatum Romanum ejusque martyrium Romae factum. Ita e. g. in Liturg. Chald. in Festo SS. Petri et Pauli Noct. II: *Fratres ornemus nosmetipsos actionibus laudabilibus et eximiis, in commemorationem horum Apostolorum et Doctorum, qui doctrina sua mundum illuminarunt; Petri*

---

[1]) De Praescript. c. 31.

[2]) S. Leo, Serm. 1 de BB. App. Petro et Pauli.

[3]) Hist. l. II. c. 2.

Principis electi Apostolorum, qui administrationem suam Romae absolvit.[1]) Nullum vero vestigium vel in Patribus Syris et Chaldaeis, vel in Liturgia occurrit, quod Petrus Babylone fuerit.

69. Quae relate ad traditionem adversarii objiciunt expositione nostra jam praeoccupata sunt; convenit tamen ut indolem impugnationis eorum paucis tangamus. Plures igitur hac in quaestione sequuntur Spanhemium, qui rem ita componit. Statuit imprimis, reliquos posteriorum aetatum Patres Scriptoresque ecclesiasticos fide priorum scribere, Papiae, Dionysii Corinthii, Clementis Alexandrini, Origenis, Irenaei, Tertulliani. Porro hos inter Tertullianum, Irenaeum, Originem deceptos fuisse a Papia et Clemente Alexandrino, qui omnium primi illius traditionis auctores exstiterint. Quin et in unum Papiam rem totam refundi, quem constet hominem fuisse mira simplicitate et credulitate notissimum; quod pluribus congestis veterum testimoniis Spanhemius probare praetendit. Traditionis vero ipsius originem ex eo esse repetendam, quod Papias, et post eum Clemens Alexandrinus, nomine Babylonis I Petri 5, 13 Romam significari scripserint; tum quod in scriptis apocryphis commentitium Petri cum Simone Mago Romae habitum certamen referatur. Hinc Patres saeculi IV et sequentium decepti sunt a Patribus saeculi III et II, hi a Clemente Alex. et Papia, Clemens vero et Papias errarunt vel inscitia vel credulitate; et en origo magnae illius traditionis.

Traditio ex adversariis.

70. Responsio colligitur ex dictis. Imprimis illud quod dicitur, Patres saeculi IV secutos esse superiorum aetatum scriptores, duplici potest sensu usurpari. Videlicet vel, haud interpellata testimoniorum serie factum illud historicum quavis aetate comprobari; et hoc sane verissime dicitur. Vel eos solum caeca credulitate prioribus adhaesisse, nullaque propria adhibita inquisitione illud quod ab illis receperant retulisse; et hoc falsum omnino est, et

[1]) Cfr. The tradition of the Syriac Church of Antioch etc., by the most Rev. Cyril Behnam Benni, Syriac Archbishop of Mossul (Nineveh). London 1871.

doctissimis illis aeque ac sanctissimis Patribus injuriosum — Falsum pariter et ineptum est, quod dicunt de Patribus saeculi III et II. Ridicule revera affirmatur, hos omnes a Clemente Alex. et a Papia deceptos fuisse. Ea enim attulimus testimonia Dionysii Corinthii, Origenis, Tertulliani, Irenaei, e quibus patet, rem ipsis certissimam fuisse, non vero solum ex Papiae et Clementis auctoritate receptam. Ista testimonia plane praescindunt ab interpretatione vocis Babyloniae in epistola S. Petri. Sane quum Tertullianus inter ecclesias apostolicas Romanam commemorat, quum Irenaeus contra haereticos disputans successionem enarrat Pontificum Romanorum usque ad tempora sua, ecclesiam Romanam dicit gloriosissimam ab Apostolis Petro et Paulo fundatam, ejusque principalitatem extollit, quum Dionysius Corinthius diserte Petrum Romae praedicasse ibique martyrium fecisse refert, num haec unice dicunt eo, quod Papias et Clemens Alexandrinus Babyloniam in epistola S. Petri interpretatus fuerit Romam?

Simon Magus. 71. Quod ad *Simonis Magi* historiam attinet animadvertimus, 1⁰ ex testimoniis allatis veritatem de S. Petri episcopatu Romano omnino sibi constare, quidquid existimetur de adventu Simonis in urbem Romanam. Attamen, Simonem Romae fuisse eique B. Petrum restitisse, a pluribus scriptoribus antiquis ita refertur, ut hac de re prudenter dubitare non possimus. Dum id narrant, ut certissimum factum supponunt vel referunt S. Petri commorationem Romae factam; litem vero cum Simone ut aliquod adjunctum. — 2⁰ Controverti potest de aliquot circumstantiis quae quoad Simonem narrantur, e. g. de erecta ipsi statua, de volatu ejus et morte; sed haec non attingunt substantiam rei.

72. Pauca juvabit adjungere de Simonis historia, ut ejus notitia paulo amplior habeatur. De ipso scribit Justinus Apol. I. c. 26: *Post Christi in coelum ascensum daemones immisere homines quosdam, qui se deos esse dicerent: quos non modo non insectati estis, sed etiam auxistis honoribus. Simonem quemdam Samaritanum e vico Gittum dicto, qui sub Claudio Caesare cum magica miracula daemonum*

in eo operantium arte in regia vestra urbe Romae edidisset, Deus existimatus est, et a vobis tanquam Deus statua honoratus; quae statua erecta est in insula Tiberina erint duos pontes, habens hanc Romanam inscriptionem: Simoni Deo sancto. Hunc Samaritani paene omnes, et ex aliis gentibus nonnulli, primum Deum esse confitentur, eumque adorant: ac Helenam quamdam, quae eum hoc tempore ubique assectata est, cum antea in lupanari prostitisset, primam ejus notionem (ἔννοιαν) dictitant. Menandrum etiam quemdam pariter Samaritanum, e vico Caparetaea, ac Simonis discipulum, daemonum quoque operatione fretum multis, cum Antiochiae versaretur, arte magica illusisse scimus. Iterum c. 56: *Rursus ut jam demonstravimus* (daemones) *alios immiserunt, Simonem et Menandrum Samaritanos, qui magicis miraculis editis multos deceperunt, atque etiamnum deceptos tenent. Nam quum apud vos in regia urbe, ut jam dixi, imperante Claudio Caesare, Simon versaretur, et sacrum senatum et populum Romanum ita admiratione perculsit, ut deus existimaretur et statua velut alii qui a vobis coluntur dii donaretur.* — S. Irenaeus de Simone loquitur fusius contra Haereses l. I. c. 23, et inter alia haec habet: *Et quum adhuc magis non credidisset Deo, et cupidus intendit contendere adversus Apostolos, uti et ipse gloriosus videretur esse, et universam magicam adhuc amplius scrutans, ita ut in stuporem cogeret multos hominum: quippe cum esset sub Claudio Imperatore, a quo etiam statua honoratus esse dicitur propter magicam.* Dein de Helena circumducta et de doctrinis Simonis plura narrat. — Etiam Tertullianus, forte ex Justino: *Simonem magum,* inquit Apologet. XIII *statua, et inscriptione sancti Dei inaugurastis.* Eusebius vero H. E. l. II. c. 13 ex Justino et Irenaeo Simonis gesta et doctrinas describit; ac dein a B. Petro ipsum repressum esse enarrat. Id a Justino et Irenaeo non desumpsit. Cum Eusebio consentit Auctor Philosophoumenon L. VI. c. 20.

73. Accidit autem, ut a. 1574, sedente Gregorio XIII, in insula illa Tiberina ruderibus effoderetur lapis, statuae olim basis, in quo haec legebatur inscriptio: *Semoni Sanco Deo Fidio Sacrum Sex. Pompeius. Sp. F. Col. Mus-*

sianus. Quinquennalis. Decur. Bidentalis. Donum Dedit. Fuit etiam in Quirinali reperta alia inscriptio quam refert Baronius (ad a. XLIV n. 54) eidem Semoni Sanco dicata: *Sango Sancto Semon Deo Fidio Sacrum.* — Erat videlicet Semon Sancus numen Sabinorum, eique statuae et inscriptiones Romae dicatae erant. Post inventas igitur illas inscriptiones plures critici, plerique protestantes, sed etiam catholici, uti cl. Herbst, contenderunt, commorationem Simonis magi Romae factam nullo argumento niti. Justinum deceptum fuisse viso illo monumento, quod perperam retulerit ad Simonem Magum; reliquos vero scriptores Justinum unice secutos esse.

74. Sed non pauci eruditi Justini narrationem etiam quoad statuam Simoni erectam, haud infirmari existimant propter inventas illas inscriptiones. Aliam fuisse videlicet illam statuam, censent, de qua Justinus loquitur, nec testi tam gravi fidem denegandam esse, eo vel magis, quod de Simonis statuis etiam S. Augustinus et Theodoretus ita loquantur, ut videantur non ex solo Justino notitiam hausisse. S. Augustinus Haeres. 1 dicit: *Imagines et suam et ejusdem meretricis* (Helenae) *discipulis suis praebebat adorandas, quas et Romae tanquam deorum simulacra auctoritate publica constituerat. In qua urbe apostolus Petrus eum vera virtute Dei omnipotentis exstinxit.* Theodoretus autem refert, statuam illam aeneam fuisse. — Advertunt praeterea eruditi, basim inventam tam exiguae magnitudinis esse, ut vix aut ne vix quidem pertinere possit ad eam statuam, de qua Justinus loquitur. Nec verisimile esse, virum in mythologia Romanorum et in rebus suae gentis Samaritanae probe versatum, deceptum fuisse errore, quo aliis se ridendum praebuisset.

75. Praeterea vero, (quod bene evolvit Stenglein), etiamsi quoad statuam illam S. Justinus confusione quadam errasset, nullatenus inde sequitur, Simonem Romae omnino non fuisse. Imo supposita et non concessa illa Justini confusione, hujus origo inde repetenda esset, quod *quum compertum haberet* Simonem Magum Romae fuisse, ad eum referret inscriptionem istam. Quod ex sola illa

inscriptione Simonis commorationem imaginatione conceperit, ineptum est supponere; inepta etiam ea suppositio, Simonis asseclas Romae adhuc degentes Justino eam opinionem imposuisse propter conspectam statuam. Justinus ipse satis declarat, aliunde ipsi certum esse Simonis in urbem adventum, quum etiam *tempus Claudii* determinet. Etiam S. Irenaeus factum, scilicet Simonem Romae fuisse, narrat ut rem indubiam, statuam vero, ait, ipsi *dici* erectam fuisse. Jam per se valde probabile est, Simonem, quum in Samaria minus proficeret, iter suum direxisse in eam urbem, quo juxta Tacitum (Ann. XIII. 15) *cuncta undique atrocia aut pudenda confluunt celebranturque.* Quod Petrus ipsi Romae restiterit, non ex Justino scimus, sed Eusebius id profecto ex fontibus hausit certis, quum sine haesitatione rem enarret. Ei vero, uti vidimus, consonat Auctor Philosophoumenon.

76. De *morte Simonis* Magi hic Auctor Philosophoumenon, antiquior caeteris qui de eadem loquuntur et eis saltem specie non plane concors, scribit: *Hic tandem veniens in* . . . . (ἐν τ . . . . . τε, deest vox in Codice) *sub platano sedens docebat. Et quum in eo esset, ut redargueretur ob devexam aetatem, dixit, se tertia die resurrecturum, si tumulo conderetur. Et cum foveam jussisset discipulos effodere, ibidem ut eum sepelirent praecepit. Illi vero mandata executi sunt, ipse autem ibidem mansit usque ad hunc diem, neque enim erat Christus.*[1]) Sed Patres ac scriptores, posteriores quidem at graves, referunt de Simonis volatu ac morte violenta[2]) ita peremptorie, ut difficile sit haec facta ex integro fabulis librorum apocryphorum adscribere. Scribit e. g. Arnobius: *Viderant enim* (Romani) *currum Simonis magi, et quadrigas igneas Petri ore difflatas et nominato Christo evanuisse. Viderant, inquam, fidentem diis* Simonis mors.

---

[1]) Philosoph. L. VI. c. 20.

[2]) Hi sunt praeter Arnobium qui scripsit saec. III. exeunte (adv. Gent. l. II. n. 7.), Epiphan. Haer. XXI. n. 5; Cyrillus Hieros. Catech. VI. n. 5; Philastrius Brix. Haer. XXIX; Sulpitius Severus, Hist. sacr. L. II. c. 28; Maximus Taurinensis, hom. V in nat. SS. App. Petri et Pauli; Theodoret. Haeret. fab. L. I. c. 1. — V. Sanguinetti l. c. p. 101.

falsis, et ab iis metuentibus proditum pondere prcecipitatum suo, cruribus jacuisse perfractis, post deinde perlatum Brundam, cruciatibus et pudore defessum ex altissimi culminis se rursum praecipitasse fastigio. Quae omnia vos gesta neque scitis, neque scire voluistis, neque unquam vobis necessaria judicastis. — Satis singulare est, quod in vita Neronis c. XII Suetonius scribit: *Exhibuit et naumachiam marina aqua, innantibus belluis: item pyrrhichas quasdam e numero epheborum, quibus post editam operam diplomata civitatis Romanae singulis obtulit . . . . Icarus primo statim conatu juxta cubiculum ejus decidit, ipsumque cruore respersit.* Hanc de novo Icaro notam, sunt qui ad Simonis volatum referunt; alii vero plane abnuunt haec duo facta connectere, et quae de Simonis volatu tradita sunt ad fabulas relegant. Sapienter ista de re nobis videtur scribere Tillemont: *Il y en a aujourd'hui qui veulent contester non seulement ces dernières particularités moins autorisées, mais généralement tout ce qui se dit de la chute de Simon, non qu'ils allèguent rien de positif pour la combattre, mais parceque cela vient, disent-ils, originairement des apocryphes, ou pour d'autres raisons qui sont encore moins considérables. Mais quand il serait vrai que cette histoire serait une fiction, nous aimerions mieux, tant qu'on n'aura point de preuve claire et convaincante de sa fausseté, nous tromper en ce point avec Arnobe, S. Cyrille de Jérusalem, les légats du Pape Libère, S. Ambroise, S. Augustin, S. Isidore de Péluse, Théodoret et plusieurs autres, que d'être obligés d'accuser d'une crédulité indiscrète un grand nombre des plus illustres et des plus graves maîtres de l'Eglise latine et grecque, sans autre raison sinon qu'il n'est pas absolument certain qu'ils disent vrai.*[1]) — Valde probabile videtur ob testimonia allata quae antiquam traditionem manifestant, Simonem coram Nerone dum ope magiae mira exsequi vellet, orante S. Petro confusum fuisse tristemque gloriae et membrorum fecisse jacturam. Quodsi forte ea occasione haud interiit, etiam ea quae apud Auctorem Philosophoumenon habentur

[1]) Hist. eccl. T. I. S. Pierre. Art. XXXIV.

cum hoc facto conciliari possunt. — Haec de Simone mago sufficiant. Satis claret, ea quae de ipso narrantur non esse fundamentum testificationis antiquorum de episcopatu Romano B. Petri, sed in ista narratione potius ut factum exploratum et certissimum jam supponi, BB. Apostolos Petrum et Paulum Romae Evangelium praedicasse.

77. Adversarii plures dum Petri Romanum iter et episcopatum rejiciunt, etiam id identidem repetunt, *fraude et ambitione Cleri Romani* rumorem et famam de Petri episcopatu Romano magis magisque propagata fuisse, donec tandem haec persuasio Christianorum animos universim occupaverit. Ita Velenus, Spanhemius eorumque asseclae, ac nuperrime Ribetti in Disputatione Romana[1]). Nihil sane magis impium est atque impudens, quam Clerum Romanum priorum saeculorum, qui omnium virtutum genere fulgebat, ita incriminari ne minimo quidem producto argumento. Nihil tam regulis criticae magis contrarium, quam absurda ejusmodi suppositio, fraude et ambitione Cleri talem persuasionem propagari et invalescere potuisse. Accusatio in Cler. Rom.

78. Paulo alia ratione Baur cum schola Tubingensi res disponere nisus est, ejusque somnia nostris diebus Lipsius iterum adoptavit[2]). Juxta Baur religio christiana ex commixtione coaluit *traditionum Judaicarum*, quas Petrus tuebatur (Petrinismus), et *mysticae philosophiae* quam sectabatur Paulus (Paulinismus). Ex harum tendentiarum connubio saeculo II prodierunt Evangelia, nominatim secundum Lucam et Joannem, et epistolae Petri et Pauli, quae omnia opus sunt auctorum anonymorum. Quae de Petro et Paulo referuntur, mythi sunt variis ex tendentiis orti. Sic illa fabula de Petri episcopatu Romano, orta est ex tendentia Petrinismi apud Christianos Romanos judaizantes, qui hoc modo Christianis ex gentilismo qui Paulum celebrabant (Paulinismus), gloriam sui Petri opponere poterant. Ex tendentia quadam media conciliante (Petri- Baur et Lipsius.

---

[1]) Reseconto, p. 39, 46.

[2]) Chronologie der römischen Bischöfe bis zur Mitte des IV. Jahrhunderts von R. A. Lipsius, Kiel 1869.

paulina) provenit legenda de communi praedicatione Petri et Pauli in urbe Roma, et haec legenda radix est illius traditionis, quae saeculo II apud Dionysium et Irenaeum invenitur. — Lipsius rem ulterius illustrat. Initio, inquit, dignitas episcopalis haud existebat, ne in ipsa quidem ecclesia Romana. Postea praefecti collegii presbyterorum reliquis presbyteris se magis magisque praeferre hosque reprimere nisi sunt, et ita ortus est episcopatus monarchicus. Tunc tendentia invaluit muneri episcopali majorem conciliare auctoritatem adeoque usque ad Apostolos episcopatum reducere. Sic Hegesippus et Irenaeus *jam inveniebant quamdam traditionem* etiam de primis episcopis post Apostolos; fuerunt illi videlicet viri historici, haud quidem episcopi, sed in collegio presbyterorum praecellentes. Reductio autem successionis usque ad Petrum debetur conamini alicujus chronistae versus finem saeculi II, idemque XXV annos episcopatus Petri invenit. Completa est tota legenda per duos mythos. Alter est de lucta inter Simonem magum, (sub quo latet Paulus), regnante Claudio; alter vero de martyrio simultaneo Petri et Pauli[1]).

79. Haec somnia rationalistarum singillatim discutere ad nostras partes non pertinet[2]). Directe haec refutantur, quum authentia Librorum N. T. vindicatur, indirecte eadem concidunt inde, quod veritatem ex testificatione Patrum solide probavimus. Id unum liceat advertere, quantopere sibi opponatur haec classis adversariorum, et altera eorum, qui Velenum et Spanhemium sequuntur. Ita Lipsius saeculo II scriptionem (suppositae) epistolae primae S. Petri tribuens: „Babylon, inquit, in qua degit Apostolus scribens, non nisi Roma intelligi potest“[3]), et Act. Apost. 19. 21; 23. 11 jam alludi, dicit, ad commorationem Romanam Petri et Pauli, seu contineri elementa tendentiae Petri-

[1]) Lipsius l. c. p. 145, 162. — V. Stimmen aus Maria Laach, Juni 1872.

[2]) Systema hoc fusius expositum et refutatum vide ap. De Smedt. l. c. Dissert. I. Art. III; et ap. Hagemann, Die Römische Kirche etc. §. 30. (Freiburg ap. Herder a. 1864.)

[3]) L. c. p. 130.

paulinae. — Admittit (l. c. S. 163 nota), scriptores saeculi secundi Caium, Dionysium Corinthi episcopum, Tertullianum, Origenem jam agnoscere, Petrum et Paulum Romae moratos fuisse atque ibidem sub Nerone martyrium subiisse. Sed piae fabulae superius commemoratae et ab his scriptoribus receptae, illam eorum sententiam tribuit. Quum vero Lipsius, vir caeterum hypercriticus, illorum auctorum dicta obvio et genuino sensu sincere admittat, alii illi adversarii eorum scriptorum dicta mirum in modum torquent, et arbitrariis cavillationibus quae clara sunt turbare nituntur.[1]) — Ex dictis autem vides, ea quae contra episcopatum Romanum S. Petri objiciuntur vim nullatenus habere, neque ob solida quaedam argumenta ab incredulis et protestantibus factum illud repudiari. Sed praejudiciis, odio in Ecclesiam, impietate abrepti, veritati adversarii refragantur, et etiam hac in re illud valet, quod alia in causa Apostolus dicit: *Obscuratum est insipiens cor eorum, et dicentes se esse sapientes, stulti facti sunt.*

Appendix.

Notiones quaedam chronologicae.

80. Dissertationem quidem nostram de episcopatu Romano B. Petri, Principis Apostolorum, jam concludere licet. Sed quum ex discussione instituta manifestum sit, ad notitiam eorum quae in primordiis christianismi acciderunt, et ad defensionem uberiorem contra impugnatores exhibendam, valde utile esse, chronologicum rerum et eventuum ordinem saltem aliquatenus cognoscere, quasdam notiones prae caeteris necessarias hic subnectimus. Chronologia.

81. *Epochae atque aerae,* quae in historia ecclesiastica commemorantur, variae sunt, tum quoad formam, tum quoad

---

[1]) Cfr. e. g. ea quae habet Darby, St. Peter never at Romae, ch. VII. VIII. IX. — Hic auctor Petri epistolas Babylone ad Euphratem scriptas esse inde etiam comprobat, quod Apostolus ordine geographico nominet Pontum, provinciam Babyloniae proximiorem, Galatiam, Cappadociam, Asiam et Bithyniam. L. c. ch. V. e. — Argumentum ejusmodi verum valorem non habere, per se patet. Praeterea vero, qui accuratius illarum provinciarum situm considerat, illum ordinem geographicum servatum non inveniet.

Periodus Juliana.

initia. Nemo autem computationes facile peraget, nisi aliqua epocha sit, quacum caeteras comparare queat, et ad quam omnes reliquae revocari possint. Hujusmodi est *Periodus Juliana,* utpote quae constat annis Julianis (vulgaribus), quibus ipsa tempora distinguimus et dimetimur, simulque *omnia chronicorum omnium, quae quidem ex Latinorum calculis instituta sunt antecedit initia, adeoque quamlibet discrepantes mundi epochae suum in illa periodo situm obtinent.*[1]) Est autem Periodus Juliana orbis 7980 annorum Julianorum, qui conficitur ex multiplicatis inter se cyclis *solis, lunae,* atque *indictionis,* numeris videlicet 29, 19 et 15. Ut haec periodus certos fixosque terminos habeat, fixa certaque sint oportet illorum trium cyclorum initia; nam in his constituendis Graeci Latinique inter se discrepant. *Josephus Scaliger,* qui hanc periodum ordinavit, (quamvis non primum invenerit), eam exegit ad Latinorum ratiocinia, quibus efficitur, primum Periodi annum, quo videlicet tres cycli simul inceperunt, hoc est cui assignantur cyclus solis I, cyclus lunae I, cyclus indictionis I, illum esse, *qui aeram vulgarem anteit annis 4713,* ita ut tunc fuerit annus primus Periodi Julianae.

Aera mundi.

82. De *aera mundi* seu *Adami* difficillima est quaestio; bibliorum enim exemplaria maxime inter se discrepant. Caeterum quatuor praecipue mundi aerae feruntur, *Judaica, Antiochena* vel lunaris, *Aethiopica* vel orientalis, *Alexandrina* seu *Constantinopolitana* vel paschalis. Judaica est quam colligimus ex ipsis bibliis Hebraicis, eaque secundum Petavium initium capit a verno anni Per. Jul. 731, ejusque anno 3983 (mundi) incepit primus annus aerae vulgaris, seu annus Chr. I, qui est annus Per. Jul. 4714. Secundum aeram Antioch. Christus natus est a. mundi 5494; secundum Aethiop. a. mundi 5501; secundum Constantinop. a. mundi 5509.

Aera Abrahami.

83. *Aera Abrahami* est annorum Julianorum numerus ductus ab ejus ortu, ita ut horum annorum primus sit ille quo Abraham natus putatur. Hac aera Eusebius omnium

---

[1]) Petav. Rationar. temp. P. II. L. 1. c. 4.

primus est usus, eaque annos sui Canonis designavit. Incipit autem annus more Aegyptiorum cum mense Toth, quod initium respondet IV (III) kal. Septembr., et primus annus Abrahae est, qui incepit IV kal. Sept. anni Per. Jul. 2697. Ut reducantur anni aerae Abrahami in Eusebii chronico ad annos aerae Christianae, ea regula viget, ut ab anno quodam aerae Abrahami subtrahatur numerus 2016. Ostendit tamen Gutschmidt, hanc computationem valere tantum pro annis Abr. 2017—2209; scilicet usque ad initium imperii Pertinacis. Exinde usque ad Chronici finem a. Abr. 2210—2243, ab anno quodam aerae Abrahae subtrahendus est numerus 2018, ut annus aerae christianae habeatur.[1])

84. *Olympias,* qua Graeci tempora dimetiebantur, spatium erat quatuor annorum, intervalli scilicet inter ludos qui Olympiae in Elide celebrabantur ineunte aestate. Ludi Olympici, a quibus prima petitur Olympiadum origo, illi fuere, quibus Coroebus vicit, anno Per. Jul. 3938. — *Urbs Roma condita* est secundum Varronem anno III Olympiadis XXIV, i. e. anno Per. Jul. 3961; et quidem a. d. XI kal. Maii, quo die palilia agebantur. Olympias.

85. *Aera Dionysiana,* quae *vulgaris* dici solet, ea est quam nunc omnes politiore cultu gentes sequuntur. Hanc Dionysius Exiguus, a quo ea nomen habet, excogitavit, ediditque anno hujus ipsius aerae 526, P. J. 5239. Ejus exordium ducit ab Incarnatione Domini, quam factam putavit 25 Martii anni U. C. 754, ita ut Nativitas D. N. J. C. esset d. 25 Decembris illius anni 754. Atque iste annus U. C. 754, (P. J. 4714), est annus Irae vuae l-garis. — Sed inter eruditos jam omnino convenit, Dionysium in assignando anno natalis Domini erravisse. Sane Herodes, qui caedem Bethlehemiticam perfecit adeoque Christo nascente regnabat, jam a. P. J. 4710, seu a. U. C. 750, circa mensem Aprilem mortuus est, uti ex Josepho aliisque scriptoribus colligitur. Itaque ante hunc annum Aera Dionysii.

---

[1]) **Lipsius, Chronologie der röm. Bischöfe S. 6. — Haec advertimus in commodum eorum qui Eusebii Chronico uti vellent.**

Christus Dominus natus est; solidamque censemus sententiam eorum qui statuunt, annum natalem Domini esse annum P. J. 4707, et U. C. 747, die 25 Dec. Ita revera Christus Kal. Jan. a. I aerae vulg., (U. C. 454, P. J. 4714), jam absolverat sextum vitae annum ac septimum ingrediebatur.[1])

Annus mortis Christi.

86. Ad *annum mortis Christi* quod attinet, communis et constans trium priorum saeculorum sententia fuit, passionem ac mortem Domini adscribendam esse *anno imperii Tiberii XV*, L. Rubellio Gemino, C. Fufio Gemino Coss., qui annus est aerae vulgaris 29, U. C. 782, P. J. 4742. Multis tamen hac in re difficultas fuit, quod B. Lucas dicat, *anno XV Tiberii Caesaris* Joannem Baptistam legatione sua fungi coepisse; adeoque postea de anno Christi emortuali sententiae variarunt. Sed optime ab eruditis jam res componitur, dum animadvertunt, B. Lucam annos imperii Tiberii numerare non ab ingressu in regnum post mortem Augusti (a. 14 aerae vulg.), sed ab eo anno quo Tiberio a Senatu eadem cum Augusto in provincias potestas facta est. Id vero accidit anno U. C. 764, ita ut hic annus pro provinciis primus esset Imperii Tiberii Caesaris. Unde ille XV annus Lucae incipit Judaeis anno U. C. 778 a neomenia Tizri (Octobris), et sic plane sibi constat sententia, Dominum passum esse anno U. C. 782, aerae vulgaris 29. Dies autem mortis, secundum computationem cl. Patritii, est dies 16 mensis Martii Gregoriani (d. 18 Martii Julian.), seu XV ante kal. Aprilis.[2])

Patet proinde, dum facta, quae post mortem Christi et initio nascentis Ecclesiae acciderunt, computamus, cavendum esse, ne vulgatam opinionem prae oculis habeamus, Christum passum esse anno aerae vulgaris 33, quum ipse triginta tres annos haberet. Imo habebat Dominus triginta quatuor annos et aliquot menses, quum anno salutis 29 mortem subiret.

---

[1]) V. Patritii Dissert. in Evang. Diss. XX. De Christo anno natali. — Ita etiam censet Em. Hergenröther, K. G. B. I. S. 59.

[2]) V. Patritium l. c. Diss. LI et LII.

87. Ut vero accuratius chronologia eventuum determinetur, tempus figendum est alicujus facti, quod sit instar *cardinis totius chronologiae.* Seligendum autem est aliquod factum, cujus personae agentes et adjuncta etiam ab aliis historicis commemorantur. Ejusmodi porro eventus, sunt *vincula S. Pauli Hierosolymis* uti Act. 21, 27 narrantur, ac tempus quo Apostolus in vincula conjectus est accurate determinari potest. Incidit scilicet *in festum Pentecostes anni aerae vulg. 53.* — Comprehensio S. Pauli *non* potest statui *ante* hunc annum. Etenim quando eadem accidit, *Drusilla,* Agrippae majoris filia, minoris soror, *jam uxor erat Felicis* procuratoris Judaeae.[1]) Sed eam duxit Felix nonnisi post completum annum XII Claudii, secundum computationem Josephi, i. e. post auctumnum anni 52 aerae vulg., quemadmodum ex Josephi narratione Antiquit. L. XX. c. VII. nn. 1, 2 perspicue colligitur[2]). Hinc certe non prius quam a. 53 Paulus in vincula conjectus est. Sed etiam *non posterius* id factum est; seu vincula Pauli non possunt referri ad a. 54. Etenim certum est, Paulum fuisse comprehensum, *quum Ananias pontificatu fungeretur.*[3]) Sed hic quidem pontificatum adhuc habere potuit a. 53; at tempore Pentecostes a. 54 jam ipse non erat Pontifex, sed successor ejus (secundus) Ismaël. Id perspicue colligitur ex Josepho qui narrat, sub Claudio Imp. Vincula S. Petri.

[1]) „Post aliquot autem dies veniens Felix cum Drusilla uxore sua quae erat Judaea, vocavit Paulum et audivit ab eo fidem quae est in Christum Jesum.“ Act. 24, 24.

[2]) Scribit Josephus: „Claudius deinde misit Felicem Pallantis fratrem, ut rebus in Judaea praeesset; atque imperii sui *anno duodecimo completo,* Agrippam donavit Philippi tetrarchia et Batanea, eique in auctarium dedit Trachonitidem una cum Abila . . . Agrippa autem istis muneribus auctus, Azizo Emesorum regi cum circumcidi annuisset, Drusillam sororem in matrimonium collocavit . . . Non multo autem post connubium Drusillae Azizique dissolutum est, hujusmodi de causa. Felix, quo tempore procurator erat Judaeae, cum forte Drusillam conspexisset, . . . mulieris desiderio tenebatur; et ex amicis Judaeum nomine Simonem . . . ad eam mittens suadere nitebatur, ut relicto marito ei nuberet . . . Atque illa haud recte faciens, .. ut contra patria instituta ageret et Felici nuberet, se persuaderi sinit.“ Fl. Jos. Ant. l. c. editio Havercamp., Amstelodami 1726.

[3]) Cfr. Act. 23, 2 sqq. „Princeps autem sacerdotum Ananias praecepit astantibus sibi percutere os ejus etc.“

et Ismaële Pontifice Pascha esse celebratum.[1]) Jam vero unicum Pascha, quod post a. 53 adhuc sub Claudio est celebratum, est Pascha anni 54, quum mense Octobri hujus anni Claudius periret. Itaque Ismaël successor Ananiae tempore Paschatis a. 54 jam pontificatum gerebat, adeoque comprehensio Pauli haud referri potest ad festum Pentecostes a. 54. — Idem ex eo luculenter colligitur, quod Felix, cui Nero a. 54 administrationem Judaeae confirmavit (Jos. Antiq. De bello L. II. c. XIII. n. 2), Romam rediit, *quum adhuc Pallas ejus frater apud Neronem maxime in honore esset* (Jos. Antiq. l. XX. c. VIII n. 9). Sed excidit Pallas ex gratia Neronis paulo ante Saturnalia, i. e. ante mensem decembrem a. 55 (Taciti Annal. l. XIII. nn. 14, 15). Hinc ante illum terminum Felix jam Romam redierat, non quidem a. 54, quum Nero ultimis hujus anni mensibus ei administrationem confirmasset, sed currente a. 55. Dicitur autem Act. 24. 27, *expleto biennio* post Pauli comprehensionem Felicem e Palaestina discessisse. Ergo Pauli comprehensio incidit in a. 53.

88. Quamvis plerique pluribus annis post a. 53 vincula Pauli accidisse censeant, tamen hanc sententiam quam cl. Patritius (De Evang. l. I. c. III. n. 23) vindicat, habeo ut *certam*. Dicit diserte Tacitus Annal. l. XIII. n. 14 ad a. U. C. 809 (55 p. C.) *Et Nero infensus iis quibus superbia mulieris* (Agrippinae) *innitebatur, demovet Pallantem cura rerum* etc. Josephus autem Antiquit. l. XX. C. VIII. n. 9 scribit: *Portio autem Festo qui Felici succederet a Nerone misso, primores Judaeorum Caesaream incolentium Romam ascendunt, et accusationem contra Felicem instituunt: dedissetque omnino poenas injuriarum, quibus Judaeos affe-*

---

[1]) „Paulo ante bellum cum Romanis gestum, *Claudio apud illos principatum tenente et Ismaële apud nos pontificatum*, cum fames adeo regione mnostram urgeret, ut assaron frumenti quatuor drachmis veniret, et allati essent farinae in *festivitatem Azymorum* cori septuaginta, nemo tamen sacerdotum famelicorum ausus est vel micam unam comedere, cum tanta terram premeret annonae egestas, prae legum reverentia et metu irae, qua Dei numen peccata etiam occulta solet prosequi.“ Antiquit. l. III. c. XV. n. 3.

cerat, nisi Nero fratris Pallantis, qui tum maxime apud illum in honore erat, precibus supplicibus multa indulsisset. — Haec igitur currente anno 55 acciderunt. — Convenit etiam Wieseler, *terminum ad quem* adventus Pauli in Urbem hoc textu Josephi apprime determinari, videlicet inde colligi, Felicem Romam venisse, quum Pallas Neronis favore polleret, ac paulo post Paulum eo venisse. Sed ipse dein tantum advertit, Pallantem anno 62 (Tac. Annal. XIV. 65) veneno periisse, adeoque saltem tempore verno anni 63 Paulum Romam venisse. Sed non animadvertit vir eruditus, jam anno 55 ex Tacito Pallantem Neronis favore excidisse, adeoque secundum ipsius criterium constare, Felicem ante finem anni 55 Romam rediisse.[1])

89. Hoc tempore comprehensionis S. Pauli determinato, definiri possunt alii quidam eventus, atque imprimis tempus *Concilii Apostolorum Hierosolymis habiti.* Ex historia Actuum colligitur, illud Concilium non serius posse collocari, quam anno 47°. Post Concilium usque ad comprehensionem suam Paulus commoratus est Corinthi per annum et dimidium (Act. 18, 11); Ephesi per menses 27 continuos (Act. 19, 8. 10); per tres menses iterum in Graecia (Act. 20, 3), ex quibus conficiuntur quatuor anni. His si addas tempus impensum post Concilium Antiochiae (Act. 15, 35), et variis itineribus variisque in civitatibus, uti Act. capp. 15, 40; 20, 1.2 narratur, facile apparet, his omnibus minus quam annum cum dimidio sufficere non posse, adeoque Concilium habitum esse saltem *quinque annis cum dimidio ante Pentecosten anni 53;* ita ut ad annum 47 perveniatur. — Ex altera parte, ex epistola ad Galatas c. 1 colligitur, quot annis post conversionem S. Pauli Concilium celebratum fuerit. Iter Pauli et Barnabae ad Concilium[2]), est manifeste idem cum eo, quod commemorat ipse Paulus Galatis scribens cap. 2°. Utroque enim loco eadem est

Concilium Apostolorum.

[1]) Cfr. Wieseler Chronologie des apost. Zeitalter S. 12.

[2]) „Et quidem descendentes de Judaea docebant fratres: Quia nisi circumcidamini secundum morem Moysi, non potestis salvari. Facta ergo seditione non minima Paulo et Barnabae adversus illos, statuerunt, ut ascenderent Paulus et Barnabas et quidam alii ex aliis ad Apostolos et presbyteros in Jerusalem, super hac quaestione“. (Act. 15. 1—2).

causa, idem scopus itineris, conferendi scilicet cum Apostolis evangelium quod praedicabat Paulus in gentibus, ac nominatim statuendi immunitatem gentilium a caeremoniis legis veteris, idem utroque loco controversiae exitus. Jam vero quot annis post conversionem suam Paulus illud iter fecerit, clare indicat in epistola ad Galatas. Diversa ibi tempora distinguit, quibus ab Apostolis se eruditum non fuisse monstrat; ad distinctionem vero temporum adhibet particulam *deinde* (ἔπειτα), quae per se indicat ordinem temporis subsequentis. *Cum autem,* scribit, *placuit ei, qui me segregavit ex utero matris meae, et vocavit per gratiam suam, ut revelaret Filium suum in me ut evangelizarem illum in gentibus: continuo non acquievi carni et sanguini, neque veni Jerosolymam ad antecessores meos Apostolos: sed abii in Arabiam, et iterum reversus sum Damascum. Deinde* (ἔπειτα) *post annos tres veni Jerosolymam videre Petrum, et mansi apud eum diebus quindecim . . . Deinde veni in partes Syriae et Ciliciae . . . Deinde post annos quatuordecim iterum ascendi Jerosolymam cum Barnaba, assumpto et Tito. Ascendi autem secundum revelationem: et contuli cum illis Evangelium, quod praedico in gentibus, seorsum autem iis qui videbantur aliquid esse: ne forte in vacuum currerem aut cucurrissem* etc. Gal. 1. 15 sqq. — Apostolus hic manifeste nos docet, inter conversionem suam et secundum iter Hierosolymitanum (ad Concilium) interfuisse 17 annos, ac verissima est S. Hieronymi interpretatio, qui in Commentario ad h. l. jam animadvertit, post annos 17 a sua conversione Apostolum Hierosolymam venisse.

90. Hoc posito, Concilium Apostolorum, cui post annum 47 nullo modo locum esse superius vidimus, neque ante hunc annum celebratum esse censeri potest. Id patebit, si *terminum conversionis S. Pauli* colligimus. S. Lucas primis capitibus Actuum Apost. compendio enarrat quae usque ad conversionem Pauli acciderunt, uti fundationem ecclesiae Hierosolymis et conversationem sanctam illorum fidelium, fundationem ecclesiae Samaritanae, electionem diaconorum, virtutes et martyrium S. Stephani, subsequentem persecutionem per Saulum, de qua ipse S. Paulus

variis locis ita loquitur, ut colligatur eam pluribus mensibus continuatam esse. Porro his omnibus gerendis tempus brevius quam viginti saltem menses, aut etiam duo anni integri, satis esse non possunt. Itaque Pauli *conversio ante primos menses anni 31 collocari non potest.* — Confirmant hanc sententiam alioquin jam certissimam tabulae ecclesiasticae, ut varia martyrologia antiqua, quae Paulum conversum dicunt 2° anno post ascensionem Domini; iisque accedit Oecumenius. Quare annus decimus septimus post conversionem Apostoli, quo ipse ad Concilium venit, non alius est *quam 47 aerae vulgaris, eoque anno Concilium habitum est.*[1])

91. Jam alia quaedam facta ex primordiis Ecclesiae, quae Petrum et Paulum spectant, modo accuratius determinemus. Narrat S. Lucas Act. Ap. 11, 19: *Et illi quidem qui dispersi fuerant a tribulatione, quae facta fuerat sub Stephano, perambulaverunt usque Phoenicen et Cyprum et Antiochiam, nemini loquentes verbum nisi solis Judaeis.* Sic igitur Antiochiae brevi post Christi ascensionem ecclesia ex Judaeis conversis formata est, et secundum testimonia antiquitatis S. Petrus hujus ecclesiae per sex vel septem annos fuit episcopus. *Versus annum 35 itaque supponere possumus, eum suscepisse episcopatum Antiochenum.* — Ex missione ad Cornelium ac visione antea habita (Act. 10 sqq.) S. Petrus intellexit, tempus adesse praedicandi etiam gentibus. S. Lucas post narratam Cornelii conversionem, redit ad eos qui dispersi fuerant ob persecutionem tempore Stephani, narratque, nunc etiam Graecis Evangelium praedicari coepisse, *multusque numerus credentium conversus est ad Dominum* (Act. 11, 21.) His Hierosolymis compertis Antiochiam missus est Barnabas, isque mox Tharsum profectus Saulum accersivit, quibus quidem omnibus peragendis aliquot menses deputari debent. Antiochiae Saulus mansit annum totum, donec cum Barnaba ad Pascha *anno 42 profectus est Hierosolymam.* (Act 11,30.) Ex his patet, *conversionem Cornelii* serius collocari non Alia facta.

---

[1]) V. Patritium, In Evang. L. III. Diss. LI. n. 10.

posse quam *auctumno a. 40.* Quum vero supponi nequeat, post haec adhuc distulisse Apostolos executionem mandati Christi, ut docerent omnes gentes, *profectio Apostolorum* in universum mundum *versus annum 41* accidit.

92. Comprehensio Petri, ejus liberatio et *iter Romanum,* uti vidimus, acciderunt a. 42, Claudii II. *Post Pascha anni 42 Paulus et Barnabas* reversi sunt Hierosolymis *Antiochiam,* illicque *segregati in opus Apostolatus* (Act. 12, 25). Susceperunt tunc *primum iter* Apostolicum, eoque peracto morati sunt Antiochiae *tempus non modicum* (Act. 14, 27). Haec acciderunt usque ad annum 47. — Interea Petrus Romanam fundavit Ecclesiam, scripsit primam epistolam suam (c. a. 43) in qua habetur *salutatio Marci;* ac mox adhuc a. 43 Marcum, post scriptum Evangelium, misit Alexandriam, ubi ipse secundum Chronicon Eusebii et antiquorum traditionem anno 8° Neronis (61 vel 62) obiit. Petrus vero post paucos annos, *versus a. 46 Roma discessit,* forte occasione edicti Claudii, quo teste Dione (Hist. Rom. l. LX. n. 6) conventus Judaeorum prohibiti sunt. Venit tunc Petrus, uti videtur, Antiochiam, et cum Hierosolymis quidam venissent, ex circumcisione, contentio orta est de caeremoniarum observantia, *eoque tempore Petrus* ob suam oeconomicam rationem agendi probabiliter *reprehensus est a Paulo.* Factum id esse ante Concilium, uti etiam S. Augustinus censuit, jam per se probabilius est, et confirmatur ex collatione Act. 15, 1 et Gal. 2, 12. Nec refert, quod S. Paulus Gal. 2 hoc factum commemorat, postquam jam de Concilio locutus est, quum scopus ipsius in his non sit chronologicam factorum seriem describere. — Occasione istius quaestionis de caeremoniis legalibus dein a. 47, uti videtur versus Pentecostem, habitum est Concilium Hierosolymitanum.

93. Deinde Paulus et Barnabas Antiochiam reversi sunt et aliquod tempus ibi manserunt (15, 35). Auctumno a. 47 Paulus incepit *secundum iter* Apostolicum cum Sila; paulo post adjuncti sunt Timotheus et Lucas (a. 48). Peragrarunt plures regiones Asiae minoris; dein Macedoniam ac Graeciam, ubi Athenis praedicavit Paulus, et inde venit

Corinthum. Eo, expulsi a Claudio a. 48, *nuper* Roma advenerant Aquila et Priscilla (Act. 18, 1), apud quos S. Paulus demoratus est. Advenit Corinthum versus finem anni 48. *Sedit autem ibi annum et sex menses* (Act. 18, 11), sese defendit coram Gallione proconsule Achaiae, qui erat frater natu major Senecae, et scripsit duas epistolas ad Thessalonicenses. Corintho profectus est Paulus tempore verno anni 50 navigaturus in Syriam, cum Aquila et Priscilla (Act. 18, 18). Hoc in itinere appulerunt Ephesum, et illos ibi Paulus reliquit; ipse vero mox profectus est, quum vellet (juxta textum Graecum) Hierosolymis esse pro die aliquo festo, qui videtur fuisse Pascha. Hierosolymis deinde Apostolus profectus est Antiochiam.

94. Mox S. Paulus *tertium iter* Apostolicum suscepit, et per Galatiam et Phrygiam pervenit iterum a. 50, non multo post Pentecostem, Ephesum, ubi hospitatus est apud Aquilam et Priscillam[1]), et 27 mensibus substitit (Act. 19, 8. 10). Scripsit ex Epheso probabiliter Apostolus epistolam ad Galatas, certe primam ad Corinthios ante Pascha anni 52. — Aestate anni 52 tumultus excitatus est Ephesi a Demetrio argentario, et discedere coactus Paulus transiit in Macedoniam (Act. 19), atque inde, paucis mensibus post datam primam epistolam, scripsit secundam ad Corinthios. In eadem significat se in eo esse ut ad ipsos veniret, seque collectam facere per ecclesias Macedoniae et apud ipsos facturum pro fidelibus Palaestinae (Cfr. II Cor. 8 et 9). Ac revera ex Macedonia mox venit in Achaiam adeoque Corinthum, ibique commoratus est per tres menses, uti legitur Act. 20, 3. Quum tempore Paschatis a. 53 jam esset iterum (post tres illos menses) Philippis in Macedonia (Act. 20, 6), liquet eum saltem mense Decembri a. 52 pervenisse Corinthum. Intentio Apostoli erat jam Ephesi, uti patet ex Act. 19, 21 et 20 3, ut per Macedoniam et Achaiam dein via maritima proficisceretur in Sy-

---

[1]) „Salutant vos ecclesiae Asiae. Salutant vos in Domino multum Aquila et Priscilla cum domestica sua ecclesia, apud quos et hospitor.“ 1 Cor. 16, 19.

riam, dein Hierosolymas, ac demum Romam.[1]) Jam vero eadem plane exprimit in epistola ad Romanos[2]). Inde colligitur, epistolam ad Romanos *Corinthi* scriptam esse, quod ex aliis quoque indiciis patet, uti ex commendatione Phoebes. Scripta igitur est initio a. 53. Aquila et Priscilla, apud quos Paulus Ephesi hospitatus erat, peculiari modo in epistola ad Romanos salutantur et laudantur; videntur ipsi, quum Paulus Epheso pelleretur, Romam reversi esse. Impeditus est S. Paulus insidiis Judaeorum, quominus itinere maritimo in Syriam et Palaestinam proficisceretur: hinc reversus est in Macedoniam, ubi Philippis erat tempore Paschatis a. 53. Post Pascha iter Hierosolymitanum cum Luca continuavit, et versus Pentecostem a. 53 Hierosolymam pervenerunt. — Corinthi igitur fuit S. Paulus saltem a mense Decembri anni 52, et primis mensibus anni 53. Jam diximus, tunc Corinthi, a. 53, probabiliter simul S. Paulum ac S. Petrum praedicasse, simulque inde profectos fuisse.[3])

---

[1]) „Proposuit Paulus in Spiritu, transita *Macedonia et Achaia* ire *Jerosolymam* dicens: Quoniam postquam fuero ibi, oportet me et *Romam* videre.“ Act. 19, 21.

[2]) „Impediebar plurimum venire ad vos, et prohibitus sum usque adhuc. Nunc vero ulterius locum non habens in his regionibus, cupiditatem autem habens veniendi ad vos ex multis annis, cum in Hispaniam proficisci coepero, spero quod praeteriens videam *vos*, et a vobis deducar illuc, si vobis primum ex parte fruitus fuero. Nunc igitur proficiscar *Jerusalem* ministrare sanctis. Probaverunt enim *Macedonia et Achaia* collationem aliquam facere in pauperes sanctorum qui sunt in Jerusalem. Placuit enim eis, et debitores sunt eorum. Nam si spiritualium eorum participes facti sunt gentiles, debent et in carnalibus ministrare illis. Hoc igitur cum consummavero et assignavero eis fructum hunc, per vos proficiscar in Hispaniam.“ Rom. 15, 22 sqq.

[3]) Iterum recolas, ex dictis apprime explanari, cur in epistola ad Romanos S. Paulus haud salutet S. Petrum. Is inde ab anno 46 saltem, forte ob Claudii primum contra Judaeos edictum, Roma discesserat. Anno 48 altero Claudii edicto Roma expulsi sunt Judaei; hinc S. Petrus diutius Roma abfuit. Aestate anni 53 Romam reversi jam erant Aquila et Priscilla, ex quo colligitur, edictum sublatum fuisse; unde convenientissime supponitur, S. Petrum eodem anno 53 in Italiam profectum esse.

95. Hierosolymis anno 53 Paulus in vincula conjectus est circa medium mensem Maium; Pentecoste enim eo anno incidit in 12 vel 13 diem Maii. Inde post tres dies deductus Caesaream, per biennium detentus est sub Praeside Antonio Felice, fratre Pallantis, qui usque ad Decembrem anni 55 apud Neronem erat in magno favore. Ineunte aestate anni 55 successit Pontius Festus Felici, qui Romam pervenit, antequam Pallas e gratia Neronis excideret. Diebus circiter viginti post Festi adventum, Paulus se coram ipso contra Judaeos accusatores defendit, et Caesarem appellavit. Tunc Festus decrevit eum mittere Romam, ac brevi post, occasione opportuna data, Paulus iter Italicum aggressus est, quod iter satis arduum Act. cc. 27 et 28 narratur.

S. Pauli in urbem adventus.

96. Mense Octobre naufragio facto in Melitam insulam pervenerunt, ibique per tres menses hiemarunt. Anno 56, quando mare navibus patere coepit, ultimam itineris partem absolverunt. Post tres circiter hebdomadas ineunte vere a. 56, Paulus Romam pervenit. Centurio eum tradidit Romae praefecto praetorii, qui tunc erat Burrus amicus Senecae, et in custodia satis libera ibi detentus est S. Paulus per biennium, adeoque usque ad priores menses anni aerae vulgaris 58. — An S. Petrus eo tempore Romae fuerit, non potest ex sacris libris colligi. — Paulus autem illo biennio scripsit varias epistolas, quas jam commemoravimus. Post liberationem e prima captivitate Paulus nova suscepit itinera Apostolica. Eum *iterum in Asia et Graecia* fuisse, ex epistola secunda ad Timotheum perspicue colligitur. Sed etiam *iter Hispanicum* a S. Paulo tum factum esse, satis probabile est. — Ordo autem chronologicus quem descripsimus, convenit cum S. Hieronymo et Eusebii Chronico. Sic S. Hieronymus in Catalogo Script. eccles. de S. Paulo: *Post passionem Domini vigesimo quinto anno*[1]*, id est secundo Neronis (55), eo tempore quo Festus procurator Judaeae successit Felici, Romam vinctus mittitur, et*

---

[1]) Passionem Hieronymus censuit accidisse a. 31 vel 32 aerae vulgaris.

biennium in libera manens custodia adversus Judaeos de adventu Christi quotidie disputavit. Sciendum autem, in prima satisfactione, necdum Neronis imperio roborato, nec in tanta eo erumpente scelera, quanta de eo narrant historiae, Paulum a Nerone dimissum esse, et Evangelium etiam in Occidentis partibus praedicasse. De Marco dicit S. Hieronymus inter alia: *Mortuus est autem octavo Neronis anno, et sepultus Alexandriae, succedente sibi Aniano.* Eusebius in Chronico iisdem fere annis assignat vincula Pauli prima, scilicet fini regni Claudii et initio regni Neronis, nullatenus vero, uti recentioribus placuit, annis posterioribus Neronis. — Scribit videlicet ad annum ultimum (14) Claudii: *Festus succedit Felici, apud quem, praesente Agrippa rege, Paulus Apostolus religionis suae rationem exponens, Romam vinctus mittitur.*[1])

97. Perdifficile quidem est, accuratam et certam texere chronologiam temporis Apostolorum; censemus tamen eam, quam juxta cl. Patritii aliorumque auctorum sententias proposuimus, solidis niti argumentis, aptamque esse, ut varii eventus in vita SS. Apostolorum Petri et Pauli explicentur, et difficultates quaedam contra iter et episcopatum Petri Romanum diluantur. Cum chronologia antiquorum scriptorum, ea quam proposuimus convenit. — Praeterea vero id etiam intendimus, ut appareat, inania esse argumenta, quae a quibusdam adversariis ex serie chronologica eventuum et actuum Petri petuntur, ut ostendant, S. Petrum Romae haud fuisse. Praesertim Darby cum vi quadam huic argumentationi insistit, et magna cum eruditionis specie, suam dispositionem chronologicam eventuum peremptorio modo proponit et contra iter Romanum Petri urget. Sed inde ab initio vir eruditus in supputatione eventuum gravem committit errorem. Sauli conversionem accidisse censeri dicit anno 35, vel *duobus annis post passionem Domini.* (L. c.

---

[1]) Pleraque in hac chronologica eventuum expositione deprompsimus ex praelectionibus *Introductionis in S. Scripturam,* quas quondam habuit Eminent. Cardinalis Franzelin, tunc in Collegio Romano S. Theologiae professor. Opus illud nondum typis vulgatum est.

p. 16 n. 5). Jam vero eruditi generatim conveniunt, Christum haud passum esse anno 33 aerae nostrae; plerique cum antiquis censent, passionem accidisse *duobus Geminis Coss.* seu anno Urbis cond. 782 et aerae nostra anno 29. Hinc si conversio Pauli, uti etiam nos existimamus, evenit duobus annis post Christi Domini passionem, anno 31 eadem adsignanda est uti fecimus; computatio autem chronologica eruditissimi Darby concidit, nec ejus argumentationi sua vis constat.

Dissertatio secunda.

De Romanis Pontificibus saeculi primi et secundi.

Dissert. indoles.

1. In Constitutione dogmatica prima de Ecclesia Christi, edita in sessione IV sacrosancti oecumenici Concilii Vaticani, ista de indole primatus R. Pontificis legimus: *Docemus proinde et declaramus, Ecclesiam Romanam disponente Domino super omnes alias ordinariae potestatis obtinere principatum, et hanc Romani Pontificis jurisdictionis potestatem, quae vere episcopalis est, immediatam esse: erga quam cujuscumque ritus et dignitatis pastores atque fideles tam seorsim singuli, quam simul omnes, officio hierarchicae subordinationis veraeque obedientiae obstringuntur, non solum in rebus quae ad fidem et mores, sed etiam in iis quae ad disciplinam et regimen Ecclesiae per totum orbem diffusae pertinent; ita ut custodito cum Romano Pontifice tam communionis, quam ejusdem fidei professionis unitate, Ecclesia Christi sit unus grex sub uno summo Pastore.*[1]) — Quae quum ita se habeant perspicuum est, Ecclesiam catholicam esse constitutam ad instar monarchiae, cujus caput Romanus est Pontifex. Quapropter etiam in Ecclesiae historia Romani Pontifices primum et praecipuum occupant locum, dumque quisnam fuerit Ecclesiae status variis temporibus describere intendimus, illud imprimis requiritur, ut de Romanis Pontificibus, qui universae Ecclesiae ea aetate praefuerunt, agatur, eo vel magis, quod plerique eventus qui acciderunt ad hos referri facile possunt. Hac igitur Dissertatione breviter de Pontificibus primi et secundi

[1]) Cap. III. De vi et ratione primatus R. Pontificis.

saeculi tractabimus, eaque speciali modo attendemus, quibus vel in controversiis dirimendis, vel aliis modis iidem suam auctoritatem universalem manifestius exercuerunt. Quum vero praecipua controversia saeculi II ea fuerit, quae de *celebratione Paschatis* habita est, de eadem etiam aliquanto fusius agemus.

2. Inter auctorum antiquorum monumenta, quibus de Pontificum chronologia ac gestis edocemur, commemorandi sunt *Romanorum Pontificum Catalogi*, et *Liber Pontificalis*. Jam diximus, antiquissimum Catalogorum esse eum, qui dicitur Liberianus, quia tempore Liberii fuit conscriptus Pontificesque usque ad eum recenset. Bucherianus quoque appellatur, quia Aegidius Bucherius S. J. eum ad exemplar manuscriptum primum publicavit a. 1664, in suo opere *De doctrina temporum Commentarius in Victorium Aquitanum.* Hic Catalogus Romae, probabiliter a. 354 editus est a Furio Dionysio Philocalo, qui postea S. Damasi secretarius fuit.[1]) Henschenius primam illius partem usque ad Urbanum papam adscribit S. Anthero, idemque existimavit Papebrochius. Modo vero existimant eruditi, solidis argumentis nisi, eam partem desumptam esse ex chronico Hippolyti deperdito[2]); ante ipsum autem jam Hegesippus succesionem Romanorum Pontificum descripserat. — Praeter Liberianum celeber est *Catalogus Felicianus,* ab Henschenio et Papebrochio primum editus ex autographo Catalogi.

---

[1]) V. Schrödl, Geschichte der Päpste etc. Zweites Kapitel. S. 59. nota 1. — De Smedt S. I. Introd. p. 202 sqq., — Lipsius Chronologie etc. S. 40 ff.

[2]) Id probare nisus est Mommsen in opusculo: Ueber den Chronographen vom Jahre 354 (Leipzig 1850), eique adstipulatur De Rossi, Roma subterranea tom. I. p. 117. — Hac de re apprime P. De Smedt: „Argumentationis Mommsen summa ad hoc reducitur, quod inter opuscula cum Catalogo nostro a Filocalo descripta reperitur *Chronicon*, quod ita rebus et singulis sententiis simile est alteri Chronico latino (quod ex Gallandio, cum hujus prolegomenis edidit Migne P. L. t. III. p. 651.) verbis autem discrepans, ut manifeste hic habeamus duas versiones ejusdem textus graeci, quod et confirmant voces et modi loquendi graecum idioma manifeste sapientes. Jam vero alterum horum Chronicorum indicatur in ipso textu confectum esse anno decimo tertio Im-

Bibliothecae reginae Suecorum[1]), conscriptus saeculo VI. Protrahitur hic Catalogus usque ad Felicem IV, qui obiit a. 530. Plures alii Pontificum Catalogi a Schelstraete e Bibliotheca Vaticana, et ab aliis collecti, porro editi sunt; varios recenset Lipsius l. c., atque etiam De Smedt, Dissert. Vol. I Append. K. — Prae caeteris profecto illa magni momenti habenda sunt, quae ex operibus Irenaei, Eusebii, Hieronymi, Epiphanii, Optati Milevitani de successione RR. Pontificum colliguntur.

Liber Pontificalis. 3. *Liber Pontificalis* passim, quamvis immerito, attribuitur Anastasio Bibliothecario ac Cardinali, qui floruit saec. IX sub Nicolao I et Hadriano II; continet hic Liber vitas Pontificum usque ad illam aetatem; videlicet a. B. Petro usque ad Nicolaum I qui obiit anno 867, vel etiam in posterioribus editionibus usque ad Stephanum VI (a. 885—891.) Nonnulli vitas Pontificum in hoc Libro descriptas usque ad Liberium inclusive, adscripserunt S. Damaso, anno 366 Liberii in pontificatu successori. Sed huic opinioni obstat tum barbara dictionis ratio, tum silentium S. Hieronymi in *Catalogo* suo opera S. Damasi recensentis, tum aliae rationes[2]). Cl. De Rossi et Duchesne tenent, primam recensionem Libri Pontificalis ante confectum Catalogum Felicianum, adeoque ante a. 530 factam esse.[3]) Alii autem auctores cum eruditissimo Schelstraete censent, eam partem libri quae continet vitas Pontificum usque ad Constantinum Pontificem, (obiit a. 715), conscriptam fuisse ex antiquioribus documentis ab uno eodemque auctore, Romae ineunte saeculo VIII, vel saltem ante medium saeculum VIII. Aliqui tamen uti

perii Alexandri (a. 234 vel 235). Quum itaque inter opera Hippolyti, qui hoc tempore vivebat, notatum reperiatur *Chronicon ad Graecos*, sponte concluditur, hoc ipsum textum originalem esse utriusque versionis nostrae. Porro in eo Chronico habebantur „Nomina Episcoporum Romae, et quis quot annis praefuit“: quae inscriptio omnino convenit primae parti Catalogi Liberiani.“ L. c. p. 213, nota 5.

[1]) Acta SS. Tom. I April.

[2]) V. De Smedt, Introd. p. 221.

[3]) V. Duchesne, Le Liber Pontificalis; Revue des Questions histor. Oct. 1879, p. 493.

Ciampini (Exam. Libri Pont. sect. III), a pluribus diversisque auctoribus existimant etiam hanc partem Libri confectam fuisse. Vitas Pontificum qui Constatino successere, Romae coaevi auctores conscripserunt, ac Nicolai I vita ab Anastasio Bibliothecario confecta esse censetur. Quamvis in Libro Pontificali quaedam habeantur minus accurate exposita, tamen pro historia Romanorum Pontificum hoc opus est summi momenti. Vetustissimum enim est, ac generatim fida rerum relatione se commendat; id nostro etiam tempore comprobatum est, quum facta in Libro Pontificali relata per inscriptiones aliaque documenta in Catacumbis reperta confirmarentur.

4. Posteriori aetate scribendis edendisque RR. Pontificum vitis et gestis non pauci auctores operam dederunt; recenset eos De Smedt in Inrtoductione generali ad historiam ecclesiasticam p. 472 sqq. Paucos hoc loco sufficiat indicasse. — Saeculo XV jussu Sixti IV Bartholomaeus Sacchi, vulgo Platina, scripsit *Vitas Pontificum Romanorum* a S. Petro usque ad Paulum II; saeculo XVI Onuphrius Panvinius *Epitome vitarum Romanorum Pontificum* edidit, opusque Platinae additionibus notisque ornavit; saeculo XVII Ciacconius *vitas Romanorum Pontificum et Cardinalium* scripsit. Franciscus Pagi saeculo XVIII *Breviarium historicum Romanorum Pontificum* edidit, quod opus Antonius Pagi continavit. A. Sandini breviores *Vitas Pontificum Romanorum* composuit, et quasdam *Disputationes historicas ad vitas Pontificum Romanorum* concinnavit. Recenti tempore Novaës, Henrion, Chantrel, Gröne, historiam Romanorum Pontificum elucubrarunt. Prae caeteris vero de Pontificibus trium priorum saeculorum egregie scripsit Dr. Carolus Schrödl, in opere: *Geschichte der Päpste und der römischeu Kirche in der Urzeit des Christenthums oder den ersten Jahrhunderten* (Mainz 1873); plura de iisdem accuratius exposuit cl. De Rossi variis ejus scriptis, quae archaeologiam christianam spectant; consulendus etiam est H. Hagemann in suo opere: *Die Römische Kirche und ihr Einfluss auf Disciplin und Dogma in den ersten drei Jahrhunderten* (Freiburg 1863).

I.

Pontifices saeculi primi.

S. Petrus. 5. S. Petrus, Ecclesiae caput, Christi Vicarius et Christianorum Pontifex fuit inde ab ascensione Christi Domini a. 29; Romanam vero Sedem, uti vidimus, tenuit ab anno 42 usque ad a. 67, cujus anni die 29 Junii martyrio coronatus est. De anno ac die martyrii S. Petri haud omnes quidem auctores consentiunt, sed sententia quam secuti sumus gravissimis nititur argumentis. — Praecipua quae de S. Petro commemoranda veniunt, praecedenti Dissertatione jam exposuimus. Uberes fuisse *fructus praedicationis* ipsius in urbe Romana, tum ex epistolis SS. Petri et Pauli, tum ex quibusdam indicationibus auctorum profanorum colligitur. Multos in sua epistola ad Romanos S. Paulus salutat, in epistola vero ad Philippenses, Romae e vinculis primis scripta: *Salutant vos,* scribit, *omnes sancti, maxime autem qui de Caesaris domo sunt.* Unde videmus, etiam e domo Imperatoris fuisse qui ad fidem conversi erant. Juxta traditionem Romanam inter christianos nobiles excelluit *S. Petronilla,* cujus nomen tamen probabiliter non inde venit, quod filia spiritualis S. Petri fuerit, sed ex Petrone ejus patre vel avo. Romanis enim iste mos erat, ut hac ratione filiabus nomina patris vel avi desitione feminea adaptarent. *Pudens* etiam senator cum familia sua fidei christianae inter primos nomen dedit, atque apud eum S. Petrus hospitatus perhibetur.

6. Commemorandum maxime hoc loco videtur, quod narrat Tacitus Annalium L. XIII. c. XXXII. (a. U. 811). *Pomponia Graecina,* scribit, *insignis femina, Plautio, qui ovans se de Britanniis retulit, nupta, ac superstitionis externae rea, mariti judicio permissa. Isque prisco instituto propinquis coram de capite famaque conjugis cognovit, et insontem nuntiavit. Longa huic Pomponiae aetas. Nam post Juliam Drusi filiam dolo Messalinae interfectam, per quadraginta annos non cultu nisi lugubri, non animo nisi moesto, egit. Idque illi, imperitante Claudio, impune, mox ad gloriam vertit.* Eruditi non dubitant, nomine *superstitionis externae*

hic designari religionem christianam. Quod vero dicitur Pomponia per quadraginta annos in tristitia vitam egisse, optime matronae convenit christianae. Quum enim omnia illa aetate plena essent libidine, crimine, idololatria, Christiani vitam severiorem ducebant, atque a publicis ludis et spectaculis impiis, et a commessationibus et compotationibus effraenatis illorum temporum abstinebant. Inde mox habebantur ut homines in squalore et tristitia vitam degentes, imo etiam invidiam et odium aliorum excitabant, quum hac ratione vitam suam reprehendi perspicerent. Vixit autem Pomponia Graecina usque ad tempora Domitiani, scilicet usque ad annum 83. Quadraginta igitur illi anni, quos Tacitus commemorat, nos adducunt ad a. 43; ita ut brevi post adventum S. Petri Pomponia Graecina videatur ad christianismum conversa fuisse. Sunt qui existimant, hanc Pomponiam eamdem esse ac *Lucinam* feminam nobilem Apostolici temporis, ex qua plura coemeteria appellata fuere, cujusque nomen posteriore tempore plures feminae sanctae adoptarunt.[1]) — Etiam, Acten Neronis libertam et aliquo tempore concubinam, postquam ab Imperatore derelicta est ad christianismum esse conversam, sunt qui existimant et argumentis non spernendis suadent.[2])

7. Nescimus quidem, quantus fuerit numerus Christianorum tempore S. Petri; aliquot millium tamen fuisse, supponere possumus. Incolae urbis Romae probabiliter eo tempore duae milliones erant.[3]) Religio christiana initio legibus haud proscripta erat, sed plane libera ejus professio. Etenim religio Judaica expresse per leges Romanas agnoscebatur, et protegebatur praecipue sub Julio Caesare atque sub Augusto. Identidem quidem Judaei vexabantur, sed Conditio Christianorum.

[1]) Cfr. Schrödl l. c. p. 39. Reumont, Gesch. d. Stadt Rom. I. 361.

[2]) Cfr. Acté, sa conversion au christianisme, par Arthur Loth; Revue des quest. hist. t. XVII.; 1875 p. 58.

[3]) V. Hist. pol. Blätter 1874, Novemb. Altchristliche Statistik. — Urbes antiquitatis temporibus Imperatorum multitudinem incolarum sat amplam habebant. Ita Alexandria et Antiochia 500,000, ac dein (saec. IV.) 700,000.

plerumque brevi tempore. Claudius Imperator a. 42 privilegia Judaeorum confirmaverat; aliquanto post tamen edictis editis vexavit Judaeos tumultuantes, forte occasione commotionis ortae ob praedicationem christianismi. Sed paucis post annis iterum secure Romae degebant, et tempore Neronis magno numero ibidem inveniebatur. Haec vero legalis libertas etiam ad Christianos se extendebat, atque initio id non ex arbitraria confusione fiebat, sed inde quod Christiani, quum tantum dissensione dogmatica tenerent Messiam a Judaeis exspectatum jam venisse, caeterum vero religionem Judaeorum venerarentur, prae legibus Romanorum nonnisi ut secta quaedam Judaismi considerabantur, adeoque eadem qua Judaei libertate gaudebant. Atque ita res se habebat non tantum quoad Christianos ex Judaeis conversos, sed etiam quoad gentiles qui Christiani fiebant, quamvis legem caeremonialem Judaeorum non sequerentur. Nam etiam ex gentilibus haud raro aliqui se Judaeis sociebant, vel ut *proselytae justitiae* qui integrum Judaismum amplectebantur, vel ut *proselytae portae* seu timentes Deum (*οἱ σεβόμενοι τὸν θεὸν*), qui non obligabantur ad observantiam legis ritualis, sed relinquentes idololatriam gentilem, monotheismum Judaeorum amplectebantur. Etiam hoc lege Romana non vetitum erat, adeoque gentiles quoque ad christianismum conversi ut ejusmodi proselyti considerabantur.

Persecutio Judaeorum. 8. Hisce expositis intelligitur, quomodo scriptores antiqui frequenter asserant, auctores persecutionum contra Christianos esse Judaeos. Judaei videlicet, uti vel ex ipsis Actibus Apostolorum patet, contra Apostolos praedicantes et Christianos conversos tumultuati sunt, atque ad tribunalia Romanorum etiam rem detulerunt. Ejusmodi tumultus contra Christianos manifeste fuerunt etiam illi sub Claudio, auctore Chresto ait Suetonius, sed revera *occasione Christi.* Initio Judaei coram tribunalibus Romanorum quod volebant, ut scilicet Christiani reprimerentur, non assecuti sunt, sed repulsam habuerunt; Claudius vero edicto suo omnes qui nomine Judaeorum censebantur Roma expulit, sed pro

brevissimo tempore. Hoc edicto certe etiam Christiani vexabantur, non tamen qua tales, sed ut Judaei.

9. Post haec Hebraei quum a tribunalibus contra Christianos agentes repulsam passi essent, vulgus in Christianos excitarunt. Multitudini persuadere conati sunt, ex sinu Judaismi novam et infamem sectam pullulare a Judaeis omnino rejectam, sectam quidem non religiosam, sed atheam. Protestabantur etiam, huic sectae favorem legum Romanarum non debere praestari. Quum ad religionem christianam multo plures ex gentilibus quam ex Hebraeis converterentur, et numerus Christianorum ex gentilibus conversis in dies cresceret, attentio multitudinis mox in christianismum directa est, et apud credulum vulgus, suspiciones, timor, pessima opinio, aversio et odium in Christianos maxime propter illas Judaeorum accusationes exorta sunt. Atque ita *legalitas* christianismi non diu substitit. Quum enim Synagoga judaica, ex qua eadem originem suam habebat, continuo contra religionem christianam protestaretur et Christianos respueret atque insectaretur, mox rerum adjuncta exigebant, ut societas Romana religionem christianam vel legibus suis agnosceret et permitteret sicuti judaicam, vel eam proscriberet. Qua ratione vero sub variis Imperatoribus actum sit, infra videbimus.[1])

10. Dum S. Petrus Romanam Sedem tenuit, *etiam in alias regiones ab ipso missos esse discipulos,* qui fidem praedicarent et ecclesiis praeessent, traditio fida testatur. S. Innocentius I id indicat in epistola ad Decentium Ep. Eugubinum illis verbis: *Quis enim nesciat aut non advertat, id quod a principe Apostolorum Petro Romanae ecclesiae traditum est ac nunc usque custoditur, ab omnibus debere servari? praesertim quum sit manifestum, in omnem Italiam, Gallias, Hispanias, Africam atque Siciliam, et insulas interjacentes nullum instituisse ecclesias, nisi eos, quos venerabilis Apostolus Petrus aut ejus successores constuerint sacerdotes. Aut legant, si in his provinciis alius Apostolorum in-* **Propagatio Christianismi.**

[1]) Vide De Rossi, Bolletino III. p. 91—95.

venitur aut legitur docuisse. Qui si non legunt, quia nusquam inveniunt, oportet eos hoc sequi, quod ecclesia Romana custodit, a qua eos principium accepisse non dubium est, ne, dum peregrinis assertionibus student, caput institutionum videantur omittere.

11. Caeterum in plurimis regionibus traditiones inveniuntur de missis discipulis Petri, ac de christianismo per eos propagato. Sic in Tuscia ecclesiam Lucensem Paulinus, Fesulanam Romulus, Ravennatensem Apollinaris, discipuli S. Petri perhibentur fundasse. Quum S. Paulus Romam approquinquaret, *secunda die,* narrat S. Lucas, *venimus Puteolos, ubi inventis fratribus rogati sumus manere apud eos dies septem.*[1]) Itaque a. 56 christiana religio Puteolis jam recepta erat; episcopus vero primus illius civitatis perhibetur S. Patrobas, quem in epistola ad Romanos S. Paulus salutat.[2]) In Campania quoque religio christiana mox propagata est, et Pompeiis, quum illa civitas cineribus Vesuvii a. 79 obrueretur, jam Christianos fuisse, testatur inscriptio nostris diebus inventa: *Audi Christianos saevos olores* (cygnos), quibus verbis ad persecutionem Neronianam alludi videtur.[3]) Beneventum primum episcopum habuit Photinum missum a. S. Petro, testantibus omnibus Martyrologiis; Bari obtinuit Maurum; Capuae Priscum; Neapolis Aspren; Sicilia Philippum Agyriensem et Marcianum, quos omnes a Petro delegatos traditio fide digna perhibet.

12. In Galliam a. S. Petro plures discipulos missos esse, merito a plurimis tenetur, atque ut caeteros omittamus, maximae sane auctoritatis sunt illa verba, quae a. 450 ab episcopis Gallicanis provinciae Viennensis ad S. Leonem dirigebantur: *Omnibus Gallicanis regionibus notum est, sed nec sacrosanctae Romanae ecclesiae habetur incognitum,*

---

[1]) Act. 28, 13.

[2]) „Salutate Asyncritum, Phlegontem, Hermam Patrobam, Hermen, et qui cum eis sunt fratres.“ Rom. 16, 14.

[3]) V. De Rossi Bollet. II. 69—72, 92 sqq. — Tertullianus in hac civitate tempore eversionis nondum Christianos fuisse supponere videtur, dum scribit Apol. C. 40: *Sed nec Tuscia jam tunc atque Campania de Christianis querebatur, cum Vulsinios de coelo, Pompeios de suo monte, perfudit ignis.*

quod prima inter Gallias Arelatensis civitas missum a Beatissimo Petro Apostolo S. Trophimum habere meruit Sacerdotem, et exinde aliis paulatim regionibus Galliarum, bonum fidei et religionis infusum.[1]) Ad Hispaniam quod attinet valde probabilis est illa antiqua traditio, postquam S. Paulus ipse per annum in Hispania degit, dein a SS. Petro et Paulo septem eo missos esse episcopos duce Torquato, eosque ibidem Evangelium annuntiasse.[2]) Ulterius singula prosequi non vacat; id perspicuum est, S. Petrum primum Pontificem, regnum Dei seu religionem christianam late in multas regiones propagasse.

13. Ex primis illis temporibus etiam jam repetuntur distinctiones ecclesiarum *metropoliticarum* et *patriarchalium*. Metropoles civiles provinciarum evadebant metropoles ecclesiasticae ex ipsa institutione, uti videtur, Apostolorum, quatenus hi constituebant, ut ii essent metropolitae, qui episcopatum baberent in metropoliticis Imperii civitatibus. Huic sententiae suffragatur Canon IX Synodi Antiochenae habitae anno 341, qui ita sonat: *Per singulas regiones episcopos convenit nosse, metropolitanum episcopum sollicitudinem totius provinciae gerere, propter quod ad metropolim omnes undique qui negotia videntur habere, concurrunt. Unde placuit eum et honore praecellere, et nihil amplius praeter eum episcopos agere, secundum antiquam a patribus nostris regulam constitutam.* Quae antiqua regula quum nusquam constituta legatur, non alia videtur quam ab Apostolis derivata. Praeterea per se valde probabile videtur, Apostolos inter episcopos discrimen constituisse, ut alii aliis praeessent, quod id multum conduceret ad dirimendas dissensiones, ad componendas contentiones, ad conterendos errores, et ad consulendum ecclesiarum indigentiis.

Ecclesiae metropolit.

14. Idem fere valet de origine ac institutione dignitatis *patriarchicae.* Quamquam enim nomen patriarcharum referatur ad tempora Concilii generalis Chalcedonensis,

---

[1]) V. Natal. Alex. H. E. saec. I. Dissert. XV.

[2]) Cfr. Gams ap. Möhler Kirchengesch. B. I. S. 196 (in vers. Gall p. 178).

illorum tamen institutionem ac jura esse anteriora Concilio Nicaeno I, quod habitum est a. 325, evincitur ex Canone VI illius Concilii. Nam in hoc canone jura patriarchica Episcopo Alexandrino, sicuti Romano et Antiocheno, confirmantur *secundum antiquam consuetudinem.* Quum hujus antiquae consuetudinis, quam invocant Patres Nicaeni, origo nusquam inveniatur, dignitatis patriarchalis *fundamentum* merito repetitur ab Apostolis. Notum videlicet est, primitus tres fuisse sedes patriarchales, Romanam, Alexandrinam et Antiochenam. Has tres sedes Patres et veteres scriptores ecclesiastici speciali honore semper prosecuti sunt, quod a S. Petro principe Apostolorum fuissent fundatae. Quumque haec ipsa ratio sit principium honoris ac juris patriarchalis illis sedibus annexi, prima dignitatis patriarchicae origo ad Apostolos refertur. De his patriarchis Romana Synodus a. 494 habita sub S. Gelasio I, n. 11 declarat: *Est ergo prima Petri sedes, Romana ecclesia . . . Secunda autem sedes apud Alexandriam Beati Petri nomine a Marco ejus discipulo et evangelista consecrata est. Tertia vero sedes apud Antiochiam ejusdem Beati Petri nomine habetur honorabilis, eo quod illic priusquam Romam venisset habitavit, et illic primum nomen Christianorum novellae gentis exortum est.*[1])

Persecutio Neronis.

15. Anno 64 p. C. *persecutio Neronis* contra Christianos exorta est occasione incendii Urbis, quod fusius narrat Tacitus Annalium L. XV. Mense Julio videlicet illius anni ingenti incendio ex quatuordecim regionibus urbis decem destructae sunt. *Sequitur clades,* scribit Tacitus, *forte, an dolo principis, incertum: nam utrumque auctores prodidere, sed omnibus quae huic urbi per violentiam ignium acciderunt gravior atque atrocior. . . . Nec quisquam defendere audebat, crebris multorum minis restinguere prohibentium, et quia alii palam faces jaciebant, atque esse sibi auctorem vociferabantur, sive ut raptus licentius exercerent, seu jussu* (c. XXXVIII). *Eo in tempore Nero Antii agens non ante in urbem regressus est, quam domui ejus, qua pa-*

[1]) Cfr. Wouters Dissert. t. I. Diss. XXIV.

latium et Maecaenatis hortos continuaverat, ignis propinquaret. Plura dein fecit Nero in subsidium vulgûs. *Quae quamquam popularia in irritum cadebant, quia pervaserat rumor, ipso tempore flagrantis urbis, iniisse eum domesticam scenam et cecinisse Trojanum excidium, praesentia mala vetustis cladibus adsimulantem* (XXXIX). Quum tandem sexto die finis incendii esset, iterum ignis ortus est, *plusque infamiae id incendium habuit, quia praediis Tigellini Aemilianis proruperat. Videbaturque Nero condendae urbis novae et cognomento suo appellandae gloriam quaerere* (XL). — Dein Christianorum persecutionem hisce Tacitus refert: *Sed non ope humana, non largitionibus principis aut deum placamentis decedebat infamia, quin jussum incendium crederetur. Ergo abolendo rumori Nero subdidit reos, et quaesitissimis poenis affecit, quos per flagitia invisos vulgus Christianos appellabat. Auctor nominis ejus Christus, Tiberio imperante per procuratorem Pontium Pilatum suppliciis affectus erat. Repressaque in praesens exitiabilis superstitio rursus erumpebat, non modo per Judaeam originem ejus mali, sed per Urbem etiam, quo cuncta undique atrocia aut pudenda confluunt celebranturque. Igitur primo correpti qui fatebantur, deinde indicio eorum multitudo ingens, haud perinde in crimine incendii, quam odio humani generis convicti sunt. Et pereuntibus addita ludibria, ut ferarum tergis contecti laniatu canum interirent, aut crucibus adfixi, aut flammandi, atque ubi defecisset dies in usum nocturni luminis urerentur. Hortos suos ei spectaculo Nero obtulerat, et circense ludicrum ededat, habitu aurigae permixtus plebi vel curriculo insistens. Unde, quamquam adversus sontes et novissima exempla meritos, miseratio oriebatur tanquam non utilitate publica, sed in saevitiam unius absumerentur* (XLIV).

16. De eadem persecutione etiam Suetonius loquitur, scribens in Nerone c. XVI: *Afflicti suppliciis Christiani, genus hominum superstitionis novae et maleficae.* Ex relatione vero Taciti patet, primum in Christianos propter incendium actum esse, dein vero a tribunalibus ipsam professionem Christianismi ut crimen habitum esse. Ita igitur contra legalem existentiam religionis christianae, quae eo

usque, uti vidimus, obtinuerat, sententia lata est, atque distinctio Christianismi a Judaismo veluti sancita. — Existimat Reumont[1]), persecutionem Neronianam contra Judaeos et Christianos directam fuisse odio communi Romani vulgus subjectos, ac duplex genus accusatorum vel ex Tacito distingui, quum alios ab aliis indicatos fuisse referat. Judaei videlicet comprehensi indicarunt Christianos. Attamen probabilius videtur, persecutionem Neronianam ad Christianos restrictam fuisse. Hi ex accusationibus Judaeorum plebi credulae jam invisi erant, atque ita Nero in eos suspicionem incendii inferre nisus est. Quod vero alii ab aliis indicarentur, etiam inde fieri potuit, quod quum religio christiana eousque legalis esset, Christiani minus prudentes essent, atque ita incaute ad aliorum notitiam judices adducerent. — Multitudinem eorum qui passi sunt permagnam fuisse ex Tacito liquet. Duravit persecutio etiam sequentibus annis usque ad Neronis mortem. Quod facile intelliges, si advertis, jam ipsam professionem Christianismi ut crimen agnitum fuisse; adeoque etiam suspicione incendii jam ablata, ratio persequendi Christianos persistebat. Videtur autem haec persecutio extensa fuisse ad regiones Romae vicinas, non tamen ad alias provincias. Anno 67 SS. Apostolos Petrum et Paulum martyrio coronatos esse, jam vidimus.

S. Linus. 17. S. Linus, (a. 67—79). *Post Pauli Petrique martyrium primus Ecclesiae Romanae episcopatum suscepit Linus. Hujus mentionem facit Paulus in epistola quam ab urbe Roma ad Timotheum scripsit, inter salutationes quae ad calcem epistolae leguntur: Salutat te, inquit, Eubulus, Pudens, Linus et Claudia.*[2]) Hisce quae Eusebius de S. Lino dicit, consonant reliqui fontes antiqui. Ex iisdem praeterea haec de S. Lino colliguntur. Natione Linus Italus fuit; sedit autem XI vel XII annos. Probabiliter jam S. Petro in Ecclesiae gubernio adfuerat; commemo-

---

[1]) L. c. B. I. S. 369.
[2]) Euseb. H. E. l. III. c. 2. Cfr. Iren. Adv. Haer. l. III. c. 3.

ratur ex Pontificatu ejus, ipsum ex praecepto B. Petri constituisse, ut mulier in ecclesiam velato capite introiret; et Auctor antiquus anonymus operis contra haereticos, cui titulus *Praetextatus,* refert, Linum condemnasse asseclas Menandri, discipuli Simonis Magi, ac declarasse, Deum antiqui Foederis omnium rerum Creatorem esse, nihilque esse in rebus ex natura sua reprehensibile. Quum Menander revera eo tempore doctrinas suas spargeret, haec notitia valde probabilis est. — In Lini Pontificatum incidit excidium Jerosolymae, et Christiani Romani conspexerunt Vespasiani ac Titi de Judaeis victis triumphum, videruntque prophetias Christi adimpletas. In Catalogo Feliciano dicitur de Lino: *Martyrio coronatur;* idque accidere potuit, quum identidem Christiani varii in judicium vocarentur et condemnarentur etiam sub illis Imperatoribus, qui generalem persecutionem haud excitarunt. Saltem multos labores Linum pro religione suscepisse, multaque sustinuisse hac ratione indicatur; summique meriti et sanctitatis eum fuisse etiam inde colligitur, quod in Canone Missae ejus nomen statim post Apostolos commemoratur. In Catol. Felic. dicitur: *qui et sepultus est juxta corpus B. Petri in Vaticano.* Ac revera, quum sub Urbano VIII restauratio Confessionis B. Petri fieret, Sarcophagus inventus fuit, cui simplex haec inscriptio *Linus;* aliisque comprobatur argumentis, verissimum esse, successores B. Petri prope ipsum etiam sepultos fuisse.[1])

18. Animadvertendum venit hoc loco, aliquos antiquos auctores, ut Tertullianum, existimasse, Petri primum successorem fuisse Clementem. De quibus jam S. Hieronymus loquitur scribens quoad Clementem: *Quartus post Petrum Romae Episcopus; siquidem secundus Linus fuit, tertius Anacletus, tametsi plerique Latinorum secundum post Petrum apostolum putent fuisse Clementem.*[2]) Sed plerique Patres antiqui et scriptores, uti S. Irenaeus, Eusebius, S. Optatus Milevitanus, S. Epiphanius, S. Augustinus, S. Prosper, pariterque antiqui Catalogi conveniunt, S. Petro

---

[1]) Cfr. Schrödl, L. c. p. 62 sqq.

[2]) De viris illust. *Clemens.*

immediate S. Linum successisse. Ratio autem ob quam aliqui post Petrum numerarunt Clementem, haec forte fuit, quod Clemens ipse in epistola ad Jacobum dicat, se fuisse a Petro consecratum episcopum, quod etiam Tertullianus affirmat *De Praescript.* c. 32. Quamvis vero ejusmodi notitiae etiam in libris apocryphis, qualis est epistola illa, inventae, haud spernendae sint, omnino tamen praevalent testimonia supra commemorata. Sed non improbabilis est opinio Baronii, Cotelerii, Tillemontii, Natalis Alexandri aliorumque, scilicet Clementem quidem a S. Petro fuisse ordinatum episcopum, sed post ejus martyrium prae humilitate pontificatum recusasse, ut Linus et Cletus, unus post alium electi, summum Ecclesiae regimen susciperent. Forsan non solus Clemens, sed etiam Linus et Cletus a S. Petro fuerunt ordinati episcopi, ut Petro propter difficillima temporis illius adjuncta et frequentem ejus ab urbe absentiam coadjutores et administri essent, atque unus post alium Ecclesiae regimini praeficerentur.

S. Cletus. 19. SS. Cletus-Anacletus, (a. 79—91). — Controvertitur, utrum qui post Linum nominantur Pontifices Cletus et Anacletus reapse duo sint qui successerunt ex ordine Pontifices, an vero uni eidemque personae duplex illud nomen fuerit. Qua de re infra breviter dicemus; modo ex Catalogo Feliciano quae de istis Pontificibus notantur referemus. *Cletus natione Romanus, de regione Vico Patricii, patre Aemiliano. Sedit annos XII, mensem I, dies VI. Fuit autem temporibus Vespasiani et Titi. Martyrio coronatur. Hic ex praecepto B. Petri 25 presbyteros ordinavit in urbe Roma mense Decembri, qui etiam sepultus est juxta corpus B. Petri in Vaticano VI. kal. Maias.* — Quodsi hoc loco ea quae de ordinatione 25 presbyterorum dicuntur ita intelligenda sunt, ut pro civitate Romana clerum 25 presbyterorum constituerit, inde colligi potest, jam valde magnum numerum christianorum fuisse.[1])

---

[1]) Numerum Christianorum priorum temporum determinare satis difficile est, quum scriptores antiqui plerumque ratione valde generali hac de re loqui solent. Ex epistola Cornelii P. ad Fabianum Antioch. a. 252 scripta colligitur, tunc Romae fuisse 44 presbyteros, 7 diaco-

20. In Catalogo Liberiano habetur Clemens tertio loco et Cletus quarto; in Feliciano autem e contra. Dein in utroque Catalogo sequitur *Anacletus.* De ipso haec habet Catalogus Felicianus: *Anacletus natione Graecus de Athenis, ex patre Antiocho. Sedit annos XII, menses X, dies III. Fuit autem temporibus Domitiani,* etc. *Hic memorium B. Petri construxit et composuit, dum presbyter factus esset a B. Petro, ubi Episcopi reconderentur, ubi tandem et ipse sepultus est. Hic fecit ordinationes duas, presbyteros quinque, diaconos tres, episcopos per diversa loca septem per mensem Decembrem; et cessavit Episcopatus dies quindecim.* Si Cletus et Anacletus sunt eadem persona, haec partim Cleto adscribenda videntur. S. Anacletus.

21. Quod vero ad controversiam hac de re attinet, quaestio illa certa ratione solvi non posse videtur. Notari haec possunt. Plures antiqui Patres et Scriptores tantum unum nominant, vel Cletum vel Anacletum; Caius vero presbyter apud Euseb. H. E. l. V. c. 8, Victorem appellat decimum tertium a Petro episcopum Romanum, et S. Cyprianus, ep. 71 ad Pompeium, Hyginum vocat nonum urbis Romae Episcopum. Jamvero si Cletus et Anacletus fuissent duo Pontifices distincti, Victor decimus quartus, Hyginus autem decimus fuisset. Etiam chronologia aegre componi potest, si utrique, tum Cleto tum Anacleto duodecim anni adscribuntur; sed apprime consonat, si uni peronae illi anni tribuuntur. — Ex altera tamen parte in Catalogis illis antiquis Cletus et Anacletus inveniuntur distincti, quumque Hippolyti chronico, et forte Hegesippi scriptis, illi nitantur, vides argumentum inde depromptum vi non carere. Unde haec videtur quoque fuisse ecclesiae Romanae traditio, cui traditioni multum deferendum est. Auctor etiam Carminis contra Marcionem ita habet: *Post quem* (Linum) *Clĕtus et ipse gregem suscepit ovilis. Hujus Anacletus successor sorte locatus. Quem sequitur Cle-*

---

nos, etc. Inde inferunt eruditi, circiter 50,000 Christianos tunc in Urbe fuisse. Arctior tamen videtur illa computatio. — Sed certe numerus 25 presbyterorum sub S. Cleto indicat, christianismum Romae valde propagatum fuisse.

mens.[1] Similitudo vero nominis facile antiquis pluribus ratio esse potuit, ut confunderent Cletum et Anacletum et unum in serie Pontificum omitterent. Caius autem et Cyprianus numerarunt forte Pontifices non includendo S. Petrum. Remanent igitur rationes non plane spernendae, ut censeantur Cletus et Anacletus Pontifices distincti; unde quaestionem hanc in ancipiti relinquimus.[2])

S. Clemens. 22. S. Clemens circiter a. 91 S. Petro successit. De ipso ait S. Irenaeus: *Tertio loco ab Apostolis episcopatum sortitur Clemens, qui et vidit ipsos Apostolos et contulit cum eis, et quum adhuc insonantem praedicationem Apostolorum et traditionem ante oculos haberet; non solus, adhuc enim multi supererant tunc ab Apostolis docti. Sub hoc igitur Clemente, dissensione non modica inter eos qui Corinthi essent fratres facta, scripsit quae est Romae ecclesia potentissimas litteras Corinthiis, ad pacem eos congregans et reparans fidem eorum, et annuntians quam in recenti ab Apostolis acceperat traditionem.*[3]) Dicitur autem Clemens in Catalogis Liber. et Felic. *natione Romanus de regione Coelio monte, ex patre Faustino.* Secundum traditionem quamdam Romanam Clemens erat ex nobili familia Vespasiano cognata, et propinquus viri consularis S. Flavii Clementis, qui sub Domitiano cum uxore sua Flavia Domitilla ob christianam religionem in judicium vocatus est. Perhibetur quoque ecclesia S. Clementis locum occupare domus paternae, atque inde confirmatur illa traditio, quum eadem inveniatur ea in regione, quam familiae nobiliores inhabitabant. De eadem ecclesia S. Hieronymus: *Nobis ejus memoriam usque hodie Romae exstructa ecclesia conservat.*[4])

23. Adscribitur Clementi in Catal. Feliciano et in

---

[1]) Carmen istud saeculo tertio conscriptum esse existimat De Rossi, Bullet; V. p. 35.

[2]) Plura vide ap. De Smedt, Dissert. VII. C. I. Art. I. Probabiliorem, imo certam ipse habet sententiam, Cletum et Anacletum haud esse diversos. — Ita etiam existimat P. Colombier: Les premiers successeurs de S. Pierre, Revue des questions hist. t. XIX; 1876 p. 381.

[3]) Adv. Haer. l. III. c. 3. [4]) In Catal. tit. *Clemens.*

Libro Pontificali *divisio ecclesiastica* Urbis illis verbis: *Hic fecit septem regiones, et divisit notariis fidelibus ecclesiae, qui gesta martyrum sollicite et curiose unusquisque per regionem suam diligenter perquirerent.* Merito haec distributio Clementi adscribi videtur, antiquissimam enim eam esse haud dubium est. Distributa erat Roma ab Augusto in quatuordecim regiones civiles; septem regiones illae ecclesiasticae tamen non conveniebant cum illis regionibus civilibus. Numerus septenarius probabiliter alludit ad numerum septenarium primorum diaconorum.

24. Sub S. Clementis pontificatu secunda orta est *persecutio in Christianos ultimis annis Domitiani Imperatoris.*[1]) De hac persecutione scribit Eusebius H. E. l. III. c. 17: *Domitianus quum jam multa in multos crudelitatis specimina edidisset, nec paucos nobilium atque illustrium virorum urbis Romae injuste interemisset, alios praeterea innumerabiles summae dignitatis viros licet insontes exilio et bonorum proscriptione mulctasset, ad extremum Neronianae impietatis bellique et odii adversus Deum successorem seipsum professus est. Quippe hic secundus persecutionem in nos excitavit, quamvis pater ipsius Vespasianus nullam unquam injuriam nobis inferre tentasset.* Dio Cassius ea de re haec habet: *Eodem anno* (U. C. 848) *Domitianus tum alios multos, tum vero Flavium Clementem consulem, etsi is consobrinus ejus erat, ac Flaviam Domitillam et ipsam Domitiani consanguineam uxorem habebat, morte affecit, illato ambobus crimine impietatis in deos: quo crimine et plures alii qui in mores Judaeorum aberraverant damnati sunt; quorum pars occisa est, pars spoliata facultatibus. Domitilla tantum in Pandateriam relegata est.*[2]) Causae hujus persecutionis hae fuisse videntur. Domitianus tyrannus erat crudelis, suspiciosus

Persecutio Domitiani.

---

[1]) Post interitum Neronis (mense Junio a. 68), Galba, Otho et Vitellius de Imperio certarunt, et brevi omnes misere perierunt. Decembri a. 69 F. Vespasianus pervenit ad Imperium, eique a. 79 successit Titus, qui brevi post Septemb. a. 81 obiit. Ei successit frater ipsius junior Tit. Fl. Domitianus, homo valde perversus, qui regnavit donec a. 96 interfectus est. Ei successerunt Nerva (a. 96—98), ac dein Trajanus (a. 98—117).

[2]) *Domitianus* c. 14.

ac superbissimus, ita ut sibi nomen *Domini ac Dei* arrogaret. Simul cum ostentatione cultum nationalem Romanorum promovebat. Propagatio igitur Christianismi ei vehementer displicuit eo vel magis, quod ex ipsa familia Imperatoris plures huic religioni adhaerebant. Sibi etiam metuisse perhibetur de adventu Christi et regno ipsius, uti Hegesippus narrat ap. Eusebium l. c. — Ex Flaviorum familia adhuc plures alii Christiani fuerunt, atque ipsam Pomponiam Graecinam ejusdem gentis fuisse, et inde ab ipsa Christianismum in ea familia asseclas habuisse, ex monumentis antiquitatis magna cum probabilitate colligitur. Imo ipse Clemens Pontifex forte ex illa familia fuit.[1]) Sed etiam alias in familias nobiles non paucas eo tempore christiana religio jam penetraverat. Id ostendunt sepulchra illius aetatis, quae in coemeteriis seu catacumbis S. Lucinae et S. Callisti recentius inventa fuerunt. Ex his enim colligitur, in familiis *Octavii, Caecilii, Aemilii, Aemiliani,* Christianos fuisse; inter posteros quoque Attici, Ciceronis amici, et Asinii Pollionis Christiani erant. — Domitianus, juxta Hegesippi relationem apud Eusebium l. c., Romam deduci fecit ex Judaea reliquos quosdam Davidis posteros et Christi cognatos, metuens ex ipsis imperio suo; quum vero comperisset, eos pauperes esse et labore manuum victum sibi parare, quumque manus eorum callosas conspexisset, eos dimisit.

Clementis epistola.

25. Scripsit Clemens, uti jam diximus, *epistolam ad Corinthios* valde celebrem, de cujus genuinitate non dubitatur. Exstat etiam altera epistola ejus ad Corinthios vel potius homilia, et duae epistolae ad fratres et sorores de laude virginitatis. Scripta haec an genuina sint controvertitur; quaestionem expendere nobis non vacat.[2]) — Sed

---

[1]) Cfr. De Rossi Bollet. III. p. 17. — Habebat Vespasianus fratrem Fl. Sabinum, atque in hoc ramo familiae Flaviorum praecipue religio christiana suos asseclas invenit.

[2]) Plura vide ap. Funk, *Opera Patrum Apostolicorum,* Prolegomena in epistolas Clementis Romani. — Epistolae binae Clementis ad Corinthios vulgatae erant ex Codice Alexandrino; sed in prima lacunae quaedam habebantur, alterius tantum fragmenta exstabant. „Nuper-

de prima illa epistola pauca advertere juvabit, quia praeclarum est documentum ad vindicandum R. Pontificis primatum ejusque auctoritatem. Turbatio non modica in Corinthiorum ecclesia exorta erat, eoque res eruperant, ut presbyteri apud illos ab Apostolis apostolicisque viris, cum universae ecclesiae consensu constituti, puritate morum integritateque doctrinae spectatissimi, suo e ministerio dejecti essent. Quamvis autem eo tempore adhuc in vivis esset S. Joannes Apostolus, tamen ut desperatis rebus afferretur remedium, potius visum est consulere Apostolicam Sedem Romanam. Annuit Corinthiorum votis Clemens, et consultationi respondit epistola *potentissima* (*ἱκανωτάτῃ* Iren.) ex praescripto Apostolorum: eos scilicet injuste dejectos esse, quorum et electio unanimi consensu ecclesiae rata erat, et mores ab omni vitio ac reprehensione puri.[1]) — Inscribitur quidem epistola: *Ecclesia Dei quae incolit Romam ecclesiae Dei quae incolit Corinthum;* sed epistolam ipsius

---

rime autem Philotheus Bryennius, Metropolita Serensis, nunc Nicomediensis, Constantinopoli in bibliotheca monasterii patriarchalis Hierosolymitani codicem a. 1056 a Leone notario conscriptum invenit, in quo, quae adhuc defecerunt, leguntur, et a. 1875 Clementis epistulas integras typis vulgavit . . Eodem fere tempore in bibliotheca, quam Julius Mohl † 1876 reliquit, codex syriacus inventus est, qui totum Novum Testamentum Apocalypsi excepta, et inter epistulas Judae et Pauli ad Romanos Clementis epistulas duas continet.“ L. c. p. XXXIV. — Novam editionem epistolarum cl. Funk comparatis tribus codicibus egregie curavit. (Tubingae ap. Laupp a. 1878.)

[1]) Clementem seu ecclesiam Romanam a presbyteris sive scriptis sive misso legato consultum fuisse, ex epistolae indole et contextu merito conjici censerem, quemadmodum et auctores hucusque universim existimarunt. Quamvis forte id inferri nequeat ex illis verbis: *βράδιον νομίζομεν ἐπιστροφὴν πεποιῆσθαι περὶ τῶν ἐπιζητουμένων παῤ ὑμῖν πραγμάτων* (c. 1). Advertit videlicet Funk, haud dici *παῤ ὑμῶν*, sed *παῤ ὑμῖν*, adeoque non vertendum, uti habet Coustant et alii: „Tardius nosmetipsos convertisse existimamus *ad ea quae fuerunt quaesita a vobis*“ sed „*ad res quae desiderantur apud vos.*“ Examine instituto, res mihi dubia videtur. — Caeterum si Clemens sine praevia consultatione Corinthiorum negotia tractavit per hanc epistolam *ἱκανωτάτην* (Iren.) *μεγάλην τε καὶ θαυμασίαν* (Euseb. III. 16), non minus ejus auctoritas inde colligitur. Magno loquitur cum vigore, et c. 63 obedientiam commendat legatosque annuntiat, ut concordiam componant.

Clementis esse, unanimiter Patres antiqui tradunt. „Maluit autem Clemens, advertit Coustantius, ecclesiae suae quam proprio nomine eam inscribere; vel quia tum praesules nihil sine ecclesiae suae consilio agere solerent, ut Cyprianus de se nominatim epist. 5 ad clerum suum memoravit his verbis: *Solus rescribere non potui; quando a primordio episcopatus mei statuerim, nihil sine consilio vestro et consensu plebis, mea privatim sententia, gerere;* vel etiam, ne proprias partes tueri videretur, si ubi restauranda erat apud Corinthios ecclesiasticis viris competens dignitas atque reverentia, aut ipse solus, aut cum eo clerus sine plebe ecclesiam illam alloqueretur. Postulabat praeterea recta ratio, ut siquidem prius Corinthii non ad Clementem unum, sed ad Romanos scripserunt, Romanorum nomine Clemens, non proprio rescriberet." [1]

26. Ad tempus quod attinet quo epistola scripta est, merito Cotelerius, Tillemontius, Funk et alii censent, eam desinente Domitiani persecutione circa annum Christi 97 scriptam esse. Incipit enim epistola his verbis: *Propter subitas ac sibi invicem succedentes calamitates et casus adversos qui nobis acciderunt, tardius fratres, nosmetipsos convertisse existimamus ad res, quae apud vos desiderantur.* Colligitur inde, Romanae ecclesiae eo tempore calamitates accidisse earumque finem adfuisse, idque apprime fini persecutionis Diocletiani convenit. Non desunt qui contendunt, de Neronis persecutione ista intelligenda esse, adeoque brevi post epistolam datam esse. Sed obsunt argumenta interna et externa. Quod ad *interna* spectat, sic scribit e. g. Clemens c. 44 laudata Apostolorum providentia: *Qui igitur ab illis, aut deinceps ab aliis viris eximiis constituti sunt, ac longo tempore praeclarum ab omnibus testimonium reportarunt, hos censemus officio injuste dejici.* Haec ostendunt, jam tempus longius inde ab Apostolis effluxisse. Praeterea vero Pontificatus Clementis cum Irenaeo, Eusebio et Hieronymo ad tempora Domitiani referendus est, ac *sub ipsius Pontificatu* Corinthi illam scissionem fuisse, epistolamque ab ipso scriptam esse,

---

[1]) Coustant; Epistolae RR. Pontificum. Epist. I. Clementis, n. 1. nota a.

Irenaeus et Eusebius dicunt. Arbitraria igitur est suppositio quam promovet Gröne, epistolam scriptam esse a Clemente, quando nondum erat Pontifex, sed Lino in administranda Ecclesia aderat.[1])

27. Qui contendunt, epistolam scriptam fuisse statim post persecutionem Neronis, probari hoc existimant illis verbis c. 41: *Non ubique, fratres, offeruntur sacrificia jugia vel votiva, vel pro peccato et delicto, sed Jerosolymis tantum.* Ex his Grabius et Hefele certo constare censent, templum Jerosolymitanum tum stetisse; alioquin non *offeruntur* in praesenti, sed *olim offerebantur* fuisse dicendum. Verum non satis attendunt viri eruditi sermonis usum, quo res praeteritas veluti praesentes ob oculos ponere et per praesens tempus enuntiare narranti licet. Verba ista nihil aliud significant nisi id: Ex *praescripto legis* sacrificia non in omni loco, sed Jerosolymis tantum offeruntur; atque comparatione facta Clemens Corinthios monet, ut et ipsi statutum ab Apostolis oblationum et officiorum ordinem reverenter accipiant et servent.[2]) Confirmatur haec explicatio ex iis quae sequuntur: *Qui ergo praeter id quod voluntati ejus consentaneum est aliquod faciunt, morte multantur.* Certe enim nec brevi ante annum 70, quo anno templum eversum est, ista legum severitas subsistebat. — Possit forte mirari quis, quod Clemens, si scripta est epistola post persecutionem Domitiani, cc. 5 et 6 potius commemoret persecutionem Neronis, quam Domitiani, nihilque dicat de illustri matrona Romana Domitilla, quum proponat passionem Danaidum et Dircarum. Sed advertendum est, Clementem voluisse proponere exemplum SS. Apostolorum Petri et Pauli, ob relationem specialem Pauli ad Corinthios. Per incidens dein, quum de mulieribus loquatur, mentionem facit Danaidum et Dircarum.[3])

---

[1]) Papst-Geschichte S. 27. [2]) Cfr. Coustant. l. c.

[3]) Cotelerius et Colomesius loco *Δανάιδες καὶ Δίρκαι.* legunt *Δανάη τε καὶ Δίρκη,* quas illustres feminas fuisse putant, sub Nerone martyrio coronatas. Sed nullibi in martyrologiis habentur haec nomina. Boisius conjicit, legendum esse: Propter zelum passae mulie-

Clementis mors.

28. *Ex Romanis autem Pontificibus,* scribit Eusebius H. E. III. 34, *Clemens anno supradicti* (Trajani) *Imperatoris tertio abiit e vita, Evaresto sacerdotium relinquens, cum novem totos annos praedicationem verbi divini procurasset.* Trajanus successit Nervae a. 98 d. 28 Jan., adeoque ejus annus tertius in a. 100 p. C. incidit. In Catalogo Feliciano et in Libro Pontificali dicitur Clemens martyrio coranatus et sepultus in Graecia, atque etiam Zosimus P. (418), Episcopi Africani, Rufinus, Gregorius M. martyrem eum appellant. Acta martyrii ejus originem habent ex saeculo IV, ac dein Metaphrastes eadem concinnavit. Secundum haec a Trajano in Chersonesum (Crimeam) in exilium missus, Clemens ibidem paulo post in mare praecipitatus est. Quamvis autem actis illis per se haud conveniat auctoritas sufficiens, tamen martyrem eum esse, et haud Romae sed alibi mortuum, merito juxta antiquam traditionem tenetur.[1])

II.

Pontifices saeculi secundi.

S. Evaristus

29. S. Evaristus (a. 100—108). — De Evaristo inter alia haec habentur in catalogo Feliciano: *Evaristus natione Graecus, Antiochenus, ex patre Juda, de civitate Bethlehem, sedit annos novem, menses decem et dies duos. Martyrio coronatur. Hic titulos in urbe Roma divisit presbyteris, et septem diaconos ordinavit qui custodirent episcopum praedicantem propter stylum veritatis. . . . Sepultus est*

---

res *εὐσεβεῖς καὶ πισταὶ*; Davisius: *ἁγναὶ τὲ καὶ δικαίαι*; Clericus (Ars critic.): *ἄνευ αἰδοῦς καὶ δίκης.* sine reverentia et jure, h. e. irreverenter habito sexu infirmiore et contra jus et fas. Suschaeus ex Act. 17, 34 et 9, 36, *Δάμαρις καὶ Δόρκας* restituendum esse conjectat. Ruinartus et Jacobsonus ex margine in textum irrepsisse verba illa conjiciunt. V. Hurter, Opuscula Patrum XVII, p. 69. — Sed lectio *Δανάιδες καὶ Δίρκαι* confirmatur etiam Codice Constantinopolitano; sensum textus superius jam explanavimus.

[1]) Cfr. Schrödl, l. c. p. 83, De Rossi. Bolletino. III. 5 —. Opera supposititia s. Clementis sunt ejus Epistolae decretales, Constitutiones et Canones Apostolorum, Liturgia Clementis et ejus Homiliae et Recognitiones.

juxta corpus B. Petri in Vaticano. — Istis temporibus sub Trajano nova persecutio in Christianos excitata est, multisque in locis saeviit. Videtur autem persecutio orta ex odio gentilium in Christianos; Trajanus vero contra Christianos utebatur lege lata contra hetaerias seu societates secretas. Celeberrima est Plinii junioris praefecti Bithynii ad Trajanum epistola, qua quaerit de ratione agendi contra Christianos, et Trajani rescriptum. Opportunum erit utrumque documentum afferre, quum res Christianorum iisdem multum illustrentur.

30. Epistola Plinii ita habet: „Solemne est mihi, Domine, omnia de quibus dubito ad te referre. Quis enim potest melius vel cunctationem meam regere vel ignorantiam instruere? Cognitionibus de Christianis interfui nunquam: ideo nescio, quid et quatenus aut puniri soleat aut quaeri. Nec mediocriter haesitavi, sitne aliquod discrimen aetatum, an quamlibet teneri nihil a robustioribus differant: detur poenitentiae venia, an ei qui omnino Christianus fuit, desiisse non prosit: nomen ipsum, etiamsi flagitiis careat, an flagitia cohaerentia nomini puniantur. Interim in iis, qui ad me tanquam Christiani deferebantur, hunc sum secutus modum. Interrogavi ipsos, an essent Christiani: confitentes iterum ac tertio interrogavi, supplicium minatus: perseverantes duci jussi. Neque enim dubitabam, qualecumque esset quod faterentur, pervicaciam certe et inflexibilem obstinationem debere puniri. Fuerunt alii similis amentiae: quos quia cives Romani erant, adnotavi in urbem remittendos. Mox ipso tractatu, ut fieri solet, diffundente se crimine, plures species inciderunt. Propositus est libellus sine auctore, multorum nomina continens, qui negant se esse Christianos aut fuisse, quum praeeunte me deos appellarent, et imagini tuae, quam propter hoc jusseram cum simulacris numinum afferri, thure ac vino supplicarent, praeterea maledicerent Christo, quorum nihil cogi posse dicuntur, qui sunt revera Christiani. Ergo dimittendos putavi. Alii ab judice nominati, esse se Christianos dixerunt, et mox negaverunt: fuisse quidem sed desiisse, quidam ante triennium, quidam ante plures annos, non nemo etiam ante viginti quoque. Omnes et imaginem tuam deo-

Epistola Plinii.

rumque simulacra venerati sunt; ii et Christo maledixerunt. Adfirmabant autem, hanc fuisse summam vel culpae suae vel erroris, quod essent soliti stato die ante lucem convenire: carmenque Christo quasi Deo dicere secum invicem: seque sacramento non in scelus aliquod obstringere, sed ne furta, ne latrocinia, ne adulteria committerent, ne fidem fallerent, ne depositum adpellati abnegarent: quibus peractis morem sibi discedendi fuisse, rursusque coeundi ad capiendum cibum, promiscuum tamen et innoxium: quod ipsum facere desiisse post edictum meum, quo secundum mandata tua hetaerias esse vetueram. Quo magis necessarium credidi, ex duabus ancillis, quae ministrae dicebantur, quid esset veri et per tormenta quaerere. Nihil aliud inveni, quam superstitionem pravam et immodicam. Ideo dilata cognitione, ad consulendum te decurri. Visa etenim mihi res digna consultatione, maxime propter periclitantium numerum. Multi enim omnis aetatis, omnis ordinis, utriusque sexus etiam, vocantur in periculum et vocabuntur. Neque enim civitates tantum, sed vicos etiam et agros superstitionis istius contagio pervagata est: quae videtur sisti et corrigi posse. Certe satis constat, prope jam desolata templa coepisse celebrari et sacra solemnia diu intermissa repeti: passimque venire victimas, quarum adhuc rarissimus emptor inveniebatur. Ex quo facile est opinari, quae turba hominum emendari possit, si fiat poenitentiae locus.“

31. Ad quaestiones Plinii hanc Trajanus rescripsit epistolam: „Actum quem debuisti, mi Secunde, in excutiendis causis eorum, qui Christiani ad te delati fuerant, secutus es. Neque enim in universum aliquid quod quasi certam formam habeat, constitui potest. Conquirendi non sunt: si deferantur et arguantur puniendi sunt: ita tamen, ut, qui negaverit se Christianum esse, idque re ipsa manifestum fecerit, id est supplicando diis nostris, quamvis suspectus in praeteritum fuerit, veniam ex poenitentia impetret. Sine auctore vero propositi libelli nullo crimine locum habere debent: nam et pessimi exempli, nec nostri saeculi est.“ [1])

---

[1]) Plin. Epp. L. X. epp. 97 et 98.

32. Quoad has epistolas Plinii et Trajani haec observatione digna videntur: 1° Ex epistola Plinii manifesta est amplissima propagatio christianae religionis in Bithynia. Diserte asserit, non tantum civitates sed etiam vicos et agros contagionem pervagatam esse. Atque hoc maxime valet contra auctores quosdam qui ex levissimis motivis adstruunt, primis saeculis christianismum in civitatibus quidem, sed ruri fere nullo modo propagatam fuisse.[1]) Atqui uti Plinius, ita etiam Tertullianus contrarium testatur in Apologetico c. 1 scribens: *Obsessam vociferantur civitatem, in agris, in castellis, in insulis Christianos, omnem sexum, aetatem, conditionem et jam dignitatem transgredi ad hoc nomen, quasi detrimento moerent.* — 2° Rescriptum Trajani quidam considerant ut tale, quo persecutio in Christianos coarctaretur, quum statueretur, eos conquirendos non esse. Atque hoc sane sub quodam respectu atrocitatem persecutionis minuere poterat. Sed ex altera parte illo rescripto Imperator modo definitivo christianam religionem legalem existentiam non habere declaravit. Exinde vero vi plurium legum Christiani in judicium vocari poterant. Domitius Ulpianus jurisconsultus paganus Christianis infensus (a. 283) citat eas leges, quae contra Christianos adhiberi posse censebat, videlicet *legem Julianam majestatis,* leges *contra sacrilegia,* leges *contra magiam,* leges *contra superstitionem externam et cultum illicitum.*[2]) Etiam Imperatores caeteroquin honesti jam ex eo tempore, nisi vellent rescripta Trajani rescindere, aliter Christianos tueri non poterant, quam prohibitione accusationis.

33. Sub Trajano Imp. accidit etiam gloriosum *martyrium S. Ignatii* Antiocheni, cujus septem epistolae insigne documentum constituunt antiquissimorum temporum. In epistola ad Romanos, cujus magnificam inscriptionem S. Ignatius

[1]) „Plerumque tantum in civitatibus christiani erant, ruri ante saeculum IV numero tantum valde exiguo inveniebantur.“ (Meistens gab es nur in den Städten Christen, auf dem Lande war vor dem 4. Jahrhundert ihre Anzahl verschwindend gering.) Hist. pol. Bl. B. 74 H. 9, 1874. Altchristliche Statistik p. 681.

[2]) Tractatus Ulpiani ex parte reliquus est in Digestis Justiniani.

jam commemoravimus, ecclesiam Antiochenam S. Ignatius Romanae ecclesiae his verbis commendat: *Memores estote in precibus vestris ecclesiae quae est in Syria, quae pro me Deo pastore utitur. Solus ipsam Jesus Christus vice episcopi regat et vestra caritas.* Haud dubium est, Evaristum Pontificem obsecutum fuisse desiderio S. Ignatii. S. Martyris nomen etiam in Canonem Missae receptum est, idque probabiliter brevi post martyrium ejus factum.

S. Alexander. 34. S. Alexander, (a. 108—117). *Circa duodecimum annum imperii Trajani,* scribit Eusebius H. E. l. IV. c. 4, *cum Evaristus annos octo in pontificatu exegisset, Romae episcopatum suscepit Alexander, quintus a Petro et Paulo successionis obtinens locum. Ac Servatoris quidem nostri doctrina atque Ecclesia magis ac magis in dies efflorescens, continuis incrementis augebatur.* Alexandrum Pontificem fuisse et vita et martyrio valde clarum, ex eo colligitur, quod ejus nomen post S. Ignatii in Canone Missae contineatur. Caeterum pauca ex pontificatu hujus Pontificis nota sunt. Liber Pontificalis de ipso habet: *Alexander, natione Romanus, ex patre Alexandro, de regione caput Tauri, sedit annos octo, menses quinque, dies duos. Fuit autem temporibus Trajani usque ad Aelianum et Veterem. Hic Passionem Domini miscuit in precationem sacerdotum quando missae celebrantur*[1]*. Martyrio coronatur, et cum eo Eventius Presbyter et Theodolus Diaconus. Hic constituit aquam aspersionis cum sale benedici in habitaculis hominum . . . . Qui etiam sepultus est via Numentana, ubi decollatus est ab urbe Roma non longe milliario septimo, V Nonas Maii, et cessavit episcopatus dies triginta quinque.* Usus aquae benedictae, de qua hic agitur, ex antiquissimis temporibus, forte ex ipsa aetate Apostolorum, repetendus est; atque etiam commemoratio passionis in Canone Missae *(Qui pridie quam pateretur* etc.*)*, ab ipsis Apostolis est repetenda. Forte Alexander haec praescriptis quibusdam accuratius ordinavit.

---

[1]) Catalogus Felicianus habet: „Hic passionem Domini miscuit in praedicatione sacerdotum.“

35. Martyrium S. Alexandri vel in ultimum annum Trajani, vel jam incidit in tempora Hadriani, qui a Trajano propinquo suo moriente adoptatus ei a. 117 successit. Acta martyrii S. Alexandri quidem ex saeculo V sunt; quoad substantiam tamen vera esse videntur. Occasionem martyrii Alexandri praebuerunt conversio aliquot insignium virorum, inter quos fuerunt plures senatores et Hermes urbis praefectus. Hic cum tota familia sua et cum mille ducentis servis christianam religionem amplexus est. Post baptismum, tempore paschatis his fidelibus collatum, Hermes servos suos muneribus auctos dimisit liberos. Inde furor gentilium in ipsum et Alexandrum excitatus est, atque in carcerem conjecti sunt, ubi Alexander etiam tribunum militum Quirinum ejusque filiam Balbinam ad religionem christianam convertit. Hi omnes, uti Alexander, brevi post martyrio coronati sunt. — Certe ex antiquissimo tempore SS. Hermes, Quirinus et Balbina ut martyres coluntur.[1]) In eo loco autem ubi S. Alexander juxta antiquam traditionem martyrium subiit, ab hinc viginti ante annos coemeterium christianum repertum est, et rudera antiquissimae basilicae cum inscriptione monumenti quod S. Alexandrum spectabat.[2])

36. S. Sixtus, (a. 117—127), successit S. Alexandro, S. Sixtus.
et sedit usque ad annum 126 vel 127. De ipso haec habet Liber Pontificalis: *Sixtus, natione Romanus, ex patre Pastore, de regione Via lata. Sedit annos decem, menses tres, dies viginti unum. Fuit autem temporibus Adriani usque ad Nerum et Anniculum. Martyrio coronatur. Hic constituit, ut ministeria sacrata non tangerentur, nisi a ministris. Hic constituit, ut quicumque episcoporum evocatus fuisset ad Sedem Apostolicam et rediret ad Parochiam suam, non susciperetur nisi cum litteris Patriarchae* (Apostolicae) *salutationis plebi quae est formata . . . Sepultus est juxta corpus B. Petri in Vaticano tertio nonas Aprilis. Et cessavit Episcopatus dies duos.*

---

[1]) Cfr. Tillemont. Mémoires T. II. tit. S. Alexandre Pape.
[2]) Cfr. De Rossi, Bollet. I. 194, 207.

Controv. de Paschate.

37. Ex epistola S. Irenaei ad Victorem Pont. de controversia celebrandi Paschatis, quae apud Eusebium habetur (H. E. V. 24), comperimus, jam tempore Sixti motus quosdam in Ecclesia ortos esse ob differentiam in celebrando Paschate. Scribit videlicet Irenaeus, nec Sixtum nec subsequentes Pontifices observantiam episcoporum Asiae secutos esse, atque etiam fidelibus Romanis id non permisisse. Attamen ipsos communionem cum illis episcopis haud interrupisse, imo etiam iisdem in signum communionis Eucharistiam transmisisse.[1]) De ista controversia inferius agemus; hoc loco tamen observare convenit id, quod de transmissa Eucharistia dicit. Hoc videlicet ostendit, transmissionem Eucharistiae *per excellentiam* habitam fuisse ut signum pacis et communionis. Colligitur autem ex his Irenaei verbis tanquam necessario supponendum, jam antiquissimos Romanos Pontifices communicasse etiam cum episcopis regionum remotarum ad conservandam, firmandam et testandam unitatem ecclesiasticam per *litteras pacis et communionis,* ita quidem ut illi, quibus Romani Pontifices tales litteras recusabant, extra communionem Ecclesiae esse censerentur. His quoque illustrantur ea, quae citavimus ex libro Pontificali quoad episcopos vocatos ad Sedem Apostolicam, qui redeuntes *litteris formatis* se munire debebant. Videntur haec intelligenda esse de episcopis Italiae aliisque peculiari modo Sedi Romanae obnoxiis, nihilque est, cur censeamus, hanc notitiam quae in Catalogo Feliciano continetur, a vero alienam esse. Talibus igitur episcopis litterae pacis et commendationis tradebantur, quando ad suas remeabant Sedes, ut constaret eos cum Sede Apostolica in communione esse. *For-*

---

[1]) „Sed et presbyteri illi, qui ante Soterem ecclesiam cui tu nunc praees gubernarunt, Anicetum dico et Pium et Hyginum cum Telesphoro et Sixto, neque ipsi unquam observarunt, neque his qui cum ipsis erant ut id observarent permiserunt. Ipsi tamen cum hoc minime observarent, pacem nihilominus colebant cum iis, qui ad se venissent ex ecclesiis, in quibus id observabatur . . . Nec ulli unquam ob ejusmodi consuetudinem rejecti sunt. Verum illi ipsi qui te praecesserunt Presbyteri, quamvis id minime observarent, ecclesiarum Presbyteris qui id observabant Eucharistiam transmiserunt."

matae autem ab antiquis dicebantur litterae commendatitiae vel similes, quia signa quaedam ipsis inerant, quibus authentia eorum constabat et fraudes praecavebantur.[1])

38. Hadrianus Imperator, in cujus tempora (117—138) incidit S. Sixti episcopatus, haud emisit quidem edictum novum contra Christianos, sed quum rescripta Trajani vigerent, persecutio contra Christianos continuata est. Hadrianus ipse Tibure in villa sua capitis sententiam tulit in S. Symphorosam viduam S. Getulii praefecti militum et martyris, ejusque septem filios. Excitatus erat per sacerdotes paganos qui declarabant, diis haud placere consecrationem palatii Tibure ab Hadriano aedificati, donec Symphorosa ad sacrificia offerenda adacta fuerit. — Quum Hadrianus a. 124 Achaiam profectus esset, eidem Athenis duo Apologetae christiani, Quadratus et Aristides, tradiderunt apologias pro religione christiana. Accepit Imperator etiam, uti refert Eusebius (H. E. IV. 8) ex Justino (Apol. I. 69), litteras a Serenio Graniano proconsule Asiae minoris, quibus monebat indignum videri, Christianos nullo objecto crimine, tumultuosis vulgi clamoribus gratificandi studio indicta causa occidere. Tunc rescripsit Hadrianus successori Serenii, Minucio Fundano, ne quis posthac sine objectu criminis et legitima accusatione condemnaretur.[2]) Sed manifeste etiam sic conditio Christianorum miserrima erat. Hadrianus.

[1]) Frequenter in commendatitiis epistolis litterae graecae adhibebantur, ut signa episcopis invicem nota. Quaedam ejusmodi epistola ita desinit: Fraternitatem vestram Christus nobis incolumem conservet. *π. υ. α. π. β. ι. ζ. ξ. ἀμην.* Data Wormatiae etc. Aliud formulare incipit: Sanctissimo in Christo fratri summa dulcedine caritatis amplectendo, *α.* illius civitatis episcopo, *υ.* illius ecclesiae praesul, *ω, υ. ω, α.* — V. Freib. Kirchenl. art. Literae formatae.

[2]) Epistola ex Justino est hujusmodi: „Aelius Hadrianus Aug. Minucio Fundano Procos. Salutem. Accepi litteras ad me scriptas a Serenio Graniano V. Cl. decessore tuo. Nec sane mihi videtur res ista absque diligenti inquisitione praetereunda, ne forte et christiani homines turbentur et delatoribus calumniandi occasio praebeatur. Igitur si provinciales palam adesse possunt petitionibus suis adversus Christianos, ita ut pro tribunali respondeant, in id unum incumbant, nec petitio-

S. Telesphorus. 39. S. Telesphorus, (a. 127—139) successit S. Sixto circa annum 127. De ipso haec habet Catalogus Felicianus: *Telespor natione Graecus, ex Anachorita, sedit annos undecim, menses tres, dies viginti unum. Hic constituit, ut septem hebdomadis jejunium celebraretur Paschae. Martyrio coronatur. Hic fecit, ut natali D. N. J. Ch. noctu missae celebrarentur, et in ingressu sacrificii (*ante sacrificium Lib. Pont.*) hymnus diceretur angelicus: Gloria in excelsis Deo, tantum in nocte Natalis Domini. Hic fecit ordinationes quatuor, presbyteros duodecim, diaconos octo, episcopos per diversa loca quatuordecim per mensem Decembrem: qui etiam sepultus est juxta corpus B. Petri in Vaticano IV Nonas Januar.; et cessavit Episcopatus dies sex.* — Plura in his minus accurata esse censent eruditi, quamvis quoad substantiam facta in Catalogo recensita ut vera habenda sint. Ita Telesphorus jejunium quadragesimale non primus instituit, sed ex temporibus Apostolorum ejus origo est repetenda. Attamen quum aetate Telesphori jam quaestio de Paschate agitaretur, probabiliter quaedam ordinavit quoad illud jejunium, et institit ut observaretur. Quoad illa verba, ut *Gloria in excelsis* tantum nocte Nativitatis diceretur, etiam veritati haud ea congruunt. Initio tamen Ecclesiae, (advertit Schelstraete), hunc hymnum non adeo frequenter recitatum fuisse, ut nunc fit in omnibus festis, vel ex antiquissimo Sacramentario Gregorii M. patet, quod tempore Caroli M. scriptum asservatur in Bibliotheca Palatina Vatic. Ubi initio legitur: *Item dicitur Gloria in excelsis Deo, si episcopus fuerit, tantummodo die Dominica sive diebus festis: a presbyteris autem minime dicitur, nisi in solo Pascha.*[1]

S. Hyginus. 40. S. Hyginus (a. 139—142), versus annum 139

nibus solisque clamoribus utantur. Etenim multo justius fuerit cognoscere te, si quis accusare voluerit. Quod si quis eos detulerit probaveritque contra leges quidquam agere, tu pro gravitate delicti in eos statue. Sin, me Hercule, calumniae causa istud intenderit, operam dabis ut pro gravitate criminis in illum animadvertas.“ Justin. Apol. I. 69. Euseb. H. E. IV. 9. Controvertitur tamen de authentia hujus Edicti.

[1]) Nota ad Catalogum Felicianum.

post gloriosum S. Telesphori martyrium Pontifex factus, Ecclesiae circiter quatuor annos praefuisse traditur. Ipsum *Clerum disposuisse et gradus distribuisse,* dicit Catalogus Felicianus; id probabiliter de institutione et completione ordinum minorum intelligendum est. — Inde ab Hygini Pontificatu autem videmus Romam se conferre *haeresiarchas Gnosticos,* ut a Romana ecclesia, omnium reliquarum matre et capite, speciem saltem communionis obtinerent, vel suam pseudoecclesiam ei opponerent. His haereticis S. Hyginus ejusque successores fortiter restiterunt. Gnosticorum quidem systematum erat magna diversitas, quaedam tamen principia generalia sectis variis communia hic exponere juvabit.

41. Nomen habuerunt a *γνῶσι* seu vera Dei rerumque divinarum cognitione, quam sibi adscribebant. Basis praecipua systematum erat *quaestio de origine mali.* Gnostici materiam ceu fontem omnis mali considerabant, adeoque eam non a Deo perfectissimo procreatum, sed eam praeter Deum ab aeterno exstitisse dicebant. Quum autem secundum eorum doctrinam contactus immediatus inter Ens supremum et materiam pravam esset impossibilis, effinxerunt seriem spirituum coelestium, quos *aeones* seu entia perennia vocabant. Horum priores immediate a Deo procreati longe erant praestantissimi, diversi tamen sexus, unde ex iis generati sunt alii aeones, sed imperfectiores; ac successerunt simili modo plures aeonum generationes, quarum posteriores prioribus semper fuere deteriores. Omnibus istis aeonibus in immenso aëris spatio, quod pleroma dicebant, sedes assignabant. — Ex postremis aeonibus admodum imperfectis, quos appellabant demiurgos, mundus visibilis una cum hominibus conditus est. Homines tribus constant partibus, nimirum corpore e materia vitiosa conglutinato et anima duplici, alia *sensitiva* (*ψύχη*), a mundi fabricatore e materia subtilissima formata, alia *rationali* (*πνεῦμα*) e substantia supremi Dei educta. Inde pugna in homine, quum anima rationalis, coelesti sua origine cognita, ad Deum omnis boni fontem redire conetur, a sensualitate vero retrahatur, et in profundum erro- Gnostici.

rum ac vitiorum demergatur. — Salutem animarum rationalium in eo positam esse docebant, ut a vinculis et e servitute demiurgi ac materiae extrahantur, atque ad supremi Dei cognitionem adducantur, quo post corporis obitum ad amissam felicitatem reverti possint. Quem in finem diversis temporibus in hunc terrarum orbem descenderunt aeones, a numine divino missi, qui animabus rationalibus recuperandae libertatis viam aperirent; eorum tamen conatibus demiurgus obstacula opposuit, ipseque impedivit, quominus animae coelestes ad originem suam redirent. De caetero non fore desperandum, sed confidenter exspectandum nobilis triumphi tempus, quo aeonum longe potentissimus demiurgi imperium destructurus, et mentes coelestes a corporibus esset divulsurus.

42. Quum Gnostici perversa haec placita ad religionem christianam transferrent, de variis illius capitibus perquam corrupte sentiebant. Et quidem demiurgum habebant pro Moysis deo et veteris Foederis auctore; proinde legis Mosaicae auctoritatem divinam negabant. Prouti ex una parte Christum confundebant cum aeone potentissimo, et ex altera parte materiam per se vitiosam omniumque malorum fontem esse credebant; ita etiam nec veram Christi divinitatem admittebant, Deo supremo inferiorem illum statuentes, nec verum illi corpus tribuebant, sed umbra tantum corporis illum vestitum, adeoque patiendi, moriendi et resurgendi incapacem fuisse contendebant. Quum supponerent, huic mundo genios praeesse malos, omnes magiae operam impendebant, quam horum geniorum vi evertendae idoneam esse autumabant. Falso principio de materia prava inhaerentes, carnis resurrectionem negabant, matrimonia damnabant, corporibus bellum inferebant, omnes naturae instinctus sensuumque delectationes criminis loco habebant. Qua tamen in re tam parum inter se consentiebant, ut nonnulli existimarent, instinctus naturales haud esse voluntarios, et si quis eosdem sequeretur, eum nullius peccati reum fore, nisi mala voluntas animusque impurus accesserit. — In Aegypto, Syria et Asia minore maxime turpissimae illae Gnosticorum sectae

pullularunt. Sub Hygino, Pio et Aniceto, praesertim Valentinus, Cerdo et Marcion impia sua somnia Romae propagare conati sunt, et quamvis Pontifices ipsis fortiter resisterent, asseclas tamen plures Romae invenerunt. De his haereticis Eusebius H. E. l. IV. cc. 10 et 11 refert quae scribit Irenaeus. *Valentinus,* inquit, *Romam venit Pontificatu Hygini. Viguit autem temporibus Pii, et ad Anicetum usque perseveravit. Cerdon vero, qui Marcionem antecessit, ipse quoque Pontificatu Hygini, qui nonus fuit Episcopus, cum ad Ecclesiam venisset et errorem suum confessus esset, ita deinceps perseveravit: interdum occulte docens, interdum rursus confitens errorem; nonnunquam convictus impiae doctrinae eoque nomine a conventu fratrum remotus . . . Huic deinde succedens Marcion, natione Ponticus, scholam latius propagavit, impudentissime blasphemans.*

43. S. Pius (a. 142—157). — *Hygino post quartum episcopatus annum mortuo, Romanae ecclesiae sacerdotium suscepit Pius* (Eus. l. c.), natione Italus ex Aquileia. Continuavit hic luctam contra haereticos Gnosticos. Ejus tempore maxime floruit *S. Justinus,* qui variis operibus christianam religionem tum contra Judaeos et gentiles, tum contra haereticos vindicavit. Celebres sunt ejus Apologiae. Primam scripsit c. a. 150 ad Imperatorem Antoninum Pium ejusque filios adoptivos, M. Aurelium et Lucium Verum, et ad Senatum populumque Romanum. Secundam dedit a. 164 ad Marcum Aurelium Imp. — Hadriano videlicet a. 138 defuncto successit *Antoninus Pius* (138—161), sub cujus regno persecutio contra Christianos continuata fuit. Sed Christianorum defensione per Justinum tradita factum est, ut Imperator benigniorem in eos se praeberet. — Etiam contra Marcionem haereticum Justinus speciale opus composuit, atque in schola cui praefuit religionis christianae veritatem atque doctrinas egregie defendit. Martyrio coronatus est versus annum 167. S. Pius.

44. Pio Pontifici frater fuit nomine Hermas, cui antiqua documenta adscribunt illum librum cui titulus *Pastor.* Ita Catalogus Liberianus: *Sub hujus episcopatu frater ejus Ermes librum scripsit, in quo mandatur continetur que, quod*

ei praecepit Angelus, cum venit ad eum in habitu Pastoris. Ex Hippolyti Chronico haec sunt fortasse desumpta. Iis consentit auctor Fragmenti Muratoriani, qui circa a. 180 scripsisse videtur. Dicit enim v. 73 sqq.: *Pastorem vero nuperrime temporibus nostris in urbe Roma Herma conscripsit, sedente cathedra urbis Romae ecclesiae Pio episcopo fratre ejus*[1]). Quod si revera hic liber, uti videtur, ipsius est, non vero Hermae qui commemoratur Rom. 16. 14, merito ex *Hermae Pastore* colligitur, tempore S. Pii tendentiam haereticam rigorismi se manifestasse, quam Hermas in suo Pastore impugnat. Initia videlicet *Montanismi* forte tempori Pii adscribenda sunt, vel errores similes jam in pluribus regionibus propagabantur.

S. Anicetus. 45. S. Pio successit S. Anicetus versus annum 157, qui sedit usque ad annum 168. *Hic constituit,* secundum Catalogum Felicianum, *ut clericus comam non nutriret.* — Sub ipso Romam venit jam annis gravatus S. Polycarpus Joannis Apostoli discipulus et episcopus Smyrnensis, ut cum eo de tempore celebrandi Paschatis, ac de aliis quaestionibus ecclesiasticis conferret. Controversia de Paschate quidem haud conclusa est, attamen vincula unitatis non rupta sunt. *Cum beatissimus Polycarpus*, scribit Irenaeus ad Victorem (ap. Euseb. H. E. l. V. c. 24), *Aniceti temporibus Romam venisset, atque inter illos de quibusdam aliis rebus modica esset controversia, statim mutuo pacis osculo se complexi sunt, de hoc capite non magnopere inter se contendentes. Neque enim Anicetus Polycarpo persuadere unquam poterat, ut observare desineret, quippe qui cum Joanne Domini nostri discipulo et cum reliquis Apostolis quibuscum familiariter vixerat, eum morem perpetuo observasset. Neque item Polycarpus Aniceto persuadere conatus est, ut observaret, quum Anicetus eorum qui ante se fuerant Presbyterorum morem sibi retinendum esse diceret. Quae cum ita se haberent, communicarunt sibi invicem; et Anicetus in ecclesia consecrandi munus Polycarpo honoris causa concessit, tandemque cum pace a se invicem discesserunt, tam iis qui*

---

[1]) Cfr. Funk, Patres apost.; Prolegomena in Hermae Pastorem p. CIX.

observabant, quam illis qui minime observabant, pacem communionemque totius Ecclesiae retinentibus. — Etiam Hegesippus tempore Aniceti Romam venit, ut in Dissertatione anteriore diximus. Atque ex hoc tempore continuo conspicimus undique Romam episcopos virosque illustres commeare, qua in re Romani Pontificis suprema dignitas et auctoritas agnita conspicitur.

46. Imperium tenuit eo tempore (161—180) *Marcus Aurelius,* ac sub ipso continuo persecutio contra Christianos acerbissima saeviit; persequebatur eos Imperator ut homines superstitioni fanaticae deditos et reipublicae noxios. Praeter Justinum, Melito, Apollinaris, Athenagoras, Hermias, Tatianus, Theophilus, suis Apologiis christianam religionem in illis rerum angustiis vindicarunt. Eam scriptis et declamationibus suis praecipue Celsus (138) et Crescens (150) multitudini exosam reddere studuerunt, ipseque Marcus Aurelius stoicae philosophiae deditus, huic religioni infensus erat.

47. S. Soter successit Aniceto c. annum 168, seditque annos octo vel novem. Saeviit sub ipso persecutio Marci Aurelii, quumque variis in regionibus multi Christiani in metallis carceribusve tenerentur, vel bonis privarentur, Soter quantum potuit nisus est, ut eleemosynis missis ipsis succurreret. Id discimus ex epistola Dionysii Episcopi Corinthi, quam citat Eusebius H. E. l. IV. c. 33. *Exstat,* scribit, *etiam epistola ejusdem Dionysii ad Romanos, Soteri tunc temporis Romanae urbis episcopo nuncupata, ex qua pauca quaedam hic inserere non abs re fuerit, ubi scilicet ille morem institutumque Romanorum, ad persecutionem usque nostra aetate factam perpetuo custoditum, magnopere commendans ita scribit: Haec enim, inquit, vobis consuetudo est jam inde ab ipso religionis exordio, ut fratres omnes vario beneficiorum genere afficiatis, et ecclesiis quamplurimis quae in singulis urbibus constitutae sunt, necessaria vitae subsidia transmittatis. Et hac ratione tum egentium inopiam sublevatis, tum fratribus qui in metallis opus faciunt necessaria suppeditatis: per haec quae ab initio transmittere consuevistis munera, morem institutumque Romanorum a majoribus vestris acceptum retinentes. Atque hunc morem*

S. Soter.

beatus episcopus vester Soter non servavit solum, verum etiam adauxit: tum munera sanctis destinata copiose subministrans, tum fratres peregre advenientes tanquam liberos suos pater amantissimus beatis sermonibus consolando. — Quae de SS. Petro et Paulo in hac epistola Dionysius scribit, praecedente jam vidimus Dissertatione.

Tatianus. 48. Sub Sotero *Tatianus* floruit atque defecit. Hic videlicet ex Assyria oriundus, primum in gentilium disciplinis magna cum fama versatus est; deinde Romae Christianus factus, S. Justini auditor et in propugnanda adversus ethnicos philosophos christiana veritate adjutor fuit. Post mortem Justini ipsius scholae philosophicae praefuit, sed mox fidei naufragium fecit. *Tatianus,* scribit Eusebius (H. E. l. IV, c. 29), *Justini auditor, quamdiu quidem cum illo versatus est, nihil ejusmodi* (haereticum) *protulit. Post martyrium autem illius ab Ecclesia se abrumpens, doctoris arrogantia elatus ac tumidus, tanquam praestantior caeteris novam quamdam formam doctrinae conflavit, aeones invisibiles commentus perinde ac Valentinus, asserens quoque cum Saturnino et Marcione, matrimonium nihil aliud esse quam corruptionem et stuprum. Nova praeterea argumenta ad subvertendam Adami salutem excogitavit. Haec Irenaeus de haeresi quae tunc viguit Encratitarum.* — Quum videlicet Tatianus ejusque sectatores continentiae studerent, et vini usum damnarent, dicti sunt *Encratitae* seu Continentes, et *Hydroparastatae* sive *Aquarii.* Versus annum 172 Tatianus Romam reliquit et in patriam reversus est; secta autem ejus adhuc saeculo IV in Syria existebat.

Montanistae. 49. *Montanistarum* quoque secta sub Sotero aut orta est (a. 171), sicuti Tillemontius aliique juxta Chronicon Eusebii statuunt, aut aliquando prius jam orta, uti aliis placet, sub hoc Pontifice invaluit. Sectae auctor fuit *Montanus,* Ardabae Mysiae oppido Phrygiae finitimo, ethnicis parentibus natus, vir temperamenti melancholici, avaritiae et dominandi cupidini etiam post baptismum indulgens. Is divinas inspirationes venditare, nova et inaudita proloqui, futuraque praeter morem et institutum a majoribus

traditum, praedicare coepit, et plurimos sibi discipulos conciliavit, inter quos primas partes obtinebant duae mulieres nobiles ac divites Prisca et Maximilla. Istae maritos suos relinquentes, ut prophetissas sese gesserunt. Cum hisce adjutricibus Montanus sectam instituit falsa pietate et specioso rigore distinctam, ad quam multi tum viri tum feminae desciverunt. Hi ab auctore Montanistae, a regione in qua orti et potissimum commorati sunt *Phryges, Cataphryges*, a Pepuza Phrygiae oppido, quod pro suis Hierosolymis habebant, *Pepuziani* dicti sunt.

50. Praecipui autem Montanistarum errores erant isti. Montanum ceu Paracletum venerabantur divinitus missum, ut Christi et Apostolorum doctrinam perficeret. Non solum secundas nuptias veluti maxime vitiosas repudiabant, verum etiam matrimoniorum foedera solvebant. Asserebant, in persecutione nunquam fugiendum esse, jejunia propria observabant et Catholicorum jejuniis multo rigidiora. Stationes enim plerumque in vesperam producebant, duas in anno xerophagiarum hebdomadas veluti ad salutem necessarias observabant, et jejunii quadragesimalis tempore incoenati cubitum ibant. Adulteros, idololatras, homicidas aliorumque peccatorum graviorum reos in perpetuum ab Ecclesia excludebant, asserentes Ecclesiam nullam habere potestatem ejusmodi peccata condonandi. Patriarchis Pepuzae residentibus primum in conventibus assignabant locum, secundum coenonibus seu oeconomis, tertium episcopis; mulieres quoque ad episcopatum et presbyteratum feruntur evexisse.[1])

51. Eusebius de Montanistis accurate agit H. E. l. V. c. 16, et quae eos spectant refert ex antiquo auctore, qui circiter tredecim annis ab obitu Maximillae scripsit.[2]) Opinio autem erat illis temporibus, Montanum ejusque plures

---

[1]) Vide Wouters H. E. Vol. I. p. 99.

[2]) „Ab obitu Maximillae, inquit, usque in hunc diem plus quam tredecim anni jam elapsi sunt: nec tamen (uti illa praedixerat) ullum aut particulare bellum aut universale in terris fuit. Imo Christianis praecipua quadam Dei misericordia pax stabilis et firma permansit.“ Eus. l. c.

asseclas spiritibus malis agitari. Montanistis multum auctoritatis et roboris comparavit Tertullianus, nominis sui celebritate et propugnatis Montani placitis contra Catholicos in libris de fuga, de jejuniis, de monogamia, de pudicitia, de exhortatione ad castitatem, ubi secundas nuptias impugnat. Secta haec per Asiam, Europam, Africam propagata fuit, et usque ad saeculum quintum perduravit. Haud dubium est, Pontifices Montanismum et reliquas illius temporis haereses impugnasse et sua auctoritate damnasse. Quamvis singula decreta et acta memoriae non sint servata, operae pretium est ea advertere, quae scribit Tertullianus jam Montanista factus contra Praxeam Antitrinitarium l. I. c. 1. *Etsi*, inquit, *Praxeas corpus suum tradidisset exurendum, nihil profecisset dilectionem Dei non habens, cujus charismata quoque expugnavit. Nam idem tunc Episcopum Romanum, agnoscentem jam prophetias Montani, Priscae et Maximillae, ex ea agnitione pacem ecclesiis Asiae et Phrygiae inferentem, falsa de ipsis prophetis et ecclesiis eorum asseverando, et praecessorum ejus auctoritates defendendo, coëgit et litteras pacis revocare jam emissas, et a proposito recipiendorum charismatum concessare.* More sectariorum hic Tertullianus praetendit, tempore Praxeae Pontificem (Zephyrinum) voluisse agnoscere Montanistas, quod sane falsum esse judicamus; sed simul significat, a praecessoribus eos damnatos fuisse. Praecessores illi fuerunt Victor, Eleutherus et Soter; inde ab initio igitur Pontifices pro munere suo hanc haeresim proscripserunt, atque jam videmus eos, insurgentibus erroribus, auctoritatem suam et sollicitudinem universalem exercere.

S. Eleutherus. 52. Obiit S. Soter anno circiter 176; utrum martyrio coronatus fuerit, ex documentis antiquitatis non colligitur. Successit ei S. Eleutherus, de quo Catalogus Felicianus: *Eleuther natione Graecus, ex patre Abundantio, de oppido Nicopoli, sedit annos quindecim, menses tres, dies duos. Fuit temporibus Antonini et Commodi. Hic accepit epistolam a Lucio Britanniae rege, ut christianus efficeretur per ejus mandatum; et hoc constituit, ut nullus* (cibus) *repudiaretur*

a Christianis maxime fidelibus, quem Deus creavit, qui tamen rationabiles sunt.[1])

53. Initio Pontificatus Eleutheri persecutio vehementer desaeviit, atque tunc passi sunt *Martyres Lugdunenses.* Scribit Eusebius in Prooemio ad l. V: *Igitur Sotere Romanae urbis Episcopo post octavum episcopatus annum vita functo, duodecimus ab Apostolis Eleutherus in ejus locum successit. Annus tunc agebatur septimus decimus Antonini Veri. Quo tempore cum in nonnullis terrarum partibus violentior adversus nostros persecutio commota esset ex incursione popularium, innumerabiles prope martyres per universum orbem enituisse, ex iis quae in unica provincia contigerunt conjicere est.* Dein refert Commentarium de passione martyrum, quem ecclesiae Lugdunensis et Viennensis ad ecclesias Asiae Phrygiaeque miserunt. In illis regionibus Galliae videlicet erant multi coloni ex Asia, indeque frequens cum ecclesiis Asiae communicatio. — Fideles Galliae martyres etiam de Montanistis suum judicium privatum dederunt eo tempore, in epistolis ad Asianos et Eleutherum P.; illud cum vera fide consentiens, adeoque errori Montani oppositum, Eusebius dicit. Ista de re probabiliter etiam cum Eleuthero egit *S. Irenaeus,* tunc presbyter Ecclesiae Lugdunensis, et ab hac Romam ad Eleutherum missus *ob quasdam quaestiones,* uti ait S. Hieronymus in Catologo Scriptorum. Romae tunc etiam *Hegesippus* degebat; *Rhodon* vir doctissimus praeerat Scholae S. Justini, atque *Appollonius* senator christianus pariter doctrina excellebat. Sed schisma ea aetate duo presbyteri Romae excitarunt, *Blastus* et *Florinus,* alter in quaestione de Paschate, alter Gnosticorum errores sequens. Uterque ab Eleuthero depositus propriam sectam fundavit.

54. Mox pro religione christiana tempus venit felicius, quum Marco Aurelio a. 180 succederet filius ejus *Commodus* (180—192). Is enim influxu concubinae suae Marciae, quae Christianis favebat, in ipsos se benigniorem

[1]) In Libro Pontif.: „Et hoc iterum firmavit, ut nulla esca usualis repudiaretur maxime a fidelibus, quam Deus creavit, quae tamen rationalis et humana esset."

ostendit. *Eodem tempore*, scribit Eusebius, *Commodo imperium Romanum obtinente, res quidem nostrae in tranquilliori statu versabantur, pace per Dei gratiam cunctas per orbem ecclesias complexa. Atque interim salutaris Dei sermo ex omni genere hominum quam plurimos ad religiosum summi numinis cultum pertrahebat, adeo ut multi ex iis qui in urbe Roma genere atque opibus eminebant, simul cum universa domo ac familia salutem consecuturi accurrerent.*[1]) Ita christiana religio ultimis decenniis saeculi II amplissime propagata est. Etiam ad Anglos eo tempore a Pontifice missos fuisse qui Evangelium praedicarent, ex iis quae supra ex Catalogo Feliciano citavimus colligitur. Idem refert Ven. Beda Lib. I historiae gentis Anglorum c. 4. ubi scribit: *Cum Eleutherus vir sanctus Pontificatui Rom. Ecclesiae praeesset, misit ad eum Lucius Britannorum rex epistolam obsecrans, ut per ejus mandatum christianus efficeretur, et mox effectum piae postulationis consecutus est.* Lucius videtur fuisse princeps Britannus Romanis subjectus. — Quamvis Christiani pace gauderent, apparuit tamen ex martyrio Apollonii Senatoris, eorum res esse parum securas, et antiquas leges contra eos vigere. *Denique* (daemon) *Romae,* ita Eusebius l. c., *Apollonium quemdam e numero fidelium, qui in humanioribus litteris et in philosophia eximius habebatur, in judicium adduxit, suscitato ei accusatore homine quodam perditissimo, qui ad hujusmodi flagitia idoneus imprimis magister daemonis videbatur. Sed miser intempestiva suscepta accusatione, cum ex Imperatoris edicto capitalis poena in eos qui talia detulissent esset constituta, confestim fractis cruribus occiditur, Perrenne ejusmodi adversus ipsum sententiam pronuntiante. Martyr vero Deo acceptissimus, cum judex multis eum precibus obsecrasset, petissetque ab illo, uti coram Senatu rationem fidei suae redderet, elegantissima oratione pro defensione fidei suae coram omnibus pronuntiata, capitali supplicio a Senatu damnatus est.*

55. Decretum Eleutheri quod commemoratur in Catalogo Feliciano de nulla esca repudianda, videtur revera

[1]) H. E. l. V. c. 21.

latum fuisse ab hoc Pontifice contra Encratitarum et Montanistarum errores. Encratitae enim damnabant usum carnis et vini; Montanistae alios quosdam cibos rejiciebant.

56. In locum S. Eleutheri circa annum 190 suffectus est ejus archidiaconus S. Victor, qui decem annis Ecclesiam gubernavit. Commodus Imp. die 31 Decembr. a. 192 interfectus est; sed etiam successor ejus Septimius Severus initio regni sui (a. 193—211) Christianis favorem praestitit, ac fides magis magisque propagata est. Victor erat Afer, vir doctus qui Clero juniori educando praefuerat. Sub ipso Theodotus et Artemon divinitatem Christi impugnarunt, qui non solum a Victore ex Ecclesia rejecti sunt, sed etiam, teste Eusebio, perdocte confutati a quodam anonymo illius temporis scriptore, qui sacratissimum dogma de divinitate Christi defendit tum ex Scripturis, tum e Traditione, quam ex ipsis fidelium hymnis et e Patrum, Justini, Melitonis, Miltiadis, Irenaei scriptis ostendit. S. Victor.

57. Celebrior est altera controversia sub Victore vehementius agitata quoad celebrationem Paschatis; de eadem inferius agemus. Victor ipse scripsit super quaestione Paschae, et alia quaedam opuscula; atque juxta S. Hieronymum Victor et Apollonius primi scriptores ecclesiastici fuerunt, qui lingua latina usi sunt. Ejus autem scripta perierunt. Inde ab a. 197 iterum persecutio contra Christianos efferbuit; primum quidem tumultus populares contra eos exorti sunt, mox vero persecutio progressus fecit, quum varii provinciarum praetores, et Plautianus urbis praefectus, dum Imperator contra Parthos bellaret, Christianos vexare coeperunt. Paulatim etiam eo adductus est Septimius Severus, ut a. 202 decretis christianam religionem proscriberet, quam ipsi adversarii Christianorum ut illegalem et imperio periculosam repraesentabant. Etiam uxor ejus Julia Domnina Christianis valde infensa erat, ipsaque excitavit Flavium Philostratum rhetorem, ut conscriberet in odium Christianorum Apollonii Tyanaei philosophi vitam, ejusque praetensa prodigia.

58. Hoc loco aliqua advertere juvabit de *propagatione*

Propagatio Christianismi.

christianismi. Maximam eam usque ad haec tempora fuisse, colligitur ex scriptis auctorum illius aetatis; quamvis enim operibus suis apologeticis emphasi quadam scribant, tamen ea habent, ex quibus amplissimam fuisse religionis christianae propagationem omnino concludi debet; nec desunt auctores profani, ut Tacitus, Plinius, Celsus, qui hac de re se exhibent testes. Praeter ea quae jam citavimus effata pauca addere praestat. — Justinus M. in *Dialogo cum Tryphone* scribit: *Ne unum quidem est hominum genus, sive barbarorum sive graecorum, sive etiam aliorum omnium quocumque appellentur nomine, . . . inter quos per nomen Crucifixi Jesu supplicationes et gratiarum actiones non fiant.* — S. Irenaeus Contr. Haer. l. I. c. 10: *Quamquam dispares inter se mundi linguae sunt, una tamen et eadem est traditionis vis. Atque neque hae quae in Germaniis sitae sunt ecclesiae aliter credunt, aut aliter tradunt, neque quae in Hispaniis, aut Galliis, aut in Oriente, aut in Aegypto, aut in Africa, aut in mediterraneis orbis regionibus sedem habent. Verum ut sol hic a Deo conditus in universo mundo unus atque idem est, ita etiam veritatis praedicatio passim lucet, omnesque homines qui ad veritatis agnitionem venire cupiunt illustrat.*

59. Praesertim vero Tertullianus variis in scriptis valde disertus est in describenda propagatione christianismi. Sic Adv. Judaeos c. VII venisse Messiam a prophetis praedictum, ex amplitudine regni ejus comprobat et scribit: *In quem alium universae gentes crediderunt, nisi in Christum? Cui alii credunt Parthi, Medi, Elamitae et qui habitant Mesopotamiam, Armeniam, Phrygiam, Cappadociam, et incolentes Pontum et Asiam et Pamphiliam, immorantes Aegyptum et regionem Africae trans Cyrenem, Romani et gentes caeterae, ut Getulorum varietates et Maurorum multi fines, Hispaniarum termini et Galliarum diversae nationes, Britannorum inaccessa Romanis loca, item Sarmatorum, Dacorum, Germanorum, Scytharum et aliarum abditarum gentium, et provinciarum et insularum multarum nobis ignotarum, et quae enumerare minus possumus.* Celeberrimus etiam est textus ille Apolog. c. 37: *Quid unquam denotastis de*

tam conspiratis, de tam animatis ad mortem usque pro injuria repensatum? quando vel una nox pauculis faculis largiter ultionis posset operari, si malum malo dispungi penes nos liceret. Sed absit, ut aut igni humano vindicetur divina secta, aut doleat pati in quo probatur. Si enim et hostes exsertos, non tantum vindices occultos agere vellemus, deesset nobis vis numerorum et copiarum? Plures nimirum Mauri, et Marcomanni, ipsique Parthi, vel quantaecumque, unius tamen loci et suorum finium gentes, quam totius orbis. Hesterni sumus, et vestra omnia implevimus, urbes, insulas, castella, municipia, conciliabula, castra ipsa, tribus, decurias, palatium, senatum, forum; sola vobis relinquimus templa. Cui bello non idonei, non prompti fuissemus, etiam impares copiis, qui tam libenter trucidamur, si non apud istam disciplinam magis occidi liceret, quam occidere? Potuimus et inermes nec rebelles, sed tantummodo discordes, solius divortii invidia adversus vos dimicasse. Si enim tanta vis hominum in aliquem orbis remoti situm abrupissemus a vobis, suffudisset utique dominationem vestram tot qualiumcumque amissio civium, imo et ipsa destitutione punisset: procul dubio expavissetis ad solitudinem vestram, ad silentium rerum, et stuporem quemdam quasi mortui orbis: quaesissetis quibus imperaretis: plures hostes quam cives vobis remansissent; nunc enim pauciores hostes habetis prae multitudine Christianorum.

60. Certe ex hac descriptione Tertulliani amplissimam christianae religionis propagationem fuisse conspicis. Attamen recens auctor apologeta anonymus (Dr. K.), quem jam citavimus, animadvertit, amplificationes ejusmodi caute accipiendas esse. In ipso porro Tertulliani contextu indicium haberi satis accuratum, quale vix apud alium auctorem reperiatur, quid Tertullianus dum sobrie rem perpendit, de numero Christianorum tenuerit. Etenim, inquit, dum Tertullianus loquitur de resistentia violenta quam Christiani facere possent, veluti ad reflexionem vocatus secum reputat, quantas copias Christiani adversariis opponere possent. Atque concedit quidem, *certe talem exercitum qualem Mauri, Marcomanni, Parthi exstruere poterant,*

Tertulliani textus.

Christianos armare non posse. Haec spontanea Tertulliani indicatio summi nobis pretii est; inde enim concludere possumus, quid revera ipse censuerit de multitudine Christianorum. Quantus fuerit Parthorum vel Maurorum exercitus, praecise definire nequimus, sed quoad Marcomannos constat, saeculo primo eorum principem Marbod contra Romanos exegisse 70,000 peditum et 4000 equitum. Quum vero constet, apud Germanos quartam vel quintam gentis partem casu belli arma cepisse, inde colligitur, totam Marcomannorum nationem hominum fere ter centum millium fuisse. — Hac ratione igitur colligitur, Tertullianum existimasse, suo tempore in imperio Romano esse 300,000 Christianos. Quodsi quis existimet, eum haud attendisse majori numero Christianos in Asia et Aegypto inveniri, quam in Tertulliani patria, ille numerus evehi posset ad quingenta millia. Haec quidem computatio haud respondet opinioni vulgari, qua censetur multitudo Christianorum saeculo tertio ineunte majorem fuisse, attamen veritati consentanea esse videtur.[1])

61. Ad hanc expositionem animadvertimus, nimis certe diminui ab auctore numerum Christianorum. Argumentatio autem ex Tertulliano omnino vitiosa est; tota enim nititur textu hujus scriptoris male intellecto. Ex genuina interpretatione textus plane contrarium sequitur. Censet auctor anonymus, Tertullianum sobria mentis reflexione adhibita concedere, Christianorum exercitum non tantum quidem fore quantus Marcomannorum, Parthorum vel Maurorum. Sed Tertullianus reapse contrarium dicit. Illa enim verba: *Plures nimirum Mauri et Marcomanni ipsique Parthi, vel quantaecumque unius tamen loci et suorum finium gentes, quam totius orbis,* manifeste *ironice* dicta sunt. Hoc patet vel ex ipsa oppositione *gentium unius loci et suorum finium*, atque Christianorum *gentis totius orbis.* Post interrogationem: *An deesset nobis vis numerorum et copiarum?* respondet ironice: Nimirum illae *gentes unius regionis,* ut Marcomanni vobis tam formidandi, copiosiores

---

[1]) Hist. pol. Bl. 1874 B. II. Altchristliche Statistik, p. 67, sqq.

sunt, quam *gens totius orbis*, Christiani. Deinde in amplificatione sua per gradus prosequitur, assertiones suas de multitudine Christianorum confirmans: *Hesterni sumus, et vestra omnia implevimus etc.* Multum igitur abest, ut ex hac amplificatione, quae textum de quo agimus *sequitur*, Tertullianus adductus sit ad restrictionem faciendam juxta opinionem auctoris. — Restrictionem sobriam amplificatae propagationis christianismi et multitudinis Christianorum, Tertulliano ut rhetori assuetae, auctor etiam invenit in illis verbis ex libro De anima c. 49: *Nulla jam gens Dei extranea est, in omnem terram et in terminos orbis Evangelio coruscante.* Sed auctor hic singulari lapsus est errore. Opinatus est, sensum verbi *coruscat* eam esse, ut significet *lucescere incipit* (dämmern).[1] Omnes tamen qui linguam callent latinam convenient, *coruscare* plane alium sensum habere, scilicet emittere splendorem magnum uti sol tempore meridiano. Caeterum eo loco Tertullianus loquitur de natione Lybica Atlantum, de qua mira quaedam Plinius et Herodotus referunt; neque contendimus, eum velle asserere, in ejusmodi nationibus longinquis ac barbaris jam valde amplos progressus religionem christianam fecisse. Sed ex talibus non restringuntur ea, quae identidem Tertullianus de amplissima propagatione religionis christianae habet.

62. Etiam ea quae in libro *ad Scapulam* Tertullianus de multitudine Christianorum habet, haud apte ad scopum suum auctor vertere studet. Scribit Tertullianus: *Utique ex disciplina patientiae divinae agere nos satis manifestum esse vobis potest, cum tanta hominum multitudo, pars paene major civitatis cujusque in silentio et modestia agimus, singuli forte noti magis quam omnes, nec aliunde noscibiles quam de emendatione vitiorum pristinorum* (c. 2). — *Arrius Antoninus in Asia quum persequeretur instanter, omnes illius civitatis Christiani ante tribunalia ejus se manu facta obtule-*

[1] „Seine Ansicht in Betreff der allgemeinem Ausbreitung des Christenthums ermässigt er dahin, „dass das Licht des Evangeliums schon in jedem Lande und bis zu den Grenzen des Erdkreises dämmere, (coruscat)."

runt . . . . Hoc si placuerit et hic fieri, quid facies de tantis millibus hominum, tot viris ac feminis, omnis sexus, omnis aetatis, omnis dignitatis, offerentibus se tibi? Quantis gladiis, quantis ignibus opus erit? Quid ipsa Carthago passura est decimanda a te, cum propinquos, cum contubernales suos illic unusquisque cognoverit, cum viderit illic fortasse et tui ordinis viros et matronas, et principales quasque personas, et amicorum tuorum vel propinquos vel amicos? Parce ergo tibi, si non nobis; parce Carthagini, si non tibi (c. 5). Tertullianus igitur hoc in opusculo dicit *paene majorem partem* civitatis cujusque (Africae propriae) esse Christianos, et quoad Carthaginem *de tantis millibus* loquitur. Ex eo tamen quod dein utatur verbo *decimandi,* auctor infert, revera tantum circiter decimam partem civitatis christianismo addictam fuisse. Sed etiam haec illatio non est ad regulam aequam exacta. Quamvis enim *decimare* proprio sensu significet, decimum quemque alicujus multitudinis eximere et punire virum, tamen etiam sensu minus determinato verbum adhiberi potest, quum ex multitudine pars, etsi decima major, seligitur et punitur. Totus contextus, quamvis cum amplificatione loquatur Tertullianus, indicat, multitudinem Christianorum non ita restringi posse. — Certe quum Apologetarum argumenta legimus, attendendum est, eos identidem stylo rhetorico et amplificatione uti, attamen haud ita eorum dicta restringenda sunt, ut vis demonstrationis pereat. Quamvis videlicet splendida loquendi forma utantur, tamen facta quae referunt vera, et argumenta in se valida sunt. Sane viri illi insignes si falsa attulissent facta, nullo negotio a paganis refutati essent; nec ipsi tam stolidi erant, ut ea assererent, quae veluti fictiones mendaces illico rejici potuissent.[1])

---

[1]) Cfr. Mury, Le nombre des chrétiens de Néron à Commode. Revue des questions hist. t. XXII. 1877, p. 517. — Zur altchristlichen Statistik, Hist. Pol. Bl. 1875. B. I. S. 412 sqq. — Chronotaxim Pontificum primi et secundi saeculi hoc loco non accuratius discussimus, sed annos pontificatus disposuimus secundum ea, quae habet Lipsius in sua Chronologia RR. Pontificum, et De Smedt, Dissert. V.

III.

De controversia circa Paschatis celebrationem.

63. Sub pontificatu S. Victoris vehementius exarsit celebris controversia de celebratione Paschatis. Ut quaestionis indoles intelligatur, simulque perspiciatur, cur Victor haud immerito censuerit, vigore quodam usum disciplinae Romanae Ecclesiae oppositum reprimendum esse, aliquanto altius rem repetendam esse censuimus. — In ecclesiis Asiae minoris tendentiae cuidam occurrimus, qua facile ideas et ritus judaizantes tenebant, et angustiori ratione etiam traditioni veluti ad litteram adhaerebant. Id forte ex eo provenit, quod in illis regionibus multi Judaei hellenistici philosophicis disciplinis exculti ad christianismum conversi erant. Inde connexio christianismi cum judaismo, in se verissima, identidem nimium urgebatur, atque etiam minus apte et congrue intelligebatur. In controversia de Paschate hae tendentiae praecipue se manifestarunt. Questionis indoles.

64. Christiani Romani, reliquique omnes Occidentis et partis etiam Orientis, Paschatis sacra ita peragebant, ut respicerent dies hebdomadis ecclesiasticae, adeoque mortem Christi semper die Veneris, resurrectionem vero die Dominica celebrarent. Quum vero Christus Dominus in Paschate Judaeorum, XIV° mensis Nisan, opus Redemptionis perfecisset, etiam hujus diei in Paschate ordinando rationem habebant, ita ut mortis et resurrectionis Christi festum perageretur *die Veneris et die Dominica quae post XIV Nisan sequebantur.* Sed Asiae minoris et provinciarum adjacentium plerique fideles Pascha celebrabant semper die XIV mensis Nisan cum Judaeis, indeque *Quartodecimani* dicti sunt. — At vero non tantum quoad diem, sed etiam quoad *characterem,* qui Paschati tribuebatur, dissensio quaedam erat. Occidentales cum Romanis Pascha peragebant ut festum *Resurrectionis* Domini, atque in hac Resurrectione ipsis sita erant *momentum* et excellentia summa festorum Paschalium. Aliter vero rem concipiebant Quartodecimani Asiani, quorum duplex classis versus Quartodecimano.

finem saeculi II discerni debet. Erat pars quaedam, exigua tamen, eorum qui contendebant, celebrari ipsum *Pascha Christi Domini,* videlicet coenam paschalem, *esum Agni paschalis,* uti Christus Dominus ipse ultimum Pascha celebraverat. Characterem specificum Paschatis igitur esse coenam Christi Domini, in qua etiam SS. Sacramentum instituit. Imo videntur tenuisse, etiam pro Christianis ex lege Mosaica perdurare hanc obligationem celebrandi Paschatis esu agni Paschalis. Pascha vero existimabant Christum manducasse die XIV Nisan, et hunc diem celebrandum esse. Hi Quartodecimani a pluribus auctoribus ut *Quartodecimani Ebionitae* habentur.

65. Plerique vero *Quartodecimani orthodoxi* censebant, characterem praecipuum festi Paschatis esse in *morte Christi,* cujus typus fuit Agnus paschalis. Christum Dominum mortuum esse XIV Nisan, adeoque praecise hunc diem esse celebrandum. (Existimabant ipsi, Dominum ultimum Pascha non manducasse, eo quod illud tantum vespere XIV Nisan ederetur, Christus vero illo die mortuus sit.) Ipsi quidem die XVI Nisan celebrabant etiam resurrectionem Domini, sed praecipuus dies erat eis XIV, in quo mors Christi peragebatur. Hora tertia a meridie illius diei solvebant jejunia, et tunc communionem et agapen festive celebrabant. Duo igitur distinguebant paschata, *πάσχα σταυρώσιμον* seu crucifixionis, et *πάσχα ἀναστάσιμον* seu resurrectionis; utrum post solutum jejunium et convivium festivum diei XIV Nisan, in vigilia resurrectionis jejunium resumpserint, non est omnino certum. Multi ita existimant, Eusebius tamen scribit: *Eaque luna (XIV) in quemcumque demum diem septimanae incidisset, finem jejuniis imponendum esse statuebant.*[1] Occcidentales autem triduum integrum mortis Christi in tristitia peragebant, et tantum Dominica Resurrectionis jejunia solvebant et communionem paschalem peragebant. Ex hisce perspicis, quaestionem de celebratione Paschatis non fuisse meram controversiam *de seligenda die*, sed etiam se miscuisse

---

[1]) H. E. L. V. c. 23.

quaestionem *de charactere festi Paschalis,* et *connexionem festi cum festo Judaeorum* pro Quartodecimanis periculum judaizandi continuisse.[1])

66. Romani et Occidentales suum morem celebrandi Pascha a SS. Apostolis Petro et Paulo merito derivabant. Asiani autem contendebant, suam consuetudinem derivatam esse a SS. Joanne et Philippo Apostolis, atque magna cum constantia suae traditioni inhaerebant. Quod vero ad hanc traditionem spectat, Apostoli illi non censendi sunt istum morem mandato quodam instituisse, sed quum in Asia permulti essent Christiani ex judaismo conversi, atque initio Judaeorum ritus etiam a talibus adhuc in magna veneratione haberentur, natura rei id secum tulit, ut continuarent Pascha celebrare eo die quo Judaei illud celebrabant. Neque SS. Joanni et Philippo Apostolis necessarium visum est illum morem mutare, sed eum admiserunt et comprobaverunt.

67. Jam primis tamen decenniis saeculi II discrimen inter Occidentales et Asianos Romanis Pontificibus minus placuisse videtur; attamen quum intelligerent, Asianos illud non sequi Mosaicorum rituum custodiendorum cupiditate, sed veteris traditionis conservandae cura, nulla ea de re in Ecclesia controversia vehementior orta est. Cum Polycarpus episcopus Smyrnensis, Aniceto Pontifice, Romam venisset, uti vidimus, etiam de celebratione Paschatis actum est. Ac licet Anicetus conatus sit Polycarpo persuadere, ut ipse cum caeteris Asianis consilium susciperet, communem Christianorum morem in Paschatis celebratione sequendi, Polycarpus cedere noluit; inde tamen pacis turbatio haud secuta est. Soter qui Aniceto successit, illud in praesenti negotio egit, ut licet Asianos domi suae mo-

---

[1]) *Tria itaque videntur,* ait De Smedt, *in illa controversia agitata fuisse, nimirum: 1° Num Christianis conveniret epulum Paschale eodem cum Judaeis die agere. 2° Num fas esset, memoriam passionis Dominicae coena paschali recolere ac jejunium solemne ita interrumpere* (vel finire). *3° Num liceret alia quam Dominica die festum resurrectionis Christi celebrare.* Diss. II. c. 1. n. 5. Hisce adhuc connexa et implicita erat quaestio de *charactere* festi Paschatis, uti supra diximus.

rem quem commemoravimus sequi passus sit, voluerit tamen, Asianos qui Romae versarentur, eo die Pascha celebrare, quo die caeteri Christiani festum hoc peragebant.

68. Versus a. 170 in ipsa Asia etiam controversia de Paschate orta est, uti videmus ex fragmento operis Melitonis Sardiani Episcopi, quod citat Eusebius H. E. l. IV. c. 24. *Servilio Paulo*, inquit, *Asiae Proconsule, quo tempore Sagaris martyrium perpessus est, magna controversia Laodiceae excitata est de solemnitate paschali, quae tempestive in illos dies inciderat.* Melito et Apollinaris Episcopus Hierapolitanus hac occasione *de Paschate* scripserunt, atque ex fragmentis quae supersunt de opere Apollinaris videmus, controversiam directam fuisse contra Quartodecimanos judaizantes, qui contendebant, festo Paschatis celebrari coenam Dominicam, qua Christus agnum paschalem ultimo manducaverit, ac simili coena hanc diem celebrandam esse.[1]) — Eodem fere tempore versus a. 180, sub Eleuthero Pontifice, uti narravimus, Florinus et Blastus presbyteri Romani ab Ecclesia defecerunt. Discimus autem ex Tertulliano, Praescript. c. 53, Blastum errores judaizantium propagasse et etiam docuisse, Pascha secundum legem Mosaicam die XIV Nisan celebrandum esse. *Est praeterea,* dicitur l. c., *his omnibus etiam Blastus accedens, qui latenter judaismum vult introducere. Pascha enim dicit non aliter custodiendum esse, nisi secundum legem Moysis XIV mensis.* Blastum vero Romae asseclas invenisse patet ex Eusebio, de ipso et Florino scribente: *Qui quidem quam plurimos ab Ecclesiae gremio abstrahentes in suam sententiam perduxerunt, cum utique seorsim novam doctrinam adversus fidei veritatem invehere laborarent.*[2])

S. Victor intervenit.

69. Quum igitur hisce in adjunctis Victor pontificatum suscepisset, modus celebrandi paschatis Asianorum ipsi merito periculi plenus visus est; ac timuit forte, ne Asiani hac in re errores judaizantes tenerent. Hinc ne erroribus

[1]) Cfr. Hefele, Conc.-Geschichte B. I. §. 2 et §. 32.
[2]) H. E. l. V. c. 15.

connivere videretur et pericula perdurare permitteret, statuit morem Asianorum amplius non tolerare. Habuit itaque Romae concilium, et praecipuis Ecclesiae episcopis auctor fuit, ut pariter collectis in synodum suarum provinciarum episcopis de celebratione Paschatis agerent, et quid ipsis videretur rescriberent. In epistolis missis videtur jam exposuisse motiva, cur modus Romanus et Occidentalium ubique introducendus esset. Episcopi obtemperarunt, et in plurimis provinciis synodi habitae sunt. In Eusebii Chronico ad a. 197 habetur: *Quaestione orta in Asia inter episcopos, an secundum legem Moysis quartodecimo die mensis Pascha observandum esset, Victor Romanae urbis episcopus, et Narcissus Hierosolymorum, Polycrates quoque Ephesiorum, et Irenaeus Lugdunensis, et Bacchylus Corinthiorum, plurimique ecclesiarum pastores quod eis probabile visum fuerit litteris ediderunt, quarum memoria ad nos usque perdurat.* — Fusius ista de re agit Eusebius H. E. l. V. c. 23, atque ibidem: *Synodi ob id,* inquit, *coetusque episcoporum convenere. Atque omnes* (Asianis exceptis) *uno consensu ecclesiasticam regulam universis fidelibus per epistolas tradiderunt: ne videlicet ullo alio quam Dominico die mysterium resurrectionis Domini unquam celebretur: utque eo dumtaxat die paschalium jejuniorum terminum observemus.* Vehementius etiam episcopi Palaestinae contra morem Quartodecimanorum scripserunt. *Episcopi vero Palaestinae,* ait Eusebius (V. 25), *quos paulo supra memoravimus, Narcissus scilicet et Theophilus, et cum illis Cassius Tyri, et Clarus Ptolemaidis episcopi, et qui simul cum ipsis convenerant, postquam de traditione diei paschalis quae jam inde ab Apostolis ad ipsos continua successione manaverat, multa in suis litteris disseruerunt, tandem ad finem epistolae his utuntur verbis: Date operam, ut epistolae nostrae exemplaria per omnes ecclesias mittantur, ne nobis crimen imputent, qui animas suas a recto veritatis tramite facile abducunt. Illud etiam vobis significamus, eodem quo apud nos die Pascha Alexandriae celebrari. A nobis enim ad illos, et vicissim ab illis ad nos litterae perferuntur, ita ut uno consensu et simul sacrosanctum peragamus diem.*

Asianorum resistentia.

70. Haud omnino liquet, utrum tunc tantummodo Victor etiam Asianos episcopos ut in synodum convenirent invitaverit, eisque reliquorum sententiam cum auctoritate ut sequendam proposuerit, uti innuit Palma[1]); an vero eodem tempore quo reliquorum etiam Asianum concilium monente Victore habitum fuerit, uti censet Hefele.[2]) Ultimo modo res se habuisse nobis videtur. Asiani igitur praeside Polycrate Ephesiorum episcopo convenerunt; sed isti magna cum vehementia asseruerunt, se perseveraturos esse in suo agendi more, urgentes antiquam traditionem. *Episcopis vero Asiae*, scribit Eusebius (V. 24), *qui morem sibi a majoribus traditum retinendum esse acriter contendebant, Polycrates praeerat. Qui quidem in ea epistola quam ad Victorem et ad Romanae urbis ecclesiam scripsit, traditionem ad sua usque tempora propagatam exponit his verbis: Nos igitur verum et genuinum agimus diem, nec addentes quidquam nec detrahentes. Etenim in Asia magna quaedam lumina exstincta sunt, quae illo adventus Dominici die resurrectura sunt, cum Dominus e coelo veniet plenus majestate et gloria, sanctosque omnes suscitabit. Philippus scilicet, unus e duodecim Apostolis, qui mortuus est Hieropoli, et duae ejus filiae quae virgines consenuerunt: alia quoque ejus filia quae Spiritu Sancto afflata vixit et Ephesi requiescit. Praeterea Joannes qui in sinu Domini recubuit, qui etiam sacerdos fuit* (ἱερεὺς) *et laminam* (τὸ πέταλον) *gestavit, martyr denique et doctor exstitit. Hic inquam Joannes apud Ephesum extremum diem obiit. Polycarpus quoque qui apud Smyrnam episcopus et martyr fuit, itemque Traseas Eumeniae episcopus et martyr qui Smyrnae requiescit. Quid Sagarim episcopum eumdemque martyrem attinet dicere, qui Laodiceae est mortuus? Quid beatum Papirium, quid Melitonem eunuchum, qui Spiritu sancto afflatus cuncta gessit, qui et Sardibus situs est, adventum Domini de coelis, in quo resurrecturus est exspectans. Hi omnes diem Paschae quartadecima luna juxta Evangelium observarunt, nihil omnino variantes, sed regulam fidei*

[1]) Praelect. t. I. c. XIX. [2]) L. c.

constanter sequentes. Ego quoque omnium vestrum minimus Polycrates, ex traditione cognatorum meorum, quorum etiam nonnullos assectatus sum: fuerunt enim septem omnino ex cognatis meis episcopi, quibus ego octavus accessi. Qui quidem omnes semper Paschae diem tunc celebrarunt, cum Judaeorum populus fermentum abjiceret. Ego, inquam, fratres, quinque et sexaginta annos natus in Domino, qui cum fratribus toto orbe dispersis sermones saepe contuli, qui Scripturam sacram omnem perlegi, nihil moveor iis quae nobis ad formidinem intentantur. Etenim ab illis qui me longe majores erant dictum scio: Obedire oportet Deo magis quam hominibus. . . . Possem etiam episcoporum qui mecum sunt facere mentionem, quos petiistis ut convocarem, sicut et feci. Quorum nomina si adscripsero, ingens numerus videbitur. Hi cum me pusillum hominem invenissent, epistolam nostram assensu suo comprobarunt, gnari me canos istos non frustra gestare, sed vitam ex praeceptis institutisque Jesu Christi semper egisse.

71. Post haec prosequitur Eusebius: *His ita gestis Victor quidem Romanae urbis episcopus illico omnes Asiae vicinarumque provinciarum ecclesias, tanquam contraria rectae fidei sentientes a communione abscindere conatur* (ἀποτέμνειν ὡς ἑτεροδοξούσας τῆς κοινῆς ἑνώσεως πειρᾶται); *datisque litteris universos qui illic erant fratres proscribit, et ab unitate Ecclesiae prorsus alienos esse pronuntiat* (ἀκοινωνήτους ἄρδην πάντας τοὺς ἐκεῖσε ἀνακηρύττων ἀδέλφους). *Verum haec non omnibus placebant episcopis. Proinde Victorem ex adverso hortati sunt, uti ea potius sentire vellet, quae paci et unitati caritatique erga proximum congruebant. Exstant etiamnum eorum litterae, quibus Victorem acerbius perstringunt- Ex quorum numero Irenaeus in epistola, quam scripsit nomine fratrum quibus praeerat in Gallia, illud quidem defendit, solo die Dominico resurrectionis Domini mysterium esse celebrandum, Victorem tamen decenter admonet, ne integras Dei ecclesias morem sibi a majoribus traditum custodientes, a communione abscindat* (ὡς μὴ ἀποκόπτοι). Exponit in ea epistola Irenaeus, etiam in aliis capitibus, uti in jejuniis, diversitatem adesse, haud semper quidem laudandam et ex negligentia praepositorum exortam, tamen

An Asiani excommunicati.

inde fidei periculum haud exoriri nec pacem turbari. *Ita jejuniorum diversitas consensionem fidei commendat.* Studet igitur hac ratione Victori probare, diversitatem in celebrando Paschate tantum disciplinam spectare, nec fidem periclitari, adeoque satius esse eam tolerare, quam multas excommunicare ecclesias. Dein Victori proponit exemplum quoque Praecessorum ipsius, qui pariter cum Quartodecimanis pacem retinuerunt. Concludit Eusebius: *Ac Irenaeus quidem nomini suo vere respondens, nec solo nomine sed etiam vitae instituto ac proposito pacificus, pro Ecclesiae pace haec monuit et allegavit. Nec vero ad Victorem solum, sed ad multos alios ecclesiarum antistites de quaestione proposita litteras in eamdem sententiam misit.* Quamvis autem Eusebius non addat, qualis fuerit effectus conatuum quos Irenaeus ad pacem conservandam adhibuerit, ex historia tamen constat, perdurans aliquod schisma eo tempore non obtinuisse, quamvis Asiani, in sua sententia et consuetudine quoad celebrationem Paschatis perseverarent.

Variae sententiae.

72. Utrum vero Victoris litteris ad Asianos missis jam contineretur excommunicationis *lata sententia*, an vero eam graviter ille minitatus fuerit, controversia est inter auctores gravissimos. Valesius, Natalis Alexander, Palma, Hefele censent, nondum excommunicationis sententiam illis litteris latam fuisse sed nuntiatam; alii vero, uti Coustantius, Mansi in suis Animadversionibus ad Natalem Alexandrum[1]), et Schelstraete, Pagi, Tillemont, Massuettus a Mansi citati, existimant, a Victore excommunicationem in Asianos revera latam fuisse, sed brevi post eis pacem concessam. Quaestio haec dirimenda est ex Eusebii relatione et ex aliis scriptoribus; at valde difficile est, ex his certi quid statuere. Qui censent, excommunicationis sententiam a Victore *haud latam* fuisse, advertunt, Eusebium dicere Victorem *conatum fuisse* (*πειρᾶται*) Asianos excommunicare, atque ipso verbo adsignificari, rem ad effectum non esse perductam. Sed illud *πειρᾶται* etiam explicari potest inde, quod excommunicatio, quamvis lata,

---

[1]) V. Nat. Alex. In saec. II, Dissert. IV. Art. V.

perdurantem non habuerit effectum, eo quod Victor, quum aliis res displiceret et ab iis moneretur, excommunicationem non urgeret sed remitteret. — Maxime vero insistunt illi, qui excommunicationem *latam* esse contendunt, in illis verbis Eusebii: *Datisque litteris universos qui illic erant fratres proscribit, et ab unitate Ecclesiae prorsus alienos esse pronuntiat.* Haec verba secundum sensum obvium et naturalem profecto significant, a Victore Asianos excommunicatos esse.

73. Haud censeo tamen, rem ex his verbis omnino confici. Potuerunt litterae Victoris etiam ejusmodi esse, ut significarent, *Asianos si in sua praxi celebrandi Paschatis pergerent, excommunicatos esse,* adeo ut excommunicationem incurrissent post primum Pascha more iis consueto celebratum. Quum enim Eusebius Victoris verba ipsa non afferat, non potest sensus rigorosus eorum ultra hoc urgeri. Interim vero accepit S. Victor epistolam S. Irenaei aliorumque episcoporum, ipsique satius visum est acquiescere eorum desideriis et excommunicationem Asianorum non perficere. Opinioni huic, excommunicatos revera non fuisse Asianos, favent certe ea, quae mediante saeculo III ad S. Cyprianum S. Firmilianus episcopus Caesareae in Cappadocia scripsit contra S. Stephanum, quum controversia de rebaptizandis haereticis vigeret: *Eos autem,* scribit, *qui Romae sunt non in omnibus observare, quae sint ab origine tradita, et frustra Apostolorum auctoritatem praetendere, scire quis etiam inde potest, quod circa celebrandos dies Paschae et circa multa alia divinae rei sacramenta videat esse apud illos aliquas diversitates, nec observari illic omnia aequaliter quae Hierosolymis observantur; secundum quod in caeteris quoque plurimis provinciis multa pro locorum et hominum diversitate variantur, nec tamen propter haec ab Ecclesiae catholicae pace atque unitate aliquando discessum est. Quod nunc Stephanus ausus est facere, rumpens adversum vos pacem, quam semper antecessores ejus vobiscum amore et honore mutuo custodierunt.*[1])

[1]) Inter Epp., Cyprianie p. 75. n. 5.

Agitur hic de excommunicatione, quam probabiliter S. Stephanus tantum minatus est; Firmilianus autem eam uti jam latam exhibet. Simul vero asserit, propter diversitatem in celebrando Paschate, nunquam pacem ruptam esse. Coustantius quidem contendens, Asianos a S. Victore revera excommunicatos fuisse, id ita explicat: *Celeritas quippe qua, ut credere est, pax ad modicum interturbata, in integrum restituta est, unitatis ruptae oblivionem ita peperit, ut ab ea aliquando discessum esse Cypriani aetate ne recoleretur quidem.*[1]) Sed difficilius videtur posse supponi, talem oblivionem jam tempore S. Cypriani in Asia minori invaluisse, si revera S. Victoris sententia lata, aliquando de facto Asiani excommunicati fuissent. Firmiliani verba argumentum valde probabile constituunt, eousque rem haud devenisse, ut de facto Asiani excommunicationi subjacerent. — Epiphanius tamen asserit, officia caritatis mutuae inter ecclesiam Romanam et Asianos aliquanto tempore cessasse. Scribit videlicet ipse ad haer. 70, confundens Polycarpum cum Polycrate, *Polycarpi ac Victoris temporibus Orientales ab Occidentalibus ita divulsos esse, ut pacificas a se invicem litteras nullas acciperent.* Verum etiam ex his non colligitur, plenam excommunicationem in Asianos fuisse pronuntiatam, sed tantum, ob diversam celebrandi Paschatis rationem caritatem inter Occidentales et Orientales eo tempore fuisse turbatam, et usum litterarum pacificarum desiisse.

74. Anatolius Laodicenus episcopus, qui Probo Imperatore circa annum Christi 276 floruit, in suo Canone Paschali de controversia hac ita scribit, ut excommunicationis *factae* mentionem non habeat. *Usque hodie,* inquit, *omnes Asiae episcopi, (quippe qui et ipsi ab auctore irreprehensibili, Joanne scilicet Evangelista et pectoris Domini incubatore, doctrinarum sine dubio spiritualium potatore, regulam susceperunt), indubitanter omnibus annis, quando XIV Luna adfuisset, et agnus apud Judaeos immolaretur, Aequinoctio transvadato, Pascha celebrabant, non acquies-*

---

[1]) Epistolae RR. Pontif., S. Victor; n. 9.

centes auctoritati quorundam, id est Petri et Pauli successorum, qui omnes ecclesias in quibus spiritualia Evangelii semina severunt, solemnitatem Resurrectionis Domini in die tantum Dominica posse celebrari docuerunt. Unde et contentio quaedam exorta est inter eorum successores, Victorem scilicet Romanae Urbis eo tempore episcopum et Polycratem, qui tunc in episcopis Asiae primatum gerere videbatur; quae Irenaeo tunc Galliae partis Praesule rectissime pacata est, utrisque partibus in sua regula perseverantibus, nec a coepto antiquitatis more declinantibus.[1]) S. Hieronymus dicit, de Scriptor. eccl. c. 45: *Victor multos Asiae et Orientis episcopos, qui XIV Luna cum Judaeis Pascha celebrabant, damnandos esse crediderat; in qua sententia hi qui discrepabant ab illis Victori non dederunt manus.* — Ex Socrate, Sozomeno et Nicephoro hac in quaestione nihil certi erui potest; nam et ipsi haud praecise significant, quomodo res se habuerit, et non nisi Eusebii narrationem referre censendi sunt. Quum tamen Firmilianus excommunicationem factam certe non noverit, et Anatolius quoque eam non commemoret, videntur hi scriptores pondus non spernendum afferre sententiae eorum qui existimant, Asianos a Victore de facto non excommunicatos fuisse; vel saltem excommunicationis sententiam plenam executionem non accepisse.

75. Quaestio etiam clarescet, si quaedam advertuntur de excommunicatione, cujus ratio prioribus saeculis non semper eadem, nec ita determinata erat, uti posteriori tempore per Juris canonici regulas factum est.[2]) Quod ad episcopos spectat triplicem possumus distinguere excommunicationem seu communionis negationem. 1° *Anathematis* seu completae excommunicationis poena feriebantur episcopi, qui haeresi vel schismati pertinaciter inhaerebant. Ex Ecclesia catholica hac ratione excludebantur. — 2° Minimus denegatae communionis gradus erat ille, quum episcopus jubebatur *suae ecclesiae communione esse contentus.* Tali episcopo alii episcopi per litteras paci-

---

[1]) Ap. Bucherium, De Doctrina temporum etc. p. 444. [2]) Vide haec ap. De Smedt, Dissert. II. c. III.

ficas non communicabant; illi tamen in ecclesiam propriam auctoritas sua et dignitas et cum clericis et plebe sua communio integra servabatur. Nec tali ratione censebatur episcopus ille esse extra communionem et unitatem aliarum ecclesiarum, et universalis Ecclesiae, sed tantum signa illa communicationis et honoris ei non exhibebantur. — 3° Excommunicatio gravior *illa erat,* ita De Smedt, *qua episcopi et ecclesiae mutuam communionem abrumpebant. Dum scilicet ecclesiae aut episcopus quidam in alterius ecclesiae aut episcopi doctrina vel disciplina perversi aliquid se perspicere arbitrabatur, et is monitus non acquiescebat, a communione ejus se subtrahebant, negando ei litteras communionis aut etiam ipsius litteras respuendo, itemque sacrorum participatione repellendo fideles illius ecclesiae, tametsi litteris commendatitiis sui episcopi instructi essent.* — Quum etiam episcopi inter se dignitate aequales ea ratione interdum communionem rumperent, per se ejusmodi communicationis denegatio non habebat stricto modo indolem censurae vel poenae ecclesiasticae ab auctoritate superiori latae. — *Attamen ii qui primatiali aliquo jure in alios episcopos gaudebant, non solum poterant ita communionem suam alicui denegare et alios adhortando et suadendo adducere ad eam eidem subtrahendam, sed et episcopos sibi subjectos prohibere imperio, ne et ipsi cum eo a quo se ita separavissent communicarent. Ac proinde summus Pontifex qui primatum in universas ecclesias particulares habet, poterat hac ratione ecclesiam vel episcopum quemvis omnium aliarum ecclesiarum communione privare, seu a communione totius Ecclesiae separare.*[1])

Solutio. 76. Victor itaque in controversia ista haud pronuntiavit anathema in episcopos et ecclesias Asiae. Sed actum est de eo, ut ipse sua communione illas ecclesias privaret et etiam reliquis episcopis injungeret, ne cum illis ecclesiis communicarent. Quousque vero ejusmodi ejus decretum etiam executioni datum fuerit, non plane liquet. Forte S. Victor denegationem illam communionis omnium

---

[1]) De Smedt l. c.

reliquarum ecclesiarum Asianis tantum ultimo quodam conatu minatus est, forte etiam decretum suum exequi coepit, quatenus Sedis Apostolicae communionem cum ipsis suspendit, reliquisque Praesulibus mandavit, ut et ipsi jam non cum illis ecclesiis communicarent. Sed merito ex Eusebii aliorumque relatione id saltem intuleris, ad *plenam executionem* S. Victoris decretum nunquam esse deductum. Quum enim S. Irenaeus et alii quidam episcopi Pontifici gravia proponerent motiva contra executionem talis consilii, eo ipso in hoc negotio quaedam mora suspensionis evenit, nec ad plenum effectum, seu ad denegationem communionis ex parte omnium ecclesiarum res pervenit. Atque vel S. Victor eorum precibus cessit, ita ut interruptam forte communionem Sedis Apostolicae mox Asianis iterum concederet, vel quum ipse brevi post obiisset, ejus successores rem ulterius non urgendam esse censuerunt, ita ut communionem cum istis ecclesiis colerent.

77. Restat, ut quaedam dicamus de modo agendi Victoris in controversia hac de Paschate, simulque videamus, an ex oppositione ipsi facta argumentum aliquod contra primatum R. Pontificis peti possit. Plures scriptores protestantes, uti Boehmer[1]), Mosheim[2]), Gieseler[3]), Victorem accusant, quod imprudenter vel saltem praecipitanter egerit, dum Asianis tanto vigore restitit, eosque a communione ecclesiastica excludere voluit. Febronius[4]) commemorans S. Irenaei aliorumque Praesulum adhortationes pacificas, scribit: *Victorem, ut ecclesiasticae unitatis minus studiosum, nimiaque praecipitatione in excommunicando adductum, improbaverunt quam plurimi ejusdem temporis praesules sanctitate conspicui, quos inter Irenaeus.* Vindiciae Victoris.

78. Ut ista de re judicemus, observandum est imprimis, in rebus practicis plures identidem esse vias agendi diversas, quarum alia propter motiva gravia uni, alia aliis

---

[1]) Diss. 9 Juris eccl.
[2]) Comment. de rebus Christianor. ante Constant. M. p. 435 sqq.
[3]) Kirchengesch. B. I. §. 60.
[4]) De statu Eccles. t. 2. p. 64.

propter alia motiva potest probari. Prudentia in agendis haud sese habet uti veritas in rebus speculativis, ita ut in indivisibili posita sit; neque dissensus inter plures ostendit, aliorum modum agendi prudentem, aliorum imprudentem esse habendum. Ita aliquando S. Paulus censuit, Joannem Marcum, quod ab ipso citius discessisset, comitem ad novum iter Apostolicum assumendum non esse; S. Barnabas contrariae sententiae inhaesit alias ob rationes; atque amice inter se rem ita composuerunt, ut S. Paulus cum Sila, S. Barnabas cum Joanne Marco proficisceretur. Imo in rebus practicis etiam prudentiae esse potest consilia mutare, si nova momenta atque motiva pro una potius quam pro altera parte perspiciuntur. Maxime vero si agitur de quaestione, utrum in aliqua causa severitate an moderatione patienti utendum sit, motiva in utramque partem gravia esse possunt; et sicuti alios invenimus Pontifices qui laudantur, quod magno cum vigore res ecclesiasticas disposuerint, ita aliis similiter laus tribuitur, quod prudenti patientia et moderatione, quae implicata erant dissolverint et ad bonum finem adduxerint.

79. Ex iis quae narravimus per se colligitur, Victori rationes fuisse gravissimas, ut Quartodecimanis resisteret, et adhibita quoque severitate eos adduceret, ut communem modum celebrandi Paschatis susciperent. Ipsa quaestio *disciplinae* in celebrando Paschate jam per se gravissima erat. Nam totus cyclus festorum et jejuniorum anni ecclesiastici de festo Paschatis dependet, adeoque diversitas Quartodecimanorum perturbationem non modicam in Ecclesia producebat. Vidimus dein, etiam quaestionem de *indole et charactere* Paschatis christiani intime nexam fuisse quaestioni *de die,* qua festivitas illa peragenda erat. Praeterea vero propter turbas quas excitaverant Montanistae, judaizantes, et Romae Blastus presbyter[1]), merito judicavit Victor, *periculosum* esse ista aetate illisque in

---

[1]) Vidimus, Blastum contendisse, obligationem legis Mosaicae quoad Pascha celebrandum suam vim adhuc habere, et eum Judaismum introducere voluisse. Montanistarum vero tendentiis ipsius doctrinas con-

adjunctis adhuc perdurare illam discrepantiam inter Asianos et reliquas ecclesias christianas. Adeoque etiam merito censuit esse sui officii, ut ejus qui in totam Ecclesiam habebat primatum auctoritatis et jurisdictionis, obviare illi consuetudine.

80. Litteris et coactis synodis primum sapientissime disciplinam uniformem inducere studuit; dein vero quum Asiani duce Polycrate falsa quadam religiositate simul et arroganti obstinatione resisterent, severitate utendum esse existimavit, nec imprudentiae vel praecipitationis propterea argui potest. Sane Polycrates in sua epistola ita scribebat, ac si unice Asiani *regulam Evangelii* tenerent, et reliqui erroris damnandi essent, ita ut videretur morem Quartodecimanorum non solum ut consuetudinem licitam, sed uti ritum in Evangelio praescriptum considerare. *Nos,* inquit, *verum et genuinum agimus diem, nec addentes quidquam nec detrahentes . . . Hi omnes* (sancti) *diem Paschae quartadecima luna juxta Evangelium observarunt, nihil omnino variantes, sed regulam fidei constanter sequentes.* Gravis inde oriebatur suspicio, vel in negotio fidei Quartodecimanos illos errore, eaque confirmabatur epistola episcoporum Palaestinae, qui scribebant: *Satagite autem nostrae epistolae exempla per totam Paroeciam mittere, ne rei simus erroris eorum, qui suas ipsorum animas tam facile seducunt.* Demum *modus* quo satis irreverenter Polycrates se non cessurum minis nuntiabat, Victorem debuit excitare, ut *auctoritatis sua jura* haud sperni sineret.

81. Addere etiam juvat, gravitatem hujus quaestionis posteriori tempore ab universa Ecclesia solemniter agnitam fuisse. Concilium enim Nicaenum ea ratione qua Pontifex asseruerat, festum Paschatis celebrari debere confirmavit. Atque haec quaestio de Paschate inter gravissimas causas habita fuit, cur Synodus Nicaena celebraretur. *Nicaena Synodus,* scribit S. Athanasius, *non temere, sed ex urgente necessitate et ex legitima causa coacta est: nam*

---

nexas fuisse, colligitur ex iis quae scribit Pacianus Ep. Barcinon. (c. a. 370) ep. 1 ad Sympron.: „Phryges plurimis nituntur auctoritatibus; nam puto et Graecus Blastus ipsorum est."

Syriae, Ciliciae et Mesopotamiae populi circa festi celebrationem claudicabant.[1])

82. Quod vero ad S. Irenaeum spectat aliosque Praesules, qui intervenerunt apud Pontificem, ne tot ecclesias denegata communione ab unitate praecideret, etiam ipsi laudabili caritatis motivo incitabantur. Ex una parte ea pericula, quae Romae sentiebantur, illis haud tam aperta erant. Persuasum ipsis erat, Polycratem atque Asianos nimium quidem suae consuetudini inhaerere, nec tamen ut fidei negotium ab iisdem hanc quaestionem reapse haberi, ac verba senis episcopi, duriora quidem et minus reverentia, haud tantopere esse urgenda. Hinc moderatione quadam et patientia potius utendum, ut illae ecclesiae in communione retinerentur. Etenim quum homines ira turbati et injuste se exagitari existimantes facile prolabantur ultra limites recti, timendum erat, ne Asiani etiam illa poena non moverentur, ut a proposito discederent, sed schismate foedissimo implicarentur. Ipse S. Irenaeus ac forte alii quoque amicitiae vinculis Asianis juncti erant, adeoque intervenire poterant apud Pontificem. Hic vero acceptis litteris eorum suspicionem de errore fidei Quartodecimanorum deponere, illisque intervenientibus patientia uti potuit, quod minus decuisset, quamdiu tantum agebatur de Asianis, qui rescriptis suis auctoritatem Pontificis laeserant.

83. Ex eo autem quod illi episcopi monuerunt Victorem, ut pacem non solveret, non sequitur, eos existimasse, male egisse Pontificem; sed potuerunt censere, propter gravia schismatis detrimenta melius esse et convenientius, aliquid condonare illis fratribus Asianis. Caeterum si forte opinati sunt, Victorem egisse imprudenter, (uti Bellarminus de iis scribit), inde non colligitur, revera factum Victoris imprudens fuisse, sed tantum illos Praesules non perspexisse satis motiva, propter quae Pontifex severitate in Asianos usus est. Auctoritatem autem Victoris Praesules non negarunt, nec contra primatum aliquid ex eorum

---

[1]) Lib. de Synodis n. 5.

conatibus colligi potest. Ad rem Bellarminus: *Quo plures erant, quibus displicebat sententia Victoris, eo potuissent facilius eam contemnere, ac Victorem potius excommunicare, si putassent, Victorem esse unum de numero episcoporum et non potius caput et judicem omnium. At nulli fuerunt, qui ejus sententiam irritam esse docuerint, vel Victorem contemnendum aut excommunicandum censuerint, vel eum monuerint, ne excederet limites suos et ne judicaret non subjectos sibi, quod imprimis monere debuissent, si vere Victor judex omnium non fuisset. Existimarunt ergo illi, Victorem fecisse quod potuit, sed non quod debuit.*[1] Plane inepte igitur ista de re scripsit Moshemius: *Ea qua Victor vivebat aetate tanta nondum erat antistitis Romani potestas, ut quorum sententias et instituta improbabat, eos totius Ecclesiae corpore abscindere posset. Hoc ipsa haec controversiae paschalis historia extra omnem controversiam ponit. Jus enim et facultas si Romano Episcopo fuisset, quos vellet universae Ecclesiae communione privare, neque Irenaeus neque reliqui Episcopi voluntati ejus adversari ausi fuissent, sed ratum habuissent, quod ab ipso judicatum erat.*[2] Haec, inquam, inepte dicuntur. Nullum enim vestigium est, illos episcopos denegasse Victori auctoritatem, ut Asianos communione privaret; imo eos agnovisse hanc potestatem potius innuit Eusebius, dum scribit de Irenaeo: *Victorem decenter admonet, ne integras Dei ecclesias morem sibi a majoribus traditum custodientes, a communione abscindat* (ὡς μὴ ἀποκόπτοι). Aliud profecto est, applicationem supremae auctoritatis in aliquo casu minus proficuam ducere, aliud est, ipsam potestatem negare. Illam supremae suae auctoritatis applicationem, qua Victor Asiae ecclesias a communione excludebat, minus utilem censuerunt Praesules, Pontificemque ut pacem non solveret hortati sunt enixius, sed ejus auctoritatem non inficiati sunt.

84. Polycrates quidem episcopus Ephesinus cum suis restitit Victori, vehementioresque ad eum litteras dedit. Verum, uti optime advertit Palma, ea resistentia non pro-

---

[1]) De Rom. Pont. L. II. c. XX. [2]) L. c. II. § 72.

bat, iis temporibus ignotam fuisse Pontificum auctoritatem illam, quam posterioribus temporibus exercuerunt. Resistentia enim legitimam auctoritatem non imminuit; neque posterioribus temporibus, quando tantam potestatis amplitudinem gradus sui propriam Romani Pontifices tranquille exercebant, exempla defuerunt hominum, qui Sedis Apostolicae auctoritati, non dicam restiterunt, sed nefarie prorsus illam spreverunt. Idem etiam quoad Concilia generalia accidit.[1]) — Caeterum, ut modus intemperatus agendi Polycratis aliorumque Asiae antistitum aliquatenus explicetur, iterum animadvertendum est, ex eorum resistentia non sequi, eos prorsus rejecisse supremam potestatem Romani Pontificis. Hanc quidem agnoverunt, sed viris commotis visum est iniquum, quod consuetudinem quam piam et legitimam esse obstinata quadam religiositate tenebant, Pontifex reprobare et proscribere vellet. Talem igitur applicationem ejus auctoritatis injustam habebant. Debuissent profecto agnoscere, non ad ipsos spectare, sed ad supremum Ecclesiae tribunal, controversiam illam dirimere, nec injustum ab ipsis posse haberi Victoris modum agendi. Imo etiam si sibi persuadere haud potuissent, aequum esse quod Pontifex postulabat, tamen se subjicere debuissent ejus judicio atque mandatis. Sed facilius accidit, ut homines affectibus commoti vehementioribus, talibus in negotiis claudicent, haud videant, quid secundum recta principia agere debeant, suisque passionibus ad resistentiam reprehensibilem abripiantur.

---

[1]) V. Palma, Praelectiones Vol. 1. c. XX.

Dissertatio tertia.

De opere quod inscribitur „Philosophoumena" sive „Haeresum omnium confutatio."

1. „Anno 1840 a viro summo et litteratissimo Abel Villemain, Galliarum regi a rebus institutionis publicae moderandis ministro, Mynoïdes Mynas, et natione Graecus et doctrina, eam provinciam acceperat, ut aditu ad graeca monasteria sibi facto libros manuscriptos, qui alicujus essent pretii perquireret, colligeret, et collectis bibliothecarum Parisiensium opes augeret. Inter caetera priscorum temporum monumenta, quae feliciter reperta tunc in lucem prodiere, non ignobilem obtinet locum *Galeni dialectica,* quam ipse Mynos anno 1844 typis mandavit, nobiliorem *Philostrati libellus de gymnastica, Babrii fabellae,* et imprimis codex novam *omnium haeresum confutationem* continens."[1]) Operis inventio.

2. Huic codici excutiendo quum sedulam novaret operam Emmanuel Millerus, vir doctus et antiquitatis graecae sedulus investigator, facile agnovit partem hujus operis, videlicet librum ejus primum in codice haud exstantem, jam pridem manibus eruditorum teri. Hic liber primus scilicet ex codice Florentino primum editus est a Jacobo Gronovio Thesauri Antiquitatum Graec. tom. X. p. 257 Lugduni Batav. a. 1701; ipseque editor juxta inscriptionem codicis Florentini aliorumque *Origenis* opus

---

[1]) V. Cruice, Prolegomena in editionem Philosophoumenon.

illud esse censuit, et titulo *Philosophoumena* vel potius fragmentum *Philosophoumenon* illud insignivit. Continet enim hic liber succincte sententias et doctrinas veterum philosophorum. — Codex a Mynoide Myna repertus continet totius operis libros septem posteriores; priores desunt, sive quod eos non exscripserit librarius, sive quod secundus et tertius liber plane interciderint. At libri secundi et tertii argumentum discernere, et rerum ordinem restituere inquirenti haud difficile est. Millerus corrigendis scribarum mendis ingenii acumen adhibuit; inde plurima quum ad pristinam integritatem restituisset, uno volumine, suadentibus amicis, et priorem librum jam notum et caeteras operis partes a Mynoide repertas, Oxonii a. 1851 edidit. Aliam editionem versione latina addita curarunt Göttingae Lud. Dunckerus et F. G. Schneidewinus a. 1859; ac paulo post a. 1860 Parisiis Patricius Cruice idem opus e codice Parisino productum recensuit, latine vertit, notis variorum suisque instruxit, prolegomenis et indicibus auxit.

Controversiae.

3. Subtiliores interea ac vehementiores disputationes de isto opere exarserunt. Ut alias quaestiones praetereamus, ea maxime discussa sunt, quae libro nono habentur *de Zephyrini et Callisti Romanorum Pontificum gestis atque doctrinis,* vehementiusque etiam agitata est quaestio *de auctore Philosophoumenon.* Quum videlicet auctor illorum Pontificum indolem et facta atris describat coloribus, eosque etiam arguat propter doctrinas haereticas, erroneas vel suspectas quas proposuerint, gratissimum id fuit adversariis Ecclesiae catholicae, qui mira sibi argumenta invenisse videbantur acrioris in Ecclesiam impugnationis. Ad auctorem vero quod spectat, in varias abierunt eruditi opiniones; permulti autem attribuerunt opus de quo agimus *S. Hippolyto,* Patri inde ab antiquissimis temporibus celeberrimo. Protestantes quidem etiam hujus viri sanctitate et fama clarissima sua in Ecclesiam convicia firmare studuerunt; catholici vero scriptores utcumque explicare nisi sunt, quomodo S. Hippolytus in SS. Zephyrinum atque Callistum virulentas illas accusationes ferat,

quas injustas plane esse, illi conveniunt. Censent videlicet, per plures annos Hippolytum schisma contra Callistum sustinuisse, eoque tempore illud opus scripsisse, sed postea brevi ante mortem eum resipuisse, et martyrio demum coronatum fuisse. Facile vides, haud minimi momenti esse quoad historiam Ecclesiae saeculi III, ut accuratius haec capita examinemus. Exponemus igitur imprimis ea quae de Zephyrino et Callisto in Philosphoumenon libro nono habentur, calumnias dein refutabimus, ac postremo examinabimus quaestionem, quis fuerit illius operis auctor.

Ut scripta hac in quaestione edita commemoremus, notanda veniunt praecipue haec opera adversariorum Ecclesiae: Bunsen, *Hippolytus and his age* 2e *edit.* London 1854; Wordsworth, *Hippolytus and the Church of Rome,* London 1853; Elfe Tayler, *Hippolytus and the christian Church of the third century,* London 1853; Volkmar, *Hippolytus und die römischen Zeitgenossen,* Zürich 1855; De Pressensé, *Lutte entre Hippolyte et Calliste;* variae in Periodicis publicis dissertationes. — Scripta praecipua quae a scriptoribus catholicis in lucem edita fuerunt sunt ista: Döllinger, *Hippolytus und Callistus,* Regensburg 1853; Cruice, *Etudes sur des nouveaux documents historiques empruntés à l'ouvrage récemment découvert des Philosophoumena;* Paris 1853; *Etudes critiques sur le livre des Philosophoumena,* par l'abbé Jallabert, Paris 1853; Cruice, *Histoire de l'Eglise de Rome de l'an 192 à l'an 224,* Paris 1856; T. Armellini S. J., *De prisca refutatione haereseon Origenis nomine ac Philosophoumenn titulo recens vulgata Commentarius,* Romae 1862; De Smedt, *Dissertationes etc. Dissert. III;* De Rossi, *Esame archeologico e critico della storia di S. Callisto narrata nel libro nono dei Filosofumeni,* Bolletino t. IV. p. 1 sqq. — In variis periodicis etiam alii auctores catholici de his quaestionibus tractarunt, uti Le Hir, *Etudes religeuses,* Octobre et Novembre 1865; Hagemann, *Oesterr. Vierteljahrschrift 1853,* S. 289; Lefebve *Revue catholique* 1871 S. 327; Grisar, *Innsbrucker theol. Zeitschrift* 1878, S. 505; etc. Cfr. etiam *Dublin Review* January 1854 et April 1863.

I.

Narratio Auctoris Philosophoumenon de Zephyrino et Callisto RR. Pontificibus.

Operis indoles.

4. Ut rerum nexu proposito accuratius quae scitu nostra in re utilia sunt cognoscantur, haec de tota materia operis Philosophoumenon commemoranda veniunt. Illud imprimis sibi animo proposuit nostri operis auctor, ut prioribus libris quatuor, Graecorum Barbarorumque philosophorum placita exponeret, sex autem posterioribus haeresiarchas argueret, e Graecorum philosophorum aut orientalium sectarum fontibus sua deprompsisse. Initio libri quinti Auctor perspicuis verbis scribit: *Arbitror omnium philosophorum apud Graecos et Barbaros de Deo et de mundi creatione placita diligentissime exposita esse in quatuor libris superioribus, eorum etiam praestigiis non omissis, multoque labore suscepto, ut multos exhortarer ad doctrinae amorem et ad certam cognitionem veritatis acquirendam. Jam igitur ad haeresum refutationem procedendum, quam propter exposita sunt omnia quae supra de philosophis a nobis dicta sunt; e quibus quum duxissent originem haeresiarchae, veteramentariorum instar, priscorum errores ad suos conseruerunt, eosque tanquam novam doctrinam proposuerunt hominibus qui deludi possunt, ut in sequentibus libris ostendemus.* Initio vero libri decimi quo recapitulatio eorum quae tractavit continetur, ait: *Ambagibus haeresum non vi diruptis sed sola refutatione et veritatis virtute solutis, adeamus ad veritatis ipsius demonstrationem. Tunc enim erroris artificiosa sophismata videbuntur non consistere posse, quum demonstratum fuerit, veritatis regulam non ex Graecorum philosophia exortam, nec vana veluti ineffabilia mutuatam Aegyptiorum dogmata, quae inter eos digna fide et venerabilia habentur, nec inanibus Chaldaicae curiositatis figmentis conflatam, nec per vim daemonum insanis Babyloniorum furoribus corruptam.* Quatuor hic sunt notata de quibus disserere auctor proposuerat; Graecorum philosophia; placita Aegyptiorum et mysteria; falsa Chaldaeorum sapientia et vanae artes; re-

ligiones et incantationes Babyloniorum. Quum vero libro primo de Graecorum agatur philosophia, quarto autem praecipue de artibus magicis Babyloniorum, satis colligitur, libris secundo et tertio deperditis de Aegyptiorum et Chaldaeorum disciplinis tractatum fuisse. Inde a libro quinto autem haereticos confutare Auctor adnititur.

5. Libro nono, qui maxime ad nostrum institutum spectat, recentiores haereses se velle confutare profitetur Auctor, atque mox in Pontifices Zephyrinum et Callistum virus suum evomit. „Magnum, inquit, adversus omnes haereses certamen certavimus, nullamque non refutatam reliquimus; nunc restat ut maximum certamen ineamus. Oportet et explicare et confutare haereses quae nostris temporibus innotuerunt, et quibus indocti et audaces quidam homines disturbare ausi sunt Ecclesiam, maximumque tumultum per universum orbem in omnium fidelium mentes injecerunt. Videtur nobis igitur doctrinam eam, quae malorum prima causa fuit aggredi, et demonstrare quae fuerint ejus principia, quo dogmata inde exorta penitus noscantur contemnanturque ab omnibus. — Exstitit vir quidam nomine Noëtus, Smyrnae natus, qui ex Heracliti placitis suam haeresim conflavit; illi fuit diaconus simul et discipulus Epigonus quidam, qui quum Romam ivisset, impias ibi doctrinas profudit. Quas auditor ejus Cleomenes, ab Ecclesia moribus et tota vita alienissimus, etiam corroboravit. Id autem temporis Zephyrinus, stolidus vir atque rapax, Ecclesiam sibi gubernare videbatur. Qui oblato lucro corruptus petentibus licentiam dabat, ut Cleomenem audirent; ipseque eadem placita, lapso aliquo tempore prosecutus est, una cum suasore et conscio scelerum Callisto, cujus vitam et detectam haeresim mox exponemus. Per horum successionem schola perstitit, imo fulta est atque aucta, quum faverent illis Zephyrinus atque Callistus. Nos autem nunquam comprobavimus; saepissime vero iis adversati sumus, impugnavimus eos, invitosque coëgimus veritatem confiteri. Illi ad tempus erubescebant, et vi veritatis coacti confitebantur; at post paulo in idem lutum sese iterum volutabant.“

Impugnatio Callisti

Haeresis Noëti.

6. Auctor porro exponit haeresim quam Noëtus et Cleomenes ac postea Praxeas et Sabellius propugnarunt, videlicet errores Antitrinitariorum seu Monarchianorum. Juxta eorum doctrinam, sicut unus est Deus, ita etiam est una persona divina. Verbum, in Deo non est persona distincta ab eo cujus dicitur Verbum, sed attributum absolutum. Non Verbum incarnatum est, sed persona divina quae est unica. Haec persona ante incarnationem diciturPater, per incarnationenem fecit se ipsum sibi Filium, adeoque revera Pater incarnatus et passus est. Studet vero Auctor ostendere, haec cohaerere cum Heracliti doctrina pantheistica. Creatum mundum sui ipsius demiurgum et conditorem fuisse, ita (Heraclitus) declarat: „Deus est, ait, dies, nox, hiems, aestas, bellum, pax, expletio, esuries.“

Doctrina Callisti.

7. Dein Auctor fusius de Callisto agit, ejusque historiam texit. „Hanc haeresim, scribit, fulciebat Callistus, vir in omni scelere exercitatissimus, versutissimus ad mendacium, qui episcopalem sedem ambiebat. Zephyrinum autem, stultum illiteratumque, regularumque Ecclesiae rudem, donis ducens et pro illis vetita ab eo postulans ad illud egit quod ipse volebat. Quippe venalem et pecuniae avidum permovebat, ut dissidia inter fratres semper foveret, dum ipse inde sibi ambarum partium gratiam subdolis sermonibus conciliabat; jam iis qui vera sentiebant singulis dicebat, se consona fidei credere, et illis fucum faciebat, ac rursus iis similiter qui Sabellii placita tenebant; et eum ipsum decipiebat quem ad recta convertere poterat. Admonitus enim a me non repugnabat; sed ubi solus cum Callisto versabatur, excitabatur ab eo, ut ad Cleomenis placita relaberetur, dicente se fidei similia credere (*φάσκοντος τὰ ὅμοια φρόνειν*). Istius autem nequitiam tunc non intelligebat, quam postea novit, ut mox exponam. Zephyrinum ipsum stimulans, adducebat ut coram omnibus diceret: Ego novi Deum unum Jesum Christum et praeter illum neminem alium genitum atque passibilem. (*Ἐγὼ οἶδα ἕνα θεὸν Χριστὸν Ἰησοῦν, καὶ πλὴν αὐτοῦ ἕτερον οὐδένα γενητὸν καὶ παθητὸν*). Quum autem aliquando diceret: Non Pater, sed Filius mortuus est, infinita in po-

pulo dissidia continuabat. Cujus (Callisti) sensus quum cognovimus, refutavimus et adversati sumus, pro vero decertantes, nedum assentiremus. Qui furore insaniens, quia simulatae ejus virtuti omnes, exceptis nobis, adhaerebant, nos διθέους nominabat, evomens violenter conditum intus venenum. Hujus autem vitam quum nostri coaevus exstiterit, optimum videtur exponere, ut ejus vivendi genere cognito, mentis sanae hominibus jamjam appareat, quam molitus sit haeresim. Praefecto Romae Fusciano fidem confessus est, at istud fuit martyrii genus.“

8. „Servus erat Callistus cujusdam Carpophori Christiani, uniusque de domo Caesaris. Illi Carpophorus utpote Christianus, summam pecuniae haud parvam credidit promittenti ex mensaria negotiatione illi lucrum reddere. Acceptam mensam Callistus in eo loco posuit, quem vocant *Piscinam publicam;* lapso aliquo tempore magna pecunia deposita illi credita est a viduis et fratribus fidelibus ratione habita ipsius Carpophori (προσχήματι τοῦ Καρποφόρου). Ille autem postquam profligavit omnia, ad angustias detrusus quo se verteret nesciebat (ἠπόρει). Quum vero haec ageret, non defuit qui Carpophoro nuntiaret, ille autem ab eo rationem se exacturum dixit. Quod quum Callistus intellexisset, suspicans sibi grande periculum ab hero fore, fugam ad mare molitus est; quum autem in Portu Ostiensi navim invenisset jamjam solvendam, conscendit eam, quocumque vela navis faceret ipse navigaturus. Sed ne sic quidem latere potuit: non defuit enim qui Carpophoro actam rem denuntiaret. Ille profectus ad maritimum littus, secundum ea quae ipsi delata fuerant, statuit ipse eamdem navim conscendere, quae adhuc stabat in medio portu. Quum autem nauarchus moram traheret, Callistus de nave herum eminus prospiciens, sentiensque se jamjam comprehensum iri, servandae vitae in supremo illo discrimine parum curiosus, dejecit semetipsum in mare. At nautae in scaphas desilientes invitum illum retraxere, dum ii qui in littore stabant magnos clamores ederent; ipse hero suo traditus est, a quo Romam

Callisti fata.

deductus ad molam damnatus est. Elapso aliquo temporis spatio, fratres convenientes ut fieri solet Carpophorum exoraverunt, ut poena servum suum exsolveret, dicentes ipsum asserere, se apud quosdam pecunias creditas habere. Carpophorus autem, quum pius esset, non de suis se sollicitum esse dicebat, sed de pecuniis commissis (Callisto); multi enim apud illum conquerebantur dicentes, se per nomen ejus allectos credidisse Callisto ea quae ipsi commiserant; et precibus flexus jussit servum dimitti. At ille quum nihil haberet unde solveret, neque fugere iterum posset ob custodiam, rationem moriendi commentus est. Et die Sabbati simulans se exire tanquam ad debitores, cucurrit ad synagogam Judaeorum ubi congregati erant, et adstans coepit turbare illos. Qui ab eo turbati, contumeliis et plagis confectum ad Fuscianum praefectum urbis traxere. Hanc autem accusationem intentaverunt: Romani nobis concessere patrias leges publice legere: iste autem adveniens impedire vult, perturbationem injicit jactans se Christianum esse. Dum autem Fuscianus in tribunali sederet, atque ob expromptas a Judaeis in Callistum accusationes irasceretur, fuit qui rei Carpophoro nuntium daret. Hic igitur properans ad tribunal praefecti clamabat: Obsecro te, domine Fusciane, isti ne crede; non enim Christianus est; occasionem autem mortis aucupatur, quia magnas meas pecuniae summas profligavit (*ἀφανίσας*,) ut ego ostendam. Rati autem Judaei effugium illud esse a Carpophoro allatum, ut servum suum morti eriperet, multo etiam majori fervore praefectum obsecrabant. Ille ab eis commotus verberibus Callistum caedi jubet, traditque ad Sardiniae metalla mittendum."

9. „Tempore autem elapso, quum in insula martyres alii essent, opus bonum volens perficere Marcia, quae erat Commodi concubina Dei amans[1]), arcessitum beatum Vic-

---

[1]) Commodus jam a. 183 uxorem suam Crispinam propter adulterium rejecerat ac dein ultimo supplicio affecerat. Marcia habuit justae uxoris locum, et inaequale conjugium Commodus cum ea inierat; praeter

torem Ecclesiae id temporis Episcopum, interrogavit, quinam essent in Sardinia martyres. Hic vero omnium tradens nomina, Callisti non dedit, quum ejus ausa nosceret. Marcia autem, gratia a Commodo impetrata, liberatrices litteras seniori cuidam eunucho (σπάδοντι πρεσβυτέρῳ) Hyacintho nomine credidit[1]). Quibus acceptis in Sardiniam navigavit, traditisque litteris ei qui id temporis provinciam administrabat, cunctos martyres excepto Callisto poena exsolvit. Callistus autem ad genua ejus procumbens et lacrymas fundens exoravit, ut et ipse libertate donaretur. Cujus precibus motus a provinciae rectore Hyacinthus veniam rogat, dicens a se Marciam educatam esse[2]), neque rem ei periculosam fore. Ille consiliis parens Callistum cum caeteris dimisit. Quo Romam regresso, eventum Victor aegerrime tulit, at quum misericors esset conticuit. Attamen ut probra multorum effugeret, (non multum enim praeterfluerat tempus ex quo facinora Callistus patraverat), semperque conquerenti Carpophoro satisfaceret, jussit ut Antium peteret, certa ad victum pecuniae summa in menses singulos adscripta.“ — Quod ad tempus eventuum qui hucusque narrati sunt attinet, ex indicationibus in ipsa narratione contentis colligitur, eos accidisse ab anno 186 ad annum 191. Victor pontificatum tenuit circiter ab anno 190 usque ad annum 200. Commodus occisus est a. 192; Marcia jam inde ab a. 183 apud eum in gratia erat, et circa a. 190 maximo in honore. Fuscianus ab a. 186 ad a. 189 Romae praefectus fuit. — De annis elapsis usque ad mortem Victoris nihil Auctor noster refert, sed ex abrupto transit ad tempora Zephyrini.

10. „Post mortem autem Victoris, Zephyrinus Callistum sibi socium elegit ad res Cleri ordinandas (συναράμε-

---

ipsam enim non invenitur alia illius conjux. Alii, uti Döllinger, existimant, Marciam fuisse Christianam; alii, uti De Rossi, rem in ancipiti relinquunt.

[1]) Presbyterum seu sacerdotem fuisse Hyacinthum, ex contextu et loquendi modo censerem.

[2]) Hinc conjici posset, Marciam fuisse Christianam.

νος αὐτὸν σχὼν πρὸς τὴν κατάστασιν τοῦ κλήρου), et proprio sui ipsius damno hoc honore eum affecit; Antio revocatum coemeterio praefecit (*εἰς τὸ κοιμητήριον κατέστησεν.*) Callistus quum semper Zephyrino adesset, eique, ut jam ante dixi, subdole (*ὑποκρίσει*) serviret, ita eum ad nihilum redegit, ut ea quae dicebat non jam ponderaret senex neque consilia perspiceret Callisti, omnia ad oblectationem ipsius annuentis.“ Post mortem Zephyrini a. 218 in successorem electus est Callistus, qui per quatuor annos Ecclesiam rexit. Auctor furore veluti abreptus ne indicat quidem expresse hanc successionem, sed uti notam supponit. „Itaque post mortem Zephyrini, ratus sibi id contigisse quod aucupatus fuerat, Sabellium tanquam a vera fide abhorrentem extrusit, revera formidans me et sperans, ita accusationem apud ecclesias sese abstergere posse, quasi non aliena sentiret. Fraudulentus homo iste erat scelerumque omnium artifex, et tempore suo (*ἐπὶ χρόνῳ*) plurimos decepit.“ Jam sequuntur graviores accusationes in Callistum Pontificem.

Accusationes. 11. „Quum autem in corde virus gerens, nihil recte sentiens, et vera dicere reveritus, coram omnibus contumeliose nobis dixisset: *Δίθεοι* estis, atque etiam quum indesinenter Sabellius eum insequeretur tanquam priscam fidem violasset, hanc haeresim novam excudit dicens, Verbum ipsum esse Filium, ipsum etiam Patrem, nomine quidem illo nuncupatum, unum autem existens Spiritum indivisum, (*λέγων τὸν Λόγον αὐτὸν εἶναι Υἱὸν, αὐτὸν καὶ Πατέρα, ὀνόματι μὲν καλούμενον, ἓν δὲ ὄντα Πνεῦμα ἀδιαίρετον*); non aliud Patrem esse, aliud Filium, sed unum idemque esse, (*ἓν δὲ καὶ τὸ αὐτὸ ὑπάρχειν*); omnia Spiritu divino plena esse (*γέμειν*) in coelis et in terra, et Spiritum in utero Virginis incarnatum non alium esse a Patre, sed unum et eumdem. (*Πνεῦμα . . . οὐχ ἕτερον παρὰ τὸν Πατέρα, ἀλλα ἓν καὶ τὸ αὐτό*). Illud enim significare quod dictum est: Nonne credis, quia sum in Patre, et Pater in me est? Visibile enim quod homo est, hoc esse Filium, inclusum autem in Filio Spiritum, esse Patrem. Non enim, ait, dicam duos esse deos, Patrem et Filium, sed unum.

In Filio enim moratus Pater, susceptam a se carnem divinam effecit, et unum fecit, ut nominaretur Pater et Filius, unus Deus, et hoc existens unam personam (*πρόσωπον*) non posse esse duo, et ita Patrem passum esse una cum Filio (*συμπεπονθέναι τῷ Υἱῷ*). Non enim vult dicere, Patrem passum esse et unam esse personam, eo modo sperans blasphemias in Patrem effugere; demens ille et sceleris artifex, blasphemias supra et infra dispergens, dummodo non videatur contra veritatem loqui, minime eum pudet in errores Sabellii modo, modo Theodoti incidere."

12. „Quum talia deceptor iste ausus esset, scholam instituit adversus Ecclesiam, ita docens; hominumque pravis cupiditatibus indulgere primus molitus est, dicens a se peccata omnibus remitti. Quicumque enim ab alio fuerat seductus et Christianus factus quodcumque peccatum commiserit, dicunt, ipsi non est ratio reddenda de peccato, si ad Callisti scholam accurrit. (*Ὁ γὰρ παρ᾽ ἑτέρῳ τινὶ συναγόμενος καὶ λεγόμενος χριστιανὸς ὅ τι ἂν ἁμάρτῃ, φασίν, οὐ λογίζεται αὐτῷ ἡ ἁμαρτία, εἰ προσδράμοι τῇ τοῦ Καλλίστου σχολῇ*). Cujus definitione gaudentes multi, conscientia cruciati, iidemque a multis haeresibus rejecti, imo nonnulli Ecclesia a nobis facto judicio ejecti, accedentes discipulis ejus scholam illius compleverunt. Dogmatizavit iste, non deponendum esse episcopum quum peccaverit, vel si capitale flagitium admiserit. Sub ipso episcopi, sacerdotesque et diaconi post duas tresve nuptias inter clericos locum obtinere coeperunt. Quin etiam si quis ex clero uxorem duceret, in ordine manere eum jubebat, quasi flagitii nihil admisisset. Quo referendum aiebat Apostoli verbum: Tu quis es qui judices servum alienum. Atque etiam lolii parabolam: Sinite zizania crescere cum tritico; id est, sinite peccatores in Ecclesia manere. Dicebat etiam, Ecclesiam instar arcam Noë esse, in qua canes, lupi, corvi, aliaque omnia pura et impura animantia comprehendebantur; oportere autem item esse de Ecclesia. Quaecumque demum valebat ad hoc docendum congerere, eo modo interpretabatur; auditoresque placitis illius allecti etiam nunc illa tenent, semetipsos illudentes, aliosque plurimos

quorum turbae ad ejus scholam certatim currunt. Itaque crescunt et turmatim efferunt in voluptates quibus Christus interdixit; quem contemnentes neminem a peccato prohibent, dicentes posse se ipsos peccata remittere bene credentibus."

13. „Quin etiam feminis concessit, si quae innuptae erant et pro juventute sua exardescebant dilectione alicujus indigni ipsarum loco et dignitate quam pessumdare nolebant, idcirco, inquam, concessit, ut legitime nuberent uni illi quem consortem tori optaverint, seu mancipium esset seu liber, et eumdem pro vero marito haberent cui vel invita lege nupserint. Exinde coeperunt mulieres fideles nuncupatae uti medicamentis partum impedientibus, et fasciis ut conceptum foetum ejicerent, quum nollent vel ex servo vel ex humilis loci viro ob suos propinquos et immensas fortunas genitum fructum parturire. Videte, in quantam impietatem vir ille nequam processerit, moechiam una cum caede edocens! Post tales ausus semetipsos impudentes catholicam Ecclesiam nuncupare aggrediuntur, et quidam credentes recte facere illos subsequuntur. Eo quoque pontifice sunt primum ausi secundo baptismate baptizare. Talia peregit admirabilis Callistus, cujus perstat schola, mores magistri servans et tradita omnia, neque discernens quibuscum sit communicandum, at cunctis temere offerens communionem. Ab isto quoque cognomen sectatores mutuati sunt, et de primo talium facinorum auctore Callisto, Callistiani vocati sunt."

Haec igitur de Zephyrini et Callisti gestis atque doctrinis Auctor Philosophoumenon narrat, quumque veluti sublato velo ex ejusmodi opere recenter detecto, Pontifices illi novo quodam aspectu apparerent ut viri parum digni, triumphos egere protestantes et rationalistae, atque in Ecclesiam alacriter debacchati sunt.

II.

Examen criticum vitae SS. Pontificum Zephyrini atque Callisti.

14. Dum mira ista narratio de vita Callisti ex libro IX Philosophoumenon perpenditur, veluti per se ab initio se offert illa quaestio, utrum certo constet opus repertum esse revera auctoris coaevi saeculi III, an non forte fraus quaedam litteraria falsarii supponi possit. Recenti enim tempore pluries accidit, ut suppositis codicibus antiquis, arte confectis, etiam eruditi deciperentur. Attamen dubium nullum esse potest, opus Philosophoumenon genuinum esse. Constat videlicet, codicem haud esse confectum nostro tempore, sed revera manuscriptum antiquum esse saeculi XIV; atque ex internis argumentis viri historiae antiquitatis maxime periti, uti cl. De Rossi, ostenderunt, auctorem operis revera esse talem qualem se exhibet, videlicet temporibus Zephyrini et Callisti coaevum, qui de iis scribit, quae ipso Romae praesente acciderant. Patefacit autem ipse, se esse partis Callisto oppositae ac Pontificis illius adversarium infensum, et consideranti ea quae narrat liquebit, ab auctore ad suos scopos facta, eventus, doctrinas, singulari ratione detorqueri et deformari. Se prodit auctor ipsa sua vehementia et stylo acri ut sectarium, qui, quum conatibus ejus Pontifices restitissent, virus animi exulcerati in eos evomit. Valde probabile videtur, ipsum sperasse fore ut ad supremam in Ecclesia Romana cathedram perveniret. Quum res aliter accidit, in aliqua sectariorum turba partes primarias egit, eoque furore vesano abreptus est, ut Pontificem Callistum, quem coetus fidelium sequebantur, ut haereticum depingeret, sibi vero et asseclis sectariis suis veri dogmatis custodiam vindicaret.

Opus genuinum.

15. Opportunum vero erit monere, nullatenus mirandum esse, quod homo sectarius conviciis afficiat Zephyrinum atque Callistum, nec inde quid contra illorum Pontificum vitam et mores esse praesumendum. Scimus enim, inde ab antiquis temporibus episcopos etiam optimos a sectariis conviciis et calumniis maximis fuisse affectos. Id ac-

cidit SS. Cypriano, Cornelio, Damaso. Sufficiat ea commemorare, quae scribit S. Cyprianus ep. 69 *ad Florentinum Pupianum de obtrectatoribus,* quum hic leviter crederet obtrectatoribus Cypriani. *Ego te, frater,* inquit, *credideram tandem jam ad poenitentiam converti, quod in praeteritum tam infanda, tam turpia, tam etiam gentilibus exsecranda, aut audisses de nobis temere aut credidisses.... Praevaluit apud te, contra divinam sententiam et contra conscientiam nostram fidei suae viribus nixam, inimicorum et malignorum commentum, quasi apud lapsos et profanos et extra Ecclesiam positos, de quorum pectoribus excesserit Spiritus sanctus, esse aliud possit, nisi mens prava et fallax lingua et odia venenata et sacrilega mendacia, quibus qui credit, cum illis necesse est inveniatur cum judicii dies venerit.* Et inferius *incesta, impia, infanda* de ipso dici et credi conqueritur.

S. Callisti celebritas.

16. Memoria S. Callisti, quamvis tantum per quinque annos (uti videtur) supremum gesserit pontificatum, in ecclesia Romana ab antiquissimo tempore celeberrima fuit, ita ut vix a temporibus S. Petri usque ad S. Silvestrum Pontifex inveniatur fama ipsi aequalis. In honorem S. Callisti Julius I splendidam ecclesiam erexit, ejusque festum olim Romae solemnius celebrabatur quam festa aliorum Pontificum, qui usque ad tempora Constantini ecclesiae Romanae praefuerunt. Jamvero vel ex ipso libro Philosophoumenon colligitur, id factum esse propter singularem sollicitudinem, prudentiam et indefessum laborem, quae, etiam antequam Pontifex fieret, in rebus ecclesiasticis administrandis Callistus ostendit.

17. Antequam ea percurramus quae de Zephyrino et Callisto Auctor Philosophoumenon habet, juvabit ea afferre, quae de his Pontificibus in Libro Pontificali occurrunt. — *Zephyrinus, natione Romanus, ex patre Abundio, sedit annos septemdecim* (201—218), *menses duos, dies decem. Fuit autem temporibus Antonini et Severi, a consulatu Saturnini et Gallicani usque ad Praesentem et Striganum Consules. Hic constituit, ut in praesentia omnium clericorum et laicorum fidelium sive levita* (al. *clericus*) *sive sacerdos*

ordinaretur; et fecit constitutum de ecclesia, ut patenas vitreas ante sacerdotes in ecclesiam ministri essent subportantes, et ante sacerdotes adstantes, dum episcopus missam celebraret: sic missae celebrarentur excepto quod jus episcopi interest, ut tantum clerus sustineret omnibus praesentibus, quod ex ea consecratione de manu episcopi jam coronam consecratam acciperet presbyter tradendam populo. Hic fecit ordinationes quatuor per mensem Decembrem, presbyteros novem, diaconos septem, episcopos per diversa loca octo (al. *tredecim); qui etiam sepultus est in coemeterio suo juxta coemeterium Calixti Via Appia VII Kal. Septembris, et cessavit Episcopatus dies sex.*

18. *Calixtus natione Romanus, ex patre Domitio, de regione Urbe Ravennatio. Sedit annos sex, menses duos, dies decem. Fuit autem temporibus Macrini et Heliogabali a consulatu Antonini et Alexandri. Hic martyrio coronatur. Hic constituit jejunium die Sabbati ter in anno fieri, frumenti, vini, et olei, secundum prophetiam quarti, septimi et decimi. Hic fecit basilicam trans Tiberim. Hic fecit ordinationes quinque per mensem Decembrem, presbyteros sedecim, diaconos quatuor, episcopos per diversa loca octo. Qui etiam sepultus est in coemeterio Calepodii via Aurelia, milliario III, pridie Idus Octobris; et fecit aliud coemeterium via Appia, ubi multi sacerdotes et martyres requiescunt, quod appellatur usque in hodiernum diem Coemeterium Calixti; et cessavit Episcopatus dies sex.*

Quae in hisce vitis obscuriora occurrunt, multam lucem accipient ex iis quae animadvertenda venient ad narrationem Auctoris Philosophoumenon.

19. Jam veniamus ad considerandam vitam S. Callisti. Servum eum fuisse Carpophori Christiani, eique a domino pecuniam commissam ut ex mensaria negotiatione lucrum redderet, haud dubitamus veritati consentaneum esse. Auctor dein ambiguis verbis narrat, omnia a Callisto deperdita fuisse; attamen ne ipse quidem audet directe Callistum accusare, quod mala fide egerit. Probabiliter res ita se habuit, ut Callistus hero industrius et magna activitate praeditus visus fuerit, utque propterea

Disquisitio critica.

hic ipsi pecunias ad negotiandum commiserit. Sed quum junior esset minusque expertus in ejusmodi rebus Callistus, ipsi, quod multis aliis, accidit, ut in manus incideret hominum a quibus deceptus est. Cum Judaeis Callisto fuisse negotia, ex quibus damna ei obvenerunt, e decursu narrationis colligitur. Carpophorus quidem fuit Christianus, haud tamen videtur eam mereri pietatis laudem, quam ipsi tribuit Philosophoumenon Auctor. Hunc facile crederes fuisse Carpophori amicum, cum res istas noverit tam distincte. — Dum in portu Ostiensi Callistus natando studet aufugere, id Auctor noster fere exponit. ac si mortem quaesierit; inepte sane et aversione in Callistum abreptus. Capitur Callistus, et ad durissimos pistrini labores ab hero damnatur. Cedit tamen mox Carpophorus petitioni fratrum, ut eum dimittat, eo vel magis, quod Callistus speraret, fore ut partem pecuniae deperditae recuperare posset. Per se omnino a veritate abludit, quod dein Auctor contendit, Callistum Judaeorum synagogam turbasse, ut vitae pertaesus honestam inveniret mortis et martyrii occasionem. Quis credat, talibus ambagibus Callistum voluisse sibi quaerere martyrium et mortem, quum nullo modo praevidere posset, quae acciderunt? — Haud dubium est, rem sic se habuisse. Fuerunt Callisto inter Judaeos debitores, a quibus ut pecunias recuperaret sese contulit ad synagogam eorum. Id potuit vel ea intentione facere, ut simul ibidem suos debitores inveniret, vel ut praepositos Judaeorum adiret ad auxilium eorum obtinendum. Sed male ipsi res cessit. Callistum plagis affectum Judaei duxerunt ad tribunal Fusciani praefecti Urbis severitate famosi, eumque accusarunt, quod conventum ipsorum turbaverit. Haud directe eum accusant de religione christiana, quum delatores Christianorum morte punirentur sub Commodo, sed indirecte, dicentes, eum turbasse conventum eorum jactantem quod esset Christianus. Fuscianus parum sollicitus de perturbatione coetus Judaeorum, mox ratione christianismi Callistum in judicium vocat, atque ita Callistus vere fidem suam coram judice professus est martyriumque subiit. Flagellatum

condemnat Fuscianus, mutata crucis poena, ad metalla Sardiniae.

20. Quae de liberatione Auctor narrat, quoad substantiam vera esse censemus. Accidere potuit, ut Victor haud traderet Callisti nomen, vel ex oblivione, vel quod minus dignum ipsum ob accusationes quasdam haberet. Operae pretium est notare, ab Auctore valde accurate ea referri, quae ad Carpophorum et Victorem spectant. Forte erat, uti jam diximus, Carpophori amicus, simulque Victoris Pontificis administer; imo vel ipse a Carpophoro excitatus potuit in causa esse, ut Callisti nomen inter captivos liberandos Marciae et Hyacintho non traderetur. — Liberatus igitur Callistus cum reliquis, Romam rediit. Animadvertendum vero est, ejus conditionem mutatam fuisse; videlicet jam non erat amplius servus Carpophori. Etenim aliquis servus a potestate publica condemnatus ad poenam publicam, eo ipso fiebat *servus poenae*, ac domino subtrahebatur; si vero postea ipsi venia concedebatur, liber erat. Sic in aliquo rescripto Antonini Imperatoris dicitur: *Quia semel domini esse desierat, servus poenae factus, non esse eum in potestatem domini postea reddendum*[1]).

21. Liberationem et reditum Callisti aegerrime tulisse Victorem, Auctor contendit; fides sit apud ipsum. Potuit certe res sic se habere, ut propter ea quae acciderant Victor minus bene sentiret de Callisto ab aliis praeventus; quumque Carpophorum aliosque Romae Callistus haberet adversarios, prudentiae fuit, ut Antium hic secederet. Quae vero acciderunt illo tempore decem fere annorum, quibus Antii degit, subdole Auctor reticet. Satis tamen patet, eum non unico veluti saltu postea Zephyrino tam familiarem factum; adeoque ex rerum natura et integra narratione colligitur, Antii eum in clerum esse receptum. Sed quum eo tempore tali in re maturum examen adhiberetur et fidelium quoque suffragium audiretur, sequitur, examine instituto repertum fuisse, Callisto ea quae evenerant in culpam ac vitium verti non potuisse, imo eum

[1]) D. 48, t. 19. l. 8. §. 12. Cf. Döllinger. Hippolitus u. Kallistus. S. 121.

ut Confessorem valde honorifice in ecclesia habitum fuisse. Certa autem illa summa in menses singulos ad victum ei adscripta, videtur fuisse pensio congrua, quae clericis constituta erat. Ac sine dubio eo tempore jam Callistus in administratione rerum ecclesiasticarum valde prudentem et sollicitum sese ostendit; presbyterum tamen haud censemus ipsum fuisse.

Constitutio Cleri.

22. A Zephyrino post mortem Victoris Romam vocatus, ex narratione Auctoris illius fuit sedulus administer; imo Zephyrini primum diaconum fuisse Callistum, ex sententia virorum rerum antiquitatis peritissimorum dubitari vix potest. Jam gesta describamus, uti collatis documentis antiquitatis explicanda sunt[1]). Dicit Auctor, Zephyrinum sibi sociasse Callistum *πρὸς τὴν κατάστασιν τοῦ κλήρου, ad constitutionem Cleri.* Cum his ea conferenda sunt, quae in vita Zephyrini de ejus *Constituto habentur,* et quae in vita Urbani, successoris S. Callisti, dicuntur: *Hic ministeria sacrata argentea constituit et patenas argenteas viginti quinque, etiam clericos.* (Catal. Felician.) — Jam vidimus, ultimis decenniis saeculi secundi numerum Christianorum magnopere auctum fuisse, atque multas integras Romae familias christianae religioni nomen dedisse. Quum tanta igitur esset multitudo fidelium, status ecclesiae et Cleri etiam apto modo eo tempore ordinandus et disponendus erat, atque praesertim a SS. Zephyrino et Callisto id factum est. Jam S. Evaristo quidem adscribitur constitutio Cleri Romani et titulorum, attamen haud introductum fuit determinatum aliquod systema parochiale, ita ut singuli presbyteri semper *determinatis locis collectam* cum suis fidelibus haberent. Nam apud S. Justinum legimus, unumquemque ad *collectam* ire quo melius posset et quo vellet.[2]) Sub S. Zephyrino autem videtur major quaedam introducta fuisse *stabilitas,* ita ut in viginti quinque parochias ecclesia Romana distribueretur, ac singuli presbyteri *determinato loco* die dominica collectam haberent.

23. Jus consecrandi antiquitus erat penes episcopum, sed die Dominica mittebatur Eucharistia presbyteris qui

---

[1]) V. De Rossi l. c. [2]) Ruinart, Acta martyrii S. Justini n. II.

ecclesias peculiares in civitate regebant, ut fidelibus eam distribuerent. Legimus adhuc in Decretali Siricii ad Decentium episcopum Eugubinum: *Presbyteri . . . . quia die dominica propter plebem sibi creditam nobiscum convenire non possunt, idcirco fermentum a nobis confectum per acolythos accipiunt, ut se a nostra communione maxime illa die non judicent separatos.* — Huc pertinet etiam Constitutum Zephyrini. Statuit videlicet, ut acolythi super patenas vitreas tenerent panem a Pontifice consecrandum, qui dein a presbyteris distribuendus erat in variis urbis ecclesiis, ubi plebem sibi creditam colligebant. S. Urbanus postea statuit, argenteis in patenis istum panem esse ponendum et sustinendum, atque ex ipsius vita etiam discimus, vigintiquinque eo tempore Romae constitutos fuisse stabiles ejusmodi presbyteros. Haud accurate quidem determinare possumus singula quae Zephyrinus hac in re constituit, sed ex eo quod ipsius *Constitutum* commemoratur, apparet magni momenti fuisse, quae disposita fuerunt. — Persecutio Severi exarsit initio Pontificatus S. Zephyrini et duravit usque ad a. 211; etiam propterea accuratius determinandum erat, quo modo magnae multitudini fidelium provideretur. In ordinationibus autem voluit Zephyrinus, ut ex omnibus illis vigintiquinque paroeciis fideles convenirent; haud sane universi, sed numerus sufficiens qui repraesentaret omnes fideles. Mos enim erat, ut cum suffragio fidelium ordinationes fierent. — Ad haec disponenda pertinet illa κατάστασις τοῦ κλήρου, in qua facienda Zephyrinus sibi sociavit Callistum.

24. Haud obstante illa prudentia, qua fideles non omnes simul, sed in vigintiquinque collectis die Dominica congregabantur, tamen tempore illius persecutionis frequenter coetus fidelium a satellitibus invadebantur et turbabantur. Scripsit eo tempore Tertullianus: *Conversatio nostra notior facta est; scitis et dies conventuum nostrorum; itaque et obsidemur et opprimimur et in ipsis arcanis congregationibus detinemur*[1]. Et alibi ad Senatum Romanum

Callisti administratio.

[1] Ad nation. I. 7,

loquens: *Quotidie obsidemur, quotidie prodimur, in ipsis plurimum coetibus et congregationibus nostris opprimimur*[1]. Ut ista pericula et illae perturbationes minuerentur, ad redimendam injustam vexationem Ecclesia medium illud adhibuit, ut tributum solveret *Beneficiariis* et *Curiosis,* scil. satellitibus qui securitati publicae invigilabant. Tertullianus, qui Montanistarum rigorismo deditus fugam in persecutione illicitam esse decernit, etiam hoc tributum vituperat, scribens stylo acerbo: *Ultro et de hoc tibi suggeram, definiens persecutionem, quam constat non esse fugiendam, proinde nec redimendam . . . Parum denique est, si unus aut alius ita eruitur, massaliter totae ecclesiae tributum sibi irrogaverunt. Nescio dolendum an erubescendum sit, cum in matricibus Beneficiariorum et Curiosorum inter tabernarios et lanios et fures balneorum et alleones et lenones, Christiani quoque vectigales continentur etc.*[2] Ex his vides, expensa Ecclesiae necessario tempore persecutionem aucta fuisse. — Accedebant omnes illi, quibus in angustiis rerum subveniendum erat; et quum permultae essent necessitates, etiam *collectae extraordinariae* eleemosynarum fieri solebant, simulque jejunia praescribebantur. Quod per incidens innuit Tertullianus scribens: *Bene autem, quod et episcopi universae plebi mandare jejunia assolent, non dico de industria stipium conferendarum, ut vestrae capturae est, sed interdum et ex aliqua sollicitudinis ecclesiasticae causa*[3]. — Quum status Ecclesiae esset qualem discripsimus, facile intelliges, multa pecunia opus fuisse; atque id quoque Callisto commissum erat, ut necessaria compararet. Quumque hac in re sollicitum se ostenderit, occasionem invenit Auctor, ut carperet Zephyrinum tanquam senem imbecillum et lucro inhiantem, Callistum vero ut hominem callidum qui dona ac munera procuraverit Pontifici, et sic se ipsi gratissimum reddiderit, ut obtineret quaecumque vellet, ac pro lubitu senem Zephyrinum dirigeret.

---

1) Apologet. c. VII.

2) De fuga in persecutione c. XII. XIV.

3) De jejuniis c. XIII.

25. Maxime vero consideratione dignum est quod Auctor narrat, videlicet Callistum, a Zephyrino sibi sociatum, ab eo *praepositum fuisse coemeterio, εἰς τὸ κοιμητήριον κατέστησεν.* Plura erant jam saeculo tertio Romae fidelium coemeteria, quae plerumque denominabantur ex nominibus possessorum fundi, sub quo coemeteria ista (catacumbae) effossa erant. Sic commemorantur coemeteria Priscillae, Gordiani, Maximi ad viam Salariam, Praetextati ad viam Appiam, Domitillae ad viam Ardeatinam, Lucinae ad viam Ostiensem. Hic vero manifeste agitur de coemeterio quod recepit nomen *Coemeterii Callisti,* quamvis situm sit in fundis Caecilianis, nec Callistus Pontifex ibidem sepultus fuerit. Illud coemeterium antonomastice *τὸ κοιμητήριον* appellatur. — Coemeteriis ecclesiae Romanae quae erant omnia extra muros, nunquam sic praepositi fuerunt presbyteri, ut ibi veluti ministerium explerent, neque iste est sensus verborum Auctoris nostri. Quando a. 260 Gallienus Imp. restituit Dionysio Pontifici coemeteria ecclesiae Romanae, quae a Valeriano Imp. Gallieni patre sequestro submissa fuerant, Dionysius ea distribuit vigintiquinque titulis seu paroeciis, quae Romae existebant, ac posuit eadem sub dependentia presbyterorum titularium, seu parochorum civitatis. Antea sub Pontifice Fabiano (236—250) invenimus coemeteria sub cura diaconorum. Colligitur autem ex monumentis antiquitatis, coemeterium illud Callisti (*τὸ κοιμητήριον*) fuisse *coemeterium speciale Pontificum,* qui etiam postea ibi magno numero sepulti sunt; illique probabiliter Pontificis archidiaconus praepositus erat. Haec vero praepositura propterea fuit summi momenti, quia *cum ea cohaerebat universa fere administratio bonorum rerumque temporalium, quae ecclesiam Romanam supremumque Pontificem spectabant.*

Praepositus Coemeterio.

26. Christianis enim fidelibus maximeque clero necessarium erat, ut corpus constituerent morale, quod cum quadam securitate prae legibus civilibus bona et pecuniam possidere posset, ut variis necessitatibus communibus, e. g. sustentationi cleri, orphanorum, viduarum, provideretur. *Arcam ecclesiasticam* fuisse, perspicue nos docet Tertul-

lianus Apolog. c. 39, scribens relate ad constitutionem coetus fidelium: *Praesident probati quique seniores, honorem istum non pretio sed testimonio adepti, neque enim pretio ulla res Dei constat. Etiamsi quod arcae genus est, non de honoraria summa*[1]) *quasi redemptae religionis congregatur. Modicam unusquisque stipem menstrua die, vel cum velit et si modo velit et si modo possit, apponit. Nam nemo compellatur, sed sponte confert. Haec quasi deposita pietatis sunt. Nam inde non epulis nec potaculis nec ingratiis voratrinis dispensatur, sed egenis alendis humandisque et pueris ac puellis re ac parentibus destitutis, jamque domesticis senibus, item naufragis, et si qui in metallis, et si qui in insulis vel in custodiis, dumtaxat ex causa Dei sectae alumni confessionis fiunt.* — Praesertim ecclesiae Romanae multa bona fuisse communia arcamque ecclesiasticam satis amplam, facile vides si attendis, eam fuisse valde florentem, ac tum suis necessitatibus providisse, tum aliarum ecclesiarum indigentiis frequenter larga manu subvenisse.

27. Jam vero Christiani qua tales a lege Romana non agnoscebantur ut corporatio moralis seu societas civilis, cui bona communia possidere liceret. Hinc debebant alia via providere, quumque *collegia funeraticia* lege Romana jus possessionis communis haberent, se ut collegia funeraticia pro variis coemeteriis constituerunt, ut hac ratione bonis et possessionibus ecclesiae providerent. Ad locum citatum Tertulliani de coetu Christianorum advertit Mommsen: *Erant quidem coitiones illae illicitae, quidquid dicit Tertullianus, sed ideo tantum quod erant Christianorum. Non enim nego, per se haec omnia licite fieri potuisse et saepe facta esse a collegiatis. Sed collegia his nominibus omnibus licite institui ipse Tertullianus non sensit; recipi ejusmodi pias causas a collegio funeraticio, quam causam animadvertas a Tertulliano paene primo loco collocari, nulla lex ve-*

---

[1]) Honoraria summa gentilibus erat summa pecuniae, quam solvebant qui ad honores sacerdotii vel magistratus admittebantur. V. De Rossi Bollet. IV. p. 11. n. 2.

tabat[1]). Res autem communes collegiorum administrabat unus tanquam actor vel syndicus. Ita Gajus in jure Romano: *Quibus permissum est corpus habere collegii, societatis, sive cujusque alterius eorum nomine, proprium est ad exemplum rei publicae habere res communes, arcam communem et actorem sive syndicum, per quem tanquam in republica quod communiter agi fierique oporteat, agatur, fiat*[2]). Christianos quantum ad possessionem coemeteriorum sive jure legum sive saltem tolerantia corpus morale per modum collegiorum funeraticiorum constituisse, ab archeologis demonstratum est[3]). Videmus autem ex Auctore nostro, Callistum a Zephyrino praepositum fuisse *speciali* illi coemeterio Pontificio, atque sic ipse ut primus diaconus Pontificis actor et syndicus erat corporis fidelium, administrator rerum temporalium, arcae ecclesiasticae et bonorum ecclesiae Romanae. Hinc intelliges, quare Auctor Philosophumenon praecise hanc *praesidentiam coemeterii* commemoret, et habeat tanquam insignem honorem Callisto collatum. Fuit autem illud coemeterium novum tunc conditum, probabiliter ut hac ratione administrationi rei ecclesiasticae provideretur, et primus diaconus, uti collegii syndicus et actor, administrationem suam ex legibus Romanis securus exercere posset.

Callistus Archidiaconus.

28. Colligimus itaque ex sedula rerum consideratione, Callistum fuisse Zephyrini *archidiaconum*. De administratione ejus Auctor nihil refert; tamen ex ipsis conviciis ejus apparet, fideles Callistum habuisse ut virum summis virtutibus praeditum, eique, adversario isto excepto, magna cum fiducia adhaesisse. Neque de electione Callisti ad summum Pontificatum post mortem S. Zephyrini, neque de martyrio ejus Auctor verbum habet. Manifestum autem est, dum omni studio in Callistum invehere nititur, nihil ipsum in vita ejus privata invenisse quod aggredi posset, adeoque vitam Callisti plane illibatam fuisse. In scopum

---

[1]) Mommsen, De collegiis p. 91; ap. De Rossi l. c.
[2]) Dig. III. 4. 1. §. 1.
[3]) Vid. De Rossi, Roma sotterranea Tom. I. p. 104.

suum vertit Auctor adversos fortunae casus, quos Callistus ut Carpophori servus passus est, et dein eum ut haereticum et disciplinae ecclesiasticae perturbatorem depingit atque denuntiat. Accusationes illas mox examinabimus; at jam vides, Auctorem illum sectarium, dum Callistum ut vafrum sceleratum, ambitiosum, adulatorem Zephyrini traducit, nulla fide dignum esse.

29. Erat autem ea aetate satis in more positum, ut qui fuerant archidiaconi postea Pontifices fierent. Sic Eleutherus erat diaconus Aniceti, ac dein (post Soterem) ei successit; et Sixtus II fuit S. Stephani diaconus. Atque Eulogius Alexandrinus apud Photium hujus consuetudinis testimonium perhibet sic fere scribens: *Novatianus erat archidiaconus Cornelii Pontificis, atque illa aetate in ecclesia Romana ordinaria lege archidiaconus succedebat Pontifici defuncto. Cornelius existimans, haud utile fore ecclesiae ut Novatianus ipsi succederet, eum ordinavit presbyterum. Ille vero successionis legitimae spe adempta schisma excitavit*[1]). Novatianus quidem haud fuit S. Cornelii archidiaconus, ac schisma excitavit non spe successionis adempta, sed brevi post electionem Cornelii. Sed ex verbis Eulogii patet, frequenter archidiaconos ad Pontificatum evectos fuisse, adeo ut ordinatio archidiaconi in presbyterum fere haberetur ut minor favor ipsi praestitus, et ut obstaculum pro futura successione. Inde etiam factum videtur, ut postea nimium se efferrent Romae diaconi; unde specialem canonem fecit Concilium Arelat., *de diaconibus Urbicis, ut non sibi tantum praesumant*[2]).

30. Diaconus primus Pontificis praepositus erat, uti innuimus, *arcae ecclesiasticae*, bonorum temporalium administrationi, et distributioni pensionum, sportularum, subsidiorum, eleemosynarum, pro Clero, viduis, pauperibus, confessoribus, captivis et ad metalla damnatis. Horum omnium catalogus seu *matricula* proinde erat etiam in ipsius manibus, ac connexione quadam necessaria Cleri

[1]) Photii Biblioth. cod. 280. Migne P. G. Tom. CIV. p. 354.
[2]) Concil. Arelat. can. 18.

et reliquorum, quorum cura ipsi commissa erat, tutor et censor erat. Quum vero Romana ecclesia plurimas quoque haberet cum reliquis ecclesiis relationes, etiam istae ex indole rei ad archidiaconum spectabant. Brevi, septem diaconorum primus, seu archidiaconus Pontificis in administratione ecclesiastica secundum post illum locum tenebat, adeoque si in administratione se ostenderat prudentem et dignum, identidem ad summum pontificatum eligebatur.

31. Suspicantur De Rossi[1]) et Reumont[2]), Auctorem Philosophumenon fuisse aliquando diaconum Victoris; certe optime id convenit cum accurata narratione eorum, quae ex Victoris temporibus de Callisti rebus refert, quaeque ex parte cum administratione rei ecclesiasticae connectuntur. Forte postea a Zephyrino presbyter ordinatus est, et spes ei successionis adempta; et quae Eulogius de Novatiano narrat, in eventibus anterioribus quoddam fundamentum habent. Ejus aversio contra Zephyrinum et Callistum pariter hac in suppositione facile explicatur. Caeterum haec pro tempore tantum habemus ut suspicionem, non omni fundamento destitutam.

III.

Examen accusationis de disciplina per Callistum corrupta.

32. Auctor Philosophumenon magna cum vehementia Callistum tum de haeresi admissa et proposita, tum de corrupta disciplina ecclesiastica arguit. Primum de hac ultima accusatione agamus; quumque Auctor non aliquo ordine accusationes connectat, sed ea proferat uti homini irato varia in mentem veniunt, ea de singulis capitibus agemus ratione, qua distinctius singula videntur posse perspici. Ut vero occasio illarum accusationum earumque indoles intelligatur, haec observanda veniunt. Ex eo quod multitudo tam ampla versus finem saeculi secundi ad Ecclesiam veniret, rerum status provenit qui suadebat, ut Ecclesiae status.

---

[1]) Bollet. IV. p. 14. [2]) Gesch. der Stadt Rom. B. I. S. 550.

quoad disciplinam haud nimio rigore Ecclesia uteretur, sed quantum licebat mitigationem quamdam adhiberet. Variae autem per se oriebantur quaestiones, in quibus quid agendam esset jam statuere oportebat. Atque imprimis ex numero fidelium adeo aucto provenit, ut multi connubia desiderarent inire, quae secundum leges Romanas non erant justa matrimonia, adeoque statuendum erat, utrum eadem impedimenta etiam Ecclesia determinaret, an vero connubia talia permitteret. Antea quum rariores essent familiae integrae christianae, et plerique fideles in adulta aetate conversi essent ad christianismum, rariores erant etiam lapsus in graviora crimina carnis. Quum vero multi jam Christiani nascerentur et adolescerent inter gentilium vitia, facilius evenit, ut Christiani quoque passionibus abriperentur; accusationes etiam in clericos haud ita raro ferebantur; permulti demum erant ea aetate, qui ex variis sectis haereticis ad Ecclesiam se recipiebant. In omnibus his summo cum rigore procedendum esse, non solum Montanistae ex conficta Paracleti revelatione praetendebant, sed etiam alii rigorismo addicti proclamabant. Pontifices vero Zephyrinus et Callistus potius mitigandam esse aliquantisper severitatem ob temporis circumstantias decreverunt. Inde vehementes Auctoris nostri in Callistum accusationes.

Matrimonia inaequalia.

33. Consideremus imprimis ea, quae spectant ad *matrimonia inaequalia.* Arguit Callistum Auctor, quod approbaverit ut legitimum, connubium feminarum innuptarum nobilium cum viris inferioris conditionis, quod connubium juxta leges Romanas non erat matrimonium justum et civiliter validum. Hinc dicit provenissse, ut dein tales mulieres abortum procurarent, ne ex ignobilibus viris liberos haberent. Ac dein magna cum indignatione exclamat: *Videte, in quantam impietatem vir iste nequam processerit, moechiam una cum caede edocens.* Ut haec intelligantur animadvertendum est, ea aetate ex legibus Romanis: 1° Non potuisse *matrimonia civiliter valida* iniri inter liberos et servos. Eadem prae lege nulla erant quoad suos effectus. Lex autem non impediebat cohabitationem conjugalem inter

servos et liberos, sed eadem habebatur ut contubernium vel concubinatus, sine effectibus civilibus et juridicis. Atque haec unio per legem Juliam et Papiam qua talis (concubinatus) permittebatur. — 2° Senatores eorumque filii et filiae etiam cum libertis et personis infamibus *matrimonium juridicum* inire nequibant. Conjunctio cum talibus pariter habebatur ut concubinatus lege permissus, sed omni effectu juridico privus. Filii ex talibus conjugiis orti erant legaliter spurii, et sequebantur conditionem partis ignobilioris. Id tamen non impediebat, quominus etiam munera publica, v. g. decurionum, obtinerent. — 3° Filiae vel viduae senatorum legitimum ac legale matrimonium quidem inire poterant cum liberis inferioris conditionis, sed eo casu perdebant dignitatem suam *clarissimae* feminae vel puellae, et descendebant ad inferiorem conditionem. — 4° E contra, si ejusmodi viduae vel filiae senatoriae contubernium seu conjugium concubinatus inibant cum liberto vel servo, illud quidem ex legibus Romanis ut matrimonium nullum habebatur. Attamen talis unio, naturaliter valida sed omni legali effectu priva, non impediebatur; imo suam dignitatem *clarissimae* illae feminae tali in casu conservabant, nec earum fama inde multum laedebatur.

35. Diebus Callisti multae erant feminae christianae nobiles et innuptae, earumque connubia magnas difficultates creabant Ecclesiae praepositis. Illud profecto semper fuit Ecclesiae votum, ut feminae christianae tantum viro nuberent christiano; ac Romae non videtur exstitisse ille abusus, ut etiam gentilibus nuberent, secus enim id Callisto exprobrasset Auctor. Jamvero identidem accidere potuit, ut *clarissimae* feminae non invenirent virum christianum *clarissimum.* Sine dubio numerus virorum nobilium christianorum minor erat, quam mulierum, eo quod viri passionibus magis detinerentur religioni christianae nomen dare, vel quod baptismum differrent. Non conveniebat, ut clarissimae illae feminae nobili gentili nuberent; si vero libero ignobiliori christiano nubebant, dignitatem suam amittebant, quod identidem durissimum videri

poterat. Rigidiores tali in casu dixissent: Maneant innuptae, quum talis sit dispositio providentiae. Sed benignior sane erat via, ut etiam illarum mulierum infirmitati provideretur, quae nuptias cum servis vel libertis christianis desiderabant. Nullitas talium matrimoniorum per leges Romanas non erat obstaculum, quominus Ecclesia difficillimis istis temporibus ejusmodi nuptiis benediceret, atque in foro Ecclesiae istam unionem ut legitimum comprobaret matrimonium. Neque id indoli Ecclesiae repugnabat. Nulla erat obligatio, ut eousque honori familiarum nobilium ipsa provideret, eo vel magis, quod inter nobiles ingens ea aetate esset corruptio, inter servos autem et libertos christianos, quorum multitudo permagna erat, honestissimi etiam viri invenirentur. Caeterum femina nobilis tali servo profecto libertatem dein dabat, si forte publice non posset, saltem secreto; nec dubium est, id Pontifici notum fuisse. Videtur autem res maxime spectasse viduas juniores, quae propter liberos ex primo matrimonio genitos dignitatem *clarissimae* amittere nolebant, (dignitatem pessumdare nolebant), ac propterea *matrimonium legale* cum libero ignobili refugiebant. Dedit igitur Pontifex consensum, ut nobiles feminae matrimonio *in foro Ecclesiae valido* servis vel libertis nubere possent.

35. Absurde et impudenter igitur Auctor Philosophoumenon clamat, moechiam a Callisto esse promotam. Contendit porro, inde factum esse ut abortus, in paganis feminis non rarus, etiam a mulieribus christianis procuraretur, ne ex ignobilibus maritis liberos haberent. Sic insinuat, illa connubia unice ex libidine a mulieribus esse appetita, effectum vero fuisse valde perniciosum. Sed id si forte interdum accidebat, Callisto in culpam verti non poterat. Ipsius intentio erat, ut subveniret fragilitati mulierum concessa legitima unione. Quae eâdem abutebantur, certe etiam eadem crimina et majora perpetrare potuissent, si innuptae mansissent; poterant scilicet occulte cum servis consuetudinem habere et abortus procurare.

Remissio peccatorum.

36. Veniamus ad aliam accusationem, qua Callistum Auctor arguit de *remissione peccatorum* omnibus concessa.

Hic, inquit, *primus in animum induxit, ut indulgeret hominibus in iis quae ad voluptates pertinent, dicens, a se omnibus peccata remitti.* Πρῶτος τὰ πρὸς τὰς ἡδονὰς τοῖς ἀνθρώποις συγχωρεῖν ἐπενόησε, λέγων πᾶσιν ὑπ᾽ αὐτοῦ ἀφίεσθαι ἁμαρτίας. Conqueritur Tertullianus plane simili modo De pudicitia c. 1: *Audio etiam edictum esse propositum, et quidem peremptorium. Pontifex scilicet Maximus, quod est Episcopus Episcoporum, edicit: Ego et moechiae et fornicationis delicta poenitentia functis dimitto.* Plerique existimarunt, Tertullianum hisce impetere Zephyrinum Pontificem, et hunc edictum illud, de quo Tertullianus conqueritur, tulisse. Operae tamen pretium est advertere, ab Auctore Philosophumenon asseri, *primum* fuisse Callistum, qui indulgentiam majorem ostenderit in eos qui luxuria peccaverant; adeoque valde probabile est, verba quoque Tertulliani Callistum et ejus edictum spectare. Caeterum jam vidimus, sub Zephyrino in gubernio Ecclesiae permagnas fuisse Callisti partes.

37. Accusationem vero Auctoris de relaxatione disciplinae solido fundamento destitutam esse, manifeste inde colligitur, quod brevi post presbyteri Romani disciplinam severam ecclesiae Romanae quoad leges poenitentiales evehunt, simulque eam repraesentant ut a majoribus acceptam. Scribit enim ad S. Cyprianum Clerus Romanus: *Non hoc nobis nunc nuper consilium cogitatum est, . . . sed antiqua haec apud nos severitas, antiqua fides, disciplina legitur antiqua . . . Absit ab ecclesia Romana vigorem suum tam profana facilitate dimittere, et nervos severitatis eversa fidei majestate dissolvere.*[1]) Aliquid tamen eo tempore quoad poenitentiam eorum qui in peccata carnis inciderant indultum esse, merito existimamus. Certe quoad *dogma,* uti ipse Tertullianus fatetur, Ecclesia semper docuit, omnia peccata ab ipsa posse dimitti; quoad disciplinam, majorem *facilitatem* plenae reconciliationis Callistus videtur illis peccatoribus concessisse, ita tamen ut poenitentia satis dura praecederet. Ipse Tertullianus reconciliationem moechorum, quam Pon-

---

[1]) Inter epistolas S. Cypriani ep. 31. n. 2.

tifici exprobrat, illis verbis describit: *Tu quidem* (moechum) *ad exorandam fraternitatem in ecclesiam inducens, conciliciatum et concineratum cum dedecore et horrore compositum prosternis in medium ante viduas, ante presbyteros, omnium lacinias invadentem, omnium vestigia lambentem, omnium genua detinentem, inque eum hominis exitum quantis potes misericordiae illecebris bonus pastor et benedictus papa concionaris, et in parabola ovis capras tuas quaeris, tua ovis ne rursus de grege exiliat; quasi non exinde jam liceat quod semel licuit; caeteras etiam metu comples cum maxime indulgeas*[1]*)*.

Sicuti Tertullianus jam Montanistanam sectam amplexus, ita etiam in ipsa Ecclesia sat multi semper erant, qui magnam severitatem contra peccatores postulabant, et inde querelae in Pontifices, quando veniam praemissa etiam poenitentia concedebant[2]).

38. Difficile est accurate determinare, in quo sita fuerit mitigatio disciplinae quam Callistus concessit. Petavius aliique eruditi, agentes de Decreto a Tertulliano vituperato, quod ipsi Zephyrino adscribunt, existimant, tunc lapsis in luxuriam concessam fuisse post poenitentiam *plenam reconciliationem*, dum eadem anteriori tempore illis negaretur[3]). Animadverti ad hoc potest, talem severitatem tamen non fuisse antea universalem, ac tempore mortis saltem communionem concessam fuisse. Caeterum ex testimoniis antiquitatis revera colligi potest, distinctionem fuisse antiquitus quoad quaedam delicta inter concessionem poenitentiae quae reconciliaret cum Deo, et *plenam* cum Ecclesia reconciliationem, ita ut illa concederetur, haec vero, saltem usque ad mortem, negaretur.

---

[1]) De pudicitia c. 13.

[2]) Tempore persecutionis Diocletiani Romae multi fuisse videntur, qui exarserunt in Pontifices Marcellum et Eusebium ob veniam lapsis concessam. Eo enim forte pertinent epitaphia S. Damasi, in Marcellum: *Veridicus rector lapsos quia crimina flere — Praedixit, miseris fuit omnibus hostis amarus. — Hinc furor, hinc odium sequitur.* — Atque in Eusebium: *Heraclius vetuit lapsos peccata dolere. — Eusebius miseros docuit sua crimina flere. — Scinditur in partes populus gliscente furore.* Cfr. De Rossi, Bolletino IV. p. 28.

[3]) Ad Epiphan. haeres. LIX.

Mitigatio igitur quam Callistus concessit probabiliter in eo consistebat, ut *plenam et perfectam* reconciliationem post poenitentiam peractam iis qui luxuria peccaverant statim concederet[1]). Ac profecto, uti jam innuimus, gravia erant motiva ea aetate, ut majori indulgentia Ecclesia uteretur. Quum enim jam plurimi inde ab infantia vel pueritia Christiani essent ob multitudinem integrarum familiarum quae Romae veram fidem susceperant, lapsus graviores in carnis peccata frequentiores fuisse, considerata infirmitate humanae naturae colligi potest. Durissimum sane fuisset in eos adhibere eam disciplinam, quam Tertullianus evehit scribens: *Digamos foris sistimus, eumdem limitem liminis moechis quoque et fornicatoribus figimus, jejunas pacis lacrymas profusuris, nec amplius ab Ecclesia quam publicationem dedecoris relaturis*[2]). Ejusmodi praxis non tantum dura, sed etiam perniciosa fuisset. Induxisset enim Christianos ut baptismum magis magisque differrent, donec ad maturam aetatem adolescentiam et juventutem traxissent, et passionum vehementia esset omnino sedata. Neque ejusmodi severitatis terminum rigoristae refugiebant, uti patet ex illis Tertulliani verbis: *Pro cujusque personae conditione ac dispositione, etiam aetate, cunctatio baptismi utilior est; praecipue tamen circa parvulos. . . . Norint petere salutem, ut petenti dedisse videaris. Non minore de causa innupti quoque procrastinandi, in quibus tentatio praeparata est tam virginibus per maturitatem, quam viduis per vacationem, donec aut nubant aut continentiae corroborentur. Si qui pondus intelligant baptismi, magis timebunt consecutionem quam dilationem*[3]). Universim tamen SS. Patres et Canones illam dilationem baptismi ut abusum rejiciebant; hinc multo melius aliquid in disciplina a Callisto mitigatum est, ne a baptismo plures Christiani deterrerentur eo quod timerent, ne si forte in gravia peccata postea laberentur, desperata quadam conditione vitam degere deberent.

39. Accusationi de remissione peccatorum carnis quoad fideles, jungit Auctor aliam accusationem quoad peccatores

---

[1]) V. De Rossi Bolletino IV. p. 29.

[2]) De pudicitia c. 1 in fine. [3]) De Baptismo c. 18.

ex aliqua secta ad Ecclesiam venientes. *Si quis,* inquit, *ab alio quocumque receptus et Christianus effectus peccatum aliquod commisit, ipsi, aiunt, non ratio expetitur criminis, dummodo ad Callisti scholam accurrat. Hac ejus definitione multi allecti homines malae conscientiae et expulsi a multis sectis haereticis, imo etiam aliqui, quos nos judicio instituto ex Ecclesia ejecimus, ipsis se jungunt, et illius scholam implent.* Hic agitur de iis, qui in aliqua secta haeretica baptizati erant, ibidem gravia peccata commiserant, ac tandem ad Ecclesiam catholicam veniebant. Statuit Callistus, quid quoad illos agendum esset. Aliquot episcopi, nominatim Agrippinus Carthaginiensis, eo tempore abusum introduxerunt eos rebaptizandi, existimantes baptismum haereticorum invalidum esse. Eo in casu profecto longam poenitentiam ecclesiasticam, etiamsi crimina antea commiserant, haeretici conversi haud subire debebant; sed illi episcopi quantum ad baptismum conferendum omnino errabant. Callistus vero merito benignitate conveniente usus est, quatenus nec ipse haereticos ad Ecclesiam venientes diuturnae poenitentiae submisit. Decrevit vel confirmavit id, quod postea Stephanus illis expressit verbis: *Si quis a quacumque haeresi venerit ad nos, nihil innovetur nisi quod traditum est, ut manus illi imponatur in poenitentiam.* Hunc usum Ecclesiae postea etiam Innocentius I epist. 24 commemorat scribens: *Haereticorum laicos sub imagine poenitentiae et Spiritus Sancti invocatione per manus impositionem suscipimus.* Quod *imaginem poenitentiae* dicit, id uti ex Auctore Philosophoumenon quoque apparet, in eo consistebat, ut non imponeretur diuturna poenitentia canonica, etiamsi peccatores essent, sed quod per manus impositionem absolutio et plena reconciliatio concederetur. Id, inquam, fiebat in iis qui in haeresi baptizati erant; aliter res se habebat, quando catholici apostatae ab aliqua secta iterum ad Ecclesiam revertebantur. De his scribit Innocentius I l. c.: *Sub longa poenitentiae satisfactione admittendi sunt.* Atque etiam S. Augustinus: *Nec illud,* inquit, *sine distinctione praeterimus, ut humiliorem agant poenitentiam, qui jam fide-*

les ecclesiam catholicam deseruerunt, quam qui in illa nondum fuerunt.[1]) Satis patet, immerito Callistum hac in re ab adversario suo vituperari, quod majori severitate non sit usus.

40. Consideremus illico etiam ea, quae de *secundo baptismate* in fine querelarum suarum Auctor Philosophoumenon dicit: *Sub hoc etiam primo ausi sunt secundo baptismate baptizare. Ἐπὶ τούτου πρώτως τετόλμηται δεύτερον αὐτοῖς βάπτισμα.* Plerique censent, Auctorem hic agere de more rebaptizandi, qui illa aetate ab Agrippino introductus est, eumque accusare Callistum, quod ejus negligentia et disciplina relaxata evenerit, ut talis abusus introduci et propagari posset. Sed merito advertit cl. De Rossi, hanc explicationem minus probabilem esse. Rigoristae enim, ut Auctor noster, propugnare solebant morem baptizandi haereticos ad Ecclesiam venientes, quod etiam in Tertulliano apparet. Videtur Auctor potius his indicare, sub Callisto ejusque culpâ invaluisse Romae sectam Elchasaitarum, qui ritus varios Judaeorum sequebantur, et iterato baptismate superstitioso peccata sine ulteriore poenitentia remittebant. Odio in Callistum abreptus Auctor omni modo nititur etiam hoc connectere cum Pontificis disciplina laxa, quatenus fideles tali disciplina illecti fuerint, ut facilem remissionem peccatorum desiderarent, et sic ad deliramenta Elchasaitarum plures desciverint.[2]) Secundum baptisma.

41. De Elchasaitis postquam Callisti doctrinas et gesta exposuit, sic Auctor Philosophoumenon loquitur: *Hujus* (Callisti) *doctrina quum per universum orbem sparsa esset, rem actam inspiciens vir vaferrimus et impudentia affluens, nomine Alcibiades, Apameae in urbe Syriae habitans, quum Callisto ipso subtiliorem se et ad verborum praestigia aptiorem existimaret, Romam devenit, quemdam librum afferens; dicebat autem eum a Seribus de Parthica regione allatum a sapiente viro, Elchasai nomine, eumque Sobiae cuidam transmissum ab angelo revelatum fuisse . . . Affirmabat Elchasai, hominibus novam peccatorum remissionem revelatam esse, tertium annum Trajano imperante, et baptismum praecipiebat,*

[1]) De unico bapt. c. XII.

de quo ipso mox loquar. Dicebat igitur, homines omni libidine, corruptioneque et nequitia inquinatos, si modo quis sit fidelis, eum animo attendentem et audito libro credentem per hoc baptisma peccatorum remissionem accepturum. Haec ausus est patrare facinora, initium capiens a supradictis doctrinis quas Callistus prius conflaverat. Allectos enim evangelio tali plurimos quum animadverteret, speravit se feliciter conatus effecturum. Nos autem adversus eum restitimus, nec amplius errare multos sivimus, eosque certiores fecimus, illud spurii daemonis opus esse et tumentis superbia cordis inventum, hominemque istum more lupi irruisse in vagantes oves, quas aberrans Callistus disperserat. . . . . Baptisma discipulis quos (Alcibiades) *informat hoc modo confert, deceptis dicens haec verba: Si quis . . . moechatus vel scortatus fuerit et remissionem peccatorum velit accipere, statim ac hunc librum legerit, baptizetur denuo in nomine magni et summi Dei et in nomine filii ejus magni regis, mundetur et castus efficiatur, et vocet testes septem qui scripti sunt in hoc libro, coelum et aquam et spiritus sanctos et angelos precationis et oleum et sal et terram . . . Statim atque audiveritis verba libri hujus baptizemini denuo cum vestimentis*[1]). — Ad hos ritus Elchasaitarum itaque videtur spectare accusatio, quod sub Callisto coeptum sit denuo baptizari. Insano suo furore eousque progreditur Auctor, ut Elchasaitarum facinora in Callistum rejicere conetur, quatenus ejus doctrina laxa fideles reddiderit pronos, ut ad Elchasaitas deficerent. Absonam esse hanc accusationem per se patet.

Disciplinae relaxatio.

42. Jam expendamus accusationes quibus arguit Auctor Callistum, quod relaxata disciplina etiam quoad clerum pravos mores promoverit. *Hic dogmatizavit, quod, si episcopus quid peccaverit, etamsi ad mortem, non debeat ipse destitui.* Exaggerationem et falsam interpretationem doctrinae et actionum Callisti etiam hic haberi, ex iis quae consideravimus jam colligitur. Sunt qui censent cum Döllinger[2]), hic agi de aliquot episcopis qui ad Se-

[1]) L. IX. III. De Elchasaitis.

[2]) Hippolytus und Kallistus, S. 135 ff.

dem Apostolicam apellaverint; Callistum vero quid indulsisse, quatenus moderationem quamdam secutus sit, et non propter qualecumque peccatum *etiam ad mortem,* episcopos deponi voluerit. Etenim, inquiunt, denominatio peccati ad mortem eo tempore non satis determinata erat, dumque per hanc designari possent tantum gravissima crimina, uti luxuria, perjurium, furtum, propter quae juxta Canones Apostolicos (24 et 26) episcopi deponendi erant; interdum multo latius eadem vox patet, multaque peccata involvit. Tertullianus dum peccata ad mortem irremissibilia statuit esse homicidium, idololatriam, moechiam: alia peccata ad mortem remissibilia ipsis opponit. *Perit igitur,* inquit, *et fidelis elapsus in spectaculum quadrigarii furoris et gladiatorii cruoris et scenicae foeditatis et xysticae vanitatis, aut si in lusus, in conviria saecularis solemnitatis, in officium, in ministerium alienae idololatriae aliquas artes adhibuit curiositatis, si in verbum ancipitis negationis aut blasphemiae impegit. Ob tale quid extra gregem datus est; vel et ipse forte ira, tumore, aemulatione, quod denique saepe fit, denegatione castigationis abrupit*[1]. Potuit igitur Callistus benignior esse quoad depositionem episcoporum, dum agebatur de minoribus quibusdam peccatis; et statuere, poenitentiam quidem esse imponendam, sed propter talia facta episcopos non esse deponendos. Huic opinioni favet, quod inter Decretales Pseudo-Isidorianas Callisto adscribitur decretum, ut ad pristinos honores *restituantur sacerdotes post lapsum, si condignam egerint poenitentiam*[2]; unde inferri posse videtur, Pseudo-Isidorum illud decretum composuisse ex aliquo documento aetatis ipsius Callisti.

43. Sed explicationi huic non acquiescit cl. De Rossi. Ipse videlicet animadvertit, nomine peccatorum *ad mortem* illa aetate ontonomastice etiam apud rigoristas tantum tria crimina *homicidii, moechiae et idololatriae* designata fuisse, adeoque accusationem non posse inde explicari, quod episcopis in minora peccata lapsis Callistus concesserit, ut in

---

[1]) De pudicit. c. 7. [2]) Edit. Hinschii p. 142.

suo loco manerent. Pseudo-Isidorus vero desumpsit decretum confictum Callisti ex epistola 185 S. Augustini, et quod S. Doctor de episcopis schismaticis Donatistarum habet, in regulam generalem vertit omnino inepte, quum ex ipsis verbis S. Augustini contrarium colligatur. Donatista videlicet quaerit a. S. Augustino: *Quomodo post poenitentiam apud vos clerici vel etiam episcopi permanemus?* Respondet S. Augustinus: *Hoc non fieret, quoniam revera (quod fatendum est) fieri non deberet, nisi pacis ipsius compensatione sanaretur. Ut enim constitueretur in Ecclesia, ne quisquam post alicujus criminis poenitentiam clericatum accipiat, vel ad clericatum redeat, vel in clericatu maneat, non desperatione indulgentiae, sed rigore factum est disciplinae; alioquin contra claves datas Ecclesiae disputabitur, de quibus dictum est: Quae solveritis in terra etc. Verum in hujusmodi causis . . . detrahendum est aliquid severitati, ut majoribus malis sanandis caritas sincera subveniat.* Sicuti autem aetate S. Augustini, ita etiam antea semper viguit ea lex in Ecclesia, ut episcopi gravium criminum *juridice convicti,* ex dignitate sua caderent. Proinde admitti nequit, S. Callistum decretum aliquod contrarium emisisse, et propterea ab adversario suo accusari.

44. Sed si animadvertitur, hunc adversarium perfide ac dolose Callisti doctrinas et facta detorquere, alius praetextus accusationis ejus haud difficulter invenitur. Callistus, inquit, *dogmatizat;* adeoque haud de Decreto aliquo agitur, sed de doctrina Pontificis. In confirmationem autem doctrinae ipsius, dicit, adduci a Callisto varias parabolas. Porro istae parabolae de zizania et animalibus mundis et immundis haud spectant peccatores poenitentes, sed peccatores non poenitentes, qui in Ecclesia mixti cum justis inveniuntur. Eosdem textus paulo post scriptores catholici opponebant Novatianis et Donatistis, qui contendebant, per peccatores remanentes in Ecclesia hanc contaminari ac dignitatem sponsae Christi amittere; sacramenta vero ab his administrata invalida esse. Valorem illorum sacramentorum Ecclesia catholica semper firma fide vindicavit, atque Anonymus saeculi III rebaptizantes

eos qui ab haereticis baptizati erant, etiam hoc argumento premit: *Quid dicturus es de his, qui ab episcopis pessimae conversationis baptizantur, qui tamen tandem quum Deus voluerit in sceleribus suis convicti . . . . prorsus etiam communicatione privantur.*[1]) Quum temporibus Callisti frequentiores in episcopos ferrentur accusationes, illud supponere possumus, ab eo tum doctrina tum mandatis propositum fuisse, ut episcopi non deponerentur nec fideles eorum communionem relinquerent, antequam *juridica sententia* de criminibus convicti et depositi essent. Simul vero inculcavit eam veritatem, etiam a peccatoribus sacramenta valide administrari, statum Ecclesiae hac in terra eum esse, ut peccatores cum justis permixti sint, neque proinde per se pravos sacerdotes habendos esse ut extorres ab Ecclesia, sed nonnisi post juridicam sententiam. Huc pertinere quoque videtur querela Auctoris de schola Callisti, quod videlicet *non discernat quibuscum sit communicandum, sed cunctis temere offerat communionem.* Adversarius Callisti furore abreptus facile potuit Callisti dicta et facta ita contorquere, ut contenderet, eum dogmatizare, episcopos etiam propter crimina ad mortem non esse deponendos.

45. Jam veniamus ad accusationem de sacerdotibus digamis. *Sub ipso* (ἐπὶ τούτου) *episcopi sacerdotesque et diaconi post duas tresve nuptias inter clericos locum obtinere coeperunt.* Prae oculis habendum est, eo tempore multos jam adulta aetate in clerum adoptatos esse, adeoque coelibatus legem nondum fuisse communem. Vigebat tamen regula quam Apostolus praescripserat, ut *episcopus unius uxoris vir* esset, i. e. ut non fieret episcopus, qui successive duas uxores habuisset. Eadem vero regula ad presbyteros et diaconos applicabatur, nec qui viduam duxerat ad ordines majores admittebatur. Sed animadvertendum est, regulae hujus mitiorem et severiorem fuisse expositionem. Eadem in Canonibus Apostolicis 16°, 17°, 18° proponitur, et canon 16us ita habet: *Qui post baptismum duabus implicitus fuit nuptiis, aut concubinam habuit, is episcopus, aut presbyter, aut diaconus, aut denique ex con-*

Sacerdotes digami.

[1]) Anon. de rebaptismat. c. X., ap. Galland. T III. p. 366

sortio sacerdotali esse non potest. Atque haec praxis, ut tantum bigamiae post baptismum contractae haberetur ratio, non vero matrimonii ante baptismum initi, in Ecclesia orientali invaluit. Omnem defectum enim baptismo abstergi volebant. Sed in Ecclesia occidentali severior erat observantia. Quum enim exemplar continentiae fidelibus censerent esse non posse eum, qui quacumque ratione bis uxorem duxisset, illam distinctionem non admittebant, et omnis bigamus de jure ab ingressu in clerum arcebatur. Attamen quum de ista quaestione, utrum bigamia tantum inde a baptismo computanda esset, an vero universim, identidem disceptaretur, fieri potuit, ut nonnumquam res minus urgeretur. Etiam, si difficultas erat alios viros idoneos inveniendi, dispensationes dari poterant. Accusationes igitur hac in re contra Callistum ab adversario directae eo forte pertinent, quod ipse facilius acquieverit, ut in ordinandis tantum ratio haberetur de bigamia post baptismum contracta, alii vero ad clerum admitterentur; vel quod bigamis facile concesserit dispensationem.

46. Animadvertendum tamen est, etiam ad hanc quaestionem pertinere eam responsionem quam Callisto adversarius attribuit, de zizania quae penitus eradicari nequit, ac de arca Noë cum animantibus mundis atque immundis. Hinc potius censerem, haud approbante vel annuente Callisto bigamos in clerum fuisse ingressos, sed in quibusdam regionibus ex negligentia vel ex penuria aptorum virorum abusum adfuisse eo tempore, ut regula non stricte observaretur atque etiam bigami facilius in clerum admitterentur. Auctor non videtur loqui de ipsa ecclesia Romana, quum non dicat a Callisto bigamos ordinatos fuisse, sed *sub ipso, ἐπὶ τούτου;* ejusque accusatio forte ad Africanas ecclesias refertur. Ex Tertulliani scriptis tum catholicis tum Montanisticis colligitur, eo tempore regulam, ut bigami non admitterentur ad clerum, utique *viguisse de jure,* attamen non semper fuisse observatam. Scribit Tertullianus catholicus *Ad uxorem* l. I. c. 7: *Quantum detrahant fidei, quantum obstrepant sanctitati nuptiae secundae, disciplina Ecclesiae et praescriptio Apostoli declarat cum*

digamos non sinit praesidere. Jam Montanista scribit *De exhortat. castit.* c. 7: *Christi servabatur sicut in caeteris, ita in isto quoque legis plenitudo. Inde igitur aqud nos plenius atque instructius praescribitur, unius esse matrimonii oportere qui alleguntur in ordinem sacerdotalem. Usque adeo quosdam memini digamos loco dejectos.* In libro autem *de Monogamia* postea scripto, in quo generatim bigamiam rigidus Montanista condemnat, urget necessitatem monogamiae pro laicis etiam inde, quod ex iis sacerdotes seligendi sint. Dein Psychicos (catholicos) arguit acrius: *Prospiciebat Spiritus Sanctus dicturos quosdam, omnia licent episcopis, sicut ille vester Uthinensis nec Scantiniam* (legem contra gravem impudicitiam) *metuit. Quot enim et digami praesident apud vos, insultantes utique Apostolo, certe non erubescentes, quum haec sub illis leguntur*[1]*).* Satis patet, etiam hic potius ut abusum qui irrepserit, non vero ut normalem mitigationem disciplinae, admissionem digamorum in clerum repraesentari. Ex hisce igitur concludi potest, tempore S. Callisti ex abusu pluribus in locis bigamos clericos fuisse, Pontificem vero non statim illum abusum severis decretis et depositione voluisse exstirpare, uti rigidiores postulabant, sed paulatim, atque interea prudenti tolerantia utendum censuisse quoad illos clericos, quos certe ut minus dignos habebat.

47. Superest accusatio quoad matrimonium clericorum: *Εἰ δὲ καὶ τις ἐν κλήρῳ ὢν γαμοίη, μένειν τοιοῦτον ἐν τῷ κλήρῳ ὡς μὴ ἡμαρτηκότα*, i. e. *Si quis etiam in clero existens matrimonium faceret,* (vel forte potius *concumberet, matrimonio uteretur*), *in ordine eum manere jubebat, quasi flagitii nihil admisisset.* Ad hanc accusationem Döllinger advertit, adversarium Callisti pro more suo ambiguis verbis aggredi Callistum, neque ea quae hic habentur referri ad diaconos, presbyteros vel episcopos, sed ad clericos his gradibus inferiores. Callistum igitur permisisse, ut si quis inferioris gradus clericus, uti subdiaconus, acolythus, etc., matrimonium iniret, tamen in clero posset manere, sane

Clericorum matrimonium.

[1]) De Monogamia c. 12.

in ordine inferiore. Voluisset adversarius Callisti, ut tales dimitterentur ex clero, quum tamem ad alios gradus ascendere non possent[1]).

48. Sed praeferenda nobis videtur alia explicatio, qualem etiam ad praecedentem accusationem proposuimus. Haud agitur videlicet de aliqua positiva approbatione vel permissione Pontificis, sed de aliquo abusu, quem ad tempus prudenti patientia adhibita, severiori ratione exstirpari haud posse censuit Callistus. Quum ipse Pontifex ad rem applicaret lolii parabolam, dicens: Sinite zizania crescere cum tritico, idest sinite peccatores in Ecclesia manere, satis patet, eum considerasse illa connubia ut illicita, haud vero eadem ab ipso esse positive permissa, quamvis non efficaciter rem impedierit. Atque animadvertendum est, illud *γαμεῖν* hic non videri significare matrimonium inire, sed concumbere seu matrimonio uti. Quamvis videlicet eo tempore adhuc ad ordines sacros admitterentur qui semel tantum matrimonium inierant, tamen praescriptum erat, ut post susceptos ordines ab usu matrimonii abstinerent et continenter viverent. Haec autem praescriptio facilius violabatur, et difficilius erat abusus hac in re abolere. Pontifex minus severe agebat in ejusmodi presbyteros delinquentes, iisque, qui urgebant severitate utendum esse, proponebat verbum Apostoli: „Tu quis es qui judices servum alienum?"

49. Examine igitur instituto apparet, injustas esse accusationes de disciplina ecclesiastica per Callistum corrupta. Id unum forte quis suspicari posset, minus prudenter Pontificem interdum egisse, dum in disciplina mitigationem et moderationem prosequeretur. Sed si perpenderis, illa aetate illisque in rerum adjunctis opportunum fuisse, ut infirmitatis naturae humanae et conditionum societatis ratio haberetur, ex altera vero parte accusatorem Pontificis hominem sectarium esse et infensum Callisti adversarium: vix et ne vix quidem admiseris, in modo agendi Pontificis aliquid reprehensione dignum inveniri.

---

[1]) L. c. S. 150 ff.

IV.

Examen criticum accusationum de Fide per Callistum violata.

50. Caput alterum accusationum, quas Auctor Philosophoumenon in SS. Zephyrinum et Callistum profert, spectat eorum de Trinitate et Incarnatione doctrinam. Eos enim accusat, quod favorem haereticis antitrinitariis praestiterint, imo et ipsi illas haereres proclamaverint. Ut vero accusationes istae melius intelligantur et diluantur, consideremus oportet breviter controversias de rebus fidei illa aetate Romae ab haereticis excitatas.

52. Versus finem saeculi II Theodotus patria Byzantinus et arte coriarius, litteris tamen eruditus, aegre ferens opprobria prius Byzantii postea Romae sibi facta, quod fervente persecutione Christum negasset, contendit asseruitque Christum non esse Deum, sed hominem, proinde se non Deum sed hominem negasse. Ejus discipuli fuerunt Artemon et Theodotus junior seu argentarius, qui pariter contenderunt, Christum esse merum hominem e virgine natum, prophetis virtute praestantiorem. Isti igitur Theodotiani unitatem Dei ita asseruerunt, ut Christi divinitatem negarent. A S. Victore et S. Zephyrino excommunicati sunt, atque in S. Zephyrinum calumniabantur, quod ipse doctrinam de divinitate Christi in Ecclesiam induxisset. Hanc calumniam refutat Eusebius H. E. l. V. c. 28 ex antiquo illius temporis contra Theodotianos scriptore. Is etiam refert, Natalem Confessorem ab iis seductum fuisse, ut accepto salario centum et quinquaginta denariorum per menses singulos, eorum fieret episcopus. Post aliquod tempus tamen Natalis in somnis identidem a Christo admonitus, ac tandem a sanctis Angelis flagris caesus, coram Zephyrino humillime poenitentiam egit et Ecclesiae reconciliatus est. Theodotiani.

52. Eodem fere tempore Romae propagata fuit haeresis Noëti, qui divinitatem Christi ita vindicabat, ut Trinitatem personarum in Deo destrueret. Nam, uti jam di- Noëtus.

ximus, unicam asserebat personam divinam, eamdemque personam Patrem et Filium. Patrem vero Filium appellari, quatenus ex Virgine genitus se sibi Filium fecerit; adeoque Patrem incarnatum et passum esse. Unde etiam Patripassiani dicti sunt. Quum vero ea aetate nomina technica postea recepta, uti substantia, natura, hypostasis, persona, nondum accurate determinata essent, facile erat, ut haeresim suam Antitrinitarii palliarent, praesertim quum eam tegerent praetextu quod *monarchiam* orthodoxam ipsi defenderent. Qui vero ipsis resistebant, quum distinctionem personarum vindicabant, in eum scopulum impingebant, ut plures deos constituere viderentur. Ita Auctor Philosophoumenon a Callisto se διθέον queritur appellatum fuisse, nec forte sine ratione; atque etiam Tertulliano ejusmodi ditheismus objectus est.

53. Operae pretium vero est conferre ea, quae ab Auctore Philosophoumenon dicuntur, cum iis quae habet Tertullianus in suo libro *Adversus Praxeam;* manifeste enim quae in utroque opere narrantur eadem tempora eamdemque doctrinam spectant. Tradit Auctor Philosophoumenon, Noëto Smyrnae fuisse diaconum et discipulum, Epigonum, et hunc quum Romam venisset ibi magistri doctrinam propagasse; Epigoni vero discipulos et asseclas fuisse Cleomenem et Sabellium. Tertullianus vero, quomodo Patripassianorum haeresis Romae propagata sit, in libro adversus Praxeam c. 1 ita describit: *Praxeas primus ex Asia hoc genus perversitatis intulit Romae, homo et alias inquietus, insuper de jactatione martyrii inflatus, ob solum et simplex et breve carceris taedium, quando etsi corpus suum tradidisset exurendum, nihil profecisset, dilectionem Dei non habens cujus charismata quoque expugnavit. Nam idem tunc Episcopum Romanum agnoscentem jam prophetias Montani, Priscae, Maximillae, et ex ea agnitione pacem ecclesiis Asiae et Phrygiae inferentem, falsa de ipsis prophetis et ecclesiis eorum asseverando, et praecessorum ejus auctoritates defendendo, coëgit et litteras pacis revocare jam emissas, et a proposito recipiendorum charismatum concessare. Ita duo negotia diaboli Praxeas Romae procuravit, prophetiam expulit et hae-*

resim intulit, Paracletum fugavit et Patrem crucifixit. Fructificaverant avenae Praxeanae, hic quoque superseminatae, dormientibus multis in simplicitate doctrinae; traductae dehinc per quem Deus voluit etiam evulsae videbantur. Denique caverat pristinum doctor de emendatione sua, et manet chirographum apud Psychicos, apud quos tunc gesta res est; exinde silentium. Et nos quidem postea agnitio Paracleti atque defensio disjunxit a Psychicis. Avenae vero illae utique tunc semen excusserant. Ita aliquamdiu per hypocrisim subdola vivacitate latitavit, et nunc denuo erupit. Sed et denuo eradicabitur, si voluerit Dominus, in isto commeatu.

54. Juxta hanc Tertulliani relationem Praxeas ex Asia Romam intulit haeresim, ipseque Romae non mediocrem initio apud Pontificem habuit auctoritatem. Eidem etiam Montanistarum in Asia gesta et doctrinas ita exposuit, ut inde Pontifex permoveretur ad iis communionem negandam. Quum Romae multi *in simplicitate doctrinae dormirent,* et Praxeae errores non perspicerent, per aliquem virum tamen violatae fidei traductus est. Hic designatur a Tertulliano modestis illis verbis *per quem Deus voluit,* vixque dubitari potest, ipsum Tertullianum hoc modo indicari. Dein *Doctor* (Praxeas) quum ab ipso ratio doctrinarum suarum expostularetur, eas sensu orthodoxo explicavit, et etiam scriptis professionem fidei tradidit, quae adhuc a Catholicis Romae conservabatur. Acquieverunt Catholici, et *silentium* factum est per aliquod tempus. Tertullianus vero illis diebus Montanista factus est, quod accidit versus annum 205, ita ut quae praecedunt ad initia pontificatus S. Zephyrini referenda esse videantur. Postea vero Praxeae doctrinae iterum magis propagatae sunt, et opere suo Tertullianus se accinxit ad eum refutandum.

55. Quisnam fuerit ille *Praxeas,* haud una est eruditorum nostro tempore sententia. Postquam videlicet opus Philosophoumenon in lucem editum est, eruditi perpendentes ea quae ibidem de controversiis cum Patripassianis leguntur, quum Praxeae nulla fiat mentio, censuerunt sub nomine Praxeae alium latere. Advertendum videlicet est

ea aetate valde commune fuisse, ut *duplex cognomen diacriticum* varii haberent. Interdum id inde proveniebat, quod duplex cognomen regulare et civile illi obtinuerint, et usu variaretur; ita Pupienus Imp. a patre etiam aliud cognomen Maximus sortitus est, et modo illo, modo isto nominatur. Interdum vero ex aliqua appellatione populari vel familiari superadditur aliud nomen. Ita apud Frontonem in epistolis familiaribus *Naucellius* nominatur consul, qui in fastis dicitur Titus Claudius Julianus; *Contucius* appellatur praefectus Antonini Pii, cujus cognomen civile erat Sergius Cornelius Repentinus; S. Hippolytus Portuensis in Martyrologiis dicitur *qui et Nonnus,* et in inscriptione aliqua sepulchrali nuper Portu detecta etiam legitur: *M. C. Symmachi qui et Nonnus, qui vixit annos XII. M. VI.* Ex hisce vero quoad opera saeculo III conscripta sequitur ille canon. Si eadem facta in scriptis illius temporis duabus personis diversi nominis tribuuntur, attendendum est, annon ad eamdem personam haec pertineant, quae vel duplex cognomen civile potuit habere, vel etiam cognomen familiare appellativum. Praesertim vero in scriptis polemicis vel lusoriis ejusmodi nomina appellativa adhibentur si ad scopum aliquid conferunt; habenturque quaedam quoque cognomina regularia e. g. Fortunatus, Amantius, Eusebius, Eusthatius, Gregorius, quae ex indole sua aptissima sunt, ut serio vel jocando in appellativa vertantur. Tale est etiam nomen *Πραξίας* seu Praxeas. Illud quidem nomen est ex inscriptionibus et auctoribus antiquis notum ut cognomen regulare, et non per se est mera appellatio. Sed quum cohaereat cum verbo *πράσσω, agere,* facile ludendo et pungendo adhibetur ut appellativum. Unde etiam Tertullianus: Praxeas et alias *homo inquietus, qui diaboli negotia procurat.*

56. Porro si consideratur, de propagatione doctrinae Noëti tum Tertullianum tum Auctorem Philosophoumenon agere, nomen tamen Praxeae apud hunc non inveniri, per se illa se offert quaestio, annon Praxeas iste a Tertulliano appellatus aliquis sit ex iis, qui ab auctore altero commemorantur. Poterat enim Praxeae etiam aliud esse

nomen. Sunt igitur qui existimant, Praxeam esse ipsum Callistum, eumque hac appellatione Praxeae (negotiorum actoris) per ludibrium designari, eo quod sedula sua activitate Callistus in variis negotiis feliciter et infeliciter laboraverit. Hanc sententiam praesertim Hagemann multis evolvit[1]. Alii vero, uti cl. De Rossi, existimant, Praxeam esse Epigonum. Hic enim secundum Auctorem Philosophoumenon doctrinam Noëti ex Asia Romam attulit; idem vero a Tertulliano Praxeae adscribitur. Iste enim est sensus obvius et litteralis verborum: *Praxeas primus ex Asia hoc genus perversitatis intulit Romae;* ac nonnisi violenter haec ad Callistum referuntur. Praeterea Epigono qui ex Asia venit etiam apte adscribitur, quod de Montanistis Asiae Zephyrinum instruxerit; id a Praxea factum Tertullianus docet. In Callistum non convenit, quod tantum breve carceris taedium passus sit; ad metalla enim damnatus fuit. Utraque autem poena a Tertulliano apprime distinguitur, uti patet ex ejus de Pudicitia libro c. XXII, ubi furore sectarii abreptus invehit in Catholicos, ac si apud ipsos martyres ficti et iniqui luxuriosis redderent pacem. *At tu,* inquit, *jam et in martyres tuos effundis hanc potestatem; ut quisque ex consensione vincula induit adhuc mollia, in novo custodiae nomine statim ambiunt moechi, statim adeunt fornicatores . . . Violantur viri ac feminae in tenebris plane ex usu libidinum notis, et pacem ab his quaerunt, qui de sua periclitantur. Alii ad metalla confugiunt, et inde communicatores revertuntur, ubi jam aliud martyrium necessarium est delictis post martyrium novis.* Neque ea quae dicit Tertullianus de professione fidei, quam Praxeas errorum accusatus scriptis ut se purgaret tradidit, apte Callisto tribui possunt. Etenim Auctor Philosophoumenon, tanto ardore Callistum insectans, hujus rei profecto mentio-

---

[1]) Die Röm. Kirche II. 13. Facile vides, hanc quaestionem non minimi esse momenti. Etenim si Praxeas est ipse Callistus, sequitur, Tertulliani impugnationem caute suscipiendam et potius ipsius Tertulliani opiniones suspectas esse.

nem fecisset, indeque novum argumentum contra Callistum prompsisset. — Existimamus igitur, Praxeam esse Epigonum, non vero Callistum, ac dum Callisti doctrinam examinamus, non est cur ad librum Tertulliani adversus Praxeam recurramus.

Quaestio de monarchia. 57. Romae itaque, uti ex dictis colligitur, ea aetate Ecclesia controversiis et discordiis agitabatur de unitate Dei (*monarchia*), et de modo eam conciliandi cum pluralitate personarum; praesertim agebatur de Patris ac Filii mutua relatione ac de Incarnatione. Maxima fidelium pars valde sollicita erat de unitate divina vindicanda (*monarchiani*); hi ab adversariis accusabantur, quod ad Noëti errores dilaberentur, et irridebantur ut simplices et in rebus theologicis imperiti. Vicissim vero isti a multitudine arguebantur, quod in ditheismum inciderent. Rationalistae recentiores contendunt, in ecclesia Romana usque ad tempora Callisti revera praevaluisse sensu judaico doctrinam de *Monarchia absoluta,* pluralitatem personarum et divinitatem Christi excludente, atque etiam hos Pontifices tali errori inhaesisse, ita ut sensu Patripassianorum doctrinam de Monarchia Zephyrinus proposuerit. Imo doctrinam Justini et Irenaei de distinctione Patris et Verbi eo tempore Romae fuisse proscriptam, et ejus sectatores excommunicatos[1]).

58. Falsum imprimis est, influxu judaico factum esse, ut fideles Romani doctrinam de Monarchia sedulo tuerentur. Discimus enim a Tertulliano, id inde provenisse, quod a polytheismo conversi hunc gentilium errorem vehementer formidarent. *Simplices enim quippe,* scribit, *ne dixerim imprudentes et idiotae, quae major semper credentium pars est, quoniam et ipsa regula fidei a pluribus diis saeculi ad unicum et Deum verum transfert, non intelligentes unicum quidem sed cum sua oeconomia esse credendum*[2]*), expavescunt ad oeconomicam. Numerum et dispositionem trinitatis, divisionem praesumunt unitatis, quando*

[1]) Volkmar, Ueber die Römische Kirche p. 5. Zürich 1857.

[2]) Animadvertendum est, apud Tertullianum aliosque oppugnatores Noëti voce *oeconomiae* designari *distinctionem personarum* ab ipsis pro-

unitas ex semetipsa derivans trinitatem, non destruatur ab illa sed administretur. Itaque duos et tres jam jactitant a nobis praedicari, se vero unius Dei cultores praesumunt, quasi non et unitas irrationaliter collecta haeresim faciat, trinitas rationaliter expensa veritatem constituat. Monarchiam, inquiunt, tenemus. Et ita sonum vocaliter exprimunt etiam Latini, etiam Opici[1]*, ut putes illos tam bene intelligere monarchiam, quam enuntiant. Sed monarchiam sonare student Latini, oeconomiam intelligere nolunt etiam Graeci*[2]. — Patet igitur, Romae multitudinem fidelium valde inhaesisse doctrinae de Monarchia, haud propter conceptus judaicos, sed metu ne in polytheismum relaberentur. Si sensu judaico Christiani Romae affecti fuissent, facile potius Theodoti erroribus adhaesissent; is enim divinitatem Christi negabat, dum unicum Deum asserebat. Error autem Noëti, cui sensu judaico Romanos addictos fuisse praetendunt rationalistae, omnino alienus erat a judaismo, et potius procedebat ex principio opposito *divinitatis Christi tuendae.* Unde Noëtus presbyteris Smyrnensibus respondebat: *Quid igitur mali facio, si Christum honoro*[3]*?*

59. Caeterum ecclesia Romana nullatenus sensu Noëti doctrinam de Monarchia tenuit. Sane distinctionem personarum Justinus, Rhodon, Irenaeus apertissime proclamaverant. Eorum tamen doctrinae Romae receptae erant, adeoque monarchianismo illi non censebantar oppositae, suumque monarchianismum Romani cum distinctione personarum omnino conciliabant. Simulatque Epigonus (Praxeas) in suspicionem venit negatae distinctionis personarum, ab ipso professio fidei exigitur. Ac Tertullianus ipse tum in opusculo *De Praescriptionibus*, tum in libris *Contra Marcionem* quos jam Montanista confecit, semper profitetur, Romanam ecclesiam Apostolicam fidem regulamque tenere; quod

---

pugnatam. Notum est, alias nomine oeconomiae frequenter exprimi operationes Dei ad extra, praesertim Incarnationem.

[1]) Graecam vocem μοναρχία inculti modo inepto pronuntiabant; Opici, i. e. Osci, qui noti erant ob ineptam verborum pronuntiationem.

[2]) Adv. Praxeam c. 3.

[3]) Hippolyt. c. Noëtum c. 1. Migne Patrol. Gr. t. X.

profecto non diceret, si ibi, uti rationalistae praetendunt, viguisset Monarchianismus judaicus vel Noëtianus quem Tertullianus impugnat.

Zephyrini formula.

60. Jam consideremus doctrinas, quae ab Auctore Philosophoumenon Zephyrino et Callisto adscribuntur, atque imprimis formulam a Zephyrino prolatam. *Zephyrinum ipsum,* scribit, *stimulans adducebat, ut coram omnibus diceret: Ego novi Deum unum Jesum Christum, et praeter illum neminem alium genitum atque passum. Ἐγὼ οἶδα ἕνα θεὸν Χριστὸν Ἰησοῦν, και πλὴν αὐτοῦ ἕτερον οὐδένα, γενητὸν καὶ παθητόν.* — Quoad orthodoxiam horum verborum non consentiunt auctores. De Rossi censet, hanc formulam revera non differre a formula Noëti. Juxta S. Epiphanium videlicet verba Noëti propter quae haereticus declaratus est haec fuere: *Ἕνα θεὸν δοξάζω, ἕνα ἐπίσταμαι, καὶ οὐκ ἄλλον πλὴν αὐτοῦ γεννηθέντα, πεπονότα καὶ ἀποθανόντα.*[1]) Sed si formula Zephyrini revera plane consona censetur formulae Noëti, nullum dubium est, Zephyrini verba ab adversario ejus deformata fuisse. Ex testimoniis enim historicis constat, Zephyrini doctrinam orthodoxam et consonam fuisse doctrinae S. Irenaei et S. Justini. Ita Tertullianus etiam Montanista in operibus suis testatur, rectam fidem in Ecclesia Romana consistere, neque eam accusat, quod relate ad dogma Trinitatis in errorem inciderit. Ex Eusebio autem scimus (H. E. l. V. c. 28), quum Zephyrinus ab Artemonitis accusaretur, quod doctrinam de divinitate Christi ipse primus in Ecclesiam induxerit, ejus fidem vindicatam fuisse ab auctore illius temporis, qui ostendit, doctrinam Zephyrini de divinitate Christi plane convenire cum doctrina Apostolorum et antiquorum scriptorum, Cle mentis, Miltiadis, *Justini, Irenaei.* Jam vero si Zephyrinus diserte formulam Noëti sancivisset et distinctionem personarum negasset, certe auctor ille non potuisset ea ratione provocare ad Justinum et Irenaeum, qui distinctionem Patris et Filii clare praedicant. Auctor illius defensionis Zephyrini videtur Caius fuisse, ejusque liber insig-

[1]) Epiphan. Haer. 57.

nitus titulo *Parvus Labyrinthus* (*ὁ μίκρος λαβύρινθος*); liber vero deperditus est. Ita igitur indirecte orthodoxia Zephyrini contra calumnias Auctoris Philosophoumenon vindicari potest[1]).

61. Attamen cum aliis censemus, Zephyrini verba, etiam uti jacent, non exhibere formulam Noëti, sed sensu orthodoxo explicari posse; debent sane cum iis jungi ulteriores Callisti explicationes. Optime hac de re Em. Franzelin: „Doctrinam SS. Zephyrini et Callisti de unitate Patris et Filii ipsemet eorum adversarius ita exhibet: Zephyrinus suasu Callisti publice praedicabat: ‚Ego novi unum Deum Christum Jesum, et praeter hunc nullum alium (scilicet nullum alium Deum), qui (Jesus Christus Deus) natus et passus est.‘ Simul vero declarabat Callistus: ‚non Pater mortuus est, sed Filius.‘ Praedicatur itaque alius Pater, alius Filius contra Noëtum, sed sicut Christus Dominus Patrem dixit solum verum Deum[2]), ita et Filius est idem unus Deus, praeter quem nullus alius Deus est.“

62. „Ulterius exponitur doctrina Callisti jam Pontificis, scilicet Patrem et Filium *esse unum indivisibilem spiritum, non alium spiritum esse Patrem et alium spiritum esse Filium, sed unum eumdemque spiritum; et qui in Virgine incarnatus est, non esse spiritum alium quam sit Pater, sed unum ac eumdem spiritum; et hoc sibi velle quod dictum est: Non credis, quia ego in Patre, et Pater in me est? Non enim, inquit, dicam duos Deos Patrem et Filium, sed unum.*“ Hisce Callistus omnino orthodoxe declarat, Patrem et Filium duas esse personas, sed unum Deum (spiritum). „Adversarius quidem, ait Em. Franzelin, concludit haec referens, hoc modo doceri unam personam Patris et Filii, quia intelligere non potuit vel noluit distinctionem secundum personas, si nulla sit distinctio secundum naturam. Nihilominus ipse fatetur, Callistum noluisse dicere Patrem esse passum, et unam esse personam, *ut,* inquit, *effugeret*

---

[1]) Cfr. De Rossi Bollet. IV. p. 80.

[2]) „Haec est vita aeterna, ut cognoscant te solum Deum verum, et quem misisti Jesum Christum.“ Jo. 17. 3.

blasphemiam in Patrem. Eamdem calumniam repetit, quasi Callistus solo nomine distinxisset Patrem a Filio, quia docebat[1]): *Pater et Filius est unum essentia; neque enim Deus est alius spiritus quam Verbum, nec Verbum alius spiritus quam Deus; atque hoc Verbum est unus Deus et incarnatus est*" [2]). Haec certe omnino catholicae fidei respondent; calumniam vero Auctor inde Callisto impingit, eum tantum nomine tenus personas distinguere.

63. Par est ratio criminationis quae Callisto tribuit errorem Theodoti, quatenus is negavit Jesu divinitatem. Adeo nimirum inter se nexa sunt dogmata de distinctione personarum deque Verbi incarnatione, ut altero perperam explicato subvertatur alterum necesse est. Quantum ex Auctoris delatione rimari possumus Callisti mentem, hic scite distinguebat habitudines, quibus assumpta a Verbo natura aliter ad Verbum, aliter ad totam Trinitatem refertur. Quamquam enim doceret, unum Filium fuisse genitum et passum, simul affirmabat, in arcana illa Verbi inhumatione quasdam etiam Patris adeoque totius Trinitatis fuisse partes. Rursus, quamvis Callistus negaret, Patrem passum fuisse, ob mutuam tamen personarum inexistentiam, negabat Patrem a Filio separatum fuisse dum Filius pateretur. Ex adverso Auctor, uti Callisti de Trinitate doctrinam ad Noëti errores redigebat, ita Callistum inepte insimulabat erroris Theodotiani, perinde quasi docuisset, Patrem incarnatum et passum esse, Jesum vero esse naturam humanam a Patre assumptam.

Doctrina Auctoris.

64. Si postremo quaeritur de doctrina ipsius Auctoris Philosophoumenon, haud ita facile est dirimere quaestionem, utrum haereticas tenuerit opiniones, an vero orthodoxe ejus sententiae explicari possint. Fortasse quamvis falsas doctrinas non teneret, odio et ira abreptus ex obscuritate dogmatis et terminis minus definitis occasionem cepit deformandi sententiam Zephyrini et Callisti. Vehemens tamen suspicio est, eum unitatem numericam naturae

---

[1]) V. Philosoph. L. X. n. 18.

[2]) Franzelin, De Trinitate p. 141 sqq.

divinae, quum Noëti errori resisteret, non satis servasse, et censuisse, Verbum quidem esse ejusdem naturae ut Patrem, sed numero distinctae. Videmus enim, a Callisto eum *ditheismi* accusatum fuisse tum vivente Zephyrino, tum postquam Callistus ipse supremam cathedram ascendit. Satis obscure autem exponit Auctor de relatione Patris et Verbi fidem suam L. X. n. 33. „*Ille igitur solus et secundum omnia* (κατὰ πάντων) *Deus Verbum primum cogitando progignit, non Verbum ut vocem, sed internam Universi rationem* (ἐνδιάθετον τοῦ Παντὸς λογισμὸν). *Hoc solum* (Verbum) ἐξ ὄντων *progenuit,* τὸ γὰρ ὂν *ipse Pater erat, ex quo erat Verbum quod causa est rerum creatarum, in ipso genitoris voluntatem ferens, nec inexpertum paternae conceptionis. Quum enim ex genitore procedat primogenitus illius, factus simul vox, habet in se quas in Patre conceperat ideas; unde jubente Patre mundum fieri perfecit Verbum in singulis Deo obtemperans.*“ Haec quidem per se non videntur obstare rectae fidei; possunt enim explicari secundum doctrinam de Verbo ἐνδιαθέτῳ et de Verbo προσφορίκῳ, quae apud plures Patres invenitur. Inferius autem dicit: „*Post ea ex omnibus compositis substantiis rerum omnium dominatorem Creator conflavit. Non autem Deum volens facere erravit, nec angelum, ne fallam* (μὴ πλανῶ), *sed hominem. Nam si te Deum voluisset facere, potuisset; exemplum rei habes Verbum* (ἔχεις τοῦ Λόγου τὸ παράδειγμα.) *Sed hominem volens, hominem te fecit; si autem vis etiam Deus fieri, Creatori obedi, neque adversare nunc, ut in minimis invento tibi fideli magna concredi possint. Hujus Verbum solum ex ipso; ideo etiam Deus, quum sit substantia Dei* (οὐσία ὑπάρχων Θεοῦ). *Mundus autem ex nihilo; ideo non Deus; hic etiam dissolvitur, quando vult qui eum condidit.*“ Ex his plura suspectum reddunt Auctorem. Ne verbum quidem habet de numerica unitate naturae divinae, ac dicit, Deum potuisse etiam hominem facere Deum, sicuti Verbum. Hoc autem Deus est, quia non ex nihilo, sed ex substantia Dei est; mundus vero ex nihilo est, et ideo non Deus. Haec veluti per se eam notionem ingerunt, Verbum esse alterum Deum, ejusdem quidem sed

non numerice unius cum Patre substantiae. Sic unitas Deí *logica* quidem, sed *non realis* esset. Quum praeterea Auctor oppugnet tanto ardore assertionem Callisti, Patrem et Verbum esse unum spiritum, et reliqua quibus unitatem naturae Callistus adstruebat, existimamus, haud immerito Auctorem Philosophoumenon ditheismi accusatum fuisse.

V.

Quisnam fuerit Auctor Philosophoumenon.

Quis fuerit Auctor.

65. Restat expendenda quaestio valde implicata de *Auctore* Philosophoumenon; viri enim eruditi dum explorant, cuinam scriptori illa haeresum confutatio tribuenda sit, maxime inter sese dissentiunt.

Origeni opus attribuit *E. Miller,* qui primus Philosophoumena in publicam edidit lucem; ejus sententiam amplexus est *Carolus Lenormant*[1]); et *Card. Pitra* in Spicilegio Solesmensi opinatur, Philosophoumena esse foetum Scholae Origenianae, seu ab aliquo discipulo Origenis ea esse conscripta.

Caio tribuerunt Philophoumena scriptores anonymi in Periodico anglico *Ecclesiastic and Theologian,* qui duabus Dissertationibus a. 1851 sententiam Milleri refutare conati sunt. Satis inepte iidem censuerunt, in opere illo non Callistum Pontificem, sed alium obscurum haereticum impugnari. — Caio pariter Illmus *Fessler* Philosophoumena vindicavit[2]), eamque sententiam initio etiam *Baur* propugnavit[3]).

Hippolyto episcopo opus permulti eruditi attribuerunt. Primus fuit *Jacobi,* qui a. 1853 hanc sententiam in Periodico Berolinensi[4]) exposuit. Eodem anno multis eam propugnavit *Bunsen* Borussiae in Anglia lega-

---

[1]) Correspondant, février 1851.

[2]) Tübing. Quartalschr. 1852. p. 299 sqq.

[3]) Theol. Studien und Kritiken 1853.

[4]) Deutsche Zeitschrift für christl. Wissenschaft u. christl. Leben.

tus[1]); accesserunt *Christ. Wordsworth*[2]), scriptores in Periodico *Dublin Review*[3]), *Freppel*[4]), qui postea tamen ab hac sententia recessit. In Germania hanc opinionem amplexi et tuiti sunt *Hergenröther*[5]), *Gieseler*[6]) et maxime *Döllinger*[7]). Post ipsum hanc sententiam in Germania fere omnes eruditi amplexi sunt, ita ut singulos recensere supervacaneum esse videatur. Multis etiam hanc sententiam vindicare conatus est *P. C. De Smedt* in sua Dissertatione *De auctore Philosophoumenon*[8]).

T e r t u l l i a n o attribuerunt Philosophoumena *Jallabert, Cruice* et *Dumont*. Qua de re ipse Patritius Cruice Professor Parisiensis, qui postea fuit Epus Massiliensis: *Mox,* scribit, *unus e scholae nostrae discipulis in actu publico quem apud facultatem litterarum Parisiensem habuit, totum opus Tertulliano vindicabat.*[9]) *Interim in A n n a l i b u s p h i l o s o p h i a e c h r i s t i a n a e eruditissimam disquisitionem de eadem quaestione scribebat vir egregius et eruditus Dumont*[10]) *et in eam sententiam stat quam ego conatus eram defendere*[11]). Videtur autem postea Cruice opinionem suam mutasse[12]). Sed cl. *De Rossi* in suo Bolletino arch. a. IV (1866) egregia edita Dissertatione, manifeste satis propendit in Tertullianum ut Auctorem Philosophoumenon, atque innuit, hanc etiam esse sententiam cl. *Fabiani* Canonici Romani.

N o v a t i a n o opus attribuit *P. T. Armellini* S. J. in Commentario de hac quaestione a. 1862 edito. — B e r o n i autem haeresiarcho Philosophoumena vindicare co-

---

[1]) Hippolytus and his age. 4 vol. 8°.
[2]) Saint Hippolytus and the Church of Rome.
[3]) April 1853. [4]) Correspondant 1853.
[5]) Tübing. Quartals. 1852.
[6]) Theol. Studien und Kritiken 1853.
[7]) Hippolytus und Callistus 1853.
[8]) Dissert. Vol. I. Diss. III.
[9]) Etudes critiques sur les livres des Philosophoumenon, par l'abbé Jallabert, Paris 1853.
[10]) Annales etc. 1854.
[11]) V. Editionem Philosophoumenon quam curavit Cruice, Prolegomena C. III.
[12]) Cruice, Histoire de l'Eglise de Rome. Dissert. préliminaire.

natus est *Darras* in sua Historia ecclesiastica.[1]) Alii tamen has opiniones non acceptarunt.

Bene multi postremo existimant, certo auctori Philosophoumena tribui non posse, quum multorum scriptorum nomina ad nos non pervenerint, et argumenta solida non adsint propter quae hoc opus alicui ex iis quos novimus possit adscribi. Ex his citandus nobis est *Ex. D. Lefebve,* in praeclara sua Dissertatione quam in Periodico *Revue catholique* a. 1871 edidit. — *Em. Card. Franzelin* diserte pronuntiat, S. Hippolytum Philosophoumenon auctorem haberi non posse,[2]) idemque etiam *Em. Card. Newman* existimat.[3])

Indicia quaedam.

66. Modo ut in inquisitione nostra servato procedamus ordine, pauca quaedam indicia notamus ipso Opere contenta, quae prae oculis habenda sunt, dum quis Auctor fuerit indagatur. 1° Ex variis capitibus quae ex disquisitione jam instituta facile colligi possunt, concluditur Auctorem fuisse revera coaevum illorum temporum de quibus agit. — 2° Videtur opus scriptum ab aliquo Latino qui Graecam linguam callebat; non tamen satis graece nec satis concinne scriptum est, ut Orientalibus placere posset[4]). Opus videlicet neque aequabilem orationis fluxum, neque numerum, neque texturam Graecorum propriam exhibet. Amplam quidem prae se fert Auctor eruditionem, sed magna ex parte elucubratio ejus ex scriptoribus gentilibus et ex S. Irenaeo compilata est, nec profundum ac subtile fuisse viri ingenium, ex ejus opere colligi potest. — 3° Scribit Auctor in prooemio Libri primi: *Nec ea* (haereticorum deliramenta) *refellet ullus, praeterquam diffusus per Ecclesiam Spiritus Sanctus, quem priores Apostoli adepti eumdem recta fide praeditis imper-*

---

[1]) Hist. gén. de l'Eglise. t. VII.

[2]) Tract. de Deo Trino p. 147 nota 2. — Verba ejus inferius afferemus.

[3]) Traits theologicals and ecclesiasticals p. 222. London 1874.

[4]) Haec merito una habetur ex rationibus, cur oblivioni datum fuerit hoc opus. Scriptum scilicet fuit, ea aetate qua latinae litterae inter Christianos Occidentis frequentiores esse incipiebant quam graecae. Quare non multo post minui coepit Latinorum numerus, qui opus illud intelligere possent. Orientalibus autem non satis graece scriptum erat. Armellini l. c. cap. VI.

tiere. Quorum nos successores facti et ejus doni consortes, participes summi sacerdotii et magisterii et custodes Ecclesiae reputati, (ὧν ἡμεῖς διάδοχοι τυγχάνοντες τῆς τε αὐτῆς χάριτος μετέχοντες ἀρχιερατείας καὶ διδασκαλίας καὶ φρουροὶ τῆς Ἐκκλησίας λελογισμένοι) *oculo non connivemus, nec convenientem supprimimus sermonem* (οὐδὲ λόγον ὀρθὸν σιωπῶμεν.) Ex his infertur, Auctorem fuisse vel episcopum, vel saltem principem factionis qui arroganter se episcopis aequiparabat et similia sibi adscribebat officia. — 4° Varia opera se jam confecisse Auctor prodit. Loquitur de *alia haereticorum confutatione* ab ipso elaborata, scribens initio Libri primi: *Quorum haereticorum etiam olim strictim* (καὶ πάλαι μετρίως) *exposuimus opiniones, non eas minutim declarantes, sed summatim redarguentes* (οὐ κατὰ λεπτὸν ἐπιδείξαντες, ἀλλὰ ἁδρομερῶς ἐλέγξαντες.) — Scripsit praeterea librum *De omnium rerum essentia* (Περὶ τῆς τοῦ Παντὸς οὐσίας), uti patet ex ejus verbis L. X. n. 32: *Nunc igitur videmur satis bona mente praedictis respondisse; qui ultra sapere atque harum substantiarum essentiam causasque creationis pernoscere cupiunt, ediscent ea legentes nostrum librum* Περὶ τῆς τοῦ Παντὸς οὐσίας. — Indicat etiam L. X. n. 30, se scripsisse *Commentarios in Genesim* vel ejusmodi opus, in quo disseruerat de Palaestina, de 72 gentibus e Patriarchis ortis, de Arca Noë. Scribit: *Abraham, Deo praecipiente, migrat ex Mesopotamia, ex urbe Charra et pergit ad regionem quae nunc Palaestina et Judaea vocatur, tunc vero Chanaanitis, de qua singillatim et non sine cura disseruimus in aliis sermonibus* (παρεδώκαμεν ἐν ἑτέροις λόγοις) . . . . *Erant autem filii Abrahae septuaginta et duo, ex quibus septuaginta et duae gentes, quarum etiam nomina in aliis libris exposuimus, ne hoc quidem omittentes, secundum opportunitatem* (κατὰ τρόπον) *volentes ostendere iis qui discere cupiunt, quem amorem habeamus erga divina, et cognitionem certam quam in laboribus comparavimus quoad veritatem . . . . Noachus vir admodum religiosus et pius cum conjuge sua et filiis et tribus eorum uxoribus effugit diluvium in arca servatus, cujus mensurae et reliquiae, sicuti exposuimus, usque nunc exhibentur in montibus Ararat, qui juxta Adiabenorum regionem siti*

sunt. — Ista sunt indicia ex ipso opere deprompta, ad quae attendere oportet, dum quaestio de Auctore instituitur.

Testimonia. 67. Veterum testimonia de hac haeresum Confutatione vix inveniuntur. Quae tamen Theodoretus de Peratis, de Montanistis, de Preponte, de Monoimo, de Noëtianis, de Callisto attingit, non obscure significant, eamdem ipsi non incompertam fuisse. At nullibi quid de Auctore ingerit, ac praeterea non videtur novisse nisi extremum operis librum, vel certe librum proxime praecedentem ignoravit. De Callisto enim haec tantum habet: *Eam haeresim post Noëtum propugnavit Callistus, et ipse dogmatis impietati addimenta quaedam commentus.*[1]) Praeterea Theodoretus quum in Auctore (X. 18) legisset: *Νὸητός . . . εἰσηγήσατο τοιάνδε αἵρεσυν ἐξ Επιγόνου τινὸς εἰς Κλεομένην χωρήσασαν*, Noëtus . . . induxit haeresim ex Epigono quodam ad Cleomenem transgressam; ipse haec ita intellexit ut scriberet: *Noëtus haeresim renovavit* (ἀνενεώσατο) *quam Epigonus quidam primus in lucem ediderat* (ἐπεκύησε πρῶτος), *Cleomenes vero susceptam confirmarat.*[2]) Inde colligitur, ipsum tantum ultimo Philosophoumenon libro usum esse; si videlicet librum nonum legisset, talem non commisisset errorem.

69. Fortasse ultimum librum etiam vidit Photius, uti quidam colligunt ex iis quae scribit *Biblioth. Cod. 48.* Quum ex ejus verbis argumentum praecipuum ii deduxerint, qui Philosophoumena Caio tribuerunt, ea afferimus: *Lectus est Josephus De universo* (περὶ τοῦ παντὸς); *qui liber alibi inscriptus legitur de universi causa* (περὶ τοῦ παντὸς αιτίας), *in aliis vero libris De universi natura* (περὶ τοῦ παντὸς οὐσίας) . . . *Comperi annotatum fuisse, non esse Josephi hoc opus, sed Caii cujusdam presbyteri Romae agentis, quem et auctorem faciunt Labyrinthi: cujus etiam dialogus est adversus Proclum quemdam haeresis Montanistarum defensorem. Cum enim sine titulo opus relictum esset, alii quidem Josepho inscriptum referunt, alii Justino martyri, nonnulli Irenaeo: quemadmodum et Labyrinthum Origeni quidam tribuere. Alioquin Caii est opus,*

---

[1]) Haer. Fab. III. 2. [2]) Ibid.

ejusdem revera qui Labyrinthum composuit, quando ille ipse in extremo Labyrintho testatum reliquit, esse se libri De Universi natura (*Περὶ τῆς τοῦ Παντὸς οὐσίας*) *auctorem. Verum hicne liber ille sit de quo agitur non alius, nondum mihi liquet.* — Animadvertendum est, Philosophoumenon librum X, quo continetur haeresum recapitulatio, incipere verbis *Τον λαβύρινθον*; ac versus finem libri Auctor, uti notavimus, asserit, se esse auctorem operis *Περὶ τῆς τοῦ Παντὸς οὐσίας.* Ex hisce indiciis aliqui conjiciunt, Photium loqui l. c. de libro Philosophoumenon, vel potius de hujus operis libro decimo. Sed plura hac de re inferius dicemus.

69. Jam videamus, utrum O r i g e n i Philosophoumena tribui possint. Quatuor videlicet exemplaria vulgati dudum prioris libri, non ea quidem admodum antiqua sed diversa et varietate lectionum discrepantia, Origenis nomen praefixum habent. Praeterea codex ipse Parisiensis qui principio caret, ad calcem, ubi summa dogmatis christiani exponitur, notam hanc praefert minio scriptam: *Ωριγενες και Ωριγενους δοξα, Origenes atque Origenis doctrina.* Origenes demum scripsit certe opera similia iis, quae Auctor Philosophoumenon sibi tribuit. His auctoritatibus nixa est opinio eorum, qui Origeni Philosophoumena adscribunt. — Sed Origenis *vita, doctrinae* et *stylus* comprobant, ipsi hoc opus Philosophoumenon tribui non posse. Auctor Philosophoumenon profecto diu Romae, vel in loco Urbi vicino versatus est; nullatenus autem id convenit Origeni, de quo Eusebius H. E. l. VI. c. 14: *Adamantius vero, (id enim etiam Origeni nomen fuit), Zephyrino per haec tempora Romanam ecclesiam gubernante, se in urbem Romam advenisse scribit, cum sibi in votis fuisset, sicut ipse alicubi dicit, Romanam ecclesiam omnium antiquissimam coram videre. Ibi paulisper moratus Alexandriam rediit.* Nemo vero antiquorum tradidit, Origenem alicujus sectae principem fuisse, et Romanis Pontificibus ita infensum et oppositum, uti Auctor Philosophoumenon. — Origenes porro qui philosophorum pronuntiata christianae veritati propugnandae non infrequenter adhibuerat,

Origenes.

accurate excrevisset ea quae vere ac recte, ab iis quae perperam iidem philosophi protulerunt. Quod Auctor noster nullatenus praestitit. Habuit Origenes etiam aliquas opiniones, ut illam de *ἀποκατάστασι* seu restitutione omnium, quae sententiis Operis nostri adversantur. Spirant vero universae Origenis disquisitiones mitissimi lenitatem ingenii, dum Auctor Philosophoumenon ardentis prae se fert animi vehementiam. Talem postremo sibi vindicat hic auctor *ἀρχιερείας*, magisterii, custodiae Ecclesiae dignitatem, ut dixeris vel eum fuisse episcopum vel saltem arrogans factionis caput. Origenes autem fuit presbyter secundi ordinis, nec unquam auditum est, eum sectae principem se constituisse. Origenem igitur elucubrationis nostrae auctorem non esse, merito judicarunt eruditi, qui fusius hac de re tractarunt.[1])

Caius. 70. Jam veniamus ad C a i u m et examinemus, utrum argumenta adsint solida, ut ipse auctor libri Philosophoumenon censeatur. Pro ipso praesertim ea afferuntur, quae superius ex Photio citavimus. Ex his enim colligitur, Caium scripsisse *Labyrinthum* et librum *De universi essentia,* quem in Libro X Philosophoumenon auctor sibi adscribit. Quum vero opus Philosophoumenon vel saltem Liber X aptissime nomine Labyrinthi designetur, ex his habetur argumentum magni ponderis, Caio Philosophoumena adscribenda esse. Adverti porro debent ea quae Photius l. c. addit: *Hunc Caium presbyterum Romanae ecclesiae fuisse affirmant, sub Victore et Zephyrino Pontificibus, ordinatumque etiam gentium episcopum. Scripsisse etiam alium librum speciatim* (*ἰδίως*) *contra Artemonis haeresim, et adversus Proclum Montani studiosum accuratam disputationem, in qua tredecim dumtaxat B. Pauli epistolas enumerat, non recepta in censum ea quae est ad Hebraeos.* — Optime etiam convenit in Auctorem Philosophoumenon, quod hic de Caio asseritur, eum sub Victore et Zephyrino Romae degisse, et ordinatum fuisse in episcopum nationum gentilium.

---

[1]) Cfr. Armellini l. c. VIII.

71. Attamen argumenta haec ex Photio deprompta haud sufficiunt, ut Caio Philosophoumena tribui possint, et ex altera parte gravia adsunt motiva, quae id prohibere videntur. Quae de Caio apud antiquos scriptores inveniuntur, eum exhibent ut virum egregium, ob impugnationem haereticorum illustrem, nec convenit tali viro adscribere violentam oppositionem contra Pontifices, defectionem ab Ecclesia et schismaticae factionis praesidentiam. Quomodo fieri potuisset, ut nemo veterum haec commemoraret? — Antiqui porro de Caio loquuntur ut de presbytero, non vero eum exhibent ut episcopum. — Indicia dein interna eaque gravia continentur in libro Philosophoumenon, quae vetant opus Caio adscribere. Eadem hisce exhibet Armellini l. c. Cap. IX: „Auctor Philosophoumenon certe, quacumque se occasio dedit, jactare sua in haereticos gesta nuspiam omittit. At si Caius ipse hanc Confutationem elaboravit, qui factum est, ut minime commemoret Procli Montanistae refutationem, a qua eum prisci tantopere laudarunt? Imo vero quam ob causam, ubi duplicem Montanistarum sectam recenset, de Proclo alterius magistro plane silet?[1]) — Rursum ex veteribus accepimus, scripsisse Caium contra Cerinthum, ejusque sententiam de mille annorum regno refutasse.[2]) Jam vero Auctor Philosophoumenon non modo brevissime de Cerintho loquitur, quin legentes revocet ad opus contra Cerinthum, (ut alias in caeteris consuevit[3]), sed ne meminit quidem illius opinionis, sive de Cerintho agit, sive de Montanistis, sive ubi prolixius disserit de Marcione, qui tamen omnes in ea opinione fuerunt. Id nimirum argumento est, insignem illum Chiliasmi et Montanismi expugnatorem hujus operis auctorem non fuisse."

72. Caeterum ea quae de Labyrintho Photius dicit fortasse confusione aliqua nituntur. Theodoretus H. Fab. L. II. c. 5 etiam citat opus cui titulus *Parvus Labyrinthus,*

---

[1]) Philos. VIII. 19.
[2]) Euseb. H. E. III. 28. — Theodoret. Haer. Fab. II. 3.
[3]) Philos. VII. 39. cod. IX. 3; X. 30, 32.

quod a quibusdam Origeni tribuebatur, sed ex ipsius sententia immerito: plane uti Photius l. c. dicit. Hunc vero librum, refert, scriptum fuisse contra haeresim Artemonis et Theodoti; atque in eodem Labyrintho dicit inveniri narrationem de Natali Confessore, quam describit.[1]) Eamdem narrationem pariter Eusebius H. E. V. 28 refert ex libro antiqui scriptoris contra Artemonem. Vides igitur, Theodoretum non errare dum scribit: *Contra istorum* (Artemonis et Theodoti) *haeresim conscriptus est Parvus Labyrinthus* (*ὁ σμίκρος συνεγράφη Λαβύρινθος*), *quem nonnulli Origenis opus esse putant, sed eos qui hoc dicunt stylus redarguit. Sive autem ille sive alius conscripsit, talis exstat in eo narratio: Natalem quemdam* etc. Photius librum Caii contra Artemonem scriptum a Labyrintho Caii distinguit, adeoque probabiliter confusione aliqua detentus est. Forte conspiciens initium Libri X Philosophoumenon *Τὸν Λαβύρινθον*, existimavit illum librum esse Caii Labyrinthum, ac dein librum *De essentia Universi* in fine illius Operis commemoratum pariter Caio attribuit. Qualemcumque aliam suppositionem facis, certe testimonium Photii, qui alterius ignoti auctoris sententiam repetit, quatenus ad Philosophoumena applicatur eam vim non habet, ut propterea Caio Philosophoumena tribui possint, quum solida obstent argumenta[2]).

S Hippolytus. 73. Hippolyto episcopo quam plurimi, uti vidimus, Philosophoumena attribuunt, magnoque eruditionis molimine rationes congerunt, quibus collectis confici existimant, haud alteri quam illi doctori opus de quo agimus

---

[1]) Haec narratio apud Auctorem Philosophoumenon haud invenitur.

[2]) Titulus ille *Ὁ σμίκρος Λαβύρινθος* non videtur adsignificare, aliud opus esse *Ὁ* (*μέγας*) *Λαβύρινθος*, uti Fessler supponit. Comparatio enim his continetur non librorum, sed rei de qua in libro agitur cum Labyrintho in insula Creta. Ex Theodoreto videlicet et Eusebio colligitur, Artemonitarum et praesertim quatuor virorum Theodoti, Asclepiadis, Hermophili et Apollonidis, inextricabilem fuisse confusionem in Scripturarum interpolatione et expositione. Atque hanc rerum et doctrinarum confusionem auctor nominat parvum Labyrinthum, lepide eam comparans cum notissimo illo aedificio subterraneo in insula Creta, quod Labyrinthi nomine insignitur.

tribui posse. Sed gravissima censemus esse argumenta quae prohibent, quominus huic sententiae subscribamus. Haec vero motiva primum, ex parte saltem, afferemus; dein videbimus, quid de conjecturis ob quas Hippolyto opus illud adscribitur, videatur esse dicendum. Illum autem praemittimus canonem in rebus historicis maximi sane momenti. Argumentis solidis et gravibus necesse est cedant conjecturae tantum probabiles: haud vero e contra, ut conjecturae quaedam probabiles sustineantur, opposita argumenta gravia et solida enervare licet gratuitis et arbitrariis suppositionibus.

74. Antiquissimus auctor qui S. Hippolyti mentionem facit est Anatolius Laodicenus Epus, qui in praefatione ad Canonem paschalem: *Hippolytus,* inquit, *XVI annorum circulum quibusdam ignotis lunae cursibus composuit.*[1]) Eusebius de ipso inter alia haec habet: *Eadem tempestate multi ecclesiastici viri doctrina excellentes florebant . . . . Inter hos fuit Beryllus Bostrenorum in Arabia episcopus . . . Similiter et Hippolytus alterius alicubi ecclesiae et ipse praepositus . . . . Hippolytus inter plurima alia ingenii sui monumenta librum de Pascha composuit . . . Ex reliquis autem illius scriptis haec sunt quae ad notitiam nostram pervenerunt: In opus sex dierum; In ea quae post sex dies consecuta sunt; Adversus Marcionem; In Cantica Canticorum; In capita quaedam Ezechielis; De Pascha; Adversus omnes haereses. Sed et alia plurima apud alios asservata licet reperire*[2]). — S. Hieronymus Catal. Scriptorum n. 61 ait: *Hippolytus cujusdam ecclesiae episcopus, (nomen quippe urbis scire non potui), rationem Paschae temporumque canones scripsit usque ad primum annum Alexandri Imp. . . Scripsit nonnullos in Scripturas commentarios e quibus hos reperi: In hexaemeron, et in Exodum, in Canticum Canticorum, in Genesim, et in Zachariam, de Psalmis, et in Isaiam, de Daniele, de Apocalypsi, de Proverbiis, de Ecclesiaste, de Saul et Pythonissa, de Antichristo,*

---

[1]) Bucher. De doctrina temporum p. 439.

[2]) H. E. l. VI. cc. 20, 22.

de Resurrectione, contra Marcionem, de Pascha, adversus omnes haereses et προσομιλίαν de laude Domini Nostri Jesu Christi, in qua praesente se loqui Origene in ecclesia significat.

75. Constat igitur ex his antiquitatis documentis, a S. Hippolyto *opus adversus omnes haereses* scriptum esse, quumque Philosophoumena esse hoc opus plurimi censeant, jam videndum est, utrum ex antiquis aliud quid de ejusmodi opere statui possit. Deinde collatione instituta judicandum erit. Citatur hoc opus a Gelasio P. (492—496) in suo libro *De duabus in Christo naturis*[1]), dum testimonia veterum refert. Scribit videlicet: *Hippolyti episcopi et martyris Arabum metropolis* in *Memoria haeresum: Hic*

Memoria haeresum.

procedens in mundum Deus et homo apparuit, et hominem quidem eum facile est intelligere, cum esurit, et fatigatur, et laborat, et sitit, et formidat, et fugit, orat, contristatur, et super cervical dormit, et calicem respuit passionis, et anxius sudat, et ab angelo confortatur, et a Juda traditur, et contumeliam patitur a Caipha et ab Herode despicitur, a Pilato flagellatur eique a militibus illuditur, et a Judaeis ligno configitur, et ad Patrem clamans commendat spiritum, et inclinato capite spiritum tradit, lancea latus perforatur, involutus in Syndone ponitur in sepulchro, et a Patre die tertia suscitatur. Divinitatem vero ejus videre rursus clarum est, quando laudatur ab angelis et a pastoribus inspicitur, et exspectatur a Simeone et ab Anna testimonium perhibetur, et quaeritur a Magis et a stella designatur, et aqua in nuptiis operatur vinum, et increpat mare violentia commotum ventorum, et ambulat super mare, et caecum ex nativitate videre facit, et mortuum Lazarum quatriduanum resuscitat, et varias facit virtutes datque discipulis potestatem.[2]) Hic textus in opere Philosophoumenon nullibi habetur, sed desumptus est ex disputatione S. Hippolyti *Contra Noëtum* n. XVIII.

---

[1]) A quibusdam auctor hujus libri habetur Gelasius episcopus Cycizenus (a. 476.)

[2]) Biblioth. Patrum (Bigne) Edit. Colon. Tom. V. 3. p. 671.

76. Patet igitur, a Gelasio sub inscriptione *Memoria haeresum* citari librum ad quem disputatio *Contra Noëtum* pertinet. Est videlicet manifeste haec disputatio fragmentum majoris operis, uti vel ex ipso initio ejusdem colligitur: *Alii quidam aliam doctrinam subintroducunt facti discipuli cujusdam Noëti, qui genere quidem Smyrnaeus fuit non multo ante.* Hoc igitur opus integrum illud fuit *Adversus omnes haereses,* quod ex Eusebii et Hieronymi testimonio S. Hippolytus conscripsit. Diversum autem est a Philosophoumenon libro.[1])

77. De opere Hippolyti loquitur Photius Biblioth. Photiius. txet
Cod. 121 illis verbis: *Lectus est libellus* (*βιβλιδάριον*) *Hippolyti. Discipulus autem Irenaei Hippolytus. Erat hoc volumen* (*σύνταγμα,* compositio) *adversus haereses duas et triginta, faciens initium a Dositheanis et usque ad Noëtum et Noëtianos deductum. Harum ait confutationem se suscepisse ex sermonibus Irenaei, quorum etiam compendium faciens dicit se hunc librum composuisse. Quoad dictionem perspicuus est et nonnihil gravis, nil habens supervacui, etiamsi*

---

[1]) P. De Smedt dum tuetur S. Hippolytum esse Auctorem Philosophoumenon, admittit quidem satis gravem esse difficultatem ex citatione Gelasii petitam, sed praevalere censet complexum argumentorum quibus evincatur ipsius sententia. — (L. c. n. 72.) — At argumenta illa meris combinationibus et conjecturis nituntur et constant. Solvit dein novis conjecturis gravem difficultatem. „Supponi potest, inquit, iste tractatus fuisse pars majoris operis ab Hippolyto conscripti adversus haereses circa incarnationem Christi.“ Hoc supposito igitur triplex opus contra haereses ex ipsius sententia S. Hippolyto tribuendum esset videlicet *Philosophoumena, Memoria haeresum* et *libellus* a Photio commemoratus. Ex hoc libello enim verba a Gelasio citata desumpta esse non admittit P. De Smedt, eo quod disputatio longior contra Noëtum non possit esse pars illius *libelli.* — Sed quum antiqui non nisi *unum tractatum* S. Hippolyti adversus haereses commemorent, *tres tractatus* ei adscribi non posse videntur. — Aliae suppositiones ad solvendam difficultatem a. P. De Smedt propositae sunt, „vel Gelasium per errorem citasse hunc tractatum specialem contra Noëtum sub titulo *Memoriae haeresum;* vel denique locum a Gelasio citatum ab eo repertum fuisse in aliqua collectione testimoniorum adversus varias haereses, (simili catenis Patrum in varios libros Scripturae sacrae), quae titulo Memoriae Haeresum insignita fuerit.“ Sed nimis arbitrarias habeo etiam has conjecturas.

usque ad Atticum sermonem non attingat. Habet etiam tum alia minus accurata, tum quod Paulum epistolae ad Hebraeos auctorem esse negat. Hic igitur Photius indicia quaedam praebet libri ipsius Hippolyti; eadem vero libro Philosophoumenon nullo modo conveniunt. Auctor Philosophoumenon non ducit initium a Dositheanis, de quibus nihil habet, nec desinit in Noëto et Noëtianis. Ipse non dicit, se in compendium redigere S. Irenaei elucubrationem, neque id fecit, nec huic Auctori conveniunt quae de dictione Photius scribit; parum enim concinne scribit Philosophoumenon Auctor. Demum de Epistola ad Hebraeos Paulo non tribuenda nihil in Auctore nostro invenitur. — Postremo Photius librum Hippolyti *βιβλιδάριον* appellat, adeoque opus fuit non tantae molis; sed Philosophoumena amplum opus decem libris contentum constituunt. Certum igitur est, opus Hippolyti, de quo Photius loquitur, haud esse Philosophoumena, ac Bunsen oleum et operam perdidit, dum ingrato labore id demonstrare conatus est. Neque, uti ex dictis facile colliges, dici potest, Photium loqui de ultimo libro, qui recapitulationem haeresum continet. Nam etiam hic liber nullatenus incipit a Dositheanis, nec alia indicia congruunt.

78. At Bunseni quidem opinionem complures viri eruditi qui S. Hippolyto Philosophoumena adscribunt rejecerunt, sed statuunt, aliud quoque opus scripsisse S. Hippolytum contra haereses minoris voluminis, illudque l. c. a Photio commemorari. Hoc opus esse illud quod indicatur ab ipso Auctore Philosophoumenon, dum initio sui libri animadvertit, jam antea a se haereticos esse refutatos. Proinde, inquiunt, ex verbis Photii nullatenus colligitur, Philosophoumena Hippolyto tribui non posse. — Censemus tamen, hanc responsionem eam non esse, cui aequus veritatis indigator acquiescere possit, imo eam solidis refutari argumentis.

S. Hippolytus haud auctor.

79. Etenim 1° omnino arbitrario asseritur, duplex opus *adversus haereses* a S. Hippolyto esse conscriptum, alterum majus, alterum minus. Unum tantum commemorant laudantque antiqui. Quale fuit illud ex duobus

quae scripta supponuntur? Si dixeris majus, videlicet Philosophoumena post deperdita, quomodo Gelasius dum *Memoriam haeresum* Hippolyti citat, textum affert ex libro prorsus alio? Si dixeris minus, quomodo de hoc loquuntur, et aliud secundis curis elaboratum negligunt? Sed illa suppositio de duplici opere ab Hippolyto scripto mera fictio est. Ex eo quod Auctor Philosophoumenon duo opera contra haereticos texuit, nequis concludere, S. Hippolytum duplex opus scripsisse. Prius enim probandum esset aliis argumentis, Auctorem istum esse S. Hippolytum. — Dein indicia quae nobis Photius praebet etiam positive probant, librum Hippolyti quem legit non esse opus parvum Auctoris Philosophoumenon. Etenim[1]) hic 2° asserit, se in priori suo opere noluisse arcana haereticorum in lucem proferre, se haereses non minutim depinxisse, sed summatim confutasse. Unde colligitur, haereses ab ipso non singillatim fuisse expositas, sed generalibus argumentis confutatas. E contra in opere quod Photius commemorat, singillatim triginta et duae haereses inde a Dositheanis usque ad Noëtianos recensentur. Quum vero ex Photio illud opus sit synopsis quaedam operis S. Irenaei inde concludendum est, adfuisse etiam expositionem haeresum. — Auctor Philosophoumenon 3° in amplo suo opere ne verbum quidem habet de Dositheanis, nec desinit in Noëtianis. Atqui supponi nequit, in minore opere quo haereses refellit tantum summatim, exordium sumpsisse a Dositheanis, dein vero ne eos quidem commemorasse in suo volumine quo accurate de haereticis tractat. Quod vero spectat ad Noëtianos, tractatus S. Hippolyti contra haeresim Noëti ex una parte, uti jam diximus, manifeste fragmentum est majoris alicujus operis contra haereticos. Ex altera parte, post tractatum contra Noëtum non alia sequebantur, sed definitivo modo hic concluditur, uti patet ex ejus fine: *Hic Deus est homo propter nos factus, cui omnia subjecit Pater, Ipsi gloria et imperium cum Patre et S. Spi-*

6

[1]) Haec habes apud Lefebve Dissert. cit., et Praelect. autogr. a. 1871.

ritu, in Sancta Ecclesia, et nunc et semper et in saecula saeculorum. Amen. — Quapropter consequentia logica infertur, opus quod recenset Photius fuisse illum librum Hippolyti, cujus pars integralis et finalis est Tractatus contra Noëtum, atque hunc librum etiam a Gelasio nomine *Memoria haeresum* citari et Hippolyto adscribi. Nec obstat, quod disputatio in Noëtum sit satis ampla, ita ut si similem amplitudinem habuisset refutatio reliquarum haeresum opus Hippolyti non parvum fuisset, quum tamen a Photio *βιβλιδάριον* nominetur. Potuit Photius ita illum librum appellare comparate ad magnum opus S. Irenaei; praeterea fusius sane egit de haeresi Noëti S. Hippolytus, utpote de haeresi recentiori quam S. Irenaeus non refutaverat, ac de aliis haeresibus quarum refutatio magis diffusa jam apud hunc Patrem inveniebatur. — Deillerius conjicit, forte jam tempore Photii opus Hippolyti non plane completum fuisse.[1]) Caeterum vero usque ad dies nostros omnes eruditi statuebant, unum idemque opus esse Hippolyti opus *Adversus omnes haereses* et *Memoriam haeresum* a Gelasio citatam, atque hujus operis fragmentum et ultimam partem esse Hippolyti tractatum contra Noëtum. Ita e. g. censent Deillier[2]), Tillemont[3]), Maurini[4]), Fabricius[5]),

[1]) „Eusèbe dit expressément que saint Hippolyte fit un traité dans lequel il refutait toutes les hérésies .. Saint Jérome dit la même chose. Cependant Photius qui avait lu cet ouvrage dit que saint Hippolyte n'y réfutait que 32 hérésies, depuis celle des Dosithiens jusqu'à celle de Noët . . . Peutêtre ce livre était-il déja imparfait du temps de Photius.“ Histoire des Auteurs sacrés t. II., S. Hippolyte, Art. V. p. 339 note e. (Edition de Paris 1730.)

[2]) Nous portons le même jugement d'un fragment considérable, où ce saint Docteur combat l'hérésie de Noët, et nous croyons que c'est la conclusion de son Traité contre toutes les hérésies. Ce qui nous le persuade, c'est que l'hérésie de Noët et des Noëtiens étaient la dernière de celles que saint Hippolyte réfutait dans son Livre contre les hérésies, et qu'on y trouve le passage que le Pape Gélase cite du *Mémoire* ou du Livre de saint Hippolyte *sur les Hérésies.* D'ailleurs il est visible par les premiers mots de ce fragment, que c'est une suite d'un plus long discours.“ L. c. p. 341.

[3]) Mémoires tom. III. p. 107.

[4]) Histoire littér. de la France tom. I. p. 384.

[5]) Opp. Hippolyti tom. I. p. 223—225.

Lumper[1]). — 4° S. Epiphanius *De haresibus*, Haer. 31 n. 33, postquam verbis S. Irenaei Valentinianorum haeresim descripsit et confutavit, animadvertit, se ex proprio suo fonte parum protulisse in refellendis haeresibus quae ante se fuerant refutatae a Clemente, Irenaeo, *Hippolyto* et aliis. Ex Irenaeo revera permulta excerpta habet, quamvis eum identidem non citet; adeoque supponendum est ex analogia, etiam ex Hippolyti opere adversus haereses varia excerpta apud ipsum inveniri. Atqui revera quae de Noëtianis habet, magna ex parte e Tractatu S. Hippolyti contra Noëtum desumpta sunt; et eo magis colligitur, alia quoque ex ipso esse deprompta. Nihil autem plane ex libro Philosophoumenon desumptum in S. Epiphanio invenitur. Neque responderi potest, S. Epiphanio tantum cognitum fuisse minorem Auctoris (quem supponunt Hippolytum) contra haereticos elucubrationem, indeque Epiphanium collegisse ea quae ex Hippolyto se mutuasse fatetur. Haec responsio arbitraria est, et nec indoli illius primi opusculi convenit, in quo non *minutim* sed *summatim* de erroribus haereticorum tractabatur. Si minus illud opusculum haereses ea ratione exhibuisset, uti Photius quoad opus S. Hippolyti significat, et sicuti eruditi illi existimant, ita ut S Epiphanio inservire potuisset: saltem aliqua invenirentur quae respondent illis quae in libro Philosophoumenon habentur. Etenim Auctor hujus operis saepissime agit compilatorem; ex Irenaeo et scriptoribus philosophis profanis permulta quoad verbum inseruit, libroque X in recapitulatione sua etiam sententias fere integras ex prioribus repetit libris. Idem igitur supponendum est eum fecisse quoad opus antea ab ipso conscriptum; et si hoc opere Epiphanius usus fuisset, *vestigia* Philosophoumenon apud ipsum invenirentur. — Quomodo porro Auctor Philosophoumenon, qui fusius de Noëto agit ejusque haeresim refellit, plane alia habet, quam Hippolytus in suo tractatu contra Noëtum? Certe si Auc-

[1]) De vita et scriptis S, Hippolyti Art. II. §. III. ap. Migne P, G. tom. X. p. 330.

tori Philosophoumenon attribuendus esset ille Tractatus, more suo eadem in utroque libro repetiisset. — Itaque S. Epiphanius utique usus est opere S. Hippolyti contra haereticos, et sicuti ex ipso deprompsit plura contra Noëtianos, ita etiam alia; sed illud opus S. Hyppolyti contra haereticos nec liber Philosophoumenon est, nec minor elucubratio, quam Auctor Philosophoumenon confecit.

Confirmatur. 80. Haec igitur sunt argumenta solida, quibus ostenditur, ex antiquorum indicationibus colligi, opus Philosophoumenon non esse S. Hippolyti. — Inde autem haec sententia confirmatur, quod S. Hippolytus omni tempore habitus est ut egregius Ecclesiae Doctor; nullum indicium apud antiquos invenitur, eum sectarium fuisse, nec ejus orthodoxia ab aliquo in dubium vocata est. Doctrina ejus in tractatu contra haeresim Noëti de unitate Dei et trinitate personarum rectae fidei consona est; una alterave expressio durior et obscurior, quales apud plures Patres antiquos occurrunt, non difficulter explicatur. At vero non convenit, nisi adsint argumenta solida, tali viro egregio infamiam adnectere hominis sectarii, calumniatoris schismatici et de fide saltem suspecti. Merito Em. Franzelin, judex sane gravissimus in rebus dogmaticis: *Universim eadem est explicatio Hippolyti ac Callisti, quantum hujus sententia ex relatione calumniatoris colligi potest*[1]), adeoque censeri nequit, Hippolytum ipsum esse hunc calumniatorem seu Philosophoumenon auctorem. Urget quidem e contra P. De Smedt l. c. n. 59 *concordiam* doctrinae inter Auctorem Philosophoumenon et S. Hippolytum in Tractatu contra Noëtum. Ista tamen concordia consistit tantum in quibusdam peculiaribus conceptibus et locutionibus, quae etiam apud plures alios auctores illius aetatis occurrunt, e. g. de relatione Filii ad Patrem, de voluntaria generatione Filii, de operatione Filii ad extra velut ministrantis Deo Patri. Sed dum omnia quae habet

[1]) De Sma. Trinitate, th. X. p. 147 nota 2. — Explanantur etiam ibidem et in thesi XI effata obscuriora quae apud S. Hippolytum aliosque Patres occurrunt.

Hippolytus facile omnino orthodoxo sensu exponi possint, hujusque Doctoris doctrina ab antiquis summo in pretio habeatur, plura inveniuntur apud Auctorem Philosophoumenon quae errorem sapiunt; ac ditheismi ipse a S. Callisto accusabatur.

81. Quanti aestimatus fuerit ab antiquis S. Hippolytus, tum ex Eusebii et Hieronymi testimoniis jam citatis colligitur, tum ex aliorum scriptorum encomiis. S. Chrysostomus, seu potius aliquis antiquus scriptor sub ejus nomine scribit: *Ubi beatus ille chorus est episcoporum et doctorum, qui tanquam luminaria in mundo resplenduerunt verbum vitae continentes? Ubi est Evodius bonus odor Ecclesiae et sanctorum apostolorum successor et imitator? Ubi Ignatius Dei domicilium? Ubi Dionysius volucris coeli? Ubi Hippolytus dulcissimus et benignisnismus* (*γλυκύτατος καὶ εὐνοΐστατος*). Theodoretus pariter summa cum laude eum SS. Ignatio et Irenaeo connumerat. Lateranenses Patres sub Martino Pontifice sanctum Hippolytum martyrem tanquam authenticum christianae veritatis testem citant.[1]) S. Anastasius, saec. VII confessor, eum condecorat titulo magni et sacratissimi doctoris, testis fidelis veritatis atque organi S. Spiritus, scribens: *Ecce nunc sacratissimus hic et magnus doctor, veritatisque testis fidelis, concorditer cum aliis omnibus sanctis catholicae Dei ac apostolicae institutionibus Ecclesiae duas secundum unitionem inconfusam . . . . quemadmodum naturas, ita etiam duas voluntates confiteri jubet.*[2]) Jamvero plurimorum scriptorum et Patrum antiquorum, uti Polycarpi, Polycratis, Tatiani, Tertulliani, Irenaei, Dionysii Alexand., Origenis, Cypriani, Firmiliani, vel dissensiones, vel naevos, vel defectiones non solum ex eorum scriptis quae supersunt, sed etiam ex antiquorum traditione et narratione cognoscimus. Hinc supponi nequit, tanti Patris ac Doctoris qualis celebratur Hippolytus, oppositionem sectariam ac defectionem ita ob-

Hippolyti laudes.

---

[1]) V. Concil. Later. a. 649. ap. Labbeum T. VI. col. 282.

[2]) Vide haec et alia antiquorum testimonia ap. Migne, Patrol. graeca tom. X. p. 283 et 569 sqq. — Armellini op. cit. c. XII. p. 44.

litteratam fuisse, ut ne unus quidem antiquitatis scriptor eam commemoraverit. Merito igitur Em. Franzelin de Hippolyto: *Satis sit hic monuisse, acerrimum istum adversarium SS. Pontificum et principem sectae saltem schismaticae vel etiam haereticae contra Ecclesiam Romanam non posse a nobis admitti S. Hippolytum, virum in traditione ejusdem Romanae Ecclesiae pia veneratione et summis laudibus celebratum.*[1]) — Respondent quidem viri eruditi, id inde provenire, quod schisma illud paucos habuerit asseclas nec diu duraverit, adeoque obscura fuerit illa secta Callisto opposita. Sed ista responsio retorqueri potest. Hoc ipsum videlicet indicat, etiam caput illius factionis non fuisse virum quemdam illustrem, ob orthodoxa scripta

---

[1]) Tractatus de Deo trino, p. 147, nota 2. — Eadem de S. Hyppolyto est sententia Emin. Cardinalis Newman, in suo opere Tracts theological and ecclesiastical, London 1874. Postquam locutus est de Tertulliano et Novatiano scribit: „Greater still in reputation, without any slur upon his character and conduct, (though some have attributed to him a temporary Novatianisme some twenty or thirty years before Novatian), is Hippolytus. He stands, or rather stood, while his writings were extant, in point of authority, range of subject, and ability, in the very first rank of theologians in the Ante-Nicene times, and perhaps has no rival at all, as a theologian, during that period, except his Master, St. Irenaeus. A senator of Rome, as some consider, before he became a servant of the Church, he is said to have become a disciple of the holy Bishop of Lyons, and he followed him in being in succession Bishop, Doctor, and Martyr . . . He is on the Catalogue of theologians given us by Eusebius, St. Jerome, Theodoret and Leontius, and, together with St. Irenaeus, is quoted largely by Theodoret in his controversies with the heretics of his day. Mereover, Pope Gelasius, A. D. 500, uses him as one of his authorities in his work against the Eutychians, and Pope Martin in the Lateran Council of A. D. 649 appeals to him in his own condemnation of the Monothelites. — That a name so singularly honoured, a name which a breath of ecclesiastical censure has never even dimmed, should belong, as so many men think just now, to the author of that malignant libel on his contemporary Popes, which is appended to the lately discovered Elenchus, is to my mind simply incredible, — incredible, not simply considering the gravity of tone in what remains to us of his writings, and mainly indeed in the Elenchus itself, but especially because his name and his person were, as I have been pointing out, so warmly cherished at Rome by Popes of the fourth, fifth and seventh centu-

semper celebratum[1]), sed vel fuisse virum qui non habebatur in magna aestimatione quamvis eruditione quadam insignitus esset, vel virum alioquin jam ut sectarium notum, (si forte opus Philosophoumenon adscribendum sit Tertulliano.)

82. Modo, ut agamus de *argumentis internis,* quibus eruditi probari censent auctorem Philosophoumenon esse S. Hippolytum, animadvertimus, revera combinationes et conjecturas quae hac in re proponuntur, si in se spectantur, probabile quoddam argumentum constituere. Sed favore combinationum, e quibus ingenia subtilia, dum de rebus et eventibus antiquitatis inquirunt, miram voluptatem hauriunt, non sunt negligenda motiva solida, quae opponuntur. Tradunt porro viri artis criticae periti, agnoscere auctorem alicujus libri antiqui ex solis indiciis internis, dum desunt testimonia veterum et auctoritas codicum, rem esse prorsus arduam, in qua facile errant etiam peritissimi. **Expenduntur argum. interna.**

83. Censent igitur illi eruditi, S. Hippolytum sectae Callisto oppositae fuisse episcopum, indeque optime ex-

---

ries. Rome has a long memory of injuries offered to her majesty; and that special honours should have been paid there to a pamphleteer, as we now speak, who did not scruple in set words to call Pope Zephyrinus a weak and venal dunce, and Pope Callistus a sacrilegous swindler, an infamous convict, and an heresiarch ex cathedra, is an hypothesis which requires more direct evidence in its behalf than has hitherto been produced.“ L. c. II. Causes of the Rise and Successes of Arianisme p. 220 sqq. — P. De Smedt, l. c. n. 63, videtur supponere hoc argumentum, quod infirmare nititur, inde desumi, quod Hippolytus passim Beatus et Sanctus dicatur; sed vim argumenti aliam eamque permagnam esse ex dictis perspicies.

[1]) P. De Smedt l. c. n. 64: „Gratuito supponitur, scribit, Hippolytum sua aetate adeo clarum fuisse, quamvis postea propter scripta ejus quae jam sola nota erant, satis celebre nomen ejus exstiterit.“ — Sed aliter rem habere censemus. Ob cyclum paschalem primo confectum, et ob multa scripta Hippolytum dum viveret valde clarum fuisse, ex rei natura infertur, et ex antiquorum scriptorum verbis obvio sensu acceptis colligitur. Hinc etiam advertunt, Hippolyto familiarem fuisse Origenem; imo ejus aemulatione hunc motum fuisse ad sacrorum librorum interpretationem suscipiendam Hieronymus scribit. Catal. c. 61. — Cfr. G. Lumper l. c.

plicari, quod episcopus quidem ab antiquis nominetur, sed nec Eusebius nec S. Hieronymus ejus sedem cognoverint, a pluribus vero auctoribus Graecis dicatur episcopus Romanus. — Oppositus quidem fuit Callisto et ejus successoribus, sed a. 235 ipse cum S. Pontiano Pontifice in insulam Sardiniam deportatus, et cum Ecclesia catholica reconciliatus, ibidem, uti et Pontianus, martyrium subiit. Corpora eorum dein Romam translata sunt et die XIII Augusti antiquitus festum S. Pontiani et S. Hippolyti celebrabatur. Habetur videlicet in Catalogo Liberiano de Pontiano: *Pontianus annos quinque, menses duos, dies septem. Fuit temporibus Alexandri a consulatu Pompeiani et Pelignіani. Eo tempore Pontianus episcopus et Hippolytus presbyter exules deportati in insulam nocivam Sardiniam, Severo et Quintino Consulibus*: *in eadem insula discinctus est IV Kal. Octobris, et loco ejus ordinatus est Anterus XI Kal. Decembris, Consulibus suprascriptis.* In Catal. Feliciano additur: *Quem B. Fabianus adduxit navigio et sepelivit in coemeterio Callisti via Appia.* In Calendario autem Liberiano legitur in Depositione Martyrum: *Idibus Augusti. Hippolyti in Tiburtina, et Pontiani in Callisti.* Unde concluditur, S. Hippolytum Fabiano Pontifici reconciliatum, et etiam corpus S. Hippolyti cum corpore S. Pontiani Romam translatum fuisse.

94. Schismatis vero Hippolyti etiam mansit memoria, quamvis cum aliqua confusione. Etenim Prudentius, quum ineunte saeculo V Romae esset, et S. Hippolyti vidisset sepulchrum, de ipso dein cecinit in suo Hymno:

„Invenio Hippolytum, qui quondam schisma Novati
  Presbyter attigerat, nostra sequenda negans,
Usque ad martyrii provectum insigne, tulisse
  Lucida sanguinei praemia supplicii.
Nec mirere senem perversi dogmatis olim,
  Munere ditatum catholicae fidei.
Cum jam vesano victor raperetur ab hoste,
  Exultante anima carnis ad exitium,
Plebis amore suae multis comitantibus ibat;
  Consultus, quaenam secta foret melior,

Respondit: Fugite, o miseri, execranda Novati
Schismata, catholicis reddite vos populis" etc.[1])

Exstabat igitur traditio schismatis, cui praefuit Hippolytus, Romae; sed uti in traditionibus popularibus fieri solet, confuso tantum modo noscebatur, Hippolytum aliquando schismaticum fuisse, et ad Novatiani schisma eventus anteriores referebantur. Sed certe argumentum non spernendum ex his colligitur, auctorem Philosophoumenon revera S. Hippolytum esse.

85. Postremo effossa fuit a. 1551 Romae in agro Verano, haud procul a loco quo juxta Prudentium memoria Hippolyti celebrabatur, celebris illa statua quae Hippolyti dicitur. Eadem ex peritorum judicio opus est saeculi III, ac manifestum est, esse statuam Hippolyti, quum ejus Canon paschalis cathedrae cui insidet Doctor habeatur insculptus, necnon catalogus aliquis quamvis non completus operum, quae a S. Hippolyto composita sunt. Inter alia autem opera commemoratur liber cui titulus: *Πρὸς Ἕλληνας καὶ πρὸς Πλάτωνα ἢ καὶ περὶ τοῦ παντός*. Jamvero ipsa erectio ejusmodi statuae, factum illius temporis plane singulare, optime explicatur in ea suppositione, quod Hippolytus fuit episcopus factionis schismaticae, quae suum caput Romano Pontifici oppositum hac ratione summo honore affecit. Dein Auctor Philosophoumenon illum librum *Περὶ τοῦ παντὸς*, uti vidimus, sibi adscribit; adeoque merito concluditur, Hippolytum revera esse auctorem Philosophoumenon.

86. At jam diximus, conclusioni huic ex conjecturis deductae solida argumenta obstare; rationes autem modo allatae revera vim non habent. Quod inde a saeculo VI exeunte[2]) ab aliquot graecis scriptoribus Hippolytus dicatur *episcopus Romanus,* etiamsi explicari non posset, nihil probaret. Nimis enim remoti sunt illi scriptores a tem-

---

[1]) Prudent. Peristephanon, hymn. in S. Hippolytum.

[2]) Ante hoc saeculum tantum textus aliquis Apollinari (a. 360) adscriptus, sed dubius, invenitur, in quo Hippolytus dicitur episcopus Romae.. — V. Migne P. G. T. X p. 674. Grisar, Innsbr. Zeitschrift etc. 1878, S. 528.

poribus Hippolyti, ita ut haec appellatio antea non adhibita afferri nequeat in probationem episcopatus schismatici, quem Hippolytus tenuerit. Potuit provenire haec appellatio vel ex errore historico, vel quod jam tunc haberetur ut episcopus Portus Romani et confusione facta aut brevi effato dicerent episcopum Romanum, vel inde quod appellatio *episcopus Romanus* latiori modo adhiberetur ad designandum episcopum Romanae provinciae vel Latinum. S. Hippolytum fuisse episcopum Portuensem (Portus Romani), opinio est quae postea praevaluit. Döllinger quidem probare nisus est, tempore S. Hippolyti in ea civitate nondum fuisse episcopum, quum valde exigua esset; sed contrarium De Rossi ostendit. Haud omnino certus tamen est ille episcopatus Portuensis S. Hippolyti; nam testimonia antiquorum desunt, et S. Hieronymus indicat, se scire non potuisse, cujus sedis Hippolytus episcopus fuerit.[1])

85. Ille Hippolytus, qui cum S. Pontiano a. 235 in insulam Sardiniam deportatus est, expressis verbis dicitur *presbyter*, dum S. Pontianus *episcopus* appellatur. Audax igitur est conjectura, designari S. Hippolytum episcopum et celebrem istum Ecclesiae doctorem. Reliqua pariter quae supponuntur de reconciliatione Hippolyti cum S. Pontiano, de martyrio illius in insula Sardinia, de translatione corporis ejus cum corpore S. Pontiani, fundamento admodum infirmo vel nullo nituntur. Multo probabilius supponere possumus, Hippolytum illum presbyterum post persecutionem finitam ex insula Sardinia reversum, postea incidisse, ut alii quidam confessores, in schisma Novatiani, sed antequam a. 258 in teterrima Valeriani persecutione martyr occumberet, ad Ecclesiam rediisse. Accidere autem

---

[1]) „Neque vero est, scribit Armellini, cur magnopere miremur obscuritatem quae Hippolyti sedem tegit. Similibus quippe tenebris obductae sunt memoriae complurium scriptorum, qui non procul Hippolyti aetate claruerunt, Magnetis, Athenagorae, Caii, Hermiae, Agrippae Castoris, Rhodonis, Maximi, Apollonii, aliorum: nec tamen idcirco quisquam animum induxit, ut labem ullam claris adeo nominibus imponeret.“ De prisca refutatione etc. c. XII.

potuit, ut memoria ipsius simul cum memoria S. Pontiani celebraretur, quia aliquando simul in exilium missi erant. Vides, conjecturas elidi posse conjecturis aliis etiam probabilioribus.

86. Neque solidum argumentum depromi potest ex marmoreo Hippolyti signo, quod saec. XVI in agro Verano non ita procul ab Hippolyti Romani crypta detectum est, nec ex inscriptionibus ejus. Prudentius, qui universum cryptae ornatum accurate describit, nullam simulacri mentionem facit. S. Hieronymus autem, qui dum scripta S. Hippolyti commemorat, censum exhibet diversum a catalogo statuae inciso, vel statuam non vidit, vel, quod minus probabile est, eum catalogum haud magni fecit. Quare merito supponitur, saeculo quarto illud monumentum eo in loco non exstisisse. — Praeterea de antiquitate et indole illius statuae ejusque inscriptionis opiniones sunt admodum diversae. Nonnulli cum Winckelmann ad saeculum tertium revera retulerunt illud simulacrum, (quod potissima caeteroquin parte saec. XVI restitutum est); alii cum d'Agincourt ad saeculum quartum. Sed etiam qui censent esse monumentum saeculi tertii non conveniunt, utrum inde ab initio fuerit Hippolyti statua. Etenim non desunt qui existimant, fuisse simulacrum alicujus rhetoris ab artifice gentili confectum, dein vero in simulacrum Hippolyti, additis inscriptionibus adaptatum.[1]) Utrum porro privati hominis arbitrio, an potius ecclesiae nutu, utrum ad privatum usum, an vero ad publicum fuerit erectum vel immutatum, plane incertum est. — Ita ex hoc simulacro in se spectato, nescio quid colligi possit. Ad inscriptum vero catalogum et cyclum Paschalem quod attinet, omnino controvertitur, quo tempore isti inscripti sint. Armellini pro certo habet, inscriptionem aetate Hippolyti esse posteriorem. Si videlicet jam tempore Hippolyti basis illi inscriptioni parata fuisset, cum ordine et concinna

---

[1]) Cfr. Schrödl, Gesch. d. Päpste etc. p. 221. Quamvis Schrödl snbscribat omnino sententiae quae tenet, S. Hippolytum esse auctorem Philosophoumenon, hoc simulacrum tamen existimat, initio non fuisse statuam Hippolyti.

ratione, inscriptiones factas supposueris. Jam vero ejusmodi ordo et concinnitas in his plane desunt. Opponitur quidem, cyclum paschalem Hippolyti ob suos defectus brevi derelictum fuisse, nec posse supponi, eum esse incisum posteriori tempore, quum jam in usu ecclesiastico non esset. At potuit sane incidi etiamsi in usu jam non esset, in honorem Hippolyti ejusque eruditionis, utque ipse tanquam cycli auctor tacito licet nomine designaretur[1]). — Ipsa tituli enuntiatio *Adversus Graecos et adversus Platonem, vel etiam de universo,* indicat, jam tum in diversis exemplaribus alio atque alio titulo eum librum fuisse inscriptum. Quare tantum temporis ab Hippolyti obitu defluxerat, quantum satis esset ad opusculi titulum, fortasse etiam auctoris nomen, ex arbitrio librariorum vel commutandum vel supplendum. Recepta autem catalogi authentia, adhuc supponi potest, ab Auctore Philosophoumenon quidem, uti indicat, librum sub titulo *De universi essentia,* ab Hippolyto vero alium librum sub titulo *De universo adversus Graecos et adversus Platonem* esse compositum. Imo potuerunt scribere etiam opus plane ejusdem tituli; haec enim materia pertinet ad illa argumenta communia, uti sunt De anima, De origine mali, De resurrectione, De Paschate, de quibus varii auctores scripserunt.[2])

87. Qui opinantur Auctorem Philosophoumenon esse S. Hippolytum etiam advertunt, praeclaram Auctoris eruditionem in re astronomica designare Hippolytum qui cyclum Paschalem confecit. Sed merito Cruice plane contrarium collegit ex ipso modo, quo de astronomis Auctor loquitur. Etenim Auctoris eruditio tota quanta est in Sexti Empirici argumentis repetendis, et praeclara quaeque astronomorum inventa cum commentis astrologorum confundit perperam ac deridet. Sic e. g postquam Auctor L. X. de distantia planetarum a tellure juxta Archimedis, Hipparchi, Apollonii supputationes disseruit, articulo duodecimo illos irridens concludit: *Quis non mirabitur tantam*

---

[1]) V. Armellini l. c. c. XIII.
[2]) V. Ibidem cc. XI sqq.

curam cum tanto labore conjunctam? Non inutilis sane mihi Ptolomaeus iste horum indagator videtur. Hoc unum doleo, quod recens natus utilis non exstitit gigantum filiis, qui harum dimensionum ignari et non procul abesse coeli convexa existimantes turrim condere frustra aggressi sunt. Quibus si interea praesens eas dimensiones ipse edisseruisset, irrito labori illi manus non admovissent. Si quis porro huic dixerit se non credere, is dimensus credat. Demonstrationem quippe luculentiorem ista non habet adversus incredulos. O frustra laborantis animi inflationem! o fidem sine fide! ut omnium sapientissimus Ptolomaeus judicetur apud eos qui similem sapientiam colunt. Certe vix credibile est, tali modo Hippolytum astronomos irrisisse.[1]) — Omnibus igitur perpensis existimo, opinionem qua censetur S. Hippolytus auctor Philosophoumenon conjecturis niti quae examen non sustinent; eidem vero opinioni argumenta gravissima opponi. Praeter ea quae exhibuimus, alia etiam apud Armellini l. c. invenies[2]).

88. Sententia qua *Tertullianus* proponitur ut Auctor Philosophoumenon prima quidem fronte a vero abhorrere videtur; sed examine instituto invenientur plura motiva, quae huic opinioni satis favent. Breviter haec motiva recensebimus, ut dein quae obstant indicemus. — Tertullianus certe in controversia de Monarchianismo magnas habuit partes, uti ex ejus libro contra Praxeam manifestum est; quaestiones ibi tractat omnino similes illis, quae in libro Philosophoumenon inveniuntur. Quod ad vitam ipsius spectat, ita scribit S. Hieronymus: *Tertullianus presbyter, nunc demum primus post Victorem et Apollonium Latinorum ponitur, Provinciae Africae, civitatis Carthaginiensis, patre Centurione Proconsulari. Hic acris et vehementis ingenii sub Severo Principe et Antonino Caracalla floruit, multaque scripsit volumina, quae quia nota sunt pluribus*

An Tertullianus auctor.

---

[1]) V. Armellini l. c. c. XIV.

[2]) Cfr. etiam Grisar, Bedarf die Hippolytus-Frage einer Revision, Innsbrucker Theol. Zeitschrift 1878, S. 505. — Auctor scite evolvit rationes quae ex utraque parte afferuntur, et praevalere censet argumenta, ob quae Hippolytus haud haberi potest auctor operis *Philosophoumenon.*

Tertulliani vita. *praetermittimus . . . Hic quum usque ad mediam aetatem presbyter Ecclesiae permansisset, invidia postmodum et contumeliis clericorum Romanae ecclesiae ad Montani dogma delapsus, in multis libris novae prophetiae meminit; specialiter autem adversus Ecclesiam texuit volumina: De pudicitia, De persecutione, De jejuniis, De monogamia, De exstasi libros sex et septimum quem adversus Apollonium composuit. Ferturque vixisse usque ad decrepitam aetatem, et multa quae non exstant opuscula condidisse.*[1] Augustinus inter alia habet: *Tertullianistae a Tertulliano, cujus multa leguntur opuscula eloquentissime scripta, usque ad nostra tempora paulatim deficientes, in extremis reliquiis durare potuerunt in urbe Carthaginiensi. Me autem ibi posito ante aliquot annos, omni ex parte consumpti sunt. Paucissimi enim qui remanserunt in catholicam transierunt, suamque basilicam quae nunc etiam notissima est catholicae tradiderunt.*[2] Anonymus vero haereseographus, qui paulo post Augustinum scripsit cujusque liber sub appellatione *Praedestinati* citari solet, inter alia haec habet: *Scripsit contra eos* (Cataphrygas) *librum sanctus Soter Papa urbis et Apollonius Ephesiorum antistes. Contra quos scripsit Tertullianus presbyter Carthaginensis, qui quum omnia bene et apprime et incomparabiliter scripserit, in hoc solum se reprehensibilem fecit, quod Montanum defendit, agens contra Soterem supradictum urbis Papam . . . . Asserens Trinitatem in unitate deitatis, poenitentiam lapsis, mysteriis iisdem, unum Pascha nobiscum. Hoc solum discrepamus inquit, quod secundas nuptias non recipimus et prophetiam Montani de futuro judicio non recusamus . . . . Tertullianistas olim a Sotere Papa Romano damnatos legimus. . . . Tertullianum autem catholica hinc reprehendit auctoritas, quod animam ex anima nasci dicit, et defendit Montanum et Priscam et Maximillam contra fidem apostolicam, et contra Apollonium episcopum Orientis, et contra Soterem Papam urbis Romae, ut supra diximus dum Cataphryges haereticos detegeremus; a quibus postea divisus, ne plebs ob*

---

[1] Catal. Scriptorum c. 53. [2] Lib. de haeres.

Montani nomen Tertulliani videretur excludere, fudit a se omnem Phrygiae vanitatem et Tertullianistarum conventicula propagavit; nihil tamen in fide mutavit. Nam et secundas nuptias condemnat, ut diximus, animam ex traduce venire asserit et nos catholicos psychicos titulat.[1])

89. Ex hisce colligimus, adjuncta vitae Tertulliani talia esse, ut auctor libri Philosophoumenon his spectatis ipse esse potuerit. Non constat inter eruditos, utrum Tertullianus adscriptus fuerit clero Carthaginensi, an Romano. In clero Romano ipsum fuisse, probabile est ex iis quae dicit S. Hieronymus, et complures existimant, eum a temporibus S. Victoris usque ad primos annos S. Zephyrini Romae fuisse. Si non constanter ibi degebat, saltem supponi potest, eum frequenter in urbe versatum fuisse. Quaedam indicia in operibus Tertulliani ipsum Romae fuisse revera innunt. Ita *Ad Nationes* L. 1. c. 16 mentionem facit alicujus actionis judicialis, quae tempore praefecturae Fusciani Romae gesta est; *Praescript.* c. 30 accurate indicat summam, quam Marcion Romae intulerat ecclesiae; *Apologeticum* ad Senatum Romanum scriptum videtur, et dum Praxeam Romae convictum dicit *per quem Deus voluit,* probabiliter se ipsum indicat. Potuit igitur cum Zephyrino atque Callisto illas simultates habere, quas in nono Philosophoumenon libro Auctor describit. Versus a. 205 defecisse creditur, ac dein scripsit opera sua Montanismo conspersa.[2]) Sed versus finem vitae suae Montanistas iterum reliquit, *fudit a se omnem Phrygia vanitatem,* et propriae sectae praefuit. Huic ultimo stadio vitae Tertulliani opus

---

[1]) Praedestinatus I. cc. 26. 86. — Quae auctor hic dicit de Sotere Pontifice, magna ex parte ex historia ad Zephyrinum referenda sunt.

[2]) Quo anno Tertullianus ad Montanistas desciverit, haud conveniunt auctores; alii anno 200 vel etiam prius, alii anno 202 eum ab Ecclosia defecisse opinati sunt. Sed nuperrime Dr. Kellner, vir in scriptis et gestis Tertulliani prae caeteris versatus, in erudita Dissertatione, „Organischer Zusammenhang und Chronologie der Schriften Tertullian's", probare nisus est, defectionem hanc anno 205 vel 206 accidisse. Cui sententiae tum ob argumenta ab auctore allata, tum ob alias quasdam rationes adstipulamur. V. Katholik 1879, B. II. S.564 ff.

Philosophoumenon, quod certe post mortem S. Callisti confectum est, adscribi posset. Ita explicatur, quomodo inter haereticos etiam Phryges recenseat, magna tamen cum moderatione de ipsis loquatur.

Argumenta. 90. Reliqua quae cum indole Tertulliani conveniunt concinne exposuerunt Armellini variis *Commentarii* sui capitibus, atque De Rossi in *Epilogo* ad Dissertationem de libro Philosophoumenon. — Itaque refutandi modus quo Auctor utitur, operis materies, reliquae auctoris lucubrationes Tertullianum obtendunt. Ipsa refutandi ratio tam est Tertulliani placitis consentanea, ut in hujus operibus quasi germina reperiantur, unde graeca haec haeresum refutatio videtur effloruisse. Tertullianus enim cum alibi passim e philosophorum placitis ac decretis repetit haereses, quemadmodum Auctor Philosophoumenon, tum nominatim libro *De Praescriptionibus* c. 43 haec habet, quibus universa hujus operis distributio non ambigue adumbratur: *Notata* (forte *nota* vel *notanda*) *sunt etiam,* inquit, *commercia haereticorum cum magis quampluribus, cum circulatoribus, cum astrologis, cum philosophis, curiositati scilicet deditis. Adeo et de genere conversationis qualitas fidei aestimari potest.* — Ut vero semina hujus Confutationis in opusculo *De Praescriptionibus* videre licet, sic illam eruditionis segetem quae in hanc refutationem collata est, in omnibus Tertulliani operibus licet agnoscere. Quid quod opusculi mentio facta in ipso Philosophoumenon exordio ad Tertulliani librum *De Praescriptionibus* apte possit referri. In fine hujus libelli scribit Tertullianus: *Sed nunc quidem generaliter actum est a nobis adversus haereses omnes, certis et justis et necessariis praescriptionibus repellendas a collatione Scripturarum. De reliquo, si gratia Dei adnuerit, etiam specialiter quibusdam respondebimus.* Auctor vero Philosophoumenon in exordio: *Haereticorum et olim dogmata modeste exposuimus, non particulatim patefacientes, sed confertim refellentes, indignum rati, arcana ipsorum in lucem agere.* In his textibus vocabula Tertulliani *generaliter* et *specialiter* adamussim respondent adhibitis ab Auctore vocibus ἁδρομερῶς et *κατὰ λεπτόν:* conceptum

vero a Tertulliano propositum, etsi spectet edita porro opuscula in singulares haereticos, tamen indicat, fusiorem haeresum expositionem et refutationem ab ejus animo alienam non fuisse.

91. Neque a Tertulliano abhorret, quod librum *De Universi essentia* scripserit. Notat Photius, in libro De essentia Universi, de cujus auctore ipse haerebat, opinionem proponi de anima corporea; similis autem est sententia Tertulliani[1]). Citat Armellini (c. XV.) fragmentum libri *De universi essentia* ex codice barberino Philosophoumenon, in quem illud fragmentum relatum reperit. *Omnes enim,* inquit scriptor, *justi aeque ac injusti sistentur coram Deo Verbo . . . Neque enim Minos et Rhadamanthus judices sunt. . . Sed quem Deus et Pater glorificavit, de quo in aliis libris subtilius disseruimus propter eos qui quaerunt veritatem.* Tertullianus autem *Adv. Marcionem* l. II. c. 27 commemorat scriptum a se libellum de Christo judice. *Judicem quidem,* ait, *et illum esse jam ostendimus in libello suo, et de judice necessario severum, et de severo sicut saevum, si tamen saevum.* — Neque a Tertulliano alienum est scripta fuisse, quae de Patriarchis ac de Palaestina se scripsisse Auctor Philosophoumenon commemorat. Nihil enim in sacra eruditione Tertullianus intactum reliquit, ac plura ejus scripta deperdita sunt. De rebus similibus eum saltem occasione data disseruisse colligi potest ex illis verbis *Adv. Marcionem* l. III. c. 23: *Sed de sinu Abrahae suo tempore, De restitutione vero Judaeae, quam et ipsi Judaei ita ut describitur sperant, locorum et regionum nominibus inducti, quomodo allegorica interpretatio in Christum et in Ecclesiam et in habitum et fructum ejus spiritualiter competat, et longum est persequi, et in alio opere digestum, quod inscribimus De spe fidelium.*

92. Schismatis porro *tempus* atque universa *controversiarum ratio* Tertulliano ut auctori Philosophoumenon satis conveniunt. Id colligere facile poteris ex iis, quae in Disquisitione nostra variis locis advertimus. Sufficiat

[1]) Cf. Phot. Cod. 48 et Tertull. De anima.

hic notare, plura occurrere in scriptis Tertulliani, quae si conferantur cum iis quae in opere Philosophoumenon habentur, videntur esse allusiones sarcasticae ad S. Callistum. Ita Auctor Philosophoumenon cum contemptu loquitur de Callisti martyrio, de condemnatione ad metalla, de ejus reditu ac pensione accepta. Tertullianus vero *De Pudicitia* c. 12: *Alii ad metalla confugiunt, et inde communicatores revertuntur, ubi jam aliud martyrium necessarium est delictis post martyrium novis. Quis martyr saeculi incola, denariis supplex, medico obnoxius et foeneratori.* Haec facile dixeris sarcastice in Callistum Pontificem prolata.

93. Graecae linguae usus, summi sacerdotii ostentatio et reprehensio secundi baptismi, quae Auctori Philosophoumenon propria sunt, etiam a Tertulliano non abhorrent. — Tertullianus callebat utramque linguam, latinam et graecam. Graecismi in ejus operibus latinis identidem occurrunt, atque in iisdem testatur, nonnullos libros se Graeca lingua scripsisse. *De Corona* c. 6 scribit: *Sic itaque et circa voluptates spectaculorum infamata conditio est, ab eis qui natura quidem Dei omnia sentiunt, ex quibus spectacula instruuntur, scientia autem deficiunt illud quoque intelligere, omnia esse a diabolo mutata. Sed et huic materiae propter suaviludios nostros graeco quoque stylo satisfecimus.*[1] — Quum porro Tertullianus abjecta Montanistarum communione, propriae factionis fuerit caput, non abhorret ab ipso jactantia illa de participatione summi sacerdotii et magisterii ecclesiastici; probabiliter enim summam sacrorum potestatem inter suos exercebat. A catholicis transiens ad Montanistas jam praeposteram de summo sacerdotio sententiam amplexus erat. Supremam scilicet potestatem beato Petro concreditam, tenebat ex illo in ecclesiam transiisse, quam *Spiritus ecclesiam* vocabat, nequaquam in eam, quae auctore Tertulliano *numerus* erat *episcoporum,* quaeque *jam nec in Apostolis possidebat Paracletum.*[2] Videtur existimasse, radicitus omnes esse

[1]) Cf. etiam De Bapt. c. 15 De vel. virg. c. 1.
[2]) De pudicitia cc. 12. 21.

sacerdotes, et laicos pneumaticos per se jura sacerdotum habere; ut ordo autem servetur, ab Ecclesia presbyteros seligi. Sic dum Montanista etiam laicis secundas nuptias non licere contendit: *Vani erimus,* ait, *si putaverimus, quod sacerdotibus non licet, laicis licere. Nonne et laici sacerdotes sumus? Scriptum est: Regnum quoque nos et sacerdotes Deo et Patri suo fecit. Differentiam inter ordinem et plebem constituit Ecclesiae auctoritas, et offers et tinguis et sacerdos es tibi solus. Sed ubi tres, ecclesia est, licet laici. Unusquisque enim sua fide vivit nec est personarum acceptio apud Deum, quoniam non auditores legis justificantur a Deo, sed factores secundum quod et Apostolus dicit. Igitur si habes jus sacerdotis in temet ipso ubi necesse est, habeas oportet etiam disciplinam sacerdotis, ubi necesse sit habere jus sacerdotis. Digamus tinguis? Digamus offers? Quanto magis digamo laico capitale est agere pro sacerdote, quum ipsi sacerdoti digamo facto auferatur agere sacerdotem? Sed necessitati, inquis, indulgetur. Nulla necessitas excusatur quae potest non esse. Noli denique digamus deprehendi, et non committis in necessitatem administrandi, quod non licet digamo. Omnes nos Deus ita vult dispositos esse, ut ubique sacramentis ejus obeundis apti simus. Unus Deus, una fides, una et disciplina. Usque adeo nisi et laici ea observent, per quae presbyteri adleguntur, quomodo erunt presbyteri qui de laicis adleguntur? Ergo pugnare debemus ante laicum jussum a secundo matrimonio abstinere, dum presbyter esse non alius potest, quam laicus semel fuerit maritus*[1]. — Vides, facile supponi posse, Tertullianum sectarium et factionis principem sibi episcopi jura, et dignitatem custodis Ecclesiae arrogasse.

94. Maxime etiam inter se conveniunt non solum quoad sensum, sed vel quoad verba, quae objicit Auctor Philosophoumenon Callisto ut falsam de Patre et Filio doctrinam, et ea quae exponit Tertullianus de doctrina Praxeae ejusque scholae. — Tertullianus scribit: (Distinctionem Patris et Filii)

---

[1]) De exhort. castit. c. 7.

ad suam sententiam interpretari conantur, ut aeque in una persona utrumque distinguant, Patrem et Filium; dicentes Filium carnem esse id est hominem id est Jesum, Patrem autem Spiritum, id est Deum, id est Christum . . . Directam blasphemiam in Patrem veriti, diminui eam hoc modo sperant, concedentes jam Patrem et Filium duos esse, si Filius quidem patitur, Pater vero compatitur[1]). Auctor Philos. autem inter alia: *Invenit,* ait, (Callistus) *talem quamdam haeresim dicens, . . . non aliud esse Patrem aliud Filium, sed unum et idem esse, . . . Spiritumque in Virgine carne indutum non aliud atque Patrem, sed unum idemque . . . Visibile enim, quod est homo, hoc esse Filium, Spiritum autem qui in Filium cesserit esse Patrem,* (vel: inclusum autem in Filio Spiritum, *τὸ δὲ ἐν τῷ Υἱῷ χωρηθὲν,* Patrem esse). *Non enim, ait, dicam duos esse deos, Patrem et Filium, sed unum dicam. Pater enim qui in eo exstitit carnem postquam assumpsit, deificavit sibi unitum et fecit unum, ita ut Pater et Filius vocetur unus Deus, et hanc personam, cum una sit, non posse esse duas, et sic Patrem compassum esse cum Filio; non enim dicere vult Patrem esse passum unamque esse personam, ut effugiat blasphemiam in Patrem.*[2]) In hisce certe habetur tanta rerum et verborum consonantia, ut plane ab uno eodemque auctore ea scripta esse videantur. — Criminatio Auctoris Philosophoumenon: *Callisti tempore primum illi ausi sunt alterum baptisma,* pariter Tertulliano non repugnat, quamvis ipse baptismum haereticorum irritum habuerit. Vidimus enim, in illa criminatione probabiliter non agi de rebaptizatis haereticis, sed de superstitioso Elchasaitarum baptismo. Sed etiam si agitur de rebaptizatis haereticis, non repugnat, istam in Callistum criminationem factam esse a Tertulliano jam sene et peculiaris sectae duce. Potuit enim ipse, quamvis antea consuetudini Afrorum patrocinatus sit, jam divisus a Catholicis et Montanistis, pro indole sua versatili etiam in hac quaestione mutare sententiam, et per calumniam vitium

---

[1]) Adv. Praxeam c. 27. [2]) L. IX. c. 12.

illud disciplinae objicere Callisto, si sub ejus pontificatu in Africa se propagavit.

94. Haec igitur argumenta talia sunt, ut ex iis consideratis *probabilis* formari posset conclusio, Tertulliano Philosophoumena adscribenda esse. Obstant tamen alia motiva, quae vi sua non carent. Difficultatem aliquam facit 1⁰ *differentia styli et methodi.* Sub hoc respectu enim Philosophoumena non satis conveniunt cum Tertulliani operibus latinis, quae nobis nota sunt. Verum quidem est, minus firma esse argumenta quae ex hoc capite ducuntur, ut sua scriptoribus vindicentur opera, abjudicentur aliena. Argumenti diversitas, aetatis flexus, linguae discrimen, adjunctorum varietas, unum eumdemque scriptorem non raro sibi dissimilem reddunt. Attamen Tertullianus scriptor est plane sui generis, de quo merito Centnerus: *Tertullianus sane, quem affectata supra modum obscuritas et figurae prope semper in praecipitio collocatae ac inimitabile quoddam omnia involvendi studium a scriptoribus non suorum, sed omnium fere temporum distinguunt, ita potest agnosci, ut quae supponantur ipsi opuscula statim appareat*[1]). Quamvis in Auctore Philosophoumenon quaedam cum Tertulliano styli similitudo inveniatur, scribendi tamen modus imitatorem Tertulliani potius quam Tertullianum indicare, quidam existimant[2]). — Hoc argumentum decisivum non esse, sincerus quisque fatebitur. — 2⁰ Gravior est, quantum censeo ea difficultas, quod in libris Philosophoumenon nullibi commemoratur aliquod ex multis operibus notis, quae a Tertulliano composita fuerunt, quamvis non infrequenter occasio sese praeberet, illudque in Tertulliani moribus positum esset, ut anteriorum scriptorum faceret mentionem. Scripsit Tertullianus contra Hermogenem, contra Valentinianos, contra Marcionem; hi quidem haeretici etiam in opere Philosophoumenon oppugnantur, sed nulla mentio fit operis jam ante contra eos conscripti. Dein Auctor Philosophoumenon in suo

Rationes contrariae.

---

¹) Centner. De omn. Tert. oper. §. 13.

²) Plura hac de re vide ap. Armellini l. c. cap. 18.

exordio indicat quidem, aliam a se elucubrationem contra haereticos compositam fuisse, qua eosdem summatim refutaverit, sed *aequitate et modestia ipsius,* ait illos non esse commotos, adeoque nunc se procedere ad arcana illorum mysteria patefacienda. Si Tertullianus auctor est, quomodo nihil hic dicit de operibus ipsius vehementibus contra speciales haereticos? Nec videtur iste modus loquendi convenire scriptori, qui per totam vitam suam summo ardore haereticos insectatus est. — 3° Tertullianum in fine vitae suae a Montanistis se separasse non est plane certum, et in hac quoque suppositione aegre explicatur, quod ut haereticos dein eos exagitaverit. — Librum *De Praescriptionibus* haberi posse illum, quem Auctor Philosophoumenon a se jam scriptum commemorat, multi haud facile admittent; nec sufficere videntur quae notavimus vestigia in libris Tertulliani, ut ipsi adscribantur alia opera quae sibi Auctor Philosophoumenon attribuit. — 4° Minus etiam convenit, Tertulliano adscribere illam accusationem *confusam* de Zephyrini et Callisti erroribus, ac doctrinae expositionem quae in opere Philosophoumenon invenitur. Vix enim censeri potest, Auctorem hunc quoad doctrinam de Trinitate ditheismum satis evitasse; Tertulliani autem orthodoxia in reliquis operibus hac in re hucusque a gravissimis theologis vindicata fuit.

Haec argumenta obstare videntur, quominus Tertulliano opus Philosophoumenon tribuatur. Haud talia tamen sunt, ut propterea haec sententia evicta censeri possit; etsi non certam, *probabilem* tamen eam censemus.

An Novatianus auctor. 95. N o v a t i a n u m esse auctorem Philosophoumenon propugnavit erudito Commentario T. Armellini. De Novatiano haec habentur apud S. Hieronymum Cat. Script. c. 70: *Novatianus Romanae urbis presbyter adversus Cornelium* (a. 251) *cathedram sacerdotalem conatus invadere, Novatianorum quod graece dicitur καθάρων dogma constituit, nolens apostatas suscipere poenitentes. Hujus auctor Novatus Cypriani presbyter fuit. Scripsit autem de Pascha, de Sabbato, de Circumcisione, de Sacerdote, de Oratione, de Cibis Judaicis, de Instantia, de Attalo, multaque alia,*

et de Trinitate grande volumen quasi ἐπιτόμην operis Tertulliani faciens, quod plerique, nescientes Cypriani existimant. — Ex Paciano episcopo Barcinonensi Novatianus antequam presbyter fieret, philosophus erat.[1] Quae tempore schismatis gessit, satis accurate ex epistolis SS. Cornelii et Cypriani constant; pauca alia quaedam adjuncta vitae ipsius ex variis auctoribus colliguntur. A Socrate perhibetur martyr obiisse in persecutione Valeriani, quod tamen nullatenus certum est. Videtur defunctus esse versus a. 260.

96. Facile vides plura esse, quae per se spectata favent sententiae, Novatianum esse auctorem Philosophoumenon. Ejus indoles, eruditio, patria, oppositio contra Ecclesiam, characteres sunt qui in Auctorem istum conveniunt. Sed gravia ex altera parte obstant argumenta. Negative. Etenim 1° nimis violenta videtur ea interpretatio qua statuitur, schisma illud, cui se praeesse significat Auctor Philosophoumenon, esse ipsum schisma Novatiani, quod a. 251 excitatum est. — 2° Generatim Novatianus tardiori tempore res suas gessit, quam ut ei tribui posse dixeris ea, quae Auctorem Philosophoumenon jam sub Zephyrino et Callisto, imo forte etiam sub Victore egisse, ex libro ejus colligitur, nisi narrationi ipsi vis infertur. Ex libro enim ea certe ingeritur nobis opinio, jam sub illis Pontificibus suas partes Auctorem habuisse in rebus ecclesiasticis disponendis et in discutiendis doctrinis. Id componi nequit cum Novatiani aetate. — 3° Auctores coaevi vel posteriores narrant facta mala Novatiani, et quae in dedecus ejus vergunt fusius recensent. Speciatim S. Cornelius P. in epistola ad Fabium Antiochiae episcopum ea congerit, quae merito Novatiano objiciuntur. Si Novatianus jam sub S. Zephyrino atque deinceps Romanis Pontificibus infensus fuisset ac turbas excitasset, id non reticeretur, sed etiam diserte de his ex rei natura locuti fuissent scriptores, maxime quidem Cornelius Pontifex. Jam vero tali de re isti auctores nihil referunt; vel aegre tan-

[1]) Ep. 2 ad Sempronianum.

tum aliquid ex iis citari possit. Generales enim quaedam accusationes de Novatiani fraudulenta ambitione, quae in epistola S. Cornelii habentur, vehementi illi contra Zephyrinum et Callistum oppositioni, vix adaptari possint. Ob haec igitur argumenta existimamus, Novatianum haud posse censeri auctorem Philosophoumenon.[1])

De Berone. 97. Beroni haeretico attribuit Philosophoumena Darras in sua Historia ecclesiastica[2]), suamque sententiam combinationibus eruditis roborare nititur. Sed certe rem acu non tetigit. — Advertit imprimis, neglecta nimium fuisse fragmenta illa Auctoris anonymi ap. Euseb. H. E. l. V. c. 28, in quibus agitur de Theodotianis et de Natali confessore ab ipsis seducto, ut eorum episcopus esset.[3]) Dein ex iisdem colligit, ut sententiae suae fundamentum, Natalem fuisse antipapam R. Pontifici oppositum. *Natalius fut certainemunt un antipape, le titre d'evêque du premier siège qui lui était donné par la secte schismatique le prouve surabondamment.* Revera Natalis non videtur fuisse proprio sensu antipapa Romanus; argumentum auctoris concidit, si advertitur in textu Eusebii tantum dici: *Natalis δελεαζόμενος τῇ τε παρ' αὐτοῖς πρωτοκαθεδρίᾳ, inescatus primi loci in consessu vel primae sedis apud ipsos honore.* — Ulterius progrediens Darras statuit, quum secta ista sub nomine Artemonitarum perseveraverit etiam post conversionem Natalis, inde sequi, etiam successorem antipapam post Natalem fuisse. Jamvero ejusmodi antipapam sectae Artemonitarum existimat fuisse Auctorem Philosophoumenon. Ipse enim, scribit, *se présente dans son livre avec tous les caractères d'un antipape.* – Sed id certum non est; fuit ille auctor potius caput alicujus factionis sectariae. — Praeterea, ait Darras, fuit ex secta illa Artemonitarum, cujus antea Natalis

---

[1]) Argumenta quibus Novatiano opus vindicari posset, scite urget P. Grisar l. c., et plura quae objiciuntur apte diluit; attamen praevalere nobis videntur rationes quae in contrariam partem afferuntur.

[2]) Histoire générale de l'Eglise T. VII. pp. 598—609.

[3]) Dum Darras dicit: Fleury n'y fait pas la moindre illusion, errat, habentur enim haec ap. Fleury H. E. l. IV. n. 33; l. V. n. 24.

fuerat episcopus. *Cette secte schismatique nous est représentée comme issue de l'hérésiarque Artémon. Or l'auteur des Philosophoumena qui écrit une réfutation complète de toutes les hérésies, ne nomme pas celle d'Artémon. Le nom de cet hérésiarque ne se trouve pas une seule fois sous sa plume. Ce silence est éloquent; c'est celui d'un fils qui couvre respectueusement le nom de son propre père; mais ce silence trahit la filiation.* Haec argumentatio errore nititur vel lapsu memoriae. Jam vidimus Artemonitarum sectam eamdem esse ac Theodotianorum; Theodotus coriarius enim asseclas habuit Artemonem et Theodotum argentarium. Sed Auctor Philos. de Theodotianis haereticis agit ex professo L. VII. n. 35; per incidens eos commemorat libro nono, dum Callisto errores quoque Theodotianorum objicit; atque iterum libro X n. 23 eosdem haereticos notat. Quum Theodotum haeresis inventorem Auctor Philosophoumenon nominasset, non erat cur de Artemone ageret. Sic igitur concidit argumentatio conjecturalis quam Darras nobis exhibet, ejusque conclusio: *Nous savons donc désormais à n'en pouvoir douter, que l'auteur des Philosophoumena fut un antipape, . . qu' il succéda à Natalius sur le trône du schisme laissé vacant par l'abjuration de ce dernier.*

98. Studet dein Darras ostendere, hunc antipapam Artemonitarum et Philosophoumenon Auctorem esse Beronem haereticum, ex doctrina hujus haeretici. Ejus probationem prosequi longum esset; sed in eadem iterum Darras non solum arbitrariis conjecturis indulget, sed etiam plura confundit et falso exponit, ita ut ejus argumentatio, dum Beronem apprime fuisse auctorem Philosophoumenon demonstrare nititur, omnino vi careat. Neque vir aliquis eruditus ejus sententiae suffragatus est.[1])

99. Existimamus, uti ex dictis colligi potest, inter auctores quibus hucusque Philosophoumenon opus ad- Conclusio.

---

[1]) Accurate et peremptorio modo Darrs refutatur ab Ex. Lefebve in sua Dissertatione: L'auteur des Philosophoumena et le Pape Saint Calliste; Revue cath. 1871, V. I. pp. 367 sqq.

scriptum est, Tertullianum eum esse, cui cum quadam probabilitate illud vindicari possit. Obstant tamen varia motiva, quominus *certo modo* liber ille eidem attribuatur. Quid de aliis auctoribus notis illius aetatis dicendum censeamus, aperuimus. — Restat profecto ea suppositio, inter scriptores antiquitatis notos non esse illum qui Philosophoumena composuit, vel saltem non inveniri indicia sufficientia, ut certo auctori hoc opus tribui possit. Forte Auctor Victoris fuit diaconus, qui haud electus in successorem Pontificis et sub S. Zephyrino presbyter factus, simultatem in Callistum fovit, ac paulatim sectarium et factionis schismaticae caput se constituit. Talis vir, quem eruditione, ut alii non pauci eo tempore, floruisse supponere possumus, ejusmodi operi conficiendo par erat. Quum vero appareat, stylo suo ipsum Auctorem affinitatem cum Tertulliano habere, conjici potest, eum etiam ex Africa oriundum esse, uti Tertullianus et S. Victor. — Sed vides, nos dum talia dicimus in conjecturis versari. — Atque hic finis esto Dissertationis de Opere quod *Philosophoumena* inscribitur.

Dissertatio quarta.

De S. Cypriani gestis et doctrinis, atque de Romanis Pontificibus ipsi coaevis.

---

1. S. Caecilii Cypriani episcopi Carthaginiensis et martyris vitam passionemque describens, Pontius ejus diaconus hisce orditur: *Cyprianus religiosus antistes, ac testis Dei gloriosus tametsi multa conscripsit, per quae memoria digni nominis supervivat; etsi eloquentiae ejus ac Dei gratiae larga foecunditas ita se copia et ubertate sermonis extendit, ut usque ad finem mundi fortasse non taceat: tamen quia operibus ejus ac meritis etiam haec praerogativa debetur, ut exemplum suum in litteris digeratur, placuit summatim pauca conscribere, non quod aliquem vel gentilium lateat tanti viri vita, sed ut ad posteros quoque nostros incomparabile et grande documentum in immortalem memoriam porrigatur.* Haec sancti viri encomia quovis tempore rata habita fuisse in Ecclesia Dei, nemo est qui ignorat. Id unum animadvertisse sufficiat, S. Cyprianum inter eloquentissimos Ecclesiae catholicae Patres numeratum semper fuisse. *Erat enim*, ut testatur Lactantius, *ingenio facili, copioso, suavi, et quae sermonis maxima est virtus, aperto, ut discernere non queas, utrum ornatior in loquendo, an facilior in explicando, an potentior in persuadendo fuerit.*[1] S. Augustinus eum *doctorem egregium* et *suavissimum* appellat, passimque in suis operibus magnis laudibus extollit. S. Hieronymus testatur, *sole clariora esse ejus opera,* consiliumque dedit Laetae, ut ejus filia *Cypriani*

Laudes S. Cypriani.

[1] Instit. div. l. V. c. 1.

opuscula semper in manu teneat. S. Gelasius vero cum numeroso episcoporum consilio in Decreto de libris recipiendis et non recipiendis statuit, *S. Cypriani opuscula in omnibus esse recipienda.*[1])

Dissert. indoles. 2. Ex hisce vides, quanta sit hujus sancti Patris dignitas atque auctoritas. Neque tamen id nobis propositum est, ut universim de S. Cypriani vita, doctrina, gestis ac passione agamus, sed utile visum est ea speciatim discutere, quae in ipsius doctrinis et gestis respiciunt Romanorum Pontificum auctoritatem atque primatum. Nota est controversia inter S. Stephanum ac S. Cyprianum agitata de rebaptizandis haereticis ad catholicam Ecclesiam conversis; atque id apud eos qui de historia antiquae Ecclesiae agunt merito semper in moribus positum fuit, ut quae illa in re utrimque acta perhibentur discuterent. Sed nostris diebus graviora orta sunt motiva propter quae convenit, non solum de hac controversia agere, sed etiam accuratius ostendere quoad alia facta Cypriani ejusque doctrinas, hunc S. Patrem testem esse praeclarum auctoritatis et primatus R. Pontificis. Ea videlicet fuit haereticorum recentium neoprotestantium audacia vesana, ut ad vindicandam suam rebellionem et ad defendendos suos errores provocarent ad S. Cyprianum. Maxime Pseudoepiscopus ipsorum Reinkens edito opusculo, *Doctrina S. Cypriani de unitate Ecclesiae*[2]), emissisque litteris publicis ostendere nisus est, sancti illius doctoris gestis et doctrinis patere, ab ipso nullatenus agnosci eum primatum jurisdictionis, quem nostro tempore Summus Pontifex sibi adscribat.

3. Quum vero conveniat, ut de statu rerum in Ecclesia continuata notitia habeatur, quumque eventus in ecclesia Romana valde cohaereant cum iis quae in Africa acciderunt, simul de Romanis Pontificibus illius temporis disseremus ac de iis quae sub Cypriano in ecclesia Afri-

---

[1]) Cf. Hurter Opusc. Patrum tom. I. Admonitio in opusc. Cypriani p. 32.

[2]) Die Lehre des h. Cyprian von der Einheit der Kirche; Würzburg, Stahel 1873.

cana acciderunt. Atque imprimis agemus *de eventibus usque ad finem schismatis Novatiani*, dein vero *de controversia quae sub Stephano agitata est, haereticorumque baptismum spectabat.*

De S. Cypriano hisce annis opus amplum et admodum praeclarum in lucem edidit Dr. Johannes Peters in Seminario Luxemburgensi theologiae professor: *Der heilige Cyprian von Carthago, Bischof, Kirchenvater und Blutzeuge Christi etc.*; Regensburg ap. Manz 1877. — Idem argumentum Bern. Fechtrup s. Th. Lic. et in Academia Monasteriensi lector prosecutus est erudito opere: *Der heilige Cyprian. Sein Leben und seine Lehre.* Operis pars prima: *Cyprian's Leben,* hucusque in lucem prodiit. Münster ap. Theissing 1878. — Speciali modo contra neoprotestantes S. Cypriani doctrinas et gesta egregie vindicavit P. Fl. Riess, *Der hl. Cyprian und die „Altkatholiken" seiner Zeit,* in Periodico: Stimmen aus Maria Laach, 1874, B. VI et VII.

Praeterea Cfr. Schrödl, *Geschichte der Päpste etc.*: Palma, *Praelectiones* tom. I; Natalis Alexander *Dissert. in saec. III;* Kellner, *Verfassung Lehramt und Unfehlbarkeit der Kirche 2. Aufl. 1874;* Peters, *Die Lehre des hl. Cyprian von der Einheit der Kirche,* 1870; et alios auctores inferius citatos.

I.

De rerum ecclesiasticarum statu usque ad Decii persecutionem.

4. S. Urbanus Pontifex successit a. 222 (v. 223) S. Callisto, ac Sedem Apostolicam tenuit circiter usque ad annum 231. Pauca de ejus pontificatu nota sunt. In Catalogo Feliciano de ipso haec occurrunt: *Urbanus natione Romanus, ex patre Pontiano . . . Sedit annos tres* (Liber. *octo*), *menses decem, dies duodecim. Hic ministeria sacrata argentea constituit et patenas argenteas vigintiquinque, posuitque etiam clericos. Hic sua traditione multos convertit ad baptisma, etiam Valerianum sponsum S. Cae-* S. Urbanus.

ciliae, et multi martyrio coronati sunt per ejus doctrinam. Quo pertineant ea quae *de patenis argenteis* hic dicuntur, superius jam vidimus. Acta vero martyrii SS. Caeciliae, Valeriani et Tiburtii ejus fratris, quoad substantiam merito censentur veridica. Existimat tamen De Rossi, illud martyrium accidisse sub Marco Aurelio a. 176—177, adeoque non sedente S. Urbano Papa. Illum vero episcopum Urbanum qui in actis S. Caeciliae commemoratur, esse alium quemdam episcopum Urbanum, qui eo tempore Romam venerat. Ratio autem, cur De Rossi censeat martyrium S. Caeciliae haud accidisse sub pontificatu S. Urbani ea est, quod tunc regnabat Alexander Severus Imp., qui Christianis amicus erat.[1]) Non immerito tamen alii eruditi animadvertunt, quamvis Alexander Christianis haud molestus esset, nihilominus singularum personarum persecutiones facile accidere potuisse per praefectos, quum leges semper essent Christianis hostiles. Turcius Almachius autem urbis praefectus et Ulpianus jurisconsultus celeberrimus et praefectus praetorio usque ad a. 226, quo anno occisus est, Christianis infensi erant[2]). Haec paucis attigisse sufficiat.

5. Caeterum generatim Christianorum status hac aetate satis pacatus fuit. Post duram videlicet sub Severo Imperatore persecutionem divina Providentia tranquilliora tempora Ecclesiae destinavit sub *Caracalla,* qui a. 211 una cum fratre suo Geta patri Severo in imperio successit. Caracalla, qui dein fratrem occidit, magna cum saevitia imperium gessit; attamen, quod mirum est, grassanti in Christianos persecutioni modum posuit, omnesque exules, cujuscumque rei incusati ac quomodocumque essent damnati, restituit. Ob feralem saevitiam omnibus invisus Caracalla anno principatus sui sexto (217), mandato Macrini praetorii praefecti, necatus est. Arripuit *Macrinus* imperium, sed altero anno a militibus pariter est occisus. Ei successit Bassianus dictus *Heliogabalus,*

---

[1]) De Rossi, Roma sotterranea II. 52 sqq., 147 sqq.

[2]) V. Schrödl l. c. p. 205 sqq.

princeps foedis moribus, qui ob infamem vitam omnibus invisus anno 222 interemptus et in Tiberim projectus fuit. Tunc imperare coepit *Alexander,* princeps probus, domi militiaeque clarus. Ipsius mater Mamaea vel Christiana erat vel Christianis valde dedita, ejusque consiliis factum esse videtur, ut etiam Alexander eis praestaret favorem. Is in animo habuit, ut publica Christianis concederet templa; sed deterritus atque impeditus fuit ab idolorum sacerdotibus, teste Lampridio, praevidentibus *omnes Christianos futuros et templa reliqua deserenda*[1]). Alexander Imp. celebrato triumpho de Parthis, adversus Germanos Gallias depopulantes profectus est; sed quum prope Moguntiam venisset, quorumdam militum conspiratione una cum Mamaea matre sua interemptus est anno 235. Eo ablato a militibus Imperator salutatus fuit *Maximinus,* obscuro loco in Thracia natus, genere et indole barbarus, qui per triennium Christianos iterum persecutus est.

6. S. Pontianus successit a. 231 S. Urbano, **S. Pontianus.** quem alii martyrem obiisse, alii confessorem obdormiisse existimant. Pauca quae de Pontiano ejusque deportatione in Sardiniam insulam referuntur in Catalogis Liberiano et Feliciano, superius jam indicavimus. Illud vero hic commemorandum est, quod a S. Pontiano Romae coacta Synodo confirmata fuit *condemnatio Origenis* a Demetrio Alexandriae episcopo facta. Controversiae variae ac dissensiones ea aetate de Origene in Ecclesia exortae sunt, variique auctores opinantur, Origenem quoque propensum fuisse in oppositionem illam ab Auctore Philosophoumenon, quem supponunt Hippolytum, Romanis Pontificibus factam. Id quidem parum probabile est; merito tamen vel ipse Lipsius animadvertit, Pontianum in judicanda causa Origenis insignes partes habuisse, quum coacta Synodo ipsius condemnationem Alexandriae factam confirmaverit.[2])

7. Opportunum vero erit hic pauca de Origene inse- **Origenes.**

---

[1]) Lamprid. in Alex. Sever. c. 43.

[2]) Chronol. der Röm. Bischöfe S. 195.

rere, ut quis fuerit hac aetate rerum ecclesiasticarum status plenius perspiciatur. S. Hieronymus in Catalogo Scriptorum illustrium (c. 54) breviter ita de Origene: *Origenes* (n. a. 185) *qui et Adamantius, decimo Severi Pertinacis anno (202) adversum Christianos persecutione commota, a Leonide patre Christi martyrio coronato, cum sex fratribus et matre vidua pauper relinquitur annos natus circiter decem et septem. Hic Alexandriae dispersa ecclesia decimo octavo aetatis suae anno Catecheseos opus aggressus, postea a Demetrio ejus urbis episcopo in locum Clementis presbyteri confirmatus per multos annos floruit, et cum jam mediae esset aetatis, et propter ecclesias Achaiae quae pluribus haeresibus vexabantur, sub testimonio ecclesiasticae epistolae Athenas per Palaestinam pergeret, a Theoctisto et Alexandro Caesareae et Hierosolymarum episcopis presbyter ordinatus* (circiter a. 228) *Demetrii offendit animum, qui tanta in eum debacchatus est insania, ut per totum mundum super nomine ejus scriberet.* (Haec immerito contra Demetrium S. Hieronymus dicit.) *Constat, eum antequam Caesaream migraret fuisse Romae sub Zephyrino Episcopo, et statim Alexandriam reversum Heraclam presbyterum, qui sub habitu philosophi perseverabat, adjutorem sibi fecisse Catecheseos, qui quidem et post Demetrium Alexandrinam tenuit ecclesiam. Quantae autem gloriae fuerit hinc apparet, quod Firmilianus Caesareae episcopus cum omni Cappadocia eum invitavit et diu tenuit, et postea sub occasione sanctorum locorum Palaestinam veniens diu Caesareae in sanctis Scripturis ab eo eruditus est. Sed et illud, quod ad Mamaeam matrem Alexandri Imperatoris religiosam feminam rogatus venit Antiochiam et summo honore habitus est, quodque ad Philippum Imperatorem, qui primus de regibus Romanis Christianus fuit, et ad matrem ejus litteras dedit quae usque hodie exstant.* Dein pluribus multa ejus opera recenset et concludit: *Dixit usque ad Gallum et Volusianum id est usque ad LXIX aetatis suae annum, et mortuus est Tyri, in qua urbe et sepultus est.* — Immerito autem B. Hieronymus Romanam ecclesiam de damnatione Origenis in epistola ad Paulam his verbis arguit: *In damnationem ejus consentit urbs Romana; ipsa*

contra hunc cogit senatum, non propter dogmatum novitatem nec propter haeresim, ut nunc adversus eum rabidi canes simulant, sed quia gloriam eloquentiae ejus et scientiae ferre non poterant et illo docente omnes muti putabantur[1]). Quomodo res se habuerint jam dicamus.

8. Audax facinus mutilationis Origenes adhuc juvenis in seipsum admiserat, male capiens, ut dicitur, verba Christi apud Matth. XIX de eunuchis qui se ipsos castraverunt propter regnum Dei. Ferunt, eum voluisse hac ratione securitati suae providere vel famam tutari a maledicentia, quum scholae Alexandrinae praefectus et viris et mulieribus praecepta fidei traderet; sed id facinus postea in Commentariis in S. Matthaeum improbavit. Praefuit igitur ipse ut laicus multis annis scholae catecheticae Alexandrinae, ac plurima ibi conscripsit opera. Praeter ejus Commentaria in omnes S. Scripturae libros, ejusque opus *De principiis*, celeberrima est ipsius Scripturarum editio *Tetrapla* et *Hexapla*. Vastissimum hoc opus quinquaginta voluminibus contentum post annos viginti absolvit; in bibliotheca Pamphili Alexandriae depositum in hujus urbis per Saracenos vastatione periisse fertur.

9. Versus annum 228 Origenes ad ecclesias Achaiae legatione functus, petentibus Theoctisto Caesareae Palaestinae, et Alexandro Hierosolymarum episcopis, in eorum ecclesiis, quamvis laicus esset, concionatus est. Id displicuit merito Demetrio Alexandrino. Sed praeterea Origenes a Theoctisto, approbante Alexandro, sub testimonio ecclesiasticae epistolae quam ei dederat Demetrius, presbyter ordinatus est. Tali autem ordinatione canones et disciplina Ecclesiae dupliciter violabantur, tum quod jura Ordinarii postponerentur et ab extraneo Origenes ordinaretur, tum quod mutilatio ejus voluntaria impedimentum canonicum constitueret. Jure igitur hoc factum aegerrime tulit Demetrius Alexandriae episcopus. Alia etiam graviora motiva de Origene conquerendi ipsi erant doctrinae temerariae, quae instructionibus suis oretenus factis modo Origenis.

---

[1]) Ad Paulam ep. XXXIII.

dubitantis miscebat, in opere vero *De principiis* apertius proposuerat. Propter has igitur rationes, non vero invidia vel simultate abreptus, Demetrius Alexandriae convocavit synodum episcoporum Aegypti et presbyterorum Alexandrinorum, mutilationem Origenis manifestavit, ac de dotrina ejus conquestus est. Propter facta commemorata et doctrinas erroneas tunc Origenes munere docendi privatus, et a communione ecclesiastica exclusus est. Brevi post altera synodo habita, etiam sacerdotio privatus fuit. Ipse autem quum in judicium vocaretur, jam capta fuga se receperat ad amicum suum Theoctistum Caesareae episcopum.

10. Demetrius certiores reddidit de hac damnatione omnes episcopos, ipsique, exceptis praesulibus Palaestinae Arabiae, Phoeniciae et Achaiae, huic sententiae assensum praestiterunt. Romae vero, uti diximus, S. Pontianus non tantum simpliciter sententiae jam latae assensit, sed convocata synodo Origenem condemnavit. Quum tanta esset Origenis fama atque in docendo auctoritas, Pontifex censuit, ut supponi potest, in gravi isto negotio expedire, ut specialis condemnatio in eum ferretur a Sede, cui supremum doctrinae magisterium commissum est.

11. Generatim quidem auctores referunt, inde ab isto tempore Origenem Caesareae docuisse. Animadvertendum tamen est, mortuo Demetrio quum Heraclas Origenis discipulus illi in episcopatu succederet, hunc episcopum magistro permisisse, ut Alexandriam reverteretur, ac studuisse eum in recto tramite doctrinae rotinere. Ex hoc reditu concludendum est, si praecesserat excommunicatio proprie dicta, hanc esse revocatam. Sed mox etiam Heraclas adactus fuit, ut propter doctrinas temerarias, quas jam aperte Origenes sermonibus miscebat, denuo ipsum a communione removeret, Alexandria pelleret, ac nullibi in Aegypto docere permitteret. Ita rem se habuisse, colligitur praecipue ex fragmento Photii, cui fontes antiquiores historiae prae manibus erant. In ipsius opere *Συναγῶγαι καὶ ἀποδείξεις* (Collectiones et Demonstrationes) sub *ἐρωτήματι* (quaestione) nono haec habentur:

In diebus ipsius sanctissimi Heraclae erat Alexandriae Origenes, qui aperte propriam suam haeresim diebus Mercurii et Veneris proponebat. Hunc igitur, quod sanam doctrinam perverteret et ab orthodoxa fide recederet, sanctus Heraclas ab Ecclesia removit et Alexandria expulit. Origenes autem ejectus (ἐκκήρυκτος) *in Syriam proficiscens pervenit in civitatem* (Aegypti) *nomine Thmouis, habentem episcopum orthodoxum Ammonium, qui Origeni permisit, ut in ipsius ecclesia concionem de fidei doctrina haberet* (ὁμιλῆσαι λόγον διδακτικόν). *Quod quum audivisset Heraclas profectus est Thmouim, et propterea deposuit Ammonium et loco ejus episcopum constituit Philippum, juniorem quidem, sed Christianum magni fervovis* etc.[1]). Ex eo quod etiam Heraclas Origenem a communione removit, satis apparet, Origenis sortem non posse Demetrii senis invidiae adscribi, ac gravia fuisse motiva damnationis, qua Doctor ille clarissimus affectus est.

12. Caesareae tamen Origenes in docendis litteris philosophicis et theologicis perseveravit, multique etiam e remotioribus provinciis discipuli ad eum confluebant, inter quos celebrantur Gregorius Thaumaturgus ejusque frater Athenodorus. Satis difficile est judicium ferre, qua ratione quoad communionem cum Ecclesia Origenes se habuerit. Contendit Hagemann, schismatici partes eum egisse; etenim Alexandriae a Demetrio condemnatus et excommunicatus, etiam sententia S. Pontiani perculsus est, ac per plures annos nihil fecit ut cum Sede Romana reconciliaretur.[2]) Animadverti tamen potest, quum constet, ab Heracla initio episcopatus ipsius restitutum fuisse Origenem, hac in re probabiliter implicitam fuisse reconciliationem cum ecclesia etiam Romana. Ex nova autem condemnatione et excommunicatione Origenis per Heraclam per se non sequitur, quod etiam explicite ab ecclesia Romana excommunicatus haberetur. Haec ecclesia judicio

---

[1]) Vide textum Gr. ap. Fontani, Novae eruditorum deliciae, Florentiae 1875, tom. I; et Döllinger, Hippolytus und Callistus p. 264.

[2]) Die röm. Kirche S. 286.

suo jam ostenderat, improbari ab ipsa Origenis gesta atque doctrinas; sed non invenimus, eum formaliter post novam Heraclae condemnationem denuo esse excommunicatum a Rom. Pontifice. Remansit vero in communione cum pluribus episcopis, qui cum Sede Apostolica communicabant, idque tolerasse videntur subsequentes Pontifices. Ad Alexandrinos Origenes litteras scripsit, in quibus sui apologiam adversus sententiam latam fecit, errorem cujus accusabatur de daemonum salute improbavit, librosque suos ab haereticis depravari questus est. Praeterea vero Eusebius H. E. l. VI. c. 36 scribit: *Sed et ad Fabianum Romanae urbis episcopum, et ad complures aliarum ecclesiarum antistites de recta fidei suae ratione epistolas scripsit.* Disceptationes quae de Origene ejusque doctrinis jam ipso vivente exarserunt, etiam subsequentibus saeculis renovatae sunt. Certe in operibus ejus, uti in manibus habebantur, errores inveniebantur, atque vehementius etiam identidem invehit Origenes in clerum et res ecclesiasticas. Ei tamen favent constans insectandi haereses studium, servata semper cum catholicis Palaestinae et Arabiae episcopis communio, litterae contestatoriae de corruptione librorum suorum, et immunitas a pertinacia in defendendis erroribus contra Ecclesiam. Sed ut de Origene certi quid statuatur, fusa rerum et doctrinarum requiritur discussio; Apologiam ejus nostro tempore texuit cl. Aloysius Vicentius eruditissimo quatuor voluminum opere: *In S. Gregorii Nysseni et Origenis scripta et doctrinam.*

S. Anterus. 13. S. A n t e r u s a. 236 successit S. Pontiano, qui in insula Sardinia mortuus est. Brevissimo tempore tenuit pontificatum. Paucis verbis de ipso dicit Catalogus Liberianus: *Anteros mense uno, diebus decem, dormit III nonas Januarii, Maximino et Africano consulibus.* In Catalogo Feliciano etiam habetur: *Hic gesta martyrum diligenter a notariis exquisivit, propter quod a Maximo Presbytero* (corr. Praefecto) *martyr effectus est. Hic ordinavit unum episcopum; qui sepultus est in coemeterio Callisti via Appia IV nonas Januarii, et cessavit episcopatus dies duo.*

S. Fabianus. 14. S. F a b i a n u s, qui Antero successit, valde

clarum habet in historia Ecclesiae nomen, tum ob rerum ecclesiasticarum administrationem, tum ob gloriosum martyrium. De ejus elevatione ad dignitatem pontificalem haec scribit Eusebius H. E. VI. c. 29: *Hunc Fabianum post Anterotis una cum aliis familiaribus suis Romam ex agro venisse dicunt, atque illic degentem opitulante Dei gratia praeter omnium exspectationem ad pontificatus sortem pervenisse. Nam cum fratres omnes successoris ordinandi causa in ecclesia essent congregati, et plerique jam illustres aliquot et nobiles viros eligendos esse conjicerent, de Fabiano quidem qui tum praesens aderat, nemo ne tantisper quidem cogitabat. Columbam tamen de repente ex sublimi delapsam capiti illius insedisse narrant, quae Spiritus Sancti qui olim sub columbae specie in Servatorem descenderat imaginem referre videbatur. Quo spectaculo permotus populus a divino Spiritu incitatus, summa cum alacritate uno consensu simul omnis exclamare coepit dignum esse; statimque comprehensum sacerdotali cathedrae imposuit.* — Tillemont[1]) ex his infert, Fabianum fuisse laicum antequam fieret Pontifex; sed revera tam succincta est narratio Eusebii, ut ex eadem qualis fuerit antea Fabianus colligi nequeat.

15. In Catalogo Feliciano atque in Libro Pontificali refertur de Fabiano: *Hic regiones divisit diaconibus, et fecit septem subdiaconos qui septem notariis imminerent et gesta martyrum in integro colligerent, et multas fabricas per coemeteria fieri praecepit.* De Rossi[2]) existimat, ea quae de divisione regionum dicuntur jungenda esse cum illis quae de fabricis in coemeteriis constitutis referuntur; interseruit scilicet ex alio documento scriptor ea quae ad subdiaconos spectant. Fabianus igitur collegio diaconorum variarum regionum coemeteria distribuit, et fabricas in hisce construendas. Videtur autem agi de oratoriis haud subterraneis, sed super ipsa coemeteria subterranea aedificandis, ut pro opportunitate conventibus fidelium inservire possent. Talia perficere potuit Fabianus, eo quod mox sub pontificatu

---

[1]) Mémoires, t. III. S. Fabian.
[2]) Roma sotterranea I. 198.

ejus, finita trium annorum per Maximinum persecutione, feliciora ingruerent tempora. Etenim sub Maximini successoribus, Gordiano, Pupieno, Balbiano, Gordiano juniore, Philippo Arabe, usque ad Decium (a. 238—249), Christiani pace fruiti sunt. Imo Philippus Arabs, qui occiso Gordiano a. 244 ad imperium pervenit, Christianus fuisse perhibetur. De ipso scribit Eusebius: *Interea quum Gordianus sex totis annis Romanum imperium administrasset, Philippus una cum Philippo filio in ejus locum successit. Hunc utpote Christianum fama est in postrema Paschae vigilia precationum in ecclesia participem simul cum reliquo populo fieri voluisse; sed episcopum, qui tunc ecclesiae praeerat, non prius illi aditum permisisse, quam confessionem scelerum fecisset, iisque qui humanitus lapsi fuerant, et in poenitentium ordine stabant, sese adjunxisset. Quippe ob multa quae commiserat crimina numquam omnino ab episcopo fuisset admissus, nisi id prius fecisset. Et Imperator quidem libenter obtemperasse dicitur, sincerumque ac religiosum affectum timoris Dei operibus ipsis declarasse.* (H. E. VI. 34.)

16. Jam diximus, *Origenem* ad Fabianum epistolam misisse, ut suam orthodoxiam vindicaret. — Sub eo etiam Romae actum est de *Privato* episcopo Lambesitano in Africa. Vel ipse, quum a Concilio nonaginta episcoporum depositus esset, Romam recursum habuit, vel synodus sua acta Romam transmisit; Romae autem pariter iste vir condemnatus fuit. Id colligitur ex S. Cypriani ad Cornelium epistola (59[a]), in qua scribit: *Per Felicianum autem significavi tibi, frater, venisse Carthaginem Privatum, veterem haereticum in Lambesitana colonia ante multos fere annos ob multa et gravia delicta nonaginta episcoporum sententia condemnatum, antecessorum etiam nostrorum, quod et vestram conscientiam non latet, Fabiani et Donati litteris severissime notatum; qui quum causam suam apud nos in concilio, quod habuimus Idibus Maiis quae proximae fuerunt, agere velle se diceret nec admissus esset, Fortunatum sibi pseudoepiscopum dignum collegio suo fecit.* — Idem Privatus etiam vel ultimo anno Fabiani, vel post mortem ejus sede vacante, Romae iterum protectionem quaesivit, sed merito

Privatus Lambesitanus.

rejectus est. Scribit videlicet clerus Romanus ad Cyprianum (ep. 36): *Quod autem pertinet ad Privatum Lambesitanum pro tuo more fecisti, qui rem nobis tamquam sollicitam nuntiare voluisti. Omnes enim nos decet pro corpore totius Ecclesiae, cujus per varias quasque provincias membra digesta sunt, excubare. Sed nos etiam ante litteras tuas fraus callidi hominis latere non potuit. Nam quum antehac quidam ex ipsius nequitiae cohorte venisset vexillarius Privati Futurus, et fraudulenter litteras a nobis elicere curaret, nec quis esset latuit, nec litteras quas volebat accepit.* — De istius Privati erroribus et facinoribus plura nobis non sunt nota, sed manifesta sunt etiam hac in re argumenta agnitae *principalitatis* Sedis Apostolicae, cujus patrocinium Privatus ille acquirere fraudulento modo studebat.

17. Anno 249 *Decius* adversus rebelles in Pannonia legiones missus, ab iis Imperator salutatus est, et Philippo patre et filio duodenne jugulatis a militibus, purpuram induit, regnavitque usque ad annum 251. Decius saevissimam persecutionem contra Christianos excitavit, quae passim *septima* dicitur, duravitque usque ad ejus interitum; crudelior haec fuit persecutio quam praecedentes, multique in ea lapsi sunt.[1]) S. Fabianus initio anni 250 coronam martyrii Romae adeptus est (die 20 Januarii), atque adeo ibidem saeviebat persecutio, ut Apostolica Sedes ultra annum vacarit. Collegium presbyterorum interea res ecclesiasticas administravit. Hoc collegium ad S. Cyprianum aliosque, haud dubio, praecipuarum ecclesiarum Praesules dedit litteras, quibus Fabiani martyrium nuntiabant. Id colligitur ex epistola (9[a]) S. Cypriani ad Clerum Romanum, qua encomiis quoque S. Fabianum celebrat. *Cum de excesso boni viri,* scribit, *collegae mei nisi rumor apud nos incertus esset, fratres carissimi, et opinio dubia nataret, accepi a vobis litteras ad me missas per Clementium hypodiaconum, quibus plenissime de glorioso ejus exitu instruerer; et exultavi satis, quod pro* Decii persecutio.

[1]) Conditionem Christianorum medio saeculo tertio, et causas atque indolem persecutionis Decii fusius exponit Peters l. c., L. II. c. 1.

18*

integritate administrationis ejus consummatio quoque honesta processerit. In quo vobis quoque plurimum gratulor, quod ejus memoriam tam celebri et illustri testimonio prosequamini, ut per vos innotesceret nobis, quod et vobis esset circa Praepositi memoriam gloriosum, et nobis quoque fidei ac virtutis praeberet exemplum. Sed jam eo nos rerum ordo adduxit, ut accuratius de S. Cypriano agamus.

II.

S. Cypriani gesta praeclara atque doctrina.

Cypriani ortus.

18. Thascius Caecilius *Cyprianus* natus est versus finem saeculi secundi vel tertio ineunte; quae vero Africae civitas ei fuerit urbs natalis, cujusve conditionis fuerint ejus parentes, ex eruditorum sententia incertum est. Magno praestans ingenio, postquam illud litterarum et philosophiae disciplinis excoluisset, satis diu rhetoricam publice edocuit in patria eximia cum laude. In tenebris idololatriae se jacuisse et vitiorum gentilium labe se inquinatum quoque, fatetur eloquenter in *epistola ad Donatum.* — *Ego,* inquit, *cum in tenebris et in nocte caeca jacerem, cumque in salo jactantis saeculi nutabundus ac dubius vestigiis oberrantibus fluctuarem, vitae meae nescius, veritatis ac lucis alienus, difficile prorsus ac durum pro illis tunc moribus opinabar, quod in salutem mihi divina indulgentia pollicebatur, ut quis renasci denuo posset, utque in novam vitam lavacro aquae salutaris animatus quod prius fuerat exponeret, et corporis licet manente compage, hominem animo ac mente mutaret. . . . Ut ipse quam plurimis vitae prioris erroribus implicitus tenebar, quibus exui me posse non crederem, sic vitiis adhaerentibus obsecundans eram, et desperatione meliorum malis meis veluti jam propriis et vernaculis offavebam.* Describit dein gratiae in baptismo operationem notis illis et pulcherrimis verbis: *Sed postquam undae genitalis auxilio superioris aevi labe detersa in expiatum pectus serenum ac purum desuper se lumen effudit, postquam coelitus spiritu hausto in novum me hominem nati-*

vitas secunda reparavit, mirum in modum protinus confirmare se dubia, patere clausa, lucere tenebrosa, facultatem dare quod prius difficile videbatur, geri posse quod impossibile putabatur, ut esset agnoscere terrenum fuisse quod prius carnaliter natum delictis obnoxium viveret, Dei esse coepisse quod jam Spiritus Sanctus animaret. Eamdem ex novo principio vitae supernaturalis immutationem, etiam *De Habitu Virginum* c. 13, S. Cyprianus illis verbis commemorat: *Omnes quidem qui ad divinum lavacrum baptismi sanctificatione perveniunt, hominem illic veterem gratia lavacri salutaris exponunt, et innovati Spiritu Sancto a sordibus contagionis antiquae iterata nativitate purgantur.* Inde vero, quod ejusmodi plenam immutationem per gratiam Dei et fidem Cyprianus perspectam haberet et facto in se experiretur, etiam provenit, quod toto cordis et animi nisu se Deo rebusque divinis devoveret, ac similes sensus in omnibus scriptis S. Cypriani redundent.[1])

19. *Conversio S. Cypriani* accidisse videtur a. 245 vel 246, eademque Christianis Carthaginensibus ob viri dignitatem et auctoritatem certe eventus fuit gravissimus et gratissimus. Tanta brevi illius virtus enituit, ut judicio Dei et plebis favore ad officium presbyteratus, et non ita multo post, a. 248, quum sedes vacaret, ad episcopatus gradum invitus raperetur. Quidam tamen restiterunt quominus episcopus fieret; praecipui fuere quinque presbyteri inter quos erant Novatus et Fortunatus[2]), ac Feli- Cypriani conversio.

---

[1]) Hagemann indolem ecclesiae Africanae describens. merito animadvertit, Afros pro ardenti sua natura magno impetu se totos vel in bonum vel in malum solitos fuisse vertere. Minus accurate tamen scribit: *Christianismus tanquam principium vitae novae fere unice in ecclesia Africana concipiebatur.* Die röm. Kirche, Einleit. S. 7. — Eadem enim, quamvis minus nervose et eloquenter proposita. etiam apud alios, uti ap. Justinum, auctorem ep. ad Diognetem, Irenaeum, inveniuntur, communemque de gratia sanctificante doctrinam exprimunt.

[2]) Id colligitur ex S. Cypriani epistolis. „Idem est Novatus, scribit ep. 52. n. 2. qui apud nos primum discordiae incendium seminavit, qui quosdam istic ex fratribus ab episcopo segregavit, qui in ipsa persecutione ad evertendas fratrum mentes alia quaedam persecutio nostra fuit. Ipse est, qui Felicissimum satellitem suum diaconum, nec per-

cissimus quidam laicus variis sceleribus contaminatus, quem postea Novatus propria auctoritate diaconum constituit. Illi nimirum viri post aliquot annos, occasione accepta ex vigore apostolico quo S. Cyprianus disciplinam ecclesiasticam quoad lapsos in persecutione tuebatur, apertum schisma conflarunt.

Persecutio in Africa.

20. Ingruente *Decii persecutione,* initio anni 250, quum statim a multitudine *ad leones* expostularetur Cyprianus episcopus, ipse memor sententiae Christi de fuga arripienda (Matth. 9, 23), sanctorum Dionysii Alexandrini et Gregorii Thaumaturgi exemplo secessit in tutiorem locum, non mortis formidine sed amore plebis, quam inter quotidianas mortis imminentis minas regere et docere non destitit. Persecutorum intentio erat, ut primum in Ecclesiae Praesules inveherent, dein vero longis et exquisitis tormentis, minus ad mortem quam ad defectionem fideles adducerent. Hinc prudentiae sanctae erat, ut Cyprianus secederet, ne grex ejus plane destituta esset pastore. In illa persecutione Carthagine non pauci quidem fortiter tormenta sustinuerunt, sed maximus etiam fuit numerus lapsorum. Id tum ex crudelitate persecutionis provenit, tum inde, quod antea tepor quidam, mollities, variique abusus in istam ecclesiam irruissent. De illis moribus, ex quibus etiam subsequentes turbae magis explicantur scribit S. Cyprianus *De lapsis* c. 4: *Si cladis causa cognoscitur, et medela vulneris invenitur. . . Studebant augendo patrimonio singuli, et obliti quid credentes aut sub Apostolis ante fecissent, aut semper facere deberent, insatiabili cupiditatis ardore ampliandis facultatibus incubabant. Non in sacerdotibus religio devota, non in ministris fides integra, non in operibus misericordia, non in moribus disciplina. Corrupta barba in viris, in feminis forma fucata. Adulterati post Dei manus oculi, capilli mendacio colorati. Ad decipienda corda simplicium callidae fraudes, circumveniendis fratribus subdolae voluntates. Jungere cum infidelibus*

---

mittente me nec sciente, sua factione et ambitione constituit." — Et ep. 59. n. 9: „Qui (Fortunatus) est unus ex quinque presbyteris jam pridem de ecclesia profugis." Cfr. Fechtrup, l. c. S. 104 ff.

vinculum matrimonii, prostituere gentilibus membra Christi. Non jurare tantum temere, sed adhuc etiam pejerare, praepositos superbo tumore contemnere, venenato sibi ore maledicere, odiis pertinacibus invicem dissidere. Episcopi plurimi, quos et hortamento esse oportet caeteris et exemplo, divina procuratione contempta, procuratores rerum saecularium fieri, derelicta cathedra, plebe deserta, per alienas provincias oberrantes, negotiationis quaestuose nundinas aucupari, esurientibus in ecclesia fratribus habere argentum largiter velle, fundos insidiosis fraudibus rapere, usuris multiplicantibus foenus augere. — Etiam ex libro *De habitu virginum,* quem S. Cyprianus vel presbyter vel initio episcopatus conscripsit, colligitur, relaxationem quamdam morum inter Christianos Carthagine inolevisse.

21. Magnus numerus igitur fidelium a fide defecit. Lapsi. *Exciderunt quibusdam,* scribit S. Cyprianus, *pro nefas, omnia et de memoria recesserunt. Non exspectaverunt saltem, ut ascenderent apprehensi, ut interrogati negarent. Ante aciem multi victi, sine congressione prostrati, nec hoc sibi reliquerunt, ut sacrificare idolis viderentur inviti. Ultro ad forum currere, ad mortem sponte properare, quasi hoc olim cuperent, quasi amplecterentur occasionem datam quam semper optassent. Quot illic a magistratibus vespera urgente dilati sunt? quot ne eorum differretur interitus* (spiritualis) *etiam rogaverunt? . . . Ac multis proprius interitus satis non fuit. Hortamentis mutuis in exitium populus impulsus est, mors invicem letali poculo propinata est. Ac ne quid deesset ad criminis cumulum, infantes quoque parentum manibus vel impositi vel attracti. . . . Nec est justa aliqua et gravis causa, quae tantum facinus excuset. Relinquenda erat patria, et patrimonii facienda jactura. . . Decepit multos patrimonii sui amor caecus, nec ad recedendum parati aut expediti esse potuerunt, quos facultates suae velut compedes ligaverunt. . . . Sed tormenta postmodum venerant, et cruciatus graves reluctantibus imminebant! Queri de tormentis potest, qui per tormenta superatus est. Potest*

---

[1]) De lapsis n. s—9.

excusationem doloris obtendere, qui victus est in dolore. Nunc vero quae vulnera ostendere victi possunt, quas plagas hiantium viscerum, quae tormenta membrorum, ubi non fides congressa cecidit, sed congressionem perfidia praevenit[1]). Ex hisce colligitur, eos qui lapsi sunt Carthagine in illa Decii persecutione, maxima saltem parte haud in tormentis constitutos a fide defecisse, sed magna cum ignavia etiam antequam in judicium vocarentur formidine persecutionis Christum negasse. Merito igitur S. Cyprianus noluit eos finita persecutione sine ulla satisfactione ad communionem admittere.

22. Jam de ista *controversia quae occasione lapsorum exorta est* accuratius agamus. Tres lapsorum distinguebantur classes, *sacrificatorum,* qui idolis sacrificia obtulerant, *thurificatorum,* qui numinum simulacris thus adoleverant, *libellaticorum,* qui a magistratibus emerant, (vel forte ipsi iis obtulerant addita pecunia) libellos, in quibus continebatur, illos diis sacrificando Imperatoris edicto satisfecisse, licet id reipsa non fecissent. Hi libellatici quidem non tam graviter peccaverant, quam alii lapsi, criminis tamen rei erant, quum libellis istis *defectionem a fide simularent.*[1]) De iis Clerus Rom. epistola ad Cyprianum

---

[1]) De *libellaticis* eorumque crimine non una est auctorum sententia; erudite hac de re disserit Fechtrup l. c. §. 7. — Mosheim et Rettberg censent, libellaticos fuisse, qui dato pretio a magistratibus vel per se vel per alios obtinebant libellum, i. e. testificationem scriptam, eos edicto imperiali satisfecisse, quamvis non sacrificassent. In hac *simulatione* apostasiae eorum crimen consistebat. Accedit Fechtrup huic sententiae, quae nobis quoque videtur vera esse. — Rigaltius et Hefele censent, fuisse etiam, qui *oblato libello* affirmabant se sacrificasse, et ita addito pecuniae munere obtinebant, ut non ulterius urgerentur. — Maranus et Peters existimant, crimen libellaticorum in eo fuisse, quod data pecunia obtinerent, ut inscriberentur a magistratibus *libellis,* i. e. indiculo eorum qui sacrificaverant, utque hac ratione se liberarent. Ejusmodi indices confectos fuisse admodum probabile est, dubium tamen, libellaticorum nomen ea ratione ortum esse. — Fell existimat, Christianos quosdam misisse paganos qui eorum nomine sacrificarent et attestationis libellum obtinerent. Quod forte interdum fiebat; varia enim poterat esse occasio libellum obtinendi. Vide haec ap. Fechtrup l. c.

(30) scribit: *Cum totum fidei sacramentum in confessione nominis Christi intelligatur esse digestum, qui fallaces in excusatione praestigias quaerit, negavit; et qui vult videri propositis adversus Evangelium vel edictis vel legibus satisfecisse, hoc ipso jam paruit, quod videri se paruisse voluit.*

23. Prisca disciplina Ecclesiae erat, ut lapsi poenitentiae publicae subjicerentur, antequam in communionem Ecclesiae reciperentur. Mos etiam obtinebat, ut benignius ageretur cum iis, qui poenitentiae publicae obnoxii a martyribus et confessoribus carceri mancipatis pacis libellos acceperant. Indicatur haec intercessio martyrum pro lapsis iis quae occurrunt in ecclesiae Lugdunensis ad ecclesias Asiae epistola, qua certamina martyrum Lugdunensium describuntur. *Deprimebant se sub manu potenti, a qua nunc sublimius elevati sunt. Tunc vero omnium defensionem suscipiebant, neminem accusabant. Cunctos absolvebant, neminem ligabant . . . Hoc enim maximum certamen illis fuit adversus diabolum ob sinceram ac minime fucatam caritatem, ut quos ille malignus serpens vivos jam se devorasse crediderat, elisis faucibus removere cogeretur. Neque enim fastu et arrogantia intumuerunt adversus lapsos, sed ea quibus abundabant bona, indigentibus liberaliter subministrabant, materna quaedam viscera misericordiae gestantes, magnamque vim lacrymarum pro illorum salute coram Deo fundentes. Vitam petierunt, et largitus est eis Deus; quam etiam illi proximis suis communicarunt, ubique victores ad Deum profecti.*[1])

24. Tertullianus de ista communicatione libellorum pacis per martyres facta loquitur uti de antiqua consuetudine. Quum adhuc catholicus esset, scribit *Ad martyres* c. 1: *Quam pacem quidem in ecclesia non habentes, a martyribus in carcere exorare consueverunt. Et ideo eam etiam propterea in vobis habere et fovere et custodire debetis, ut si forte et aliis praestare possitis.* Dein Montanista factus in hanc invehit martyrum potestatem, contra Zephyrinum vel potius Callistum scribens: *At tu jam et in martyres effundis hanc potestatem, ut quisquis ex consensione vincula in-*

[1]) Euseb. H. E. l. V. c. 2.

duit adhuc mollia, in novo custodiae nomine, statim ambiunt moechi, statim adeunt fornicatores, jam lacrymae circumstagnant maculati cujusque, nec ulli magis aditum carceris redimunt, quam qui Ecclesiam perdiderunt. . . . . Sufficiat martyri propria delicta purgasse. Ingrati vel superbi est, in alios quoque spargere, quod pro magno fuerit consecutus . . . Qui Christum aemularis donando delicta, si nihil ipse deliquisti plane patere pro me. Si vero peccator es, quomodo oleum faculae tuae sufficere et tibi et mihi poterit?[1]) Satis ex his patet principium quo nitebatur haec communicatio pacis; eo videlicet quo etiam indulgentiae nituntur. Juxta Ecclesiae doctrinam Martyres partem valoris satisfactoriae passionis suae vi communicationis sanctorum transferre poterant in poenitentes, atque hinc isti indulgentiam vel partialem vel plenariam adipiscebantur. Martyres tamen habebant tantum jus suffragii per libellos poenitentibus datos; ad praepositos Ecclesiae pertinebat statuere, utrum poenitenti, ob libellum pacis, poenitentia remittenda esset, ac per episcopum tunc ad communionem fidelium admittebatur. Quo facto indulgentia illa habebatur valida etiam in foro divino.

Libelli pacis. 25. Carthagine igitur in persecutione illa Decii permulti ceciderunt; isti vero pacis libellos a martyribus petebant et obtinebant eo modo, quem si Cyprianus tolerasset, permagnus abusus inolevisset, ac de poenitentia publica actum fuisset. Initio quidem videtur ista in re aliqua saltem regula et subordinatio sub episcopo servata fuisse; sed mox varii martyres indiscriminatim universis lapsis pacem concedebant. Atque hi pacis obtentis libellis tamquam jus sibi vindicabant, ut ad communionem admitterentur. Martyrum quorumdam benignitatem haud prudentem clare ediscimus ex epistola Luciani ad Celerinum. Hic Celerinus Romanus convenienti ratione per epistolam petierat a Luciano, ut ipse et socii ejus in carcere constituti pacem concederent sororibus Numerianae et Candidae lapsis, quae tamen per bona opera dignas se

---

[1]) De pudicitia c. 22.

reddebant indulgentia. Scribit Celerinus: *Memoratus sum caritatis tuae pristinae, quod cum omnibus doleas pro sororibus nostris, quas et tu bene nosti, id est Numeriam et Candidam, pro quarum peccatis quia nos fratres habent debemus excubare. Credo enim Christum secundum earum poenitentiam et opera quae penes collegas nostros fecerunt extorres, qui a vobis venerunt, a quibus ipsis de operibus eorum audies, jam pro eis, vobis martyribus suis petentibus, indulturum . . . Rogo itaque, domine, et peto per Dominum nostrum Jesum Christum, ut caeteris collegis fratribus tuis et meis, meis dominis referas, et ab eis petas, ut quicumque prior vestrum coronatus fuerit, istis sororibus nostris Numeriae et Candidae tale peccatum remittat. . . . Quarum jam causa audita praeceperunt eas Praepositi tantisper sic esse, donec Episcopus constituatur. Sed quatenus per vestras sanctas orationes et petitiones, in quas nos fidimus, quoniam estis amici sed et testes Christi, quod omnia indulgeatis. Peto ergo, domine carissime Luciane, memor sis mei, et petitioni meae annuas . . . Nam hoc, domine frater, scire debes, me non solum hoc pro eis petere, sed et Statium et Severianum et omnes confessores, qui inde huc a vobis venerunt, ad quos ipsae in portum descenderunt, et in urbem levaverunt, quod sexaginta quinque ministraverunt et usque in hodiernum in omnibus foverunt. Sunt enim penes illas omnes. . . . Salutant te fratres tui Calphurnius et Maria et omnes sancti fratres. Nam hoc scire debes, me et dominis meis fratribus tuis litteras scripsisse, quas peto pro illis sic legere digneris.*[1] Videntur mulieres illae Numeriana et Candida nobiles et ditissimae fuisse, ita ut propterea earum reconciliatio valde desideraretur; collegium presbyterorum tamen eas detinebat, donec successor S. Fabiani electus esset.

26. Epistolae huic modestae Celerini Lucianus mox audacter inter alia respondet: *Carissime, jam inter martyres deputande, voluisti nos litteris tuis gravare; in quibus significasti de sororibus nostris, pro quibus utinam fieri posset,*

---

[1]) Inter epp. S. Cypriani ep. 21. (Juxta Edit. Oxonien.)

ut sine tanto scelere commisso memoriam faceremus, ad quam non profecto tantis lacrymis incumberemus ut nunc. Scire debuisti, quid circa nos actum sit. Cum benedictus martyr Paulus adhuc in corpore esset, vocavit me et dixit mihi: Luciane, coram Christo tibi dico, ut si quis post arcessitionem meam abs te pacem petierit, des in nomine meo; sed et omnes quos Dominus in tanta tribulatione arcessire dignatus est universi litteris ex compacto universis pacem dimisimus. Videas ergo, frater, quoniam partem ejus jam mihi Paulus praecepit; pro universis quoque censuimus, jam cum ante hanc tribulationem, cum jussi sumus secundum praeceptum Imperatoris fame et siti necari, et reclusi sumus in duabus cellis, ita ut nos afficerent fame et siti... Et ideo, frater carissime, saluta Numeriam et Candidam, quae (videtur deesse *pacem habeant*) *secundum Pauli praeceptum et caeterorum martyrum quorum nomina subjicio, Bassi in petrario, Mappalici in quaestione, Fortunionis in carcere, Pauli a quaestione, Fortunatae, Victorini, Victoris, Hereni, Credulae, Herenae, Donati, Firmi, Venustae, Fructi, Juliae, Martialis et Aristonis, qui Deo volente fame in carcere necati sunt; quorum et nos socios futuros intra dies audietis. — Et ideo, frater, peto, ut sicut hic cum Dominus coeperit ipsi Ecclesiae pacem dare, secundum praeceptum Pauli et nostrum tractatum, exposita causa apud episcopum et facta exomologesi habeant pacem, non tantum hae, sed et quas scis ad animum nostrum pertinere. . . Salutant vos sorores meae Januaria et Sophia, quas vobis commendo.*[1])

Abusus. 27. Interim Carthagine eo res devenit, *ut sine ullo discrimine atque examine singulorum, darentur quotidie libellorum millia contra Evangelii legem*[2]). S. Cyprianus absens pluribus epistolis abusibus obstitit, et varia quoad lapsos constituit. Voluit, ut lapsorum causa differretur, donec sedata persecutione synodus celebrari posset, in qua discussa illorum causa ratio haberetur tum intercessionis martyrum, tum gravitatis delicti. Postulavit, ut singulorum quibus pacem martyres dabant, nomina ad episcopum deferrentur.

[1]) Inter epp. S. Cypriani 22. [2]) Ep. 20.

et omnia servato ordine fierent. Quum vero de dilatione expostularent non solum lapsi, sed etiam nonnulli confessores, qui se despici contendebant, S. Praesul provisoria ratione statuit, ut ii lapsi qui in periculo mortis versarentur, facta exomologesi ad communionem pacemque admitterentur, caeterorum vero causa ad synodum deferretur. Sed tum multi lapsi, tum plures confessores id aegerrime tulerunt, ac Lucianus nomine reliquorum confessorum litteras misit ad Cyprianum, quibus jam non petit, sed significat, lapsis a martyribus pacem esse concessam. Haec epistola ita se habet: *Universi confessores Cypriano papae salutem. Scias, nos universis, de quibus apud te ratio constiterit quid post commissum egerint, dedisse pacem; et hanc formam per te et aliis episcopis innotescere voluimus. Optamus te cum sanctis martyribus pacem habere. Praesente de clero et exorcista et lectore, Lucianus scripsit.*[1])

28. Cyprianus hoc in negotio auctoritatem suam episcopalem periclitari videbat, adeoque tum clero suo pluries scripsit, monens ut mandata sua observarentur, tum clero Romano communicanda esse censuit quae accidebant. Censebat videlicet, causam lapsorum talem esse, ut non unius episcopi sententia res definiri deberet. Ita ad clerum suum scribit: *Caeteri vero qui nullo libello a martyribus accepto invidiam faciunt, quoniam non paucorum, nec ecclesiae unius aut unius provinciae, sed totius orbis haec causa est, exspectent de Domini protectione Ecclesiae ipsius publicam pacem.*[2]) Atque haec opportune notamus, quum ex his jam appareat falso asseri, a Cypriano non nisi eam attendi unitatem Ecclesiae, quam, ut singulis in dioecesibus submissio sub episcopo et concordia in clero ac plebe habeatur. Satis etiam apparet ex iis quae fecit in controversia hac, supremum tribunal quoad disciplinam ecclesiasticam ab ipso in ecclesia Romana collocari. Hinc ad clerum suum scribit: *Sed et illud ad vos perferre litteris meis debui, urgente causa clero in Urbe consistenti litteras me misisse.*[3]) Et ad Clerum Romanum priori epistola:

---

[1]) Ep. 23. [2]) Ep. 19. [3]) Ep. 29.

Nec in hoc, ait, *legem dedi, aut me auctorem temere constitui. Sed cum videretur et honor martyribus habendus, et eorum qui omnia turbare cupiebant impetus comprimendus, et praeterea vestra scripta legissem, quae huc ad clerum nostrum per Clementium hypodiaconum nuper feceratis, ut iis qui post lapsum infirmitate apprehensi essent, et poenitentes communicationem desiderarent, subveniretur, standum putavi et cum vestra sententia, ne actus noster, qui adunatus esse et consentire circa omnia debet, in aliquo discreparet. Plane caeterorum causas, quamvis libello a martyribus accepto, differri mandavi, et in nostram praesentiam reservari, ut cum pace a Domino nobis data plures praepositi convenire in unum coeperimus, communicato etiam vobiscum consilio, disponere singula et reformare possimus.*[1]) In altera quoque epistola (27) significat, magnum sibi emolumentum factum fuisse ex litteris Cleri Romani, quum hic eadem principia proponeret, quibus nitebatur Cyprianus.

29. Profecto non contendimus, Cyprianum Romam scripsisse directe eo fine, ut rem ibidem dirimerent. Id enim haud videbatur necessarium, quum secundum normas consuetas Cyprianus ageret. Sed quanti momenti sit ipsi, comprobari suum agendi modum a Clero Romano, satis ostendit. Etiam Clerus Romanus in suis litteris non urget quidem primatus potestatem, quia opus non erat, sed ex toto contextu relucet agnita illa Romanorum Pontificum summa auctoritas. Hinc etiam presbyteri causam accurate determinare differunt, donec novus Pontifex constitutus sit. Inter alia scribunt: *Sed ut ad id, unde digressus sermo videbatur esse, rursus revertatur, quales litteras in Siciliam quoque miserimus, subjectas habebis. Quamquam nobis differendae hujus rei necessitas major incumbat, quibus post excessum nobilissimae memoriae viri Fabiani nondum est Episcopus propter rerum et temporum difficultates constitutus, qui omnia ista moderetur, et eorum qui lapsi sunt possit cum auctoritate et consilio habere rationem . . . Temperamenti moderamen nos hic tenere quae-*

---

[1]) Ep. 20.

rentes, diu et quidem multi, et quidem cum quibusdam episcopis vicinis nobis et appropinquantibus, et quos ex aliis provinciis longe positis persecutionis istius ardor ejecerat, ante constitutionem Episcopi nihil innovandum putavimus, sed lapsorum curam mediocriter temperandam esse credidimus, ut interim dum Episcopus dari a Deo nobis sustinetur, in suspenso eorum qui moras possunt dilationis sustinere causa teneatur, eorum autem quorum vitae suae finem urgens exitus dilationem non potest ferre, acta poenitentia et professa frequenter suorum detestatione factorum, si lacrymis, si gemitibus, si fletibus dolentis ac vere poenitentis animi signa prodiderint, cum spes vivendi secundum hominem nulla substiterit, ita demum caute et sollicite subveniri, Deo ipso sciente, quid de talibus faciat et qualiter judicii sui examinet pondera, nobis tamen anxie curantibus, ut nec pronam nostram improbi homines laudent facilitatem, nec vere poenitentes accusent nostram quasi duram crudelitatem.[1]) Etiam ad Confessores Romanos Cyprianus scripsit, iidemque pariter lapsos non aliter quam per poenitentiam restituendos ad communionem esse censuerunt.

30. Interim vero Carthagine oppositio contra S. Cyprianum ex parte plurium lapsorum et confessorum haud cessavit, sed etiam aucta est. Aliquot quidem ex lapsis humiliter poenitentiam agentes submissione plenas scripserunt ad S. Cyprianum litteras, iisque episcopus benigne respondit.[2]) Sed plures lapsi magna cum arrogantia *nomine ecclesiae* Cypriano epistolam scripserunt, *pacem non dandam postulantes, sed quasi jam datam* (per Paulum martyrem) *sibi vindicantes* (ep. 35); *imo jam in coelis se eam habere* dicebant (ep. 36). Ad hos gravi cum admonitione rescripsit Cyprianus, auctoritati episcopali insistens; postulat vero, ut singuli nomina indicent, quo fieri possit, ut de singulis statuatur. — Nonnulli ex confessoribus quoque restituta libertate indigno plane modo sese gesserunt. *Quosdam audio,* scribit S. Episcopus, *inficere numerum vestrum, et laudem praecipui nominis prava sua conversatione*

Oppositio contra Cyprianum.

---

[1]) Ep. 30. [2]) V. Ep. 33.

destruere . . . Cum quanto enim nominis vestri pudore delinquitur, quando alius aliquis temulentus et lasciviens demoratur, alius in eam patriam unde extorris factus est regreditur, ut apprehensus non jam quasi Christianus, sed quasi nocens pereat. Inflari aliquos et tumere audio. . . Quid deinde illud? quam vobis exsecrandum debet videri, quod cum summo animi nostri gemitu et dolore cognovimus, non deesse qui Dei templa et post confessionem sanctificata et illustrata membra turpi et infami concubitu suo plus maculent, cubilia sua cum feminis promiscua jungentes, quando et si stuprum conscientiae eorum desit, hoc ipso grande crimen est, quod illorum scandalo in aliorum ruinas exempla nascuntur[1]).

Non obstantibus Cypriani statutis, Gajus presbyter Diddensis et diaconus ejus cum lapsis communicabant et eorum oblationes offerebant; unde presbyteri Carthaginenses episcopo devoti a communione cum istis duobus abstinuerunt, remque denuntiarunt S. Cypriano. Hic (ep. 34) eos laudat et statuit, ut si quis ex clero ante sententiam latam cum lapsis communicet, is a communione ipse arceatur. Haec acciderunt a. 250 primisque forte mensibus a. 251.

31. Mox vero ulterius res progressae sunt et tetrum schisma ab homine perverso *Felicissimo* excitatum est. Is, quantum colligi potest ex Cypriani epistolis, laicus erat, auctoritate et forte etiam divitiis pollens, sed variorum criminum reus. *Ad fraudes ejus et rapinas, quas dilucida veritate cognovimus,* scribit S. Cyprianus, *adulterii etiam crimen accedit, quod fratres nostri graves viri deprehendisse se nuntiaverunt, et probaturos se asseverarunt. Quae omnia tunc cognoscemus, quando in unum cum collegis pluribus permittente Deo convenerimus*[2]). Iste homo scelestus igitur se erexit in caput factionis seditiosae contra episcopum, forte ut hac ratione poenas criminum suorum effugeret. S. Cyprianus constituerat delegatos, qui post persecutionem multis fratribus indigentibus subvenirent, ac examine instituto subsidia necessaria distribuerent; at-

[1]) Epist. 13. [2]) Ep. 14.

que ea occasione usus est Felicissimus, ut omnia turbaret et seditionem excitaret. Rem discimus ex epistola citata, quam scripsit Cyprianus *Caldonio et Herculano collegis, item Rogatiano et Numidico compresbyteris.* — *Cum ego,* inquit, *vos pro me vicarios miserim, ut expungeretis necessitates fratrum nostrorum sumptibus, si qui etiam vellent suas artes exercere, additamento quantum satis esset desideria eorum juvaretis, simul etiam et aetates eorum et conditiones et merita discerneretis, ut jam nunc ego cui cura incumbit omnes optime nossem, et dignos quosque et humiles et mites ad ecclesiasticae administrationis officia promoverem: ille intercesserit, ne quis posset expungi, neve ea quae desideraveram possent diligenti examinatione discerni, comminatus sit etiam fratribus nostris qui primi expungi accesserant potentatu improbo et terrore violento, quod secum in monte* (al. *in morte*) *non communicarent, qui nobis obtemperare voluissent. Cumque post haec omnia nec loci mei honore motus, nec vestra auctoritate et praesentia fractus, instinctu suo quietem fratrum turbans proripuerit se cum plurimis, ducem se factionis et seditionis principem temerario furore contestans.* Felicissimo se junxerunt quinque illi presbyteri, qui inde ab initio Cypriano oppositi fuerant, quique in controversia de lapsis tum confessores plures tum lapsos in episcopum excitaverant. Elementum quoddam seditionis etiam nunc quaestio illa de pace lapsis danda constituebat.

32. Ex quinque illis presbyteris, uti diximus, erant *Fortunatus* et *Novatus.* Fortunatus anno sequenti (252) a quinque episcopis schismaticis ordinatus est episcopus Carthaginensis Cypriano oppositus. Novatus autem inde ab initio schismatis Felicissimum creavit diaconum; supponendum est, eum ordinatum fuisse per aliquem episcopum factioni deditum, quales erant pauci quidam, qui in persecutione lapsi erant, e. g. Jovinus, Maximus et Repostus[1]). Dein antequam Cyprianus Carthaginem reversus esset, Novatus Romam navigavit, ubi ipse praecipue auctor fuit schismatis, quod contra S. Cornelium Novatianus Novati gesta.

[1]) Cfr. Ep. 59.

constituit. — S. Cyprianus post Pascha anni 251 Carthaginem ex secessu suo reversus est, synodumque 42 episcoporum celebravit, in qua Felicissimus schismaticus eique adhaerentes quinque presbyteri excommunicationis sententia perstricti sunt. In hac synodo etiam negotium de lapsis dispositum fuit. *Scripturis diu ex utraque parte prolatis,* ait S. Cyprianus ep. 55 ad Antonianum, *ut nec in totum spes communicationis et pacis lapsis denegaretur, . . . nec censura evangelica solveretur, ut ad communicationem temere prosilirent,* statutum est, ut singulorum lapsorum causae, voluntates et necessitates examinarentur, et condignae iidem poenitentiae subjicerentur. Placuit, ut libellatici nulla imposita novae poenitentiae necessitate, ultra eam quam durante persecutione ipsi sponte egerant, ad pacem et communionem Ecclesiae admitterentur; sacrificati vero et thurificati plenam poenitentiam agerent, priusquam pacem et communionem Ecclesiae adipiscerentur, nisi vitae periculum illius sine mora concedendae causam afferret. *Etiam Romam* scribit S. Cyprianus l. c., *super hac re scripsimus ad Cornelium collegam nostrum; qui et ipse cum plurimis coëpiscopis habito concilio, in eamdem nobiscum sententiam pari gravitate et salubri moderatione consensit.* Episcopi scilicet Africani epistolam cum Actis synodi Romam miserunt ad Cornelium Pontificem. Cornelius vero synodum habuit sexaginta episcoporum, in qua pro reconciliatione lapsorum easdem statuit regulas, de quibus Africani convenerant.

Schisma Novatiani.

33. Jam de schismate quod *Novatianus* Romae excitavit ea paucis referamus, quae ex scriptoribus illius aetatis colliguntur. Post mortem S. Fabiani, uti jam vidimus, res ecclesiasticas Romae administravit collegium presbyterorum, inter quos erat etiam Novatianus. Non infimo eum loco fuisse inde colligitur, quod auctor fuit epistolae Cleri Romani ad S. Cyprianum scriptae[1]), uti patet ex illis verbis S. Cypriani ad Antonianum (ep. 55 n. 3): *Additum est etiam Novatiano tunc scribente, et quod scrip-*

[1]) Epist. 30.

serat sua voce recitante, et presbytero Moyse tunc adhuc confessore, nunc jam martyre subsribente, ut lapsis infirmis et in exitu constitutis pax daretur. Certe inter primarios Collegii presbyterorum Novatianum fuisse, imo forte praesidem, ex his concludi potest. — In epistola Cornelii ad Fabium Antiochenum continetur, Novatianum antequam baptizatus esset a daemone vexatum fuisse. *Qui quidem,* scribit, *deinde, cum ei ab exorcistis subveniretur, in morbum gravissimum collapsus, ita ut jam moriturus existimaretur, in ipso lecto in quo jacebat perfusus (fidem) suscepit. . . . Sed neque postquam liberatus est a morbo, reliqua percepit quae secundum regulam Ecclesiae percipienda sunt, neque ab Episcopo consignatus est* (n. 4). De ejus ordinatione dicit: *Praeclarus ille vir Ecclesiam Dei dereliquit, in qua post susceptam fidem presbyterio cohonestatus est per gratiam et indulgentiam Episcopi, qui imponens ei manum ad presbyterii ordinem eum provexit. Intercedebat omnis clerus et multi ex laicis, eo quod non liceret eum, qui quemadmodum et ille in lectulo urgente morbo perfusus fuisset, in clerum aliquem assumi. Verum rogavit Episcopus, ut eum unum sibi ordinare permitteretur* (n. 6).

34. Ex his conjicere possumus, Novatianum Fabiano propter eloquentiam et ingenium suum acceptum fuisse, eo magis quod virtutem colere videretur. Post mortem Pontificis igitur magnas partes habuit in negotiis Ecclesiae administrandis. Initio quidem protestatus est jurejurando, se episcopatum haud ambire; non apparet, utrum id in moribus positum fuerit, an vero peculiares adfuerint rationes ejusmodi juramenti. *Vix credibile est, frater carissime,* scribit S. Cornelius, *quantam in eo varietatem et mutationem brevi temporis spatio factam conspexerimus. Nam egregius ille, qui tremendis quibusdam sacramentis fidem fecerat, sese episcopatum nequaquam concupiscere, repente episcopus tanquam ex machina aliqua in medium projectus apparet* (n. 2). Maxime ad ambiendum pontificatum instigatus fuit a *Novato* presbytero illo Carthaginensi, qui brevi ante electionem Romam venit. Novatiano, cujus ambitionem perspiciebat, sese adjunxit, et ficta virtutis severitate etiam plures Confessores ad partes ejus attraxit. Sed quum electio

fieret, Cornelius modo legitimo Pontifex creatus est[1]). De ipso S. Cyprianus ad Antonianum (ep. 55): *Quod Cornelium carissimum nostrum Deo et Christo et Ecclesiae ejus item consacerdotibus cunctis laudabili praedicatione commendat, non iste ad episcopatum subito pervenit, sed per omnia ecclesiastica officia promotus, et in divinis administrationibus Dominum saepe promeritus, ad sacerdotii fastigium cunctis religionis gradibus ascendit. Tum deinde episcopatum ipsum nec postulavit nec voluit, nec ut caeteri quos arrogantiae et superbiae suae tumor inflat, invasit; sed quietus et modestus, et quales esse consueverunt qui ad hunc locum divinitus eliguntur, pro pudore virginalis continentiae suae et pro humilitate ingenitae sibi et custoditae verecundiae, non, ut quidam, vim fecit, ut episcopus fieret, sed ipse vim passus est, ut episcopatum coactus exciperet. Et factus est episcopus a plurimis collegis nostris, qui tunc in urbe Roma aderant, qui ad nos litteras honorificas et laudabiles et testimonio suae praedicationis illustres de ejus ordinatione miserunt. Factus est autem Cornelius episcopus de Dei et Christi ejus judicio, de clericorum paene omnium testimonio, de plebis quae tunc affuit suffragio, et de sacerdotum antiquorum et bonorum virorum collegio: cum nemo ante se factus esset, cum Fabiani locus, id est cum locus Petri et gradus cathedrae sacerdotalis vacaret.*

35. Novatianus aegerrime tulit, quod ad pontificatum non pervenisset, atque ipse et qui partes ejus tenebant, varia convicia in Cornelium conjecerunt, inter alia, quod cum libellaticis aliisque lapsis communicaret; imo videntur eum accusasse, quod ipse libellaticus esset. Scribit S. Cyprianus l. c.: *Quod autem quaedam de illo inhonesta et maligna jactantur, nolo mireris, cum scias hoc esse opus semper diaboli, ut servos Dei mendacio laceret et opinionibus falsis gloriosum nomen infamet, ut qui conscientiae suae luce clarescunt, alienis rumoribus sordidentur. Explorasse autem collegas nostros scias et verissime comperisse, nulla illum libelli, ut quidam jactitant, labe maculatum esse, sed*

---

[1]) Facta videtur electio mense Aprili. — V. Fechtrup l. c. p. 107.

neque cum episcopis qui sacrificaverunt communicationem sacrilegam miscuisse, sed eos demum quorum causa audita et innocentia comprobata est, conjunxisse nobiscum. Novatiani partes tenuerunt quinque presbyteri, et varii Confessores ab ipso seducti sunt.

36. Instigante autem Novato ulterius progressus Novatianus brevi post electionem Cornelii, factione ejus consentiente, se ipsum in episcopum ordinari curavit. Qua de re ita S. Cornelius ad Fabium: *Ille dogmatum conditor et ecclesiasticae disciplinae propugnator, cum episcopatum sibi a Deo minime concessum praeter fas arrogare atque subripere conaretur, duos sibi socios deploratae salutis delegit, quos in exiguam et vilissimam Italiae partem destinaret, ut inde accitos episcopos tres, homines plane rudes ac simplices, fraudulenta quadam molitione deciperet, affirmans atque constanter asseverans, ipsos quam primum Romam proficisci oportere, ut omnis undecumque orta discordia ipsorum una cum aliis episcopis interventu sedaretur. Qui cum advenissent, homines ut jam diximus simplicioris ingenii nec in his perditorum artibus ac fallaciis satis triti, eos ille a quibusdam sui similibus quos ad id comparaverat, inclusos, hora decima temulentos et crapula oppressos, imaginaria quadam et varia manuum impositione episcopatum sibi tradere per vim coëgit; eumque cum nullo sibi competat jure, per insidias atque fraudem vindicat* (n. 2).

37. Quum haec evenissent et Novatianus se antipapam constituisset, magno cum vigore opus nequissimum prosecutus est, et graves molestias Cornelio attulit. Tum litteris scriptis tum legatis missis conatus est in longinquis etiam dioecesibus schismatis sui sectatores sibi comparare, atque hominibus incautis persuadere, se legitime in pontificem electum fuisse. Imo eousque scelus Novatiani pervenit, ut cum schismatis sui sociis Eucharistiam ministraret, eos per sanctissimum Christi corpus et sanguinem ad jurandum adigeret, in schismate se esse permansuros et ad Cornelium nunquam redituros. Hac de re S. Cornelius ad Fabium: *Oblationibus factis portionem singulis dividens, dum eam tradit, miseros homines benedictionis loco*

jurare cogit, manus ejus qui portionem accepit ambabus manibus suis comprehensas retinens, nec prius dimittens, quam jurati ista dixerint, (ipsis enim utar illius verbis): Jura mihi per corpus et sanguinem Domini nostri Jesu Christi, te nunquam partes meas deserturum nec ad Cornelium amplius reversurum. Et miser homo non prius gustat, quam sibi ipse malum imprecatus sit. Et cum panem illum accipiens dicere debuisset, Amen, ejus loco dicit: Non revertar deinceps ad Cornelium (n. 7). Operae pretium etiam est hic notare ea, quae S. Cornelius dicit de ecclesiae Romanae amplitudine. *Ille ergo Evangelii vindex,* scribit, *ignorabat, unum episcopum esse oportere in ecclesia catholica, in qua ei non latebat, (quomodo enim latere posset?) presbyteros esse quadraginta sex, diaconos septem, subdiaconos septem, acolythos duos et quadraginta, exorcistas autem et lectores cum ostiariis quinquaginta duos, viduas cum thlibomenis plus mille quingentas. Quibus universis Domini gratia et benignitas alimenta suppeditat. Neque tamen tanta tamque necessaria* (ἀναγκαῖον, indigens) *in ecclesia multitudo, tam ingens numerus divinae providentiae copiis opulentus et abundans, cum immenso atque innumerabili populo ab hujusmodi desperatione et audacia eum deterruit et ad ecclesiam revocavit* (n. 3). Ex his inferunt eruditi, quinquaginta millia circiter fuisse fideles ecclesiae Romanae; videtur nobis multitudo fidelium etiam amplior fuisse, ob ingentem numerum servorum in familiis nobilibus.

38. Ad exstinguendum gravissimum illud Novatiani schisma, quo tantopere Ecclesia perturbabatur, praeter S. Cornelium, Dionysius episcopus Alexandrinus et maxime S. Cyprianus operam contulerunt. Cypriani studio imprimis tribuendum est, Confessores variosque alios qui Novatiano adhaeserant, illo relicto, veniam flagitantes reversos esse. Scripsit ea in causa S. Cyprianus varias epistolas easque praeclaras, ac celebre opusculum *de Unitate Ecclesiae,* quod ad Confessores Romanos transmisit; synodo vero a. 251 Carthagine habita, Cypriano praeside, Cornelii electio agnita et confirmata est. Sic illud teterrimum schisma haud late propagatum est; attamen etiam Nova-

tiano jam mortuo homines, qui ad factionem ejus pertinebant, in plures sectas divisi diu posterioribus temporibus perdurarunt, ut ex Hieronymi, Eusebii et Paciani scriptis constat.

39. Schismati autem Novatiano etiam errores contra fidem adjuncti fuerunt. Novatianus ipse negavit (cum Novato), lapsis in Decii persecutione ab Ecclesia veniam et peccati remissionem concedi posse. Antea tamen ipse nomine cleri Romani praeclare de quaestione lapsorum ad S. Cyprianum scripserat; Novatus vero etiam laxiorem sententiam Carthagine contra Cyprianum propugnasse videtur. Disciplui Novatiani erroribus pseudomagistri sui plures alios addiderunt. Eo videlicet processerunt, ut Ecclesiae negarent potestatem remittendi ullum peccatum gravius seu mortale post baptismum commissum, contenderentque, graviorum peccatorum reos post baptismum ab Ecclesiae communione in perpetuum esse excludendos. Hunc errorem illis exprobat S. Epiphanius Haeres. 59, eumque haud obscure significat Asclepiades episcopus Novatianorum, dum apud Socratem, H. E. l. VIII. c. 25, ad Atticum episcopum Constantinopolitanum scribit: *Sunt et alia multa peccata ad mortem, ut loquuntur Scripturae, propter quae vos quidem clericos, nos vero etiam laicos a communione removemus, soli Deo potestatem condonandi illis relinquentes.* Praeter haec Novatiani secundas nuptias damnarunt, et qui societatis suae, quam *Catharorum* appellabant, hoc est hominum singulari munditia praestantium, participes fieri volebant, eos novo baptismo purgari debere contendebant.[1]) Novitianorum errores.

40. Diximus superius, Neoprotestantes hujus temporis ausos fuisse, ut rebellionem et apostasiam suam palliarent, provocare ad *doctrinas et gesta S. Cypriani,* quatenus ad unitatem Ecclesiae et Romani Pontificis primatum et potestatem referuntur. Hac de re igitur jam accuratius agemus, eamdemque quaestionem prosequemur, dum con- Cypriani doctrina.

---

[1]) Cfr. Wouters, Dissert. t. I. Dissert. VIII. — Palma, Praelect. t. I. cap. XXI.

troversiam de rebaptizandis haereticis exponemus. Quamvis autem illorum sectariorum res in dies magis magisque concidant, explicatio tamen doctrinae S. Cypriani admodum utilis est, tum propter insignem auctoritatem hujus Patris, tum quod passim auctores protestantes, falsa interpretatione eadem abusi sint, ut Ecclesiae catholicae dogmata impeterent.[1]) — *Apud Cyprianum*, contendit Reinkens, *invenitur doctrina decisiva de autonomia absoluta et illimitata cujusque ecclesiae particularis, sive episcopi qui ipsam repraesentat.*[2]) *Ubicumque necessitas unitatis inculcatur, salusque animarum ab ea dependere asseritur, intelligitur unitas cujusque ecclesiae in se ipsa, haud vero unitas corporativa universalis ecclesiae. . . Similiter, quando eam ideam ecclesiae evolvit, ut forma quadam juridica ipsa sit una, semper de singulari ecclesia loquitur.*[3]) *Doctrina Cypriani eo continetur, singulum quemque episcopum cum sua ecclesia formare unum corpus juridicum; haud existere episcopum universalem, episcopum episcoporum, qui habeat jurisdictionem in singulas ecclesias; unitatem vero ecclesiae universalis esse tantummodo unitatem concordiae et caritatis.*

---

[1]) Cfr. e. g. Dodwel, Dissertatio Cyprianica VII ad epistolam XXVII. *De Episcopo Unitatis principio, et S. Petri in Apostolos primatu unitatis exemplari: Et quam solide utrobique argumentetur Cyprianus.* Dissertationes Cyprianicae Dodwelli inveniuntur additae Editioni Opp. Cypriani factae per Jo. Fellum Oxoniensem. — Doctrinam S. Cypriani praeclare expositam et vindicatam vide ap. Fl. Riess, Der hl. Cyprian und die Altkatholiken seiner Zeit. Stimmen aus Maria Laach, l. c.

[2]) „Die entscheidende Lehre von der unbedingten und unbeschränkten juristischen Selbstständigkeit jeder Einzelgemeinde, beziehungsweise ihres Repräsentanten, des Bischofs.“ Die Lehre des hl. Cyprian etc. S. 45.

[3]) „In der berühmten Schrift über die Einheit der katholischen Kirche ist fast ausschliesslich von der Einheit der *Einzelgemeinde*, von dem Frieden innerhalb Einer Diöcese, wie wir jetzt sagen würden, die Rede. Ja überall, wo die Einheit im prägnanten Sinne betont und das Heil der Seelen von derselben abhängig gemacht wird, ist *nur die Einheit der Gemeinde in sich*, nicht aber die corporative Einheit der Gesammtkirche gemeint. . . Ebenso ist, wo der Gedanke an die Einheit eine juristische Form, oder, man möchte sagen Schattirung annimmt, wo nur ein Schein der juridischen Betrachtungsweise sich zeigt, stets die Einzelgemeinde in Betracht gezogen.“ Ibidem S. 3.

Nihil apud Cyprianum de jure supposito appellationis, ac nihil quo intinuatur, provinciam ecclesiasticam Carthaginis Romae subordinatam esse[1]).

41. Nil profecto magis contrarium est verae sententiae Cypriani, sed incredibili audacia ista ab illo auctore eidem supponuntur. Alienae quippe fidei facile fit dominus, quicumque dominus est frontis suae. — Sed jam accuratius S. Cypriani doctrinam exponamus. Scripsit opusculum *De unitate Ecclesiae* S. Cyprianus maxime eo scopo, ut Confessores Romanos ad subjectionem S. Cornelio praestandam moveret, et a schismate per Novatianum excitato eos avocaret. Huic scopo respondet, quod multis agat de unitate et concordia fidelium cujusque particularis ecclesiae cum episcopo. Attamen nonnisi inde a capite octavo de hac unitate tractat; quae praecedunt spectant unitatem visibilem Ecclesiae universalis. Eam vero exhibet Cyprianus expressis verbis ut ortam ex primatu Petri et successorum ejus. Schismata ipse dicit oriri, *dum ad veritatis originem non reditur, nec caput quaeritur, nec magistri coelestis doctrina servatur.* Dein vero hisce unitatem a Christo fundatam ostendit: *Quae si quis consideret et examinet,* Textus praecipuus. *tractatu longo atque argumentis opus non est. Probatio est ad fidem facilis compendio veritatis. Loquitur Dominus ad Petrum: Ego tibi dico, inquit, quia tu es Petrus, et super hanc petram aedificabo Ecclesiam meam, et portae inferorum non vincent eam. Et tibi dabo claves regni coelorum, et quae ligaveris super terram erunt ligata et in coelis. Et iterum eidem post resurrectionem suam dicit: Pasce oves meas. Super illum unum aedificat Ecclesiam suam, et illi pascendas mandat oves suas. Et quamvis Apostolis omnibus post resurrectionem suam parem potestatem tribuat, et dicat: Sicut misit me Pater, et ego mitto vos; accipite Spiritum Sanctum, si cujus remiseritis peccata, remittentur illi, si cujus tenueritis, tenebuntur; tamen ut unitatem manifestaret, unitatis ejusdem originem ab uno incipientem, sua auctoritate dis-*

[1]) Vide l. c. §. 5. Die collegialische Einheit S. 49. — §. 6. Die Einheit der Gesammtkirche ist ihrer Natur nach Concordia oder Einmüthigkeit. — Ausschreiben vom 14. Dezember 1873.

posuit. Hoc erant utique et caeteri Apostoli, quod fuit Petrus, pari consortio praediti honoris et potestatis, sed exordium ab unitate proficiscitur, (et primatus Petro datur, ut una Christi Ecclesia et cathedra una monstretur. Et pastores sunt omnes, et grex unus ostenditur, qui ab Apostolis omnibus unanimi consensione pascatur, ut Ecclesia Christi una monstretur). Quam unam Ecclesiam etiam in Cantico canticorum Spiritus Sanctus ex persona Domini designat, et dicit: Una est columba mea, perfecta mea, una est matri suae, electa genitrici suae. Hanc Ecclesiae unitatem qui non tenet, tenere se fidem credit? Qui Ecclesiae renititur et resistit, (qui cathedram Petri, super quam fundata est Ecclesia, deserit), in Ecclesia se esse confidit? quando et beatus Apostolus Paulus hoc idem doceat et sacramentum unitatis ostendat dicens: Unum corpus et unus spiritus, una spes vocationis vestrae, unus Dominus, una fides, unum baptisma, unus Deus[1]).

42. Haec manifeste ostendunt, ex S. Cypriano *principium unitatis* universae Ecclesiae esse Petrum ejusque successores. — Quoad ecclesias particulares frequenter ipse docet, earum unitatem prodire ab episcopo, cui clerus atque fideles adhaerere debent. *Illi* inquit, *sunt ecclesia: plebs sacerdoti adunata et pastori suo grex adhaerens. Unde scire debes, episcopum in ecclesia esse et ecclesiam in episcopo, et si qui cum episcopo non sint, in ecclesia non esse*[2]). Sed unitas praeterea adest *sacerdotalis* universae Ecclesiae, uti condita est a Christo *una Ecclesia per totum mundum in multa membra divisa, ita etiam episcopatus unus, episcoporum multorum concordi numerositate diffusus*[3]). Atque ex-

[1]) De unitate Ecclesiae c. 3. — Sunt qui contendunt, celebrem hunc locum esse interpolatum, cum ex marginalibus summulis paulatim plura in contextum irrepserint. Hujusmodi sunt ea quae parenthesibus notavimus. Interpolata plura esse. probabile censet Kellner, Verfassung, Lehramt etc. p. 42; vix admittit Hurter, Opusc. Patrum t. I. p. 72 nota. Sufficiat (cum Marano in praef. ad opp. S. Cypriani §. 3. animadvertere, si ea quae a quibusdam expunguntur retineantur, nihil affuturum quod non cum Cypriani doctrina optime quadret. Sin autem recidantur, ex reliquis testimonii partibus primatum ecclesiae Romanae plane evinci. — Vide etiam Peters, Cyprian etc. B. III c. 4. p. 263 sqq.

[2]) Ep. 66. n. 8. [3]) Ep. 55.

textu superius citato patet, Cyprianum concipere ut radicem centrum, cimentum et principium hujus unitatis Petrum et qui in cathedra ejus succedunt[1]).

43. Nam *cathedram Petri ut perennem* a Cypriano considerari, ex luculentis testimoniis patet. Ita in epistola ad Antonianum (55): *Cornelius factus est episcopus, cum Fabiani locus, id est cum locus Petri vacaret.* Et ad Cornelium scribit: *Post ista adhuc insuper pseudoepiscopo sibi constituto, navigare audent et ad Petri cathedram atque ad ecclesiam principalem, unde unitas sacerdotalis exorta est, a schismaticis et profanis litteras ferre, nec cogitare, eos esse Romanos, quorum fides Apostolo praedicante laudata est, ad quos perfidia non possit habere accessum* (Ep. 59). Petri cathedra perseverans igitur ipsi est principium unitatis episcoporum. Nam dum audaciam schismaticorum arguit, quod ad cathedram Petri navigent unde sacerdotalis unitas exorta est, non solum factum historicum refert, sed factum cum jure unitum, et proprietatem hujus cathedrae exprimit. Romanae Sedi hic etiam *inerrantiam* tribuit, dum dicit, *perfidiam* ad Romanos non posse habere accessum. Perfidia enim apud S. Cyprianum non est proditio fidelitatis in servandis promissis, sed *falsa, perversa fides,* uti ex locis parallelis colligitur[2]).

Cathedra Petri.

44. Romanam porro ecclesiam Ecclesiae catholicae *radicem et matricem* dicit ad Cornelium (ep. 48) scribens: *Nos enim singulis navigantibus, ne cum scandalo ullo navigarent, rationem reddentes, scimus nos hortatos eos esse, ut*

---

[1]) Idem S. Cyprianus paucis exprimit in epistola ad Januarium, (ep. 70 n. 3): „Una Ecclesia a Christo Domino super Petrum origine unitatis et ratione, (causa efficiente et continente), fundata.“ Cfr. etiam verba epistolae ad Jubajanum (ep. 73. n. 6.) quae inferius citantur.

[2]) Sic de unitate Eccl. c. 3: „Diabolus transfigurat se velut angelum lucis, et ministros suos subornat velut ministros justitiae, asserentes noctem pro die, interitum pro salute, desperationem sub obtentu spei, *perfidiam* sub praetextu fidei, antichristum sub vocabulo Christi, ut dum verisimilia mentiuntur, veritatem subtilitate frustrentur.“ Ac de lapsis: „Non fides congressu cecidit, sed congressionem perfidia praevenit.“ Vide supra n. 21.

Ecclesiae catholicae radicem et matricem agnoscerent ac tenerent. Sed quoniam latius fusa est nostra provincia, habet enim Numidiam et Mauritaniam sibi cohaerentes, ne in Urbe schisma factum absentium animos incerta opinione confunderet, placuit, ut per episcopos, retenta a nobis rei veritate et ad comprobandam ordinationem tuam facta auctoritate majore, tunc demum scrupulo omni de singulorum pectoribus excusso, per omnes omnino in provincia ista positos litterae fierent, sicuti fiunt, ut te universi collegae nostri et communicationem tuam, id est Ecclesiae catholicae unitatem pariter et caritatem probarent firmiter et tenerent. Necessarium videlicet censuit Cyprianus, ut omnes adhaererent ecclesiae Romanae, unitatis matrici et radici, adeoque ut, simulatque constabat de legitima constitutione Cornelii Pontificis, ipsius tenerent communicationem et hoc ipso catholicae Ecclesiae unitatem. Similia habentur in epistola (55) ad Antonianum; atque ex epistolis a Cypriano et Firmiliano scriptis in controversia de rebaptizandis haereticis pariter colligitur, primatum Sedis Romanae ab ipsis agnitum fuisse.

Diluuntur objecta.

45. Ut textum citatum superius ex libro *De unitate Ecclesiae* contra haereticorum cavillationes perfidas ulterius vindicemus, animadvertendum est, verba illa: *Hoc erant utique et caeteri Apostoli quod fuit Petrus, pari consortio praediti honoris et potestatis,* nullatenus primatui opponi. Cyprianus his nequaquam docet, Christum unitatem illam initio constitutam dein ampliasse in multiplicitatem superiorum aequalis auctoritatis. Sed hisce urget unitatis constitutae factum certissimum et necessitatem, cui voluit Dominus providere, quamvis omnes Apostoli ab ipso apostolatum suum et missionem haberent. Hoc loco autem *praecise de Apostolis* agitur, neque quae ad hos spectant sine restrictione ad episcopos posteriorum temporum referri possunt. — Respicit Cyprianus Apostolos quoad *missionem et dignitatem Apostolatus,* et quoad ista dicit eos praeditos *pari consortio honoris et potestatis.* Haec vero non obsunt illi dignitati et auctoritati, qua Petrus insignitus fuit, ut esset *principium* unitatis et totius Ecclesiae

fundamentum et *caput.*[1]) Nihil hac in re mutatum concipi a Cypriano per Apostolorum missionem et potestatem illis traditam, etiam exprimitur eo modo, quo ipse loquitur alio loco, ep. 73 ad Jubajanum. *Manifestum est autem*, inquit, *ubi et per quos remissa peccatorum dari possit, quae in baptismo scilicet datur. Nam Petro primum Dominus, super quem aedificavit Ecclesiam, et unde unitatis originem instituit et ostendit, potestatem istam dedit, ut id solveretur in coelis, quod ille solvisset in terris. Et post resurrectionem quoque ad Apostolos loquitur dicens: Sicut misit me Pater, et ego mitto vos. Hoc cum dixisset, inspiravit, et ait illis: Accipite Spiritum Sanctum. Si cujus remiseritis peccata, remittentur illi, si cujus tenueritis, tenebuntur.* Remanet sane Petrus fundamentum Ecclesiae, unitatisque principium et origo, dum reliquis Apostolis quoque missio et potestas remittendi peccata confertur.

46. S. Cyprianus igitur primum de unitate universalis Ecclesiae agens (*De unit. eccl.* c. 1—8), dein ex eadem etiam unitatem ecclesiarum particularium deducit et amplificat. Vides proinde, quam insulsa sit illa adversarii assertio, dum contendit, a S. Cypriano tantum ecclesiarum particularium unitatem commendari. *Crederes,* inquit, *profecto, ex unitate ecclesiarum particularium exsurgere unitatem Ecclesiae universalis, qualitatem et proprietatem essentialem illarum etiam huic convenire. Id quidem rationi et logicae consentaneum esset, sed Cyprianus eam consequentiam non intulit etc.*[2]). Profecto non ipsi *inferenda*

---

[1]) Apprime id exponit S. Leo M. in epistola (14) ad Anastasium episcopum Thessalonicensem et Sedis Apostolicae vicarium. „Connexio, scribit, totius quidem corporis unanimitatem requirit, sed praecipue exigit concordiam sacerdotum. Quibus cum dignitas sit communis, non est tamen ordo generalis: quoniam et inter beatissimos Apostolos *in similitudine honoris* fuit quaedam *discretio potestatis,* et quum omnium *par* esset *electio, uni* tamen datum est, ut *caeteris praeemineret.* De qua forma episcoporum quoque orta est distinctio.“

[2]) „Man sollte freilich meinen, aus der Einheit der Einzelkirche erbaue sich die Einheit der Gesammtkirche, die Qualität, die wesentliche Beschaffenheit der einen, sei die der andern. Vernünftig, logisch wäre dies. Aber Cyprian hat diese Consequenz nicht gezogen. Im Widerspruch befindet er sich, das ist nicht zu leugnen.“ L. c. S. 3.

erat haec unitas Ecclesiae universalis, quia eam ab exordio proponens et ex Scriptura vindicans, inde ad unitatem ecclesiarum particularium progreditur. Ex Cypriano is qui in particulari ecclesia rebellionem instituit, etiam universalis Ecclesiae unitatem laedit. Nam *episcopatus unus est* (unitas sacerdotalis), *cujus a singulis in solidum pars tenetur* (c. 5). Sic omne schisma etiam in particulari ecclesia scindit unitatem universalem.

47. Textum praecipuum superius allatum dein Reinkens miro modo contorquet et explicat. *Cypriano,* inquit, *Petrus non est unitatis centrum, ac multo minus unitatis principium, sed symbolum illius Christi doctrinae, ecclesiam particularem esse unam in se, atque hanc unitatem manifestandam esse per unum episcopum legitime electum*[2]). Cyprianus igitur eo textu tantum probat, Christum docuisse, unitatem ecclesiae particularis esse essentialem, eumdemque hanc doctrinam illustrasse per verba ad Petrum directa. — Haec sensus contorsio plane repugnat ipsis verbis textus. S. Cyprianus ibidem advertit, omnes fallacias sectariorum facile et paucis destrui, si attendatur ad id quod Christus fecerit et docuerit. Jam vero Christus Petrum constituit *ut fundamentum Ecclesiae;* et ut unitatem manifestaret, ut exequeretur et ostenderet decretum suum de unitate Ecclesiae, unitatis ejusdem originem ab uno incipientem sua auctoritate disposuit. Patet *manifestare* unitatem hic significare, Christum ostendisse, *se velle unitatem Ecclesiae, per ipsam institutionem unius, qui esset unitatis principium et origo* per summam auctoritatem ei commissam. Ita etiam in epist. 73 Cyprianus dicit de Petro: *super quem Dominus aedificavit Ecclesiam, et unde unitatis originem instituit et ostendit.* Eatenus quidem Petrus *physice unus,* potest haberi etiam ut symbolum vel representans *unitatis moralis* totius Ecclesiae, quatenus ipse

---

[1]) Nicht das Centrum, und noch weniger das Princip der Einheit der ganzen Kirche ist Petrus für Cyprian, sondern das Symbol für die Lehre Christi, dass die Einzelkirche in sich Eins sei, und diese Einheit durch ihren Einen legitim gewählten Bischof zur Anschauung bringe. L. c. S. 9.

unus per auctoritatem ei datam constituitur ut principium et origo illius *unitatis moralis.* Absurde porro asseritur, haud agi hoc loco de unitate Ecclesiae universalis. Evidenter enim eo pertinet disputatio S. Cypriani, ut ostendat, inde ab initio a Christo unitatem Ecclesiae totius per electionem Petri conditam fuisse, eamque debere omnes tenere. *Hanc,* inquit, *Ecclesiae unitatem qui non tenet, tenere se fidem credit? Qui Ecclesiae renititur et resistit, in Ecclesia se esse credit?*

48. Dum adversarius asserit, ex Cypriano per verba Domini ad Petrum directa tantum ob oculos poni Christi *doctrinam,* de *unitate in ecclesia particulari* observanda, textui vim infert. Verba enim: *Loquitur Dominus ad Petrum* etc. propterea afferuntur, ut *lex* et *institutio* Christi *auctoritativa* exprimatur, doctrina vero ejus, quatenus hac ipsa lege et actu auctoritatis continetur. Numquid illa, *super unum aedificavit,* et *unitatis ejusdem originem ab uno incipientem sua auctoritate disposuit,* meram doctrinam sonant, qua necessitatem unitatis Dominus tantum repraesentaret? *Origo unitatis* est ipsum principium reale unitatis, eodemque haec locutio pertinet, quo appellatio *fundamenti* super quod Ecclesia aedificata est. Rem etiam comparationibus dein Cyprianus illustrat (c. 5 sqq.). *Quomodo,* ait, inter alia, *solis multi radii, sed lumen unum; et rami arboris multi, sed robur unum tenaci radice fundatum; et cum de fonte uno rivi plurimi defluunt, numerositas licet diffusa videatur exundantis copiae largitate, unitas tamen servatur in origine*[1]. Dum haec consideras, (robur arboris unum *tenaci radice fundatum*), facile vides, Cypriano originem unitatis non esse merum *initium,* post quod dein multiplicitas sequitur, sed verum *principium* unitatis. *Secundarie* profecto etiam ad hoc attendi potest, quod in *exordio* habeatur unitas, et ita, eam semper servandam esse, estendatur.

49. Improbo labore Reinkens duplici argumento con-

[1]) De his comparationibus Reinkens prudenter tacet, vel ita de iis agit, ut quo pertineant haud appareat.

firmare nititur, ea, quae a Cypriano de Petro afferuntur, ad *significationem* et *agnitionem* unitatis accurate limitari. Nullo modo imprimis, ait, ex Cypriano *Petrus ad unitatem Ecclesiae refertur per aliquod privilegium dignitatis vel jurisdictionis prae caeteris Apostolis. Nullus enim Apostolorum a Petro, ut supposito fonte potestatis ecclesiasticae, honorem suum et potestatem derivat*; *omnes possident haereditatem indivisam* (consortium) *pari ratione plene et immediate a Christo.*[1]) Respondemus, S. Cyprianum haud in eo esse, ut accuratius determinet habitum reliquorum Apostolorum ad primatum Petri. Sed ea quae de Apostolis animadvertit eo pertinent, ut confirmetur, quanti momenti sit institutio unitatis, et quam luculenter ejus necessitas sit per Christi facta manifestata. Videlicet, quamvis Christus honorem et potestatem Apostolatus postea immediate etiam reliquis Apostolis contulerit, tamen voluit selecto Petro unitatem fundare; et haec dispositio per missionem reliquorum nullatenus immutata est. Arbitrario modo autem vox illa *consortium* honoris et potestatis ita exponitur, ac si omnes indivisam haereditatem jurium sub quocumque respectu a Christo acceperint, nullusque dignitatem et auctoritatem primatus habuerit.

50. *Secundo*, inquit Reinkens, *significationem* (Bedeutung) *Petri quoad unitatem Ecclesiae limitat Cyprianus allata doctrina S. Pauli; animadvertens, ex Paulo sacramentum (mysterium) esse unitatem Ecclesiae, adeoque aliquid internum, quod sane per Petrum constitui nequit. In descriptione Paulina manifestationis unitatis, deest plane Petrus; hoc sufficit. A Cypriano igitur nullatenus Petrus affertur, ac si ipse principium quoddam essentiale esset unitatis Ecclesiae*[1]).

---

[1]) „Erstens weist er auf das entschiedenste die Vorstellung ab, als ob Petrus eine Beziehung zur Einheit der Kirche habe durch einen Vorrang der Würde oder der Rechtsgewalt vor den übrigen Aposteln. . . . Keiner der Apostel leitet von Petrus als dem angeblichem Quell der kirchlichen Gewalt seine Ehre und Macht her; sie alle besitzen das ungetheilte Erbe (consortium) in gleicher Weise ganz und unmittelbar von Christus. L. c. S. 8.

[2]) „Zweitens aber beschränkt der hl. Cyprian die Bedeutung des Petrus für die Einheit der Kirche durch den Hinweis auf die Lehre

— Haec argumentatio est valde inepta. Potest quis sane loqui de *sacramento unitatis,* quin inde sequatur, ab ipso non admitti principia et signa externa hujus unitatis, ut unitatis etiam visibilis. Nonne ipse Apostolus *unum baptisma* commemorat, et alia quae externe se produnt? nonne etiam principium externum unitatis, uti est persona Petri capitis Ecclesiae, internos effectus producere potest? Quid vero, quod Paulus textu illo loquens de unitate Ecclesiae non commemorat Petrum ejusque primatum? Numquid ex illo loco unice tota doctrina de unitate Ecclesiae determinatur? Sane Cyprianus textum Pauli afferens ostendit, ab ipso Petrum non haberi ut principium unitatis Ecclesiae! Talia refutatione non indigent.

51. Miro dein modo se torquet Reinkens, ut explicet propositionem illam claram, ipsi vero valde incommodam: *Unitatis ejusdem originem ab uno incipientem sua auctoritate disposuit.* Hac propositione Cyprianus, postquam verba Domini ad Petrum retulit, evidenter significat, dispositione et auctoritate Christi ex Petro esse unitatis *originem,* adeoque hunc per potestatem ipsi communicatam esse fontem, principium, centrum unitatis. Sed cave ne ita rem intelligas. „*Si quis,* inquit ille scriptor, *vellet urgere illam phrasim „origo unitatis ex uno", et eo sensu exponere, Petrum esse unitatis fontem ex quo illa uti ex causa dimanet, facile ejus opinio corrigetur, dummodo haec animadvertuntur. Significatio vocis „origo" jam ex praedicato adjecto incipiens, declaratur; omnino autem determinatur eo, quod Cyprianus propositione sequente expressionem mutat dicens: „Exordium incipit ab unitate (numerica)." Id nihil aliud significare potest nisi: Ecclesia ut una incipit uno in puncto, non vero in communitate divisa. Proinde verba illa, Christum disposuisse, ut Ecclesia tanquam una*

---

des Apostels Paulus, indem er hervorhebt, dass die Einheit „ein Geheimniss", also in ihrem Wesen etwas Innerliches sei, was demnach durch Petrus nicht bestimmt werden kann. In der paulinischen Darstellung fehlt Petrus; das ist genug. Die Bedeutung des Petrus hat folglich nach der Auffassung Cyprians mit dem Princip und Wesen der Kircheneinheit nichts zu thun." L. c. S. 9.

incipiat ab uno, nullatenus referenda sunt ad causam, principium, essentiam, unitatis. Brevi, vox „origo" explicanda est per vocem „exordium", videlicet exponenda est de tempore, non vero de causa[1]). — Sensum verum verborum S. Cypriani jam superius determinavimus, consideratis etiam locis parallelis. Quae vero hac in re Reinkens profert, nihil aliud sunt nisi cavillatio sophistica, qua Cypriani sententiam contorquere studet. Verba *originem unitatis ab uno incipientem*, aequiparat illis *exordium ab unitate proficiscitur.* Sed profecto haud eadem sunt verba. In prima propositione agitur de origine *unitatis,* in altera de exordio *Ecclesiae;* haec enim vox manifeste supplenda est. Qua ratione vero intelligenda sit illa *origo unitatis,* maxime colligitur ex verbis ad Petrum directis quae a Cypriano citantur, et dispositionem auctoritativam seu legem Christi continent. Conceptus quidem et sententiae Cypriani de unitate Ecclesiae ubertate quadam abundant, et plura involvunt. Ita etiam illud ejus conceptus complectitur, quod ab *uno* numerice capite constituto unitas moralis Ecclesiae dimanet, et incipiat tum haec unitas tum *ipsa Ecclesia.* Hoc adsignificatur impeditiori ratione loquendi, dum dicitur origo unitatis *incipit* ab uno; et postea idem exprimitur illis verbis *exordium ab unitate proficiscitur.* Sed ex eo, quod hoc elementum in sententiis Cypriani contineatur et per praedicatum *incipiens* denotetur, nullatenus licet propositionem caeteroquin claram sophistica ratione ad hoc unum constringere et limitare[2]). Vel ex ipsis verbis: Christus *auctoritate sua disposuit* originem ejusdem unitatis ab uno incipientem, confirmatur, omnino primario

[1]) L. c. S. 9 und 10.

[2]) Cyprianus, uti diximus, propositionibus suis identidem multa involvit. Id ex parte, quamvis non eodem gradu, commune habet cum Tertulliano, cujus opera ut *magistri* teste S. Hieronymo quotidie legebat. *Vidi ego,* inquit S. Hieronymus, *quemdam Paulum Concordiae, quod oppidum Italiae est, senem qui se Beati Cypriani jam grandis aetatis notarium, quum ipse admodum esset adolescens Romae vidisse diceret, referreque sibi solitum, nunquam Cyprianum absque Tertulliani lectione unam diem praeteriisse, ac sibi crebro dicere: Da magistrum, Tertullianum videlicet significans.* Catal. Script. eccl. c. 67.

de *causa et principio* unitatis hic agi. Illustratur sane S. Cypriani sententia ex verbis in epistola ad Januarium jam citatis: *Una Ecclesia a Christo Domino super Petrum origine unitatis et ratione fundata.* Patet enim, Cyprianum hic causam efficientem et rationem continentem unitatis Ecclesiae in eo ponere, quod ipsa super Petrum fundata sit.[1])

52. Vix operae pretium est respondere, dum Neoprotestantes ex forma loquendi familiari, qua S. Cyprianus Pontificem Romanum *fratrem* et *collegam* appellat, quaque generatim in epistolis ad Cornelium et Stephanum utitur, inferre volunt, nullam ea aetate potestatis et auctoritatis differentiam quoad episcopos agnitam fuisse. Talia ex usu antiquitatis christianae, et ex more quo tanquam unam magnam *familiam* sese fideles considerabant, explicantur. Inde formae loquendi caritatis magis quam auctoritatis prae se ferunt characterem, magisque illa fraternitas, qua episcopi ut tales inter se jungebantur, exprimitur, quam subordinatio et auctoritas. Ita episcopus quoque relate ad clerum, imo etiam quoad laicos, se in *forma loquendi* potius exhibet ut *patrem familias,* quam ut superiorem obedientiam exigentem. Appellatio *fratrum* etiam inter episcopos et presbyteros adhibetur; imo Cyprianus in sua epistola ad Florentium Pupianum (de Obtrectatoribus ep. 66) hunc virum laicum, hominem levem ipsi oppositum, fratrem appellat. Quod vero ad *rem* attinet, si de potestate et jure episcopi agitur, Cyprianus auctoritatem et jura sua non tantum suaviter, sed fortiter et magno vigore defendit. Episcopum praepositum esse omnibus ecclesiae fidelibus, ac nemini eorum sed soli Christo rationem de suis actis debere, Cyprianus identidem asserit, atque hoc vel ipsum pseudoepiscopum Reinkens ita pungit, ut *despotismum absolutum* his principiis contineri clamet[2]).

Appellatio fratris.

53. Sed multis adversarius, ut disciplinam ecclesiasticam nostri temporis traducat, evehit *participationem et*

[1]) Vide Fl. Riess, Laacher Stimmen l. c. — Ex dictis refelluntur eitiam ea quae habet Dodwell, Dissert. Cyprian. VII.

[2]) L. c., S. 16.

Electio Episcoporum.

suffragium plebis fidelis in electione episcoporum et in administratione ecclesiastica. — Quod attinet ad illud suffragium in electione episcoporum, ex ipsis epistolis S. Cypriani clare colligitur, haud suffragium positivum et definitivum electionis plebi fideli convenisse; sed *testimonium quoddam de dignitate personae,* et declarationem, quod grata esset electio. Ita in epistola 55 ad Antonianum, in qua agitur de electione S. Cornelii Pontificis, hanc inde commendat Cyprianus, quod cum Cornelius eligeretur, adfuerit etiam populi testificatio de ejusdem vitae integritate et ad pontificatum consequendum merito, quodque populus ostenderit, sibi gratam omnino esse Cornelii electionem. Electio autem ipsa fiebat per episcopos et clerum. — In epistola 67[a], in qua agitur de electione duorum episcoporum Hispanorum, etiam clarius a Cypriano participationem hanc populi significatam invenimus. *Videmus,* inquit, *de divina auctoritate descendere, ut sacerdos plebe praesente sub omnium oculis eligatur, et dignus atque idoneus publico judicio ac testimonio comprobetur. — Propter quod diligenter de traditione divina et apostolica observatione observandum est, . . . ut ad ordinationes rite celebrandas, ad eam plebem cui praepositus ordinatur, episcopus deligatur plebe praesente, quae singulorum vitam plenissime novit, et uniuscujusque actum de ejus conversatione perspexit. Quod et apud vos factum videmus in Sabini collegae nostri ordinatione, ut de universae fraternitatis suffragio, et de episcoporum qui in praesentia convenerant, quique de eo ad vos litteras fecerant, judicio, episcopatus ei deferretur, et manus ei in locum Basilidis imponeretur.* — Judicium igitur et electio definitiva spectabat ad clerum episcoposve praesentes; varium id erat in variis regionibus. Debebat certe constare de dignitate eligendi qui propositus erat, et ad testandam hanc dignitatem pertinebat suffragium fidelium. Quum vero ordinationi divinae et traditioni Apostolicae illud suffragium plebis Cyprianus adscribit, latiori sensu ista accipienda sunt. Certe ex Dei ordinatione indignus a sacerdotio arcendus, et non nisi dignus admittendus est. Ad modum judicandi in *concreto* de illa dignitate per-

tinebat ea aetate praesentia et suffragium plebis in ipsa electione, juxta exemplum ab Apostolis datum in electione diaconorum. Hinc latiori sensu etiam ad hunc modum suffragii Cyprianus applicat, quod ex divina sit ordinatione et Apostolica traditione; sed quum aliis quoque modis *mediate* de dignitate ordinandi, et de testimonio bonae vitae quod habeat apud fideles, constare possit, facile vides, ob rationes graves et necessarias, illum concretum modum electionis immutari postea potuisse.

54. Quod ad participationem fidelium in negotiis ecclesiasticis disponendis attinet, Cyprianus quidem clerum et populum in rebus gravibus *consulere* solebat. Sed ex litteris ejus etiam id plane manifestum est, nonnisi votum consultativum iis concessum, suamque auctoritatem et potestatem episcopalem ab ipso magno vigore semper vindicatam fuisse.

55. Jam veniamus ad *appellationes* episcoporum aliorumve ad Sedem Apostolicam; jus suppositum appellationis Cypriano plane ignotum fuisse, asserit Reinkens. — Quum de recursu episcoporum aliorumve ad Sedem Romanam quaeritur, advertendum est, aliud esse *formam* illam determinatam atque juridicam, qua ejusmodi recursus posteriore tempore fieri consuevit, aliud vero ipsum *factum* recurrendi ad Sedem Romanam ejusque auctoritatem. Varia autem exempla ejusmodi recursus in litteris S. Cypriani commemorantur, ac S. Cyprianus quidem se ostendit valde sollicitum de jure suo episcopali, atque etiam de obreptione Romae facta conqueritur. Sed tantum abest, ut ipse jus recursus ad Sedem Apostolicam, ejusque auctoritatem interveniendi in negotiis ecclesiasticis aliarum provinciarum neget, ut potius luculenter haec ab eo urgeantur et confirmentur. Appellationes

56. Ipse videlicet Cyprianus instanter admonet Stephanum Pontificem, ut sua auctoritate provideat saluti ecclesiae Arelatensis in Gallia, cujus episcopus Marcianus ad partes Novatiani defecerat. Episcopi Galliae jam ista de re scripserant ad Stephanum, sed cum mora traheretur in eo negotio, epistolam Faustinus Lugdunensis etiam Causa Marciani.

dedit ad Cyprianum, qua videtur petiisse, ut ipse insisteret apud Stephanum ad negotium illud componendum. *Faustinus,* scribit S. Cyprianus ad Stephanum (ep. 68), *collega noster Lugduni consistens, frater carissime, semel atque iterum mihi scripsit, significans ea quae etiam vobis scio utique nuntiata, tam ab eo quam a caeteris coëpiscopis nostris in eadem provincia* (Narbonensi) *constitutis, quod Marcianus Arelate consistens Novatiano sese conjunxerit, et ex catholicae Ecclesiae unitate atque a corporis nostri et sacerdotii consensione discesserit, tenens haereticae praesumptionis durissimam pravitatem, ut servis Dei poenitentibus et dolentibus et Ecclesiam lacrymis et gemitu et dolore pulsantibus divinae pietatis et lenitatis paternae solatia et subsidia claudantur, nec ad fovenda vulnera admittantur vulnerati, sed sine spe pacis et communicationis relicti ad luporum rapinam et praedam diaboli projiciantur. Cui rei nostrum est consulere et subvenire, frater carissime, qui divinam clementiam cogitantes et gubernandae Ecclesiae libram tenentes, sic censuram vigoris peccatoribus exhibemus, ut tamen lapsis erigendis et curandis vulneratis bonitatis et misericordiae divinae medicinam non denegemus. Quapropter facere te oportet plenissimas litteras ad coëpiscopos nostros in Gallia constitutos, ne ultra Marcianum pervicacem et superbum et divinae pietatis ac fraternae salutis inimicum collegio nostro insultare patiantur, quod necdum videatur a nobis abstentus, qui jam pridem jactat et praedicat, quod Novatiano studens et ejus pervicaciam sequens a communicatione se nostra segregaverit; cum Novatianus ipse, quem sequitur, olim abstentus et hostis Ecclesiae judicatus sit, et cum ad nos in Africam legatos misisset optans ad communicationem nostram admitti, hinc a concilio plurimorum sacerdotum qui praesentes eramus sententiam retulerit, se foris esse coepisse, nec posse a quoquam nostrum sibi communicari, qui Episcopo Cornelio in catholica Ecclesia de Dei judicio et cleri ac plebis suffragio ordinato, profanum altare erigere et adulteram cathedram collocare et sacrilega contra verum sacerdotem sacrificia offerre tentaverit. . . . Dirigantur in provinciam et ad plebem Arelate consistentem a te litterae,*

quibus abstento Marciano alius in locum ejus substituatur, et grex Christi, qui in hodiernum ab illo dissipatus et vulneratus contemnitur, colligatur. Sufficiat, multos illic ex fratribus nostris annis istis superioribus excessisse sine pace. Vel caeteris subveniatur qui supersunt, qui et diebus ac noctibus ingemiscunt, et divinam ac paternam misericordiam deprecantes, solatium nostrae opitulationis exposcunt. . . . Execrabiles et detestabiles dicit (Dominus) *esse, qui sibi placeant, qui tumidi et inflati aliquid sibi arroganter assumant. Ex quibus cum Marcianus esse coeperit, et se Novatiano conjungens adversarius misericordiae et pietatis exstiterit, sententiam non dicat, sed accipiat; nec sic agat, quasi ipse judicaverit de collegio sacerdotum, quando ipse sit ab universis sacerdotibus judicatus. Servandus est enim antecessorum nostrorum beatorum martyrum Cornelii et Lucii honor gloriosus: quorum memoriam quum nos honoremus, honorificare et servare gravitate et auctoritate tua debes, qui vicarius et successor eorum factus es. . . Significa plane nobis, quis in locum Marciani Arelate fuerit substitutus, ut sciamus, ad quem fratres nostros dirigere et cui scribere debeamus.*

57. Quamvis Cyprianus cum libertate quadam familiari hisce Stephanum moneat, ut cum vigore agat, vides tamen, hujus auctoritatem quam maxime a Cypriano evehi, eique adscribi potestatem, ut ecclesiae in Gallia constitutae provideat. Vult, *plenissimas* litteras Stephanus scribat, (sic aliquando ex Irenaeo Clemens potentissimas seu plenissimas, ἱκανωτάτας[1]) litteras ad Corinthios direxit,) ut *destituat* ex sua cathedra Marcianum, et litteris suis *substituat* alium episcopum loco ejus. Haud necessarium est inquirere et accuratius determinare, qua ratione per lit-

---

[1]) Insistunt quidam auctores, illud ἱκανωτάτας significare tantummodo *locupletissimas* litteras. Sed advertendum est, jam in antiquissima versione S. Irenaeo fere coaeva verti *potentissimas* litteras, eumque sensum illud verbum ἱκανος apprime admittere et hoc loco habere. Significatur litteras illas *maxime idoneas* et *sufficientissimas* fuisse gravitate et auctoritate, ut scopum attingerent. Eodem sensu a S. Cypriano *plenissimae* dicuntur litterae.

teras Stephani alium episcopum Marciano substituendum voluerit Cyprianus, utrum videlicet indicare voluerit, alium mandante Pontifice esse eligendum per episcopos Galliae et fideles Arelatenses, an vero intenderit movere Stephanum, ut, quemadmodum obvius sensus epistolae indicare videtur, immediate sua auctoritate Marciano alium episcopum substituat. Certe Cyprianus insignem ac plenam auctoritatem Stephano adscribit, ut pacem atque ordinem in illa ecclesia restituere possit[1]). Atque haec sententia ejus de potestate Romani Pontificis, cum ipsius principiis de Romana ecclesia principali, et unitatis fonte ac centro, intimo nexu cohaeret.

58. Vana autem sunt effugia, quibus haec Reinkens declinare nititur. Asserit, Faustinum Lugdunensem dum in hoc negotio Romam recursum habuit, haud egisse vi alicujus principii de jurisdictione suprema Romani Pontificis. Utque hanc gratuitam assertionem comprobet, contendit, Cyprianum ipsum in causa Marciani sententiam sine haesitatione tulisse, ac Stephano dictasse, quas litteras scribere deberet[2]). Tales assertiones ex ipsis litteris inspectis refelluntur. Profecto Cyprianus petit, ut Stephanus tanquam *judex* in ista causa agat, utque ipsi dein sententiam latam et executioni mandatam communicet. Proinde Stephanum habet ut judicem competentem, qui pro sua auctoritate res componere possit.

59. Alia exempla appellationis ad Sedem Romanam factae, vel recursus ad Summum Pontificem, occurrunt in iis, quae jam vidimus de *Privato* episcopo Lambesitano,
Fortunatus. et in conatibus *Fortunati* pseudoëpiscopi Carthaginensis Cypriano oppositi, ut Romae agnosceretur. Privatum bis repulsam ab ecclesia Romana accepisse diximus; de machinationibus vero Fortunati et Felicissimi pluribus agit S. Cyprianus in ep. 59 ad Cornelium directa. Fortunatus videlicet, ordinatus a quinque episcopis schismaticis, Romam misit Felicissimum cum litteris ad Cornelium; qui primo quidem rejecit Felicissimum, sed postea illius men-

[1]) V. Peters l. c. S. 476. [2]) L c. S. 36, 38.

daciis et minis, ac ipsius etiam Cypriani, cujus litterae nondum perlatae fuerant, silentio commotus, duas ad episcopum Carthaginensem epistolas scripsit, quarum in prima pulsum a se fuisse nuntiabat Felicissimum, in altera autem commotum se esse et exterritum significabat dictis et minis Felicissimi. His rebus adductus fuit Cyprianus, ut scriberet Cornelio epistolam (59), in qua innocentiam suam adversus schismaticorum calumnias strenue defendit, et admirationem quoque aliquam exprimit, quod Cornelius motus fuerit minis hominis, cujus perversitas notoria erat. Uti jam vidimus, in eadem epistola ecclesiam Romanam maxime celebrat ut *cathedram Petri,* et ecclesiam *principalem, inerrantiae praerogativa* praeditam. *Post ista,* scribit, *adhuc insuper pseudoëpiscopo* (Fortunato) *sibi ab haereticis constituto, navigare audent, et ad Petri cathedram atque ad ecclesiam principalem, unde unitas sacerdotalis exorta est, a schismaticis et profanis litteras ferre, nec cogitare, eos esse Romanos, quorum fides Apostolo praedicante laudata est, ad quos perfidia non possit habere accessum.* Simul cum quadam libertate et commotione animi suis insistit juribus, increpans schismaticos, quod navigare ausi fuerint Romam, quum jam legitime condemnati fuerint.

60. Hisce tamen Cyprianus haud rejicit generatim jus et usum appellationis ad Sedem Romanam, sed 1° in casu hoc concreto abusum nefarium schismaticorum manifestorum sugillat. — Cypriano 2° Fortunatus erat presbyter rebellis, qui jam solemniter a Synodo Africana condemnatus erat. Talis autem juxta statuta Africana ad ulteriores appellationes jus non habebat. Huc pertinent illa epistolae verba: *Quae autem causa veniendi, et pseudoepiscopum contra episcopos factum nuntiandi? Aut enim placet illis quod fecerunt et in suo scelere perseverant: aut si displicet et recedunt, sciunt quo revertantur. Nam cum statutum sit ab omnibus nobis, et aequum sit pariter ac justum, ut singulis pastoribus portio gregis sit adscripta, quam regat unusquisque et gubernet, rationem sui actus Domino redditurus: oportet utique eos quibus praesumus non circumcursare, nec episcoporum concordiam cohaerentem sua*

subdola et fallaci temeritate collidere, sed agere illic causam suam, ubi et accusatores habere et testes sui criminis possint: nisi si paucis desperatis et perditis minor videtur esse auctoritas episcoporum in Africa constitutorum, qui de illis judicaverunt, et eorum conscientiam multis delictorum laqueis vinctam judicii sui nuper gravitate damnarunt. Jam causa eorum cognita est, jam de iis dicta sententia est; nec censurae congruit sacerdotum mobilis atque inconstantis animi levitate reprehendi, cum Dominus doceat et dicat: Sit sermo vester est est, non non. Hisce igitur Cyprianus non absolute et generatim negat, ad Apostolicam Sedem recursum posse haberi, sed in casu concreto propter adjuncta ausum scelestissimorum illorum schismaticorum reprobat. Non agebatur de controversia aliqua inter episcopos, vel de aliquo episcopo deposito; sed quum Cyprianus episcopus manifeste legitimus et ecclesiae Romanae maxime addictus jam per quatuor annos ecclesiam Carthaginensem rexisset, perversi homines schisma excitaverant et unum ex ipsis pseudoëpiscopum constituerant. Quum tales homines Romam navigarent, ut minis et fraudibus ibidem res suas agerent, ejusmodi recursus haud poterat haberi ut juridica aliqua appellatio, sed arrogans erat impudentia. Haud mirum igitur est, quod Cyprianus etiam vehementius sectariorum istorum conamina redarguit; hinc etiam animo aliquantisper commoto auctoritatem suam episcopalem tanta cum perversitate impugnatam anxie vindicat. Ideoque si quis censet, aliquas ejus sententias in se spectatas non satis congruere extensioni auctoritatis Sedis Apostolicae, advertat, negotium hoc in concreto esse considerandum, aliquid deferendum Cypriani indignationi justae in rebelles, et ejus verba harmonice cum aliis dictis et factis ipsius esse interpretanda.

61. Restat, ut loquamur de epistola S. Cypriani (67) et Synodi 36 episcoporum *ad Hispanos,* in qua agitur de
Basilides et Martialis. depositione duorum episcoporum, Basilidis et Martialis, quorum alter Leonis et Asturigae, alter Emeritae erat episcopus. Hac enim epistola adversarii utuntur, ut jura Romani Pontificis a Cypriano agnosci inficiantur. Duo illi

episcopi propter gravia crimina ipsis objecta depositi fuerant, et in eorum locum Felix et Sabinus electi. *Cum in unum convenissemus,* scribit S. Cyprianus, *legimus litteras vestras, fratres dilectissimi, quos ad nos per Felicem et Sabinum coëpiscopos nostros pro fidei vestrae integritate et pro Dei timore fecistis, significantes, Basilidem et Martialem libellis idololatriae commaculatos et nefandorum facinorum conscientia vinctos, episcopatum gerere et sacerdotium Dei administrare non oportere; et desiderastis rescribi ad haec vobis, et justam pariter ac necessariam sollicitudinem vestram vel solatio vel auxilio nostrae sententiae sublevari.* Commemorat dein speciatim, in Sabini electione juxta morem consuetum actum fuisse. *Quod et apud vos factum videmus in Sabini collegae nostri ordinatione, ut de universae fraternitatis suffragio et de episcoporum, qui in presentia convenerant, quique de eo ad vos litteras fecerant, judicio, episcopatus ei deferretur, et manus ei in locum Basilidis imponerentur.* Sed Basilides, (ac forte etiam Martialis), Romam se verterat, ut impetraret Stephani Pontificis favorem, et episcopatum resumere posset. Idque revera obtinuit, sed ex Cypriano omnino *per obreptionem;* Martialem quoque simile quid obtinuisse, ex epistola conjici potest. Utrum in his solemnis aliqua Stephani sententia intervenerit, an vero per solam communicationem cum ipso Stephanus significaverit, se habere eum ut episcopum legitimum, non satis patet. Inde vero factum est, ut plures episcopi iterum cum illo communicarent. Idem factum est quoad Martialem, sive quod et ipse Stephani communionem obtinuerit, sive quod, quum casus similis esset, episcopi illi censerent, sicuti cum Basilide, ita etiam cum Martiale communicandum esse.

62. Attamen fideles illarum dioeceseon, quum tanta essent, (juxta epistolam de qua agimus), crimina illorum episcoporum, eos plane indignos episcopatus censuerunt, atque ad Cyprianum miserunt cum epistolis Felicem et Sabinum, ut eum in hoc negotio *consulerent.* Omnino arbitrarie supponeretur, eos definitivam aliquam sententiam a Cypriano tanquam a judice petiisse. Sed in Hispa-

nia nondum existebat distributio et subordinatio episcoporum sub metropolitis, Cypriani autem nomen ubique clarissimum erat. Quum igitur censerent, Romanum Pontificem a Basilide deceptum fuisse, et hunc per obreptionem favorem Stephani obtinuisse, Cyprianum in hoc negotio consuluerunt. Cyprianus cum Synodo 36 episcoporum respondit, illos episcopos ob delicta sua merito depositos esse, nec ipsis debere prodesse obreptionem suam apud Stephanum, quum fraude et fallacia eum fefellerint.

Cypriani epistola.

63. *Nec rescindere*, scribit, *ordinationem jure perfectam potest, quod Basilides, post crimina sua detecta et conscientiam etiam propria confessione nudatam, Romam pergens Stephanum collegam nostrum longe positum et gestae rei ac veritatis ignarum fefellit, ut exambiret reponi se injuste in episcopatum, de quo fuerat juste depositus. Hoc eo pertinet, ut Basilidis non tam abolita sint quam cumulata delicta, ut ad superiora peccata ejus etiam fallaciae et circumventionis crimen accesserit. Neque enim tam culpandus est ille cui negligenter obreptum est, quam hic execrandus qui fraudulenter obrepsit. Obrepere autem si Basilides hominibus potuit, Deo non potest, cum scriptum sit: Deus non deridetur. Sed nec Martiali potest protuisse fallacia, quominus ipse quoque delictis gravibus involutus episcopatum tenere non debeat, quando et Apostolus moneat et dicat: Episcopum oportet esse sine crimine, quasi Dei dispensatorem. Quapropter cum sicut scripsistis, fratres dilectissimi, et ut Felix et Sabinus collegae nostri asseverant, utque alius Felix de Caesaraugusta, fidei cultor ac defensor, veritatis litteris suis significat, Basilides et Martialis nefando idololatriae libello contaminati sint, Basilides adhuc insuper praeter libelli maculam, cum in infirmitate decumberet, in Deum blasphemaverit et se blasphemasse confessus sit, et episcopatum pro conscientiae vulnere sponte deponens ad agendam poenitentiam conversus sit, Deum deprecans et satis gratulans, si sibi vel laico communicare contingeret, Martialis quoque praeter gentilium turpia et lutulenta convivia in collegio diu frequentata, et filios in eodem collegio exterarum gentium more apud profana sepulchra depositos et alienige-*

nis consepultos, actis etiam publicis apud procuratorem ducenarium, obtemperasse se idololatriae et Christum negasse contestatus sit, cumque alia multa sint et gravia delicta, quibus Basilides et Martialis implicati tenentur: frustra tales episcopatus sibi usurpare conantur, cum manifestum sit, ejusmodi homines nec Ecclesiae Christi posse praeesse, nec Deo sacrificia offerre debere: maxime cum jam pridem nobiscum et cum omnibus omnino episcopis in toto mundo constitutis etiam Cornelius collega noster, sacerdos pacificus ac justus et martyrio quoque dignatione Domini honoratus, decreverit, ejusmodi homines ad poenitentiam quidem agendam posse admitti, ab ordinatione autem cleri atque sacerdotali honore prohiberi . . . Quare etsi aliqui de collegis nostris exstiterint, fratres dilectissimi, qui deificam disciplinam negligendam putant et cum Basilide et Martiali temere communicant, conturbare fidem vestram res ista non debet. . . . Propter quod integritatis et fidei vestram religiosam sollicitudinem, fratres dilectissimi, et laudamus pariter ac probamus; et quantum possumus adhortamur litteris nostris, ne vos cum profanis et maculatis sacerdotibus communicatione sacrilega misceatis, sed integram et sinceram fidei nostrae firmitatem religioso timore servetis.

64. Ad haec igitur S. Cypriani scripta et gesta animadvertendum est: 1⁰ S. Cyprianus hic non negat universim, ad Sedem Romanam in rebus dubiis posse recurri, ad eamque appellari posse. — 2⁰ Non satis claret, qualis Stephani Pontificis actus hac in re intervenerit. Patet autem, Cyprianum, dum non obstante approbatione Stephani Basilidem et Martialem haud admittendos esse ad episcopatum scribit, ea niti ratione, quod *per obreptionem* sibi favorem Stephani acquisiverint, adeoque agnitio illa valorem haud habeat. Crimina illorum virorum existimat vera, et fusius commemorat, simulque provocat ad decretum Cornelii reliquorumque Praesulum, episcopos lapsos ad suum gradum non debere iterum admitti. Supponit etiam, Stephanum, nisi deceptus fuisset ab illis viris, juxta idem decretum se gessisse. — 3⁰ Valde probabile videtur, quod censet Baronius (ad a. 258. n. 5), Hispanos illos episcopos Carthagine etiam Romam profectos fuisse, ut ibi rem cum

S. Stephano componerent. Ac conjicere possumus, Cyprianum per epistolam suam ad Hispanos voluisse movere Stephanum, ut maturius illud negotium aliaque ratione disponeret. — 4⁰ Non est, cur omnia et singula, quae in ista Cypriani epistola continentur plane approbemus; nam et ipse forte hac in re aliquid humani passus est. Ob zelum disciplinae ecclesiasticae quaedam praecipitanter dicta esse existimes. Quum enim in rebus litigiosis illud: *Audiatur et altera pars,* observandum sit, hac de re non satis sollicitum conspicimus Cyprianum. Stephanum deceptum fuisse non constat, et quae de distantia inter Romam et Hispanos Cyprianus obiter dicit, nullum sane habent valorem. Nam frequentia erant Hispanorum cum Romanis commercia, nec major fere distantia a Romana urbe, quam a civitate Carthagine. Neque reprehensionem acrem videntur mereri illi Hispaniae episcopi, qui cum Basilide iterum communicaverant. Etenim non ideo id fecerunt, quod de Ecclesiae disciplina et salute haud solliciti essent, sed quia Stephanus cum illo ut episcopo communicabat, ejusque auctoritate ipsi movebantur. — Videtur Cyprianus Stephano minus amicus fuisse, quam fuerat Praedecessoribus ipsius, ejusque vigorem in disciplina ecclesiastica severiore sustinenda aliquantisper suspectum habuisse. Motiva accuratius non cognoscimus; sed dixeris, ea quae in causa Marciani Arelatensis, et in causa episcoporum Hispaniae Cyprianus scripsit, ut excitaret S. Stephanum ad majorem vigorem, praeludium quoddam fuisse difficultatum, quas habuit cum ipso de quaestione quae spectat baptismum haereticorum. Sed tum ex iis quae pertinent ad depositionem Marciani, tum ex causa episcoporum Hispaniae splendida argumenta colliguntur, primatum Romani Pontificis ea aetate universim, ac speciatim a S. Cypriano agnitum fuisse[1]).

---

[1]) Cfr. Gams, Die Kirchengesch. v. Spanien. Buch III. C. III. — Regensburg, Manz, 1862.

III.

De controversia circa iterandum baptisma ab haereticis collatum.

65. *Romae,* scribit Eusebius H. E. l. VII. c. 2, *cum Cornelius tribus circiter annis episcopatum tenuisset, Lucius in ejus locum substituitur. Qui vix octo mensium spatio perfunctus eo munere, moriens episcopale officium Stephano dereliquit. Ad hunc Stephanum Dionysius* (Alexandr.) *primam earum, quae de Baptismo conscriptae sunt epistolam exaravit, cum per id tempus non mediocris controversia exorta esset, utrum eos qui ex qualibet haeresi convertuntur, baptismo purgari oporteret. Primus omnium Cyprianus, qui tunc temporis Carthaginensem regebat ecclesiam, non nisi per baptismum ab errore prius emundatos, admittendos esse censuit. Verum Stephanus nihil adversus traditionem, quae jam inde ab ultimis temporibus obtinuerat* (*παρὰ τὴν κρατήσασαν ἀρχῆθεν παράδοσιν*) *innovandum ratus, gravissime id tulit. Ad hunc igitur, ut dixi, multa de hoc argumento Dionysius per litteras scripsit.* — Paulo inferius c. 7 tertiam adducens Dionysii epistolam haec ex eadem inter alia citat: *Illud praeterea didici, non ab Afris solis hunc morem nunc primum invectum fuisse, sed et multo antea superiorum episcoporum temporibus, in ecclesiis populosissimis, et in conciliis fratrum apud Iconium et Synnada, et apud alios plurimos idem sancitum fuisse.* — Brevius igitur hisce Eusebius commemorat celebrem de baptismo haereticorum controversiam, cujus primum paucis texemus historiam, ut dein adjiciamus ea, quae animadvertenda occurrunt de modo, quo hac in re Stephanus et Cyprianus egerunt.

Ortus quaestionis.

66. In Africa videtur primus omnium *Tertullianus* quaestionem de baptismo haereticorum tetigisse, ubi in libro *de Baptismo* c. 15: *Non idem,* ait, *Deus est nobis et illis, nec unus Christus, id est idem, ideoque nec baptismus unus, quia non idem, quem quum rite non habeant, sine dubio non habent.* Dum Auctor Philosophoumenon dicit (l. c.), sub Callisto primum coeptum esse rebaptizari, id forte ad

Afri.

hoc negotium est referendum; advertimus tamen, aliam verborum expositionem videri praeferendam. Caeterum constat, circa a. 215 Agrippinum ecclesiae Carthaginensis praesulem totiusque Africae primatem, coacto Africae Numidiaeque episcoporum concilio, omniumque rogata sententia, canonem edidisse de haereticorum baptismo invalido adeoque iterando. Qua de re Cyprianus ep. 71 ad Quintum: *Quod quidem et Agrippinus, bonae memoriae vir, cum caeteris coëpiscopis suis, qui illo in tempore in provincia Africa et Numidia ecclesiam Domini gubernabant, statuit, et librato consilii communis examine firmavit. Quorum sententiam, et religiosam, et legitimam, et salutarem, fidei et Ecclesiae catholicae congruentem nos etiam secuti sumus.* — Ex temporibus igitur Agrippini in Africa ista consuetudo magis magisque invaluit; fuisse tamen etiam ibi episcopos eidem oppositos, colligimus ex citata Cypriani ad Quintum epistola, quum scribat: *Nescio etenim, qua praesumptione ducuntur quidam de collegis nostris, ut putent, eos qui apud haereticos tincti sunt, quando ad nos venerint, baptizari non oportere, eo quod dicant unum baptisma esse.*

Asiani. 67. Caeterum non solum in Africa, verum etiam in Asia, uti ex Dionysii litteris apparet, abusus inoleverat, ut qui ex haereticis ad Ecclesiam pervenirent, iterum baptizarentur. Si Firmiliano Caesareae episcopo credimus, jam a longo tempore haec consuetudo existebat ibidem. Occasione enim controversiae sub Stephano ortae, scribit in famosa sua ad Cyprianum epistola[1]: *Quod autem pertinet ad consuetudinem refutandam, quam videntur opponere veritati, quis tam vanus sit, ut veritati consuetudinem praeferat? Aut qui perspecta luce tenebras non derelinquat? Nisi si et Judaeos Christo adventante, id est veritate, adjuvat in aliquo antiquissima consuetudo, quod relicta nova veritatis via in vetustate permanserint.* Confundit hic Firmilianus *consuetudinem* cum *traditione apostolica,* a qua recedendum non esse affirmabat Stephanus, et jure quidem merito, ut sedatis postea animis omnes unanimiter agnoverunt. *Quod quidem adversus Stephanum vos dicere Afri potestis, cognita*

---

[1]) Inter Cypriani epp. 75.

veritate errorem vos consuetudinis reliquisse. Caeterum nos veritati et consuetudinem jungimus, et consuetudini Romanorum consuetudinem, sed veritatis, opponimus, ab initio hoc tenentes, quod a Christo et ab Apostolis traditum est. Nec meminimus hoc apud nos aliquando coepisse, cum semper istic observatum sit, ut non nisi unam Dei Ecclesiam nosceremus, et sanctum baptisma non nisi sanctae Ecclesiae computaremus. Plane quoniam quidam de eorum baptismo dubitabant, qui etsi non ut nos novos prophetas recipiunt, eosdem tamen et Patrem et Filium nobiscum nosse videntur, plurimi simul convenientes in Iconio diligentissime tractavimus et confirmavimus, repudiandum esse omne omnino baptisma quod sit extra Ecclesiam constitutum[1]).

68. Ex his Firmiliani verbis Bollandistae deducunt, jam ex antiquissimo tempore illis in regionibus baptisma haereticorum irritum esse habitum. *Itaque ut monui,* ait B. Bossue in vita S. Firmiliani (d. 28. Octobris), *teste Firmiliano, (nec video cur hac in re ejus prorsus rejiciamus testimonium), perpetuo vel saltem ab immemoriali tempore illis in tractibus baptismus extra Ecclesiam collatus nullius valoris est habitus. Nec gravior unquam ante Stephanum orta noscitur disceptatio, sed cum quidam aliquando dubitassent, Iconii et Synnadis, sub annum nempe 232, imo et apud alios plurimos teste Dionysio Alexandrino antiqua consuetudo sedulo fuit examinata et confirmata.* Alii tamen auctores, uti Ill. Hefele, existimant, etiam in illis Asiae tractibus morem baptizandi conversos ex haereticis nonnisi saeculo tertio ortum fuisse. Quamvis enim Firmilianus contendat, antiquissimam apud ipsos esse consuetudinem illam, id tamen non satis probat, sed vago tantum modo confirmat. Dicit videlicet, *non meminimus hoc apud nos aliquando coepisse,* et positivum argumentum non habet, nisi synodi Iconii habitae, in qua consuetudo illa probata

---

[1]) Ep. cit. n. 15. — Et n. 7 ait: *Quod totum nos jam pridem in Iconio, qui Phrygiae locus est, collecti in unum, convenientibus ex Galatia et Cilicia et caeteris proximis regionibus, confirmavimus, tenendum contra haereticos firmiter et vindicandum, cum a quibusdam de ista re dubitaretur.*

fuit occasione Montanistarum. Synodus autem haec tantum viginti circiter annos praecessit controversiam cum Stephano Pontifice[1]). Sententia haec, qua censetur, etiam in Asia non nisi saeculo tertio morem baptizandi eos qui ex sectis ad Ecclesiam accedebant ortum esse, nobis vera videtur. Etenim reapse suspicari licet, Firmilianum in hac epistola, quam exacerbato scripsit animo, etiam sub hoc respectu incidisse in exaggerationes vanas.

Exardet controversia.

69. Quum vero quaestio illa per aliquod temporis spatium veluti sopita jacuisset, vehementer exarsit tum in Asia tum in Africa tempore S. Stephani, qui ab anno 253 (254) ad annum 257 Ecclesiam rexit. Dissentiunt eruditi[2]), utrum primum in Asia an in Africa controversia agitata fuerit; sed consideratis documentis censemus cum cl. Hefele (l. c.), prius in Asia turbas quasdam ortas esse, Stephanumque postulasse, ut illarum regionum episcopi a more rebaptizandi haereticos conversos desisterent, dein vero, forte quum magna Asianorum Praesulum pars Stephano jam obsecundasset, vehementius in Africa litem esse agitatam, Firmilianumque Cappadociae primatem tunc denuo acrius Cypriani partes sustinuisse. Quidquid hac in re tenendum sit, convenit sane, ut extensio controversiae noscatur, ea afferre, quae ex litteris Dionysii Eusebius citat. — In fragmento epistolae ad Stephanum, quam primam *de Baptismo* epistolam Eusebius dicit, ipse nobis tamen nihil conservavit, quod manifeste hanc quaestionem spectat. Dicitur ibidem: *Scias autem, frater, cunctas per Orientem et ulterius positas ecclesias quae prius erant discissae, nunc tandem ad unitatem reversas esse: et omnes ecclesiarum ubicumque Antistites unum idemque sentire, et ob redditam insperato pacem incredibili gaudio exultare, Demetrianum scilicet episcopum Antiochiae, Theoctistum Caesareae, Aeliae post mortem Alexandri Mazabanem, Marinum Tyri, Leodiceae vero post Thelymidris obitum Heliodorum, Helenum*

---

[1]) V. Hefele C. G., B. I. K. II. §§. 4, 6.

[2]) Cfr. Hefele l. c.; Peters l. c. S. 500; Laacher Stimmen, B. 13. S. 347.

Tarsi, cunctasque Ciliciae ecclesias, Firmilianum denique cum universa Cappadocia. Si ea quae de restituta pace hic dicuntur controversiam de baptismo haereticorum spectant, uti cl. Hefele suspicatur, supponendum esset, episcopos illos eo tempore Stephano obsecundasse, Firmilianum vero postea denuo se ipsi opposuisse. Sed verba haec ab Eusebio videntur referri ad exstinctum schisma Novatiani, qui etiam ecclesias Asiae studuerat schismati suo involvere. Praeterea ex altera epistola Dionysii potius colligitur, litem de baptismo adhuc viguisse, quum primam hanc ad Stephanum scriberet. Dionysius scilicet rei gravitatem non omnino perspiciebat, et quaestionem potius ut disciplinarem habebat, neglecto ejus momento dogmatico. Hinc Stephanum inducere studebat, ut aliquid indulgeret Asianis, neve ab Ecclesiae communione eos separaret, uti apparet ex secunda de Baptismo epistola scripta ad Sixtum Stephani successorem. *Ad hunc* (Sixtum), scribit Eusebius l. c., *Dionysius secundam de Baptismo scripsit epistolam, in qua Stephani simul ac reliquorum episcoporum sententiam ac judicium exponit, de Stephano ita scribens (antea quidem litteras scripserat de Heleno et de Firmiliano, de omnibus denique sacerdotibus per Ciliciam, Cappadociam, cunctasque finitimas provincias constitutis: sese ob eam causam ab illorum communione discessurum, quod haereticos rebaptizarent): „Ac vide, quaeso, gravitatem negotii. Revera enim in maximis, ut audio, episcoporum conciliis decretum est, ut qui ab haereticis ad catholicam Ecclesiam accedunt, primum catechumeni fierent, ac deinde veteris et impuri fermenti sordibus per baptismum purgarentur. De his omnibus ego ad illum epistolam misi rogans atque obtestans.“ Et aliquanto post: „Sed et carissimis, inquit, fratribus et compresbyteris nostris Dionysio ac Philemoni, qui prius idem cum Stephano senserant deque iisdem rebus ad me scripserant, antea quidem breviter, nunc vero pluribus verbis scripsi.“* — Ex his Dionysii litteris ad Sixtum II colligitur, etiam controversiam cum Asianis usque ad finem pontificatus S. Stephani durasse. Attamen peremptorium fere argumentum ex iis desumi potest, a Stephano excommunicationem in eos haud pronuntiatam fuisse. Etenim Dionysius tan-

tummodo minas excommunicationis commemorat, propter quas ipse ad Stephanum epistolam *rogans atque obtestans* direxit. Eo ipso autem quod ulterioris Stephani censurae mentionem nullam facit, satis indicat, Pontificem ultra comminationem excommunicationis non processisse.

Agitatur in Africa.

70. Qua ratione *in Africa* quaestio illa agitari sub Cypriano coeperit, et quaenam acciderint, praesertim ex litteris Cypriani colligitur. Versus anum 255 octodecim episcopi Numidiae, (uti ex ep. 70 patet), Cyprianum consuluerunt de baptismo haereticorum. Repudiandum illum esse, conversosque haereticos baptizandos in Ecclesia catholica, ipsi quoque tenebant; aliqui tamen alii episcopi etiam in Africa, uti videtur, aliter censebant. Cyprianus tunc magno cum fervore sententiam de repudiando haereticorum baptismate tum habitis synodis, tum scriptis epistolis propugnavit. Unius et dimidii anni fere spatio tres celebravit synodos. Primam habuit anno 255, cui interfuere episcopi triginta vel triginta et unus; alterum habuit anno sequenti, ad quam convenere Antistites septuaginta et unus, atque in ea quae sancita erant in priori de repudiando haereticorum baptismate confirmata sunt. Scripsit dein S. Cyprianus suo et synodi nomine ad Stephanum Pontificem, ut significaret ei quae decreta erant. Postquam advertit, synodo habita plura ordinata fuisse: *De eo,* inquit, *vel maxime tibi scribendum et cum tua gravitate ac sapientia conferendum fuit, quod magis pertineat et ad sacerdotalem auctoritatem et ad Ecclesiae catholicae unitatem pariter ac dignitatem de divinae dispositionis ordinatione venientem, eos, qui sint foris extra ecclesiam tincti, et apud haereticos et schismaticos profanae aquae labe maculati, quando ad nos atque ad Ecclesiam quae una est venerint, baptizari oportere, eo quod parum sit eis manum imponere ad accipiendum Spiritum Sanctum, nisi accipiant et Ecclesiae baptismum.* — Dein variis rationibus hoc statutum fulciri nititur; in fine epistolae autem advertit, iis qui aliter sentiant suam relinqui libertatem agendi. — *Haec,* scribit, *ad conscientiam tuam, frater carissime, et pro honore communi et pro simplici dilectione pertulimus, credentes etiam*

tibi pro religionis tuae et fidei veritate placere, quae et religiosa pariter et vera sunt. Caeterum, scimus quosdam quod semel imbiberint nolle deponere, nec propositum suum facile mutare, sed salvo inter collegas pacis et concordiae vinculo quaedam propria, quae apud se semel usurpata sint, retinere. Qua in re nec nos vim cuiquam facimus aut legem damus, quando habeat in Ecclesiae administratione voluntatis suae arbitrium liberum unusquisque praepositus, rationem actus sui Domino redditurus. (Ep. 72.)

71. Simul cum hac epistola synodica Cyprianus Stephano etiam misit prioris synodi epistolam ad octodecim Numidiae episcopos, atque litteras quas ipse ad Quintum Mauritaniae episcopum de eadem quaestione direxerat. Dubitari non posse videtur, Cypriano jam notum fuisse, Stephanum atque ecclesiam Romanam cum ipso non convenire. Hinc animadvertit, libertatem hac in re relinquendam esse, ut innuat, quaestionem a Pontifice habendam esse uti rem disciplinarem, in qua quis sequi possit id quod ipsi visum fuerit verum. Huc etiam facile referas ea quae habentur in epistola ad Quintum: *Non est autem de consuetudine praescribendum, sed ratione vincendum. Nam nec Petrus, quem primum Dominus elegit et super quem aedificavit Ecclesiam suam, cum secum Paulus de circumcisione postmodum disceptaret, vindicavit sibi aliquid insolenter, aut arroganter assumpsit, ut diceret se primatum tenere et obtemperari a novellis et posteris sibi potius oportere. Nec despexit Paulum, quod Ecclesiae prius persecutor fuisset; sed consilium veritatis admisit, et rationi legitimae quam Paulus vindicabat facile consensit.* (Ep. 71.)

72. Eo tempore post synodum secundam, et quantum apparet antequam Cyprianus responsum Stephani accepisset[1]), ipse etiam scripsit epistolam ad Jubajanum ignoti Sedis in Africa episcopum, qui ipsum consuluerat de eodem argumento, in qua pariter suam sententiam magno cum fervore tuetur et synodorum opinionem ei transmittit. Pluribus argumenta sua exponit, eorumque qui aliter sentie-

---

[1]) Cfr. Tillemont, Mém. t. IV. S. Cyprien. Art. XLVI.

bant rationes refutare nititur. Iterum tamen advertit, hisce suum agendi modum liberum relinqui, nec propter hanc quaestionem caritatis vincula esse solvenda. *Haec,* ait, *tibi breviter pro nostra mediocritate rescripsimus, frater carissime, nemini praescribentes aut praejudicantes, quominus unusquisque episcoporum quod putat faciat, habens arbitrii sui liberam potestatem. . . Servatur a nobis patienter et leniter caritas animi, collegii honor, vinculum fidei et concordia sacerdotii. Propter hoc etiam libellum nunc „de Bono Patientiae" quantum valuit nostra mediocritas permittente Domino et inspirante conscripsimus, quem ad te pro mutua dilectione transmisimus.* (Ep. 73.)

73. S. Cyprianus hac in re, quamvis persuasum haberet baptismum haereticorum nullum esse, ac propterea conversos esse baptizandos, tamen inconsequentia quadam insistebat, ut quaestio veluti disciplinaris haberetur. Hinc episcopis singulis libertatem asserebat. Elementum igitur quaestionis dogmaticum de *valore baptismatis haereticorum* seponi ac negligi desiderabat. Optime enim sciebat, in re dogmatica fidei haud posse diversas teneri doctrinas; persentiebat vero, rem non posse eo deduci, ut ejus sententia praevaleret. Manifestum tamen est, hac in causa *quaestionem dogmaticam primas omnino partes habere,* ac praxim baptizandi conversos ex haereticis consequentiam esse ex negato valore eorum baptismatis, eamdemque negationem illo usu involvi.

Stephanus intervenit.

74. *S. Stephanus* Pontifex igitur merito id prae oculis habuit, in quaestione hac agi simul *de doctrina fidei christianae ac de re disciplinari summi momenti,* puritatem autem et conservationem doctrinae pendere omnino a praxi in receptione conversorum haereticorum observanda. Hinc ipse conatibus S. Cypriani aliorumque episcoporum Africae et Asiae se insigni cum vigore opposuit. Ejus rescripta quidem non exstant, sed ex epistolis SS. Cypriani et Firmiliani satis colligitur quid illis contentum fuerit; eaedem autem litterae, vel valde similes, simul ad Afros et Asianos directae fuisse videntur. — Scripsit Pontifex cum auctoritate, provocans ad dignitatem suae Sedis atque

primatum, uti ex illis Firmiliani verbis patet: *Stephanus de episcopatus sui loco gloriatur, et se successionem Petri tenere contendit, super quem fundamenta Ecclesiae collocata sunt.* Rejecit dein Pontifex decretum synodi Carthaginensis, et praxim rebaptizandi haereticos proscripsit ut abusum perniciosum, docens et ostendens, juxta traditionem Apostolorum, antiquam consuetudinem, fideique doctrinam, haereticorum baptisma validum esse habendum. Excommunicationem porro minatus est iis, qui in consuetudine illa perversa persisterent. Haec colliguntur ex epistolis Dionysii, uti superius vidimus, et ex Firmiliani ac Cypriani litteris, dum Stephani rationes infirmare nituntur varioque modo Pontificem carpunt. Si Firmiliano ad verbum credimus, *non puduit Stephanum fraternitatem scindere, insuper et Cyprianum pseudochristum et pseudoapostolum et dolosum operarium dicere.* Idem Pontificem inducit rumpentem pacem modo cum Orientalibus modo cum Afris. *In caeteris quoque,* inquit, *multis provinciis multa pro locorum et nominum diversitate variantur, nec tamen propter hoc ab Ecclesiae catholicae pace et unitate discessum est; quod nunc Stephanus facere ausus est, rumpens adversus vos pacem, quam semper antecessores ejus vobiscum amore et honore mutuo custodierunt.* Sed plura ex his exaggerata censemus. Probabiliter ea quae Stephanus generali modo dixit de iis, qui abusum tenerent doctrinae Christi et Apostolorum oppositum, Firmilianus veluti directe de Cypriano dicta exhibet, et excommunicationis comminationem habet ut pacis rupturam. Cyprianus ipse hac de re in epistola ad Pompejum (74) ita loquitur: *Dat honorem Deo, qui haereticorum amicus et inimicus Christianorum, sacerdotes, Dei veritatem, Christi et Ecclesiae unitatem tuentes, abstinendos putat.*

75. Quaestionem demum plena auctoritate Stephanus dirimit illis verbis notissimis: *Si quis ergo a quacumque haeresi venerit ad vos, nihil innovetur, nisi quod traditum est, ut manus illi imponatur in poenitentiam.* (Ep. 74.) Hoc Stephani edicto igitur praxis illa rebaptizandi eos qui ab haeresi ad Ecclesiam catholicam se convertebant proscribe- Stephani Decretum.

batur; caeterum varia est illorum verborum accuratior interpretatio. Sunt qui verba Stephani intelligunt ea ratione, *ut in eo qui ab haeresi ad Ecclesiam venerit nihil innovetur, nisi quod traditum est innovandum, ut scilicet manus ei imponatur in poenitentiam.* Uti videlicet jam in baptismo etiam haereticorum quum exorcismus fieret manus imposita erat, ita nunc accedenti ad Ecclesiam iterum imponatur in poenitentiam. Hunc sensum, qui cum grammatica verborum constructione apprime convenit, pluribus evolvit et vindicat Peters in sua *Cypriani Vita*[1]). Neque haec sententia eo refellitur, quod in hac suppositione *iterata* manuum impositio *in poenitentiam* a Stephano statueretur, quum tamen id certe Pontifex haud dicere vellet[2]). Potest enim innovatio seu *iteratio* de ritu impositionis manuum *in genere* convenienter intelligi, etsi prior fuerit pro exercismo, nova autem haec facienda sit in poenitentiam. — Coustantius, postquam varios illius effati sensus proposuit, advertit, alludi a Stephano ad ea quae synodus Carthaginensis statuerat: *Baptizandus est et innovandus qui ad Ecclesiam rudis venit, ut intus per sanctos sanctificetur*[3]), et „huic, inquit, Afrorum sententiae: Baptizandus est et innovandus, suam opposuit his verbis: Nihil innovetur, nisi quod traditum est, hoc est, non innovetur ejus baptismus, sed tantum teneatur quod traditum est, . . . ut ei manus imponatur in poenitentiam"[4]). — Alii censent, a Stephano secundum principium in Ecclesia receptum statui: *Nulla innovatio introducatur, sed illud tantum teneatur quod traditum est; videlicet ut manus ei imponatur in poenitentiam.* Atque hanc interpretationem praeferendam arbitramur, eo quod veteres verba Stephani hac generali ratione intellexisse videantur; grammatica autem propositionis constructio, quamvis insolita et elliptica, tamen hanc expositionem admittit. — Ad antiquos igitur quod attinet, ipse S. Cyprianus generale illud principium his

[1]) B. VII. C. 3. S. 532 ff. [2]) Cf. Fechtrup l. c. S. 225.

[3]) V. Cypriani ep. 70.

[4]) Epp. Rom. Pontt.; Dissertatio qua vera Stephani circa receptionem haereticorum sententia explicatur; n. 20. col. 242.

verbis inculcari, videtur supponere, dum scribit ad Pompejum: *Quasi is innovet, qui unitatem tenens unum baptisma uni Ecclesiae vindicat, et non ille utique qui unitatis oblitus mendacia et contagia profanae tinctionis usurpat* [1]. Auctorem libri de rebaptismate ad verba Stephani hoc sensu accepta alludere dixeris, illis verbis: *In quo genere quaestionis, ut mihi videtur, nulla omnino potuisset controversia aut disceptatio emergere, si unusquisque nostrum, contentus venerabili ecclesiarum omnium auctoritate et necessaria humilitate nihil innovare gestiret* [2]. Eusebius de Cypriani errore agens: *Verum Stephanus*, scribit, *nihil adversus traditionem quae jam inde ab ultimis temporibus obtinuerat, innovandum ratus, gravissime id tulit* [3]. Vincentius Lirinensis autem controversiam de rebaptizandis haereticis commemorans: *Denique*, ait, *in epistola quae tunc ad Africam missa est, his verbis* (Stephanus) *sanxit, „nihil novandum, nisi quod traditum est“ . . Quis ergo tunc nniversi negotii exitus? Quis utique nisi usitatus et solitus? Retenta est scilicet antiquitas, explosa novitas.* [4]) — Ad grammaticam vero constructionem quod spectat, ea quidem si effatum sensu quo diximus ut *principium generale* accipitur, aliquantisper singularis est, attamen antiquis non plane insueta. Simillima sunt verba Patrum Chalcedonensium in vetusta versione latina, ubi aiunt de epistola Leonis Pontificis: *Nihil praeter fidem quae olim a SS. Patribus annuntiata est, venerabilis Pontifex innovavit* [5].

76. Stephani Pontificis acta et decreta aequo animo haud ferens Cyprianus, acriores adversus Stephanum exaravit litteras ad Pompejum episcopum (Sabratensem), qui eum rogaverat, ut quae in hac controversia gesta fuerant atque etiam Stephani rescripta ipsi communicaret. In his litteris iterum S. Cyprianus variis rationibus suam vindi- Cypriani resistentia.

---

[1]) Ep. 74. n. 2. [2]) C. 1. [3]) H. E. L. VII. c. 3.

[4]) Commonitor. n. 9. — Cfr. haec ap. Schwane, Dogmengeschichte, B. I. S. 741. nota 4.

[5]) Graece: *Οὐδὲν τῆς πάλαι τῶν ἁγίων Πατέρων καταγγελθέισης πίστεως ὁ θεοφίλης τῆς Ῥώμης παρακεκίνηκε πρόεδρος.* Hard. II. p. 650. V. Franzelin. De Tradit. ed. 1. p. 69. nota 1.

cat sententiam, oppositamque impugnat, et non veretur Pontificem superbiae, imperitiae, imprudentiae accusare. Contra Cyprianum, uti videtur, tunc editus est ab aliquo episcopo Africae opus *de rebaptismate*, quo vera doctrina defenditur, et Cyprianus, quamvis haud nominetur, identidem vehementius carpitur[1]). Cyprianus autem in sua sententia persistens tertium indixit, celebravitque Kalendis Septembris a. 256 concilium, praesentibus ex Africa Numidia et Mauritania episcopis octoginta septem. In allocutione qua Cyprianus synodum exorsus est, inter alia haec animo minus pacato dicit: *Superest, ut de hac ipsa re singuli quid sentiamus proferamus, neminem judicantes, aut a jure communicationis aliquem, si diversum senserit, amoventes. Neque enim quisquam nostrum episcopum se episcoporum constituit, aut tyrannico terrore ad obsequendi necessitatem collegas suos adigit, quando habeat omnis episcopus pro licentia libertatis et potestatis suae arbitrium proprium, tamque judicari ab alio non possit, quam nec ipse potest alterum judicare. Sed exspectemus universi judicium Domini nostri Jesu Christi, qui unus et solus habet potestatem, et praeponendi nos in Ecclesiae suae gubernatione, et de actu nostro judicandi.*[2])

78. Quae hic dicit forte eo spectant, uti Möhler contendit, ut a se ipso removeat suspicionem dominationis in episcopos; vel epistolam tangunt Stephani Pontificis; imo fortasse utrumque intendunt[3]). Dum vero Cyprianus loquitur, ac si episcopi singuli nonnisi Christo Domino obnoxii essent, verba illa minus accurate dicta attribuenda sunt animo nimium commoto. Haec enim si sensu obvio et generali sumuntur, omnino pugnant cum principiis, quae ipse Cyprianus in causa Privati Lambesitani, Marciani Arelatensis, et Martialis ac Basilidis episcoporum Hispaniae, proposuit atque secutus est. Neque censemus, ipsum Cyprianum revera tunc talem sibi formasse opinio-

---

[1]) Cfr. Tillemont l. c. a. XLVII.

[2]) Acta hujus synodi nobis conservata sunt a S. Augustino, qui in opere *de Baptismo* l. VI eadem expendit.

[3]) Cfr. Schrödl, Gesch. d. Päpste etc.; *Stephanus*.

nem; sed quum persuadere sibi niteretur, in hoc negotio baptismatis haereticorum unumquemque episcopum suo posse stare judicio, id effato quodam generali minus recte minusque feliciter expressit.

79. Vota sua omnes episcopi atque ultimus Cyprianus eo sensu dederunt, repudiandum esse haereticorum baptismum et conversos in Ecclesia catholica baptizandos. Ab hac synodo dein legati missi sunt ad Stephanum, sed Pontifex aegerrime ferens Afrorum resistentiam, severiorem sese iis exhibuit. Ita enim acerbius Firmilianus ad Cyprianum: *A quibus* (vobis) *legatos episcopos patienter satis et leniter suscepit, ut eos nec ad sermonem colloquii communis admitteret; adhuc insuper dilectionis et caritatis memor praeciperet fraternitati universae, ne quis eos in domum suam reciperet, ut venientibus non solum pax et communio, sed et lectum et hospitium negaretur. Hoc est servasse unitatem spiritus in conjunctione pacis, abscindere se a caritatis unitate et alienum se per omnia fratribus facere, et contra sacramentum et fidem contumacis furore discordiae rebellare.* — A Firmiliano quae acciderunt exaggerari, ut alia plura, censemus; colligitur tamen ex iis, Stephanum aegre tulisse, quod Afri missis legatis conatibus suis insisterent, justaque severitate ipsum in hos legatos usum fuisse.

80. Hoc cum novisset Cyprianus, acerbius commotus Firmilianus. et forte veritus, ne tam aperta Romani Pontificis indignatio in majus erumperet malum, Orientales in causae suae subsidium vocare nisus est. Itaque Rogatianum diaconum cum litteris ad Firmilianum destinavit; hunc enim praecipua laude inter suos florere minime ignorabat; probabilius etiam noverat, eum saltem abstentionis interminatione jam a Stephano conventum fuisse. Id enim suadent verba Firmiliani: *Quid humilius, . . . quam pacem cum singulis variae discordiae genere rumpentem, modo cum Orientalibus, (quod nec vos latere confidimus), modo vobiscum qui in meridie estis.* Litterae Cypriani ad Firmilianum desiderantur; acres autem et acerbas fuisse, constat ex hujus responsis longe acrioribus profecto acerbioribusque, uti ex variis quos citavimus locis jam colligi potest.

Exitus controversiae.

81. Quae ulterius in hac lite inter Stephanum et Cyprianum gesta sint, haud certo cognoscitur; controversiam non omnino sedatam fuisse, satis colligitur ex epistolis Dionysii Alexandrini ad Sixtum II successorem Stephani. Videtur controversia aliquantisper sopita fuisse eo, quod mox anno 257 nova Valeriani persecutio in Christianos exardesceret. In hac persecutione S. Stephanus mense Augusto a. 257, martyrii coronam adeptus est. Sed jam aliquanto tempore ante martyrium ejus persecutionem viguisse, colligitur ex iis quae in *Libro Pontificali* habentur: *Suis temporibus exilio deportatus est; postea nutu Dei ad ecclesiam reversus est incolumis, et post dies XXXIV tentus a Maximiano missus est in carcerem cum novem presbyteris et duobus episcopis Honorio et Casto, et tribus diaconis Xysto, Dionysio et Caio. Ibidem in carcere ad arcum Stellae fecit synodum, et omnia vasa ecclesiae Archiadiacono suo Xysto in potestatem dedit, vel arcam pecuniae, et post dies sex exiens sub custodia ipse simul capite truncatus est.* — Probabiliter etiam in primos menses anni 257 incidunt conamina S. Dionysii Alexandrini, ut litteris datis ad Stephanum et presbyteros Romanos Dionysium et Philemonem, Pontificem moveret, ne propter morem baptizandi haereticos conversos tam multos episcopos excommunicaret.

82. Post martyrium S. Stephani in Pontificem electus est ejus diaconus S. Sixtus II (vel Xystus). Ipse post unum annum, die 6 Augusti a. 258, durante adhuc Valeriani persecutione, martyrium pariter subiit, uti colligitur ex epistola S. Cypriani ad Successum: *Xystum autem,* scribit, *in coemeterio animadversum sciatis octavo Iduum Augustarum die, et cum eo diaconos quatuor.* Sub Sixto controversia de haereticorum baptismo magis magisque sopita est. Dionysius ad ipsum, uti vidimus, plures scripsit hac in re epistolas, ut paci adlaboraret. Is quoque gravitatem quaestionis non perspiciens, elementum dogmaticum hac in re veluti seponebat, et in ancipiti relinquebat; in quaestione vero disciplinae varietatem hanc tolerari posse opinabatur, quamvis ipse morem ecclesiae Romanae cum veneratione sequeretur. Sixtus igitur ejusque

clerus videntur judicasse, prudentiae esse, decretum Stephani haud nimium urgere et abusum ad tempus tolerare, quin episcopos rebaptizantes a communione removerent. Sperabant merito, fore ut tempore labente, quum sententia decreto lata adesset, abusus ille evanesceret. Pacem et communionem Cyprianum cum S. Sixto habuisse, etiam deducitur ex illis verbis Pontii diaconi in vita S. Cypriani c. 14: *Jam de Xysto bono et pacifico sacerdote, ac propterea beatissimo martyre, ab urbe nuntius venerat.* Paulo post mortem Pontificis S. Cyprianus d. 14 Septembris pariter glorioso martyrio coronatus est, eumque semper ecclesia Romana inter sanctos martyres celebriores coluit.

83. S. Augustinus epist. 93 ad Vincentium apprime scribit de S. Cypriano: *Correxisse istam sententiam non invenitur; non incongruenter tamen de tali viro existimandum est quod correxerit, ut fortasse suppressum sit ab iis, qui hoc errore delectati sunt, et tanto velut patrocinio carere noluerunt.* (n. 38.) Affert dein etiam opinionem, epistolas Cypriani esse suppositas, quod tamen ipsi non probatur, et iterum: *Porro autem Cyprianus,* inquit, *aut non sensit omnino quod eum sensisse recitatis; aut hoc postea correxit in regula veritatis; aut hunc quasi naevum sui candidissimi pectoris cooperuit ubere caritatis, dum unitatem Ecclesiae toto orbe crescentis et copiosissime defendit, et perseverantissime tenuit vinculum pacis. . . . Accessit huc etiam, quod tanquam sarmentum fructuosissimum, si quid in eo fuerat emendandum, purgavit Pater falce passionis.* Sed de ratione agendi S. Cypriani inferius sermo recurret. — Certe consuetudo rebaptizandi haereticos ex tempore Sixti II paulatim derelicta fuit. Hieronymus Dial. contra Luciferianos (versus finem) ait: *Conatus est beatus Cyprianus contritos lacus fugere, nec bibere de aqua aliena; et idcirco haereticorum baptisma reprobans ad Stephanum tunc Romanae urbis episcopum, qui a B. Petro vigesimus sextus fuit, super hac re Africanam synodum direxit, sed conatus ejus frustra fuit. Denique illi ipsi episcopi, qui rebaptizandos haereticos cum ipso statuerant, ad antiquam consuetudinem revoluti novum emisere decretum.* S. Augustinus vero De Baptismo l. I.

c. 18 scribit, postea controversiam, de qua agimus, secundum S. Stephani rescriptum et communem Ecclesiae regulam plenarii concilii sententia fuisse definitam. Disputant auctores, utrum S. Augustinus nomine *plenarii concilii* intelligat hic concilium Arelatense habitum anno 314, an vero Nicaenum I quod a. 325 celebratum est.

IV.

Judicium criticum de Stephani et Cypriani hac in controversia gestis.

Variae sententiae.

84. Quid de modo agendi S. Stephani et de resistentia qua S. Cyprianus ei obluctatus est censendum sit, ex iis quae disseruimus jam erui potest; convenit tamen ut aliquanto accuratius sententiam nostram proponamus. Animadvertendum igitur est, non convenire auctores, dum de controversia quoad baptismum haereticorum suum judicium criticum ferunt. Atque imprimis ad Stephanum quod attinet, sunt 1° qui inopportunam arguunt Stephani et immoderatam severitatem, in eumque vehementioris litis culpam conferre satagunt. Videlicet Launojus, Bailletus, Tillemontius, Gervasius aliique ejusdem disciplinae viri, ut Cyprianum ac Firmilianum a naevis liberent atque omnino excusent, totis viribus in Stephanum invehunt. Illos si audias, Stephanus indigne prorsus erga Cyprianum se gessit, scripsit ad eum epistolam superbam, injuriarum plenam, fastum et dominatum affectat[1]). — 2° Basnagus, Launojus et alii, praesertim protestantes, contenderunt, Stephanum reprobantem errorem Afrorum incidisse in errorem oppositum, atque asseruisse, quorumcumque haereticorum baptismum etiamsi absque ritu essentiali, seu mutata legitima materia aut forma collatum, esse validum et minime iterandum. — Ulterius quidam existimant 3°, Stephanum dum manuum impositionem conferri vult haereticis conversis, intellexisse tum poenitentiae tum confirmationis

[1]) Cfr. Bolland. in S. Firmilian. §. VI.

sacramentum. Ita e. g. sensit, Mattes; opinatur et ipse, confirmationem ab haereticis collatam non esse validam[1]). Dum vero ipsa controversia vigeret, SS. Cyprianus et Firmilianus opinati sunt, confirmationis iterationem a Stephano permitti, indeque argumentati sunt, etiam baptismum iterandum esse. Ita Cyprianus ep. 73 sic disputat: *Quodsi secundum pravam fidem baptizari aliquis foris, et remissam peccatorum consequi potuit, secundum eamdem fidem consequi Spiritum Sanctum potuit; et non est necesse, venienti manum imponi, ut Spiritum Sanctum consequatur et signetur. Aut utrumque enim fides foris potuit, aut neutrum eorum qui foris fuerat accepit.* Firmilianus in sua epistola, et varii Praesules in concilio Carthaginensi similia dicunt[2]). Paucis haec expendamus.

85. Quum litterae S. Stephani ad nos non pervenerint, ex quibus sane statuendum de ejus agendi ratione foret, id solum remanet, ut ex coaevorum aliorumve veterum scriptorum qui propius ad ejus tempora accedunt scriptis discamus, quis fuerit ejus scribendi et agendi modus. Utique si S. Stephanus indigne suis litteris tractasset S. Cyprianum vel Firmilianum, id saltem aliqua ratione indicatum haberemus, sive a Dionysio qui illa aetate ad Pontifices suas *de Baptismo* epistolas scripsit, sive ab Augustino qui propensissimo ubique apparet animo in S. Cyprianum, sive ab Hieronymo qui sane verbis parcere non erat solitus, sive ab alio quovis scriptore antiquo. Sed apposite Auctor anonymus Dissertationis historico-dogmaticae de controversia nostra[3]): *Consule Dionysium Alexandrinum, Eusebium Caesaraeensem, Hieronymum, Augustinum, Vincentium Lirinensem, Facundum Hermianensem, Ven. Bedam, Nicephorum Callixtum, Georgium Sincellum, volvantur et ipsorum Donatistarum scripta, et si qui sunt alii, qui de agitata Stephanum inter et Cyprianum circa haereticorum baptisma quaestione verba fecerint. Hi profecto quid hinc*

Scriptores antiqui.

---

[1]) V. Mattes, Die Ketzertaufe Tüb. Qu. Schr. 1849. 1850.
[2]) Vide Coustant, Epistolae RR. Pontificum cc. 238 sqq.
[3]) Ap. Migne Patrol. lat. tom. III. col. 1289.

inde gestum fuerit, non ignorabant. Attamen nemo Stephanum non dico inhumanitatis aut tyrannidis, sed vel minimae severitatis erga Cyprianum aut alios insimulat; nemo aliquid in Stephani agendi ratione deprehendere valuit, quod ulla censura vel animadversione dignum sibi videretur. Et certe si tale quid observassent memorati scriptores, illud profecto minime suppressissent, nec Stephano magis quam Cypriano, cujus tanta agnoscebant et praedicabant merita, pepercissent, in quo tamen fuisse aliquid culpandum, aliquid corrigendum, manifestare veriti non sunt. — Veteres itaque uno ore laudant S. Stephani zelum, fortitudinem in defendenda apostolica traditione; nemo reprehendit vel carpit. Profecto existimandum est, Pontificem aegre omnino tulisse, quod viri tanto apud suos in pretio habiti, pervicaciter sententiae erroneae adhaererent, iisque graviter succensuisse, nec immerito sane; adeoque praecepit, ut ad saniora redirent consilia. Quod quidem praeceptum, ut esse gravissimum ipsi sentirent, et auctoritatem illi suam omnem adjunxit, et armatam non sine acri sed justa objurgatione intentavit si negligerent severitatem, annuntians, secus fore abstinendos vel sua communione privandos. [1]

86. Quod vero spectat ad hanc excommunicationem Asianis et Afris a Stephano intentatam, erant sane hujus severitatis gravia motiva. Plerique tamen merito existimant, idque vidimus solidis rationibus suaderi, ultra minas Pontificem non processisse. S. Augustinus atque Hieronymus ita censuerunt, eamque sententiam clarissimi auctores recentiores, uti Pagius, Natalis Alexander, Bollandistae, Hefele, tenent, quamvis Baronius et Mansi aliter existimaverint. Opportunum vero erit hoc loco ea addere, quae de minori genere excommunicationis scite disserit eruditissimus vir Benjamin Bossue, Bollandista. „Est, inquit, aliud quod sive solvendae sive elucidandae quaestioni proponamus, subtimidi quidem, cum a trita recedendum sit via. Judicet aequus lector. Scilicet etiamsi daretur, S. Stephanum ultra minas processisse, atque reapse

---

[1]) V. Bolland. l. c.

sua communione privasse S. Firmilianum cum Orientalibus sicut et S. Cyprianum cum Afris, nondum sequeretur tam unos quam alios ab Ecclesiae corpore separatos vel unitatis exsortes fuisse. Duplex namque distingui potest abstentio seu communionis privatio. Altera veram constituit excommunicationem et ab Ecclesiae corpore rescissionem; altera solum interrumpit mutuum inter ecclesias vel etiam personas commercium, neque anathemati est aequiparanda. Non desunt hujusmodi distinctionis vestigia in antiquitate ecclesiastica: *Dum saeculo secundo agitabatur quaestio de Paschatis celebratione, S. Victor I Asiaticos,* inquit Dumesnilius (Doctrina et discipl. Eccl. t. I. p. 215), *sua communicatione privat, sed excommunicationis anathema non intorsit; quae duo valde diversa sunt apud antiquos. Hinc, ut refert Epiphanius (haer. 70) Orientales ab Occidentalibus divulsi, pacificas a se invicem litteras nullas accipiebant.* Unde etiam Benedictus Palma (Prael. t. I): *Addendum est, Victorem tantummodo pacificas litteras Asianis ad aliquod tempus, quod tamen diuturnum non fuit, denegasse.*"

86. „Erat ergo quoddam minoris excommunicationis genus, ut notat P. Natalis Alexander[1]), qua nec ab Ecclesiae corpore segregati, nec extra salutis statum positi erant, sed honoribus nonnullis dumtaxat et appendicibus ecclesiastici communionis privati, nimirum epistolis formatis et hujusmodi. Proderit observasse ex Binghamo[2]), istas litteras diversas fuisse generis pro diversa occasione vel hominum conditione qui eas accipiebant. Generatim ad tres classes referebantur. Erant enim vel epistolae *commendatoriae* vel *communicatoriae,* vel *dimissoriae.* Primae classis epistolae illustrioris conditionis vel etiam hujusmodi hominibus dabantur, quorum existimatio in quaestionem fuerat vocata, vel clericis quibus in exteras regiones proficiscendum erat. Secundi generis epistolae omnibus iis impertiebantur, qui in communione Ecclesiae erant, pacemque cum ea colebant, unde etiam *pacificae* et *ecclesia-*

---

[1]) Hist. eccl. saec. V. p. II. Diss. 20.

[2]) Origenes sive antiquit. etc. t. I. p. 105.

sticae et interdum *canonicae* dicebantur. Tertium genus solis clericis dabatur, quando ex dioecesi sua in aliam concedebant, id quod pace episcopi sui eos facere testabantur, unde *dimissoriae* et similiter interdum *pacificae* vocabantur. Has universas generali nomine *formatas* appellabant, quod peculiari forma, singularibus signis et characteribus scriptae erant. — Etiam subsequenti tempore occasione persecutionis contra S. Joannem Chrysostomum et ejus apellationis ad S. Sedem (Innocentium I), ejusmodi suspensio communionis Ecclesiae Romanae cum Orientali accidit."

87. „Diligenter igitur consideranti ea quae in controversia de baptismo haereticorum gesta sunt, indicia occurrent minoris illius excommunicationis. Videlicet Cyprianus et Firmilianus cum suis a Stephano communione sua particulari privandi vel privati erant, interrumpendo mutuum commercium sive litterarum sive legatorum, (hos recusatos diserte constat ex Firmiliani litteris); non vero a corpore Ecclesiae rescisi sunt. Nec ullibi etiam traditur, praesules sive Orientales sive Afros munere suo interdictos, vel nomina ex sacris dyptichis expuncta fuisse. Utrum vero minatus fuerit S. Stephanus etiam majorem excommunicationem, qua penitus omnes illi episcopi et dioeceses ab Ecclesia separarentur, certo non constat; ita tamen rem intelligere videtur S. Augustinus, qui multum laborat, ut ostendat S. Cyprianum a pace Ecclesiae non fuisse separatum. Quamvis minor quoque illa pacis suspensio magnum malum esset, virisque Ecclesiae addictis, quales erant SS. Cyprianus et Firmilianus, admodum molesta atque acerba" [1]).

---

[1]) V. Bolland. Vita S. Firmil. 28. Oct. nn. 66 sqq. — Cfr. quae diximus de excommunicatione Diss. II. n. 75. — P. Pius Gams censet, de excommunicatione plena nullatenus actum fuisse. *On ajoute ordinairement qu'il (Etienne) menaça d'excommunication en cas de désobéissance, ce qui signifiait simplement dans la terminologie de cette époque, que le Pape interromprait avec lui toute relation ecclésiastique. Il ne pouvait venir à la pensée du Pape de fulminer l'excommunication sur la moitié de l'Eglise, mais il pouvait fort bien supprimer les relations ordinaires.* — Möhler, Hist. eccl. (vers. Gall.) V. I. Prém. Période, Ch. II § 11.

88. Paucis refelli potest opinio eorum qui censent, Stephanum incidisse hac in controversia in eum errorem, omne baptisma valere, etiam si forma et materia essentiales non adhibitae fuerint. Quod inferunt ex illis verbis: *Si quis ergo ex quacumque haeresi venerit ad nos, nihil innovetur; . . . cum ipsi haeretici proprie alterutrum ad se venientes non baptizent, sed communicent tantum.* Animadvertendum igitur est, Stephanum in responso suo supponere ritum essentialem baptismi esse servatum; etenim tota quaestio in eo erat, utrum baptisma haereticorum non sit invalidum eo ipso, quod extra Ecclesiam illi essent ac vera fide Christi et caritate carerent. Haereticos sub alia forma baptizantes Pontifex vel plane ignorabat, vel non attendebat. Certe S. Augustini est ea observatio, ut *facilius inveniantur haeretici qui non baptizent, quam qui non verbis istis* (in Ecclesia usitatis) *baptizent*[1]). Notant quoque Innocentius I ep. 16 ad Macedones, et S. Hieronymus dial. c. Lucifer., tempore Concilii Nicaeni solos Paulianistas contra formam baptismi peccasse, ac proptera a Concilio Nicaeno hos solos excipi, caeterorum haereticorum baptisma suscipi. Propter haec igitur adjuncta evenit, ut Stephanus, sicuti etiam alii Patres antiqui baptisma haereticorum commemorantes, de ulla exceptione facienda nihil habeant. — Accurate vero statum quaestionis in illa controversia describit Auctor *de Rebaptismate* initio sui tractatus. *Animadverto,* inquit, *quaesitum apud fratres, quid potius observari oportet in personam eorum, qui in haeresi quidem, sed in nomine Dei nostri Jesu Christi sint tincti, postmodum inde digressi et suppliciter ad Ecclesiam Dei advolantes totis praecordiis poenitentiam agerent, et erroris sui damnationem nunc demum intelligentes, auxilium salutis ab ea implorarent, utrum vetustissima consuetudine ac traditione ecclesiastica post illud quod foris quidem sed in nomine Jesu Christi Domini nostri acceperunt baptisma, tantummodo imponi eis manum ab episcopo ad accipiendum Spiritum Sanctum sufficeret, et haec manus impositio signum fidei iteratum atque consummatum*

An Stephan. erraverit.

[1]) De Baptismo C. Donat. l. VI. c. 25. n. 47.

eis praestaret, an vero etiam iteratum baptisma eis necessarium esset, tanquam nihil habituris, si hoc quoque adepti ex integro non fuissent, perinde ac si nunquam baptizati in nomine Jesu Christi forent. — Cyprianus pariter et Firmilianus in oppugnatione sua nituntur refutare Stephani assertionem: *Multum proficit nomen Christi ad fidem et baptismi sanctificationem, ut quicumque et ubicumque in nomine Christi baptizatus fuerit, consequatur statim gratiam Christi*[1]. Conveniebant igitur, apud haereticos conferri baptisma *in nomine Christi.* Appellatione autem baptismatis *in nomine Jesu Christi,* ab antiquis Patribus intelligebatur baptisma christianum ritu usitato collatum.

89. Ridet quidem S. Cyprianus ac prorsus absurdam censet rationem, qua traditionem de valore baptismatis Stephanus confirmabat, et: *Praeclara sane,* inquit, *et legitima traditio Stephano fratre nostro docente proponitur, quae auctoritatem nobis praebeat. Nam in eodem loco epistolae suae addidit et adjecit: Cum ipsi haeretici proprie alterutrum ad se venientes non baptizent, sed communicent tantum. Ad hoc enim malorum devoluta est Ecclesia Dei et sponsa Christi, ut haereticorum exempla sectetur*[2]. Sed de his verbis longe aliter judicabunt, qui ea attentius expenderint. Cum enim ab Ecclesia recesserint omnes haeretici, mirum non est de doctrina illius nonnihil eos retinere. Cum igitur quantumvis inter se dissidentes in aliquo cum Ecclesia consentiunt, hoc ab Ecclesia sibi traditum eos retinuisse, merito judicatur. Non eo proinde pertinebat argumentatio S. Stephani, ut vellet haereticorum agendi modum tanquam exemplum proponere, sed ut ostenderet, consuetudine universali ipsarum sectarum haereticarum, ut non rebaptizarent, probari antiquam fidem et traditionem de valore baptismatis ritu convenienti etiam extra Ecclesiam collati.

Cathedra Petri.

90. Facile porro est ostendere, S. Stephanum dum manus ab haeresi redeuntibus imponendas esse statuit, haud velle, ut sacramentum Confirmationis in iis iteretur.

---

[1]) Epist. Firmil.

[2]) Epist. 74. n. 4.

Nihil est quod Confirmationis sacramentum sonet, nihil quo aliam ab ea manus impositionem quam quae reconciliationis indicium esset, desiderari opinemur. Ubi enim Afrorum sententiae eum qui ab haeresi venit rebaptizandum esse, suam opposuit his verbis: *Nihil innovetur nisi quod traditum est,* ac deinde his addidit: *ut ei manus imponatur in poenitentiam,* proferre nihil potuit disertius, quo sacramenti Confirmationis intelligentiam amoveret. Colligitur hoc etiam ex eo quod sequitur: *Cum ipsi haeretici proprie alterutrum ad se venientes non baptizent, sed communicent tantum.* Hoc enim confirmat, a Stephano ritum designari, quo ad *communionem* Ecclesiae catholicae solemniter admittantur. — Jam existebat ritus ille, ut si quis catholicus ad haeresim delapsus postea ad Ecclesiam rediret, reciperetur *per impositionem manuum in poenitentiam.* Videmus id ex epistola S. Cypriani ad Quintum. *Et dicunt* (adversarii), inquit, *se in hoc* (quod non rebaptizent) *veterem consuetudinem sequi, quando apud veteres haereseos et schismatum prima fuerint initia, ut hi illic essent qui de Ecclesia recedebant, et hic baptizati prius fuerant: quos tunc tamen ad Ecclesiam revertentes et poenitentiam agentes necesse non erat baptizare. Quod nos quoque hodie observamus, ut quos constet hic baptizatos esse et a nobis ad haereticos transiisse, si postmodo peccato suo cognito et errore digesto ad veritatem redeant, satis sit in poenitentiam manum imponere, ut quia ovis jam fuerat, hanc ovem abalienatam et errabundam in ovile suum pastor recipiat*[1]). Eumdem ritum impositionis manuum manifeste Stephanus intelligit, quum perinde habeat, utrum quis apud catholicos an apud haereticos baptizatus sit; de sacramento Confirmationis nulla fit mentio. Quodsi Cyprianus et Firmilianus ita contra Stephanum disputare videntur, ac si Pontifex manuum impositione etiam Confirmationis sacramentum conferendum voluerit, id inde explicandum est, quod fervore disputationis plura confuderint; non vacat hic accuratius inquirere de sensu verborum utriusque Praesulis.

---

[1]) Epist. 71.

91. Statuit tamen Mattes, Stephanum dum manuum impositionem fieri jubet, etiam sacramentum Confirmationis conversis conferri voluisse. Id saltem in Stephani litteris contentum fuisse, erui censet ex eo, quod Cyprianus ac Firmilianus in suis scriptis hoc supponant et satis declarent[1]). Animadvertit vero Mattes, rationem cur theologi plures etiam celebriores id agnoscere noluerint eam esse, quod erroneam censeant sententiam qua tenetur, Confirmationem ab haereticis collatam invalidam esse, quodque propterea Stephanum ab hoc supposito errore purgare voluerint. Sed dein hic auctor pluribus propugnat eam opinionem, praeter baptismum et matrimonium, reliqua sacramenta, adeoque etiam Confirmationem, Ordinationem, Extremam Unctionem extra Ecclesiam collata invalida esse, et merito Stephanum voluisse, ut conversis Confirmationis sacramentum conferretur. — In Articulo de Confirmatione qui habetur in Dictionario eccles., (Freiburger Kirchenlex. Art. Firmung) idem asseritur.

92. Hanc quaestionem, quum ad theologiam dogmaticam pertineat, tantum paucis tangimus. Nullum igitur dubium est, Confirmationem ab episcopis rite ordinatis quamvis haereticis collatam, validam esse. Merito Perrone: *In sacramentorum ministro ad valide conferenda sacramenta non est necessaria fides, adeoque validus baptismus ab haereticis collatus. — Haec propositio, quod spectat ad baptismum, de fide est. Quod vero attinet ad Sacramenta reliqua (si poenitentiam excipias, non quidem ex defectu fidei, sed ex defectu jurisdictionis quo carent haeretici), certa est ac fidei proxima. . . . . . Eadem sane ratio quae suffragatur valori baptismi collati ab haereticis, suffragatur pariter valori caeterorum sacramentorum, quae omnia Christi sunt*[2]). Ac vix operae pretium est ut dicamus, hac in re convenire omnes universim theologos, ita ut communiter ne

---

[1]) Stephanum et Cyprianum in eo convenisse, quod Confirmationis sacramentum ab haereticis haud valide conferatur, etiam asseritur in Articulo de Confirmatione (Firmung), Freiburger Kirchenlex. B. IV. S. 76.

[2]) De Sacram. in gen. c. III. Prop. I.

mentio quidem fiat alterius opinionis[1]). Atque merito censuerunt auctores, Stephano non debere impingi errrorem sine solidis rationibus; nullum vero argumentum validum affertur. Etenim si Cyprianus ac Firmilianus et episcopi illis adhaerentes censent, Confirmationem haereticorum invalidam esse, id profecto cum generali eorum cohaeret errore, quo tenebant nullum sacramentum extra Ecclesiam conferri posse; si vero etiam Stephano hanc de Confirmatione opinionem tribuunt, id ardore disputationis et erronea interveniente suppositione factum est. — Verum quidem est, in reconciliatione haereticorum per manuum impositionem, orationes dictas fuisse, quibus invocabatur Spiritus Sanctus, ut descenderet cum donis suis super conversos, similes illis, quae in Confirmatione dicebantur; ac forte etiam Stephanus Pontifex quaedam adjunxerat de ejusmodi communicatione Spiritus Sancti. Attamen nullatenus haec pertinent ad iterationem Confirmationis, sed apprime explicantur, si prae oculis habetur distinctio nota inter *sacramentum* et *rem sacramenti.* Adultus qui sacramentum baptismi vel confirmationis suscipit sine debita dispositione, accipit quidem sacramentum, non vero rem sacramenti seu gratiam. Gratiae tamen seu effectus sacramenti particeps fiet postea, remoto obice. Jam vero Ecclesia in suis ritibus supponit, eos qui ex haereticis convertuntur fuisse in haeresi formali, non vero in bona fide, adeoque gratiae nondum factos esse participes. Sed quando cum Ecclesia reconciliantur, removetur obex, adeoque tunc etiam *rem sacramenti* illi accipiunt. Quum vero ritus reconciliationis sit manuum impositio, concipitur remotio obicis et communicatio gratiae et Spiritus Sancti (res sacramenti) huic ritui connexa, atque ita optime explicatur, quare in orationibus manuum impositioni junctis agatur de illa communicatione, et quo pertineant aliqua Patrum similia effata.

93. Ut jam finem faciamus disserendi de Stephani ratione agendi, id postremo certissimum habendum est, Doctrina Apostolica.

---

[1]) V. Franzelin. De Sacram. Th. XV.

doctrinam ab ipso vindicatam de valore baptismi haereticorum, ex traditione Apostolica dimanasse, et antiquissimam et unanimem consuetudinem hujus traditionis fuisse criterium luculentum. Antiquissimam fuisse consuetudinem quam vindicabat Stephanus, innovationem vero Cypriani praxim, ex iis quae diximus jam colligitur. Juvabit tamen pauca addere testimonia. Atque hic imprimis magni momenti est quod Auctor *de Rebaptismate* scribit; diserte enim hic Cypriani coaevus testatur, novitatem a Cypriano defendi. *In quo genere quaestionis,* scribit, *ut mihi videtur nulla omnino potuisset controversia aut disceptatio emergere, si unusquisque nostrum, contentus venerabili ecclesiarum omnium auctoritate et necessaria humilitate, nihil innovare gestiret, cum locum contradictioni non quemlibet animadverteret. Namque omne quod anceps et ambiguum et in diversis sententiis prudentium ac fidelium virorum constitutum est, si contra priscam et memorabilem cunctorum emeritorum sanctorum et fidelium solemnissimam observationem judicatur, damnari utique debet, cum in re olim composita et ordinata, quodcumque est illud quod contra ecclesiarum quietem atque pacem in medium producatur nihil praeter discordias et simultates et schismata allaturum; ubi nullus alius fructus reperiatur nisi hic solus, ut unus homo quicumque ille est* (Cyprianus), *magnae prudentiae et constantiae esse apud quosdam leves homines inani gloria praedicetur. . . Deterius delinquitur ab hominibus ejusmodi, si id quod in observatione antiquissima ab iis tanquam non recte fiat reprehenditur, et ab his qui ante nos fuerunt tum etiam a nobis recte observatum esse et observari manifeste ac fortiter ostendatur.* — S. Augustinus, apostolicam doctrinam a Stephano decreto suo servatam fuisse, omnino agnoscit scribens: *Nondum erat diligenter illa baptismi quaestio pertractata, sed tamen saluberrimam consuetudinem tenebat Ecclesia, in ipsis quoque schismaticis et haereticis corrigere quod pravum est, non iterare quod datum est. . . . Quam consuetudinem credo ex apostolica traditione venientem, sicut multa quae non inveniuntur in litteris eorum, neque in conciliis posteriorum, et tamen, quia per universam custodiuntur Ecclesiam, non nisi ab ipsis*

tradita et commendata creduntur. Hanc ergo consuetudinem per Agrippinum praedecessorem suum dicit S. Cyprianus quasi coepisse corrigi; sed sicut diligentius inquisita veritas docuit, quae post magnos dubitationum fluctus ad plenarii concilii confirmationem perducta est, verius creditur per Agrippinum corrumpi coepisse, non corrigi[1]). Disertius etiam Vincentius Lirinensis: *Quondam igitur venerabilis memoriae Agrippinus Carthaginensis episcopus, primus omnium mortalium contra divinum canonem, contra universalis Ecclesiae regulam, contra sensum omnium consacerdotum, contra morem ac instituta majorum, rebaptizandum esse, censebat . . . Cum ergo undique ad novitatem rei cuncti reclamarent, atque omnes quaquaversum sacerdotes pro suo quisque studio reniterentur, tunc bonae memoriae Papa Stephanus Apostolicae Sedis Antistes, cum caeteris quidem collegis suis, sed tamen prae caeteris restitit, dignum, ut opinor, existimans, si reliquos omnes tantum fidei devotione vinceret, quantum loci auctoritate superabat*[2]). In Canonibus Apostolorum qui dicuntur, rejicitur quidem haereticorum baptisma. Sic enim habet Can. 45: *Episcopum aut presbyterum qui haereticorum baptisma aut sacrificium susceperit deponi praecipimus. Quae enim conventio inter Christum et Belial? aut quae particula fideli cum infideli?* Et 46: *Episcopus aut presbyter, si eum qui verum baptisma habeat iterum baptizaverit, aut pollutum ab impiis non baptizaverit, deponitur, ut qui crucem et mortem Domini derideat, neque discernat veros sacerdotes a sacerdotibus impostoribus.* Sed merito cl. Hefele advertit, nihil ex his canonibus colligi posse, quum ad ipsa tempora pertinere videantur, quibus (initio saec. III) abusus baptizandi haereticos conversos inductus est.

94. Jam de Cypriani et Firmiliani oppositione judicium feramus. Argumentatur Reinkens (l. c.) ex resistentia S. Cypriani, ab ipso primatum R. Pontificis haud agnitum fuisse, atque addit, Cyprianum haeresi et excommunicationi subjectum obiisse. Similiter ex oppositione Cy- Cypriani oppositio.

[1]) De Bapt. l. II. n. 12. [2]) Commonit. c. 9.

priani et Firmiliani tum Gallicani, uti Bossuet in Defensione Declarationis Cleri Gallicani[1]), tum Döllinger[2]) aliique, probare nisi sunt, infallibilitatem Romani Pontificis ab antiquis haud agnitam fuisse. Contendunt videlicet, quaestionem de baptismo haereticorum evidenter fuisse dogmaticam, definitionemque dogmaticam a Stephano propositam fuisse. Animadvertenda igitur haec veniunt:

95. Oppositio Cypriani et Firmiliani contra Pontificem 1° manifeste prae se fert characterem animi passione vehementer commoti, eorumque disputatio, qua in litteris Pontificem exagitant et carpunt, non minus sophistica est quam violenta. Jam vero per omnia fere saecula usque ad dies nostros exempla habemus ejusmodi oppositionis contra legitimam RR. Pontificum auctoritatem, atque identidem etiam viri qui vario virtutum genere florebant hac in re aliquid humani passi, et ad dicta factaque abrepti sunt quae non conveniebant. Sed ex tali genere oppositionis nulla certe valida ratio contra primatum et legitimam auctoritatem Pontificum depromi potest. Imo maximum pro eadem auctoritate argumentum inde profecto desumitur, quod Stephanus haud dubie et haerens, sed cum vigore et dignitate, sui juris plane conscius, supremam auctoritatem sibi vindicat, et quae fieri debeant ac teneri decernit. Quare vero Kraus asserat, Stephanum hac in controversia Cypriano imparem fuisse[3]), plane non video; nam ex eo quod Cyprianus arte dicendi et scribendi excellat, et stylo polito etiam ea dicat quae examen non sustinent, inferri certe nequit universim, in hac lite ei parem non fuisse Stephanum, cujus scripta non exstant.

Primatus non negatur

96. Cyprianus et Firmilianus 2° haud negarunt primatum Stephani, sed aegerrime tulerunt, quod ipse in hac lite provocaret ad suum primatum, atque passione abrepti restiterunt illi primatus et auctoritatis *applicationi,* qua praxim rebaptizandi Pontifex omnibus stricte prohibebat. Jam vidimus, Cyprianum variis scriptis et gestis primatum

---

[1]) L. IX. c. 4 sqq. [2]) Erwägungen n. 12; Janus S. 70.
[3]) K. G., B. I. § 31. n. 2.

Romani Pontificis apprime agnoscere et urgere. Sed etiam in ipsa epistola ad Quintum satis ostendit, primatum a se agnosci. Argumentatur enim ex comparatione cum Petro et ex ejus exemplo, quod scilicet Petrus, quamvis magnam dignitatem haberet, tamen Pauli inferioris consilio cesserit et non provocaverit ad suam auctoritatem. *Nam nec Petrus,* inquit, *quem primus Dominus elegit et super quem aedificavit Ecclesiam suam, cum secum Paulus de circumcisione postmodum disceptaret, vindicavit sibi aliquod insolenter aut arroganter assumpsit, ut diceret se primatum tenere, et obtemperari a novellis et posteris sibi potius oportere. Nec despexit Paulum, quod Ecclesiae prius persecutor fuisset; sed consilium veritatis admisit, et rationi legitimae quam Paulus vindicabat facile consensit.* — Vis argumenti hic in eo est: Petrus quidem habebat primatum, verumtamen non provocat ad eum, et quaestionem non ex auctoritate dirimit, sed cedit consilio Pauli; ita et Stephanus, qui in cathedra Petri sedet, non debet hac in re provocare ad suum primatum et jubere sibi obtemperari, sed debet cedere veritati. — Quodsi aliqua in scriptis Cypriani ad hanc litem pertinentibus habentur, quae si consequentia stricta urgerentur primatum destruerent, inde nihil aliud deduci potest, nisi Cyprianum commotum dixisse aestu discussionis aliqua, quae cum principiis et veritatibus ab ipso admissis pugnant. Sed neminem latet, id praesertim in vehementioribus controversiis identidem etiam viris egregiis accidere.

97. Ita etiam Firmilianus in suis litteris ad Cyprianum non negat Stephani primatum, sed quum forte, utpote Origeni amicissimus, jam minus devotus esset Ecclesiae Romanae quae Origenem damnaverat, id maxime eum irritavit, quod Stephani auctoritate videret praxim ipsi vehementer probatam aboleri, quodque ab illo qui ad successionem Petri suumque primatum provocabat, haereticis, uti censebat, ea deferrentur, quae soli Ecclesiae convenirent. Hinc illa verba: *Atque ego in hac parte juste indignor ad hanc tam apertam et manifestam Stephani stultitiam, quod qui sic de episcopatus sui loco gloriatur et se*

successionem Petri tenere contendit super quem fundamenta Ecclesiae collocata sunt, multas alias petras inducat et ecclesiarum multarum nova aedificia constituat, dum esse illic baptisma sua auctoritate defendit (n. 13). Nulla hisce negatio primatus continetur.

Nec infallibitas S. Sedis.

98. Animadvertendum est 3°, Stephani decretum directe et explicite datum fuisse relate ad *praxim* et observationem antiquae consuetudinis non rebaptizandi haereticos conversos; ita etiam ab antiquis rescripta Pontificis considerata sunt, uti vel ex ipsis verbis Eusebii patet (H. E. VII. 3). Neque ob doctrinam, sed quod praxim Romanam ex traditione manantem acceptare recusarent et in abusu suo persisterent, Asianis et Afris minatus est Stephanus communionis suspensionem, uti quondam Victor ob diversam celebrationem Paschatis Polycrati similia intentavit. Cyprianus autem et Firmilianus manifeste Stephani decretum tractant ut praeceptum latum in re disciplinari et quoad administrationem dioecesium, in qua diversitatem adesse posse contendunt, et libertatem sibi, quamvis immerito, vindicant. Quum adversariis etiam concedant libertatem sequendi usum suum, inde colligitur, eos aestu discussionis et inconsequentia quadam in talibus casibus haud raro obveniente, gravitatem rei quoad doctrinam non plane perspexisse, et neglexisse. — Etenim S. Cyprianus secundum principia sua de unitate fidei necessaria, haud potuisset admittere discrepantiam in doctrina tanti momenti.

99. Si verba Stephani 4° per se spectantur, directe non definiunt quaestionem *fidei*; sed decretum disciplinare Pontifex emisit, quin tamen ipsam de ministro baptismi doctrinam, cui saluberrima non rebaptizandi consuetudo ac traditio, ipsumque praeceptum initebantur, directe et explicite definiret. Hoc sensu merito dici potest, exortam controversiam non dicrete et immediate de fide, sed disciplinarem fuisse[1]). Proinde etiam asseri nequit, Cyprianum et Firmilianum oppugnasse inerrantiam Sedis Apostolicae. De-

[1]) Cfr. Franzelin, De Traditione, th. VIII. II, 2° nota. (Edit. 1a p. 69.)

creto Stephani *implicite* quidem *indirecte* et *consequenter* continebatur sententia affirmativa de valore baptismi haereticorum, et quaestio doctrinalis solvebatur. Sed viri illi animo commoti respiciebant praeceptum practicum a Stephano latum ipsisque exosum, et illud directe impugnant maxime ex consuetudine opposita apud ipsos vigente. Intelligebant certe et ipsi, controversiae disciplinari implicitam esse quaestionem doctrinalem de valore baptismi haereticorum, et suam sententiam negantem variis argumentis probare, oppositamque sententiam refutare conantur. Sed Pontificem non aggrediuntur, quod definitionem dogmaticam edere voluerit et in ea erraverit. — Aliud porro est, Cyprianum et Firmilianum, si suo modo agendi consequenter institissent, eo adduci debuisse, ut infallibilitatem Sedis Apostolicae negarent; aliud vero, controversiam uti gesta est spectasse hanc inerrantiam, eamque rejectam fuisse.

100. Observare convenit 5⁰, inerrantiam Sedis Apostolicae in rebus fidei ea aetate potius fide simplici et implicite in generalibus principiis fuisse agnitam, quatenus supremam auctoritatem Sedis Apostolicae et necessitatem, ut omnes ecclesiae in doctrina cum ecclesia Romana convenirent, ad quam perfidia seu error accessum non posset habere, fideles agnoscebant. Distinctius eadem infallibilitas, ut peculiaris praerogativa S. Sedis, elementum speciale ejus supremae auctoritatis constituens, decursu temporis agnita et proposita est; labente enim tempore frequentiores adfuerunt occasiones, ut Romani Pontifices hac inerrantiae dote uterentur, ac expresse eam sibi tribuerent. Obedientia et assensu debito clarius Ecclesiae fides se manifestavit, Doctores illud privilegium distinctius S. Sedi asseruerunt, ac postremo quando directe haec infallibilitas impetita est, etiam expresse eam vindicaverunt.

101. Facilius igitur fieri potuit, ut Cyprianus ad hanc Sedis Apostolicae infallibilitatem in sua oppositione non attenderet, eamque indirecte laederet, (haud enim directe eam impetiit). Nam aestu passionis et discussionis praeventus erat, mentisque ejus perspicacitas obumbrata. Decisio doctrinalis tantum implicite aderat, contenta in man- Cyprianus excusandus.

dato proposito; Cyprianus autem directe negotium illud tractavit ut quaestionem practicam ad disciplinam pertinentem. Quum porro, uti diximus, infallibilitas R. Pontificis ut peculiaris veritas nondum ita distincte proposita esset, sed generalioribus principiis potius inclusa teneretur, fieri potuit, ut Cyprianus ad eam non adverteret, vel opinaretur, hoc in casu *non eas adesse conditiones,* ut in doctrina cum Ecclesia Romana convenire necessarium esset[1]). Atque hoc loco opportunum est ea notare, quae Bellarminus ad rem nostram dicit. *Respondeo,* inquit, *ad exemplum Cypriani, Cyprianum quidem non fuisse haereticum, tum quia nec modo* (tempore Bellarmini) *censentur manifeste haeretici, qui dicunt Pontificem posse errare, tum quia sine dubio, Stephanus Papa non definivit tanquam de fide haereticos non rebaptizandos, licet jusserit non rebaptizari, ut patet ex eo, quod non excommunicavit Cyprianum et alios contrarium sentientes; sicut etiam e contrario Cyprianus in concilio octoginta episcoporum definivit haereticos rebaptizandos, tamen noluit hoc haberi tanquam de fide, diserte protestans, non propterea se velle separari ab iis, qui contrarium sentiebant. . . . Fuit post Pontificis definitionem adhuc liberum aliter sentire, ut Augustinus dicit, quia Pontifex noluit rem ipsam de fide facere sine generali Concilio, sed*

---

[1]) Nec dici potest, a S. Cypriano infallibilitatem Sedis Apostolicae directe impetitam fuisse, quatenus impugnavit disciplinae universalis decretum, ad quod infallibilitas Romani Pontificis etiam se extendat. Etenim directe Cyprianus Stephani Pontificis *praeceptum* aggressus est, quatenus contendit, arbitrario modo a Pontifice libertatem administrationis episcoporum in sua dioecesi coërceri, et hisce jus competere, ut usus et consuetudines a Romanis diversos conservarent. Adeoque talem extensionem et *applicationem auctoritatis* pontificiae per se Cyprianus impugnavit. Eo ipso quod statuebat, in aliis regionibus consuetudinem non rebaptizandi posse servari, sequitur, momentum essentiale controversiae non in ea quaestione positum fuisse, quod Stephani decretum fidem laederet vel universali Ecclesiae nocivum esset, adeoque etiam sub hoc respectu per se non impugnatam fuisse inerrantiam Sedis Apostolicae. Animadvertendum praeterea est, quum generatim haec inerrantia ea aetate adhuc potius fide simplici et in generalibus principiis quam explicita doctrina agnosceretur, id eo magis valere de extensione hujus infallibilitatis ad disciplinam universalem.

solum voluit interim servari antiquam consuetudinem[1]). In hac explicatione Bellarmini aliqua minus accurata nobis videntur, quatenus censemus, in decreto peremptorio Stephani *implicitam* fuisse decisionem etiam quoad quaestionem doctrinalem, supponique Pontificis infallibilitatem; adeoque objective et per se omnes acquiescere debuissent etiam huic decisioni doctrinali, nec quaestio doctrinalis libera mansit. Sed ex Bellarmini dictis denuo colliges, eo ipso, quod decisio doctrinalis tantum implicite decreto involveretur, quod non directe ageretur de doctrina nec provocaretur ad S. Sedis inerrantiam, quod infallibilitas R. Pontificis ut distincta et peculiaris praerogativa nondum tam multipliciter se manifestasset et proposita fuisset, excusationes adesse pro Cypriano, dum doctrinam veram non suscepit.

102. Ad rem quoque P. Ballerini scite advertit: *Consuetudines ejusmodi diversae, quae salva unitate apud catholicos utrinque vigent, ita rem obscuram faciunt, ut quamvis versentur in materia sacramentorum, incertum videri possit, num ad fidem an vero ad disciplinam diversam pertineant*[2]). Inde etiam intelligitur, quomodo S. Augustinus S. Cyprianum excuset, quod eo tempore nondum per Concilium plenarium veritas declarata esset. *Nec nos ipsi*, inquit, *tale aliquid* (valorem baptismatis haereticorum) *auderemus asserere, nisi universae Ecclesiae concordissima auctoritate firmati; cui et ipse sine dubio cederet, si jam illo tempore quaestionis hujus veritas eliquata et declarata per plenarium Concilium solidaretur. Quomodo enim potuit ista res tantis altercationum nebulis involuta ad plenarii concilii luculentam illustrationem confirmationemque perduci, nisi primo diutius per orbis terrarum regiones multis hinc atque hinc disputationibus et collationibus episcoporum pertractata constaret*[3]). S. Augustinus, in S. Cyprianum propensissimus, quantum poterat eum excusabat. Quamvis igitur ipse rescriptis Roma da-

S. Augustini sententia.

---

[1]) De Rom. Pont. L. IV. c. 7.
[2]) De vi ac ratione primatus, C. XIII. §. III.
[3]) De Baptismo l. II. c. 5.

tis causas finiri non dubitaret, nihilominus poterat citata ad excusationem dicere. Quaestio enim quamvis in se doctrinalis esset, tamen illo tempore directe sub respectu disciplinari tractata erat; et sub respectu doctrinali Stephanus P. haud explicite eam definierat, nec directe in isto negotio de infallibilitate R. Pontificis actum est. Postea vero causa *de facto* in plenario Concilio (Arelatensi vel Nicaeno) uti ex Augustino vidimus, etiam sub respectu doctrinali plane eliquata et terminata est. Hinc hujus plenarii Concilii S. Doctor mentionem facit, et advertit contra Donatistas, haud dubitandum esse, quod tali Concilio etiam S. Cyprianus cessisset. Nullatenus vero his approbat quod Stephano haud cesserit, nec affirmat, eum Pontifici cedere haud debuisse. Optime hac in re Petrus Ballerini: *Quod si* (Augustinus) *hujus quaestionis definitionem non Stephano Papae sed plenario Concilio adscripsit, non ea de causa factum est, quia summis Pontificibus definiendi auctoritatem deesse crederet, qua Pelagianam causam omnino finitam fuisse confessus est, sed quia non ita in causa de haereticorum baptismo, uti in Pelagii causa definierat Apostolica Sedes, sed Concilium plenarium; vel etiam quia, (ut hoc quoque cum priori responsione concinens addam), humano more disserenti contra Donatistas ecclesiasticam auctoritatem nihili facientes, non ita efficax apud eos esse poterat unius Pontificis decretum, uti decretum Concilii plenarii, in quo post multam multis in provinciis discussionem manifestata jam veritate tot Patrum sententiae in unam conspirarunt, cum praesertim ex his constiterit, consuetudinem quae Romae vigebat fuisse universalem totius Ecclesiae catholicae, ac proinde traditionis divinae; quod ex solo decreto Stephani solam ingerente consuetudinem Romanam, quae disciplinae potuit adscribi, inferri evidenter et convinci non poterat.*[1]).

Veritas facti. 103. Ne quid desideretur in Disquisitione nostra, oportet demum pauca dicere de *conatibus virorum eruditorum, qui historicam veritatem* controversiae de baptismo haereticorum, vel ex integro vel ex parte *inficiati sunt.* Con-

---

[1]) De vi ac ratione primatus l. c.

tenderunt videlicet, hanc controversiam ac dissensionem maxime inter Stephanum et Cyprianum fuisse confictam a Donatistis, qui omnes ad suam sectam venientes denuo baptizabant, vel ab eorum fautoribus. Ita opinati sunt Raimundus Missorius O. S. F., *Dissertationes criticae in epistolas Firmiliani et Cypriani* (1733); Renatus Jos. Tournemine S. J., *Conjecture sur la supposition de quelques ouvrages de S. Cyprien et de la lettre de Firmilien,* Mémoires de Trévoux (1734); Marcellinus Molkenbuhr O. S. F., *Dissertationes criticae VII, XIV* (1790); Wolfgangus Froelich, *Inquisitio critica in Histor. eccl. Eusebii* (1808); J. N. Alber O. Schol. Piarum, *Dissertationes in selecta argumenta. Hist. eccl.* (1820); Illm. D. Vincentius Tizzani Archiepiscopus Nisibenus, *La celebre contesa fra S. Stefano e. S. Cipriano* (1862.)

104. Ut vero indoles sententiae illorum virorum eruditione caeteroquin illustrium noscatur, aliqua juvabit adjicere ex iis, qui celebriores sunt, videlicet PP. Missorius et Molkenbuhr atque Illm. Tizzani. Missorius asserit, *historiam de Orientalium atque Afrorum anabaptismo ab Eusebio Caesariensi esse confictam.* P. Molkenbuhr in suo scepticismo critico multo longius progressus est. Etenim non solum litteras SS. Firmiliani et Cypriani atque Concilia Carthaginensia, sed insuper alia plurima asserit conficta. Adeoque demonstrasse putat, Cepham a Paulo reprehensum non esse Petrum Apostolum, neque hunc unquam sedisse Antiochiae. Dein: *Eo deveni,* scribit, *ut nonnulla opera quae antiquis auctoribus adscribuntur, ex pluribus indiciis cognoverim esse respective supposititia vel mutila vel interpolata, et quidem talia opera, ex quibus gravissimae et intricatissimae controversiae fuere enatae non minus in Theologia dogmatica quam historia et chronologia ecclesiastica necnon patrologia, signanter quatuor primorum saeculorum. Non possum non meas in re tam ardua cogitationes publici juris facere. Initium facio ab epistola Firmiliano adscripta, quae ex universis quae exstant inter Cyprianas est celeberrima. Proximo tempore et epistolas S. Basilii canonicas* (ad Amphilochium) . . . *crisi subjciam. Denique et ostendam, Eusebii Caesariensis historiam ecclesia-*

Sententia indoles.

sticam in puncto rebaptizationis, controversiae celeberrimae S. Stephanum Papam inter et Firmilianum, necnon et Paschatis celebrandi S. Victorem Papam inter et Polycratem ac Irenaeum, esse interpolatam. . . . Hujus Eusebii librum inscriptum „Vita Constantini M." fuisse mutilatum jam alias subindicavi. Mentionem quoque faciam de orthodoxia S. Dionysii Alexandrini, et quod is nunquam faverit rebaptizantibus; insuper quod hac in causa Catalogus S. Hieronymi de Viris illustribus fuerit male corruptus. . . Et epistolas S. Cypriani examinabo, consequenter et concilia Africana, quae in causa rebaptizationis contra definitionem S. Stephani Papae celebrata fuisse dicuntur, attingam; attingam et reliqua: campus vastissimus undique spinis circumseptus et consitus[1]. „Quem campum, ait P. Bossue, nihilominus intrepide auctor ingressus atque emensus est, falce sua critica non solum spinas demetens, sed et ipsa opera radicitus praescindens, evellens vel exstirpans"[2]. Totam igitur rebaptizationis controversiam a Donatistis confictam et suppositis documentis fulcitam esse, P. Molkenbuhr existimat.

105. Illm. Archiepiscopus Nisibensis hanc opinionem evolvit ac vindicat. Nullum unquam fuit de baptismo dissidium inter S. Stephanum et S. Cyprianum Afrosque. Confictae hujus de illa quaestione epistolae; confictum decretum S. Stephani quatenus ad Africam spectat; conficta Concilii Carthaginensis Acta. Aliud est de Oriente; hic vehementer agitata quaestio; coepta Iconii a. 234, ardentius erupit sub praefato Pontifice Romano, qui cum decrevisset nihil immutandum, aperte restiterunt antistites quorum praecipuus Firmilianus; Afrorum vero nullus intervenit praeter S. Dionysium Alexandrinum, non erroris tuendi causa, sed pacis conciliandae. Deinceps rumor Orientalis dissidii per Africam sparsus, Donatistarum artibus late percrebuit; isti autem confundentes acerrimam Orientalium disceptationem cum pacifica consuetudine Afrorum, (hanc enim admittit Illm. auctor), historiam depravarunt, ut

---

[1]) Binae dissertationes praef.

[2]) Bolland. ad 28 Oct. Vita S. Firmiliani §. VIII.; inde expositionem deprompsimus.

episcopum Carthaginensem inducerent cum Stephano contendentem. Itaque confecerunt illius nomine epistolas et pariter acta concilii; idque eo facilius, quod tunc eorum schisma valeret et combusta essent a circumcellionibus Africae tabularia[1]).

106. Jam vides, auctores illos admodum dissentiri in suis suppositionibus, dum veritatem historicam controverversiae impugnant. Caeterum fere iisdem utuntur argumentis *intrinsecis* et *extrinsecis*. Argumenta intrinseca praecipue inde petuntur, quod Cyprianus et Firmilianus fuerint viri magna sanctitate praediti, ingenio et doctrina insignes. Jamvero illae epistolae plurima continent talibus viris plane indigna, nam modo injurioso invehunt in Rom. Pontificem, falso ratiocinantur, falso interpretantur plura ex sacris Litteris loca, manifeste sibi contradiunt, etc. — Sed quod haec attinet, recte Illm. Freppel quoad S. Cyprianum ait, idemque Firmiliano applicari potest: *Verum quid inde? An mirum cuipiam videbitur, scriptorem dum errori patrocinatur praepostere ratiocinari, vehementer falli, non sibi constare? Mirandum potius foret, si non ita esset. Nec viri etiam doctissimi ab hujusmodi labe sunt immunes. Caeterum rationes a. S. Cypriano prolatae multum abest ut leves sint, cum S. Augustinus fateatur, perlectis litteris ad Jubajanum, iturum se fuisse in eamdem sententiam, nisi eum revocasset tanta auctoritas*[2]).

Argumenta.

Diluuntur.

107. Quod vero epistolae illae vehementiori acerbiorique stylo scriptae sint, atque immerito in iisdem plura dicantur Stephano injuriosa, id possumus quidem pie excusare illa observatione Baronii in Firmiliani epistolam: *Dicam*, inquit, *opportune illud Gregorii Nazianzeni*: *Non viles tantum et plebeios, sed etiam praestantissimos quosque viros Momus interdum attingit, ut solius Dei sit, omni prorsus peccato atque animi perturbatione vacare*[3]). Sed

[1]) L. c. Art. XXXII; ap. Bolland. l. c. n. 46.
[2]) St. Cyprien et l'Eglise d'Afrique au IIIe siècle. p. 433 sqq. Paris 1865.
[3]) Annal. ad a. 258. n. XLIV.

propter ejusmodi rationes non licet in suspicionem adducere genuinitatem illorum documentorum: similia enim exempla quovis fere tempore accidunt. Ad rem P. Bossue: „Nemini non nota est controversia, quae circa initium saeculi XVII efferbuit Bossuetium inter et Fenelonium, vehementioribusque animorum motibus agitata. Pone haec contigisse plura ante saecula et ante artis typographicae usum; nonne si sinceritas scriptorum dijudicanda est ex dictionis seu vehementia seu asperitate, spuria et conficta censerentur quae a summis illis viris edita tunc prodiere? Quis crederet Fenelonium, cujus apud omnes depraedicantur mansuetudo et caritas, folia adeo pungentia et aculeata atque mordacia scripsisse contra Meldensem episcopum, imo et rupti sigilli sacramentalis (adhibita voce ambigua) reum insinuasse? Quis crederet, alterum tam virulenter, tam verbose, tam superbe imo et inique Cameracensem Praesulem lacerasse, ut Montanum diceret novae Priscillae? Legantur libri et libelli utrimque in publicum nec sine offensione sparsi; et ni vehementer fallar, vix non ad unum omnes, ex principiis et critices regulis a Missorio aliisque nonnullis ad usum suum concinnatis, censebuntur spurii et ab Ecclesiae hostibus conficti. . . Adeo verum est quod monebat Baluzius, nempe si istiusmodi conjecturris et regulis indulgere fas esset, nullum non antiquitatis monumentum facile labefactaveris“[1]).

108. Ad argumenta *extrinseca* quod pertinet, ut eorum indoles intelligatur, sufficiat paucis commemorare quae habet Illmus Praesul Nisibensis. Primarium auctoris argumentum desumitur ex silentio indigenarum et scriptorum coaevorum. *Si,* inquit, *vere dissidium Africanum exstitit, quomodo omnes Afri Augustino excepto illud praetermisissent*[2])*?* Tres auctores coaevi signantur, Anonymus de rebaptismate, Dionysius Alexandr., et Pontius S. Cypriani diaconus, qui ejus vitam conscripsit. Sed quod ad Anonymum spectat, non videtur omnino siluisse, quum dicat: *Ideoque nonnulla super hac nova quaestione scripta et rescripta esse jactabantur.*

---

[1]) L. c. n. 43.

[2]) L. c. p. 302 sqq.

Praeterea quum in Africa scriberet, rationes potuerunt adesse, ne dissidium cum Pontifice Romano multum urgeret. Fateri demum debemus, non omnino certo constare, quando ille liber scriptus sit. S. Dionysius, qui sedit in extrema Africae ora Asiae minori finitima, potius Orientalibus quam Afris est annumerandus, ac totus in eorum controversia componenda occupatus erat. Unde ipse Nisibensis Praesul dissidium orientale admittit, quod illius et quidem solius idoneum censeat testimonium. Restat unus Pontius Vitae Cyprianae praeclarissimus scriptor, *qui si silet de quaestione nostra,* ut apposite ait Illmus Freppel, *multa quoque alia praetermittit, v. g. schismata Novati et Felicissimi, quae maximas S. Doctori suscitarunt molestias*[1]).

Positiva autem testimonia Eusebii, Basilii, Hieronymi, Donatistarum, Vincentii Lirinensis, talia sunt, et tam bene cum documentis quae exstant congruunt, ut nonnisi inepte asseri possit, eos deceptos esse, vel (Eusebium) decipere voluisse. Haud vacat haec ulterius evolvere; id unum addamus quod merito animadvertit Ill. Freppel: Ut suam adversarii illi tueantur sententiam, veritatem historicam negantem, *coguntur,* inquit, *fidem adhibere tacentibus, denegare loquentibus*[2]).

---

1) S. Cyprien, p. 437.

2) S. Cyprien p. 436. — Quaestionem hanc accuratius discussam vide ap. Bollandistus in Vita S. Firmiliani (28 Oct.), auctore P. B. Bossue; et ap. P. De Smedt, Dissert. V. Prooemium I.

Dissertatio quinta.

De ortu Arianismi ac de Concilio Nicaeno.

Dissertationis indoles.

1. Quum id maxime nobis propositum sit, ut de iis disseramus historiae ecclesiasticae eventibus, qui vel controversiis acrioribus occasionem dedere, vel in evolutione ac vita ipsius Ecclesiae fuerunt majoris momenti: nemo est qui non videat, ex eventibus saeculi IV merito a nobis eligi Arianismi ortum et Nicaenum Concilium, ut accuratius de hisce tractemus. Immani enim Arii haeresi ipsa fundamenta fidei et religionis christianae concussa sunt, atque Ecclesiae pace jam fruenti[1]) ab inimicis internis iterum summa imminuere pericula. Per primum autem illud Concilium oecumenicum solemniter vera fides proclamata est, ac firmis moenibus religionis ara contra hostium impetus circumsepta. Unde etiam insurgentes haereses multiplices subsequentium saeculorum, Concilii Nicaeni definitionibus atque decretis jam rejectas atque elisas fuisse, Ecclesiae Doctores animadverterunt; ac posteriores Synodi ad magni illius Concilii auctoritatem atque doctrinam provocare solebant. Plane singulari etiam ratione, divina Providentia disponente, Ecclesiae unitas, sanctitas, atque majestas, in celebratione hujus Synodi enituit, ita ut in eadem videas veluti oculis repraesentatum mirum illum triumphum, quem post trium sae-

[1]) De triumpho religionis christianae rerumque mira immutatione per Constantini conversionem, peculiari quidem Dissertatione agere conveniret; sed temporis angustiae id fieri modo non sinunt. Quae eo pertinent in hac nostra Disquisitione breviter attingemus.

culorum persecutiones, Dei operante virtute Ecclesia reportavit. — Hinc Concilii Nicaeni singularem excellentiam et venerandam insuper et eximiam majestatem, summis etiam laudibus atque praeconiis semper prosecuti sunt sanctissimi Patres. Quorum unius S. Leonis Papae scribentis ad Anatolium Constantinopolitanum episcopum hic satis sit elogia sane praeclarissima recitare. *Nulla,* inquit, *sibimet de multiplicatione congregationis synodalia concilia blandiantur, neque trecentis illis decem atque octo quantumlibet copiosior numerus sacerdotum vel comparare se audeat vel praeferre, cum tanto divinitus privilegio Nicaena sit Synodus consecrata, ut sive per pauciores sive per plures ecclesiastica judicia celebrentur, omni paene auctoritate sit vacuum, quidquid ab illorum fuerit constitutione diversum. . . Sancti illi ac venerabiles Patres, qui in urbe Nicaena, sacrilego Ario cum sua impietate damnato, mansuras usque in finem mundi leges ecclesiasticorum canonum condiderunt, et apud nos in toto orbe terrarum in suis constitutionibus vivunt, et si quid usquam aliter quam illi statuerunt praesumitur, sine cunctatione cassatur, ne quae ad perpetuam utilitatem generaliter instituta sunt, commutatione varientur*[1]).

2. Ut notio rerum statusque Ecclesiae magis completa sit, agemus primum *de Romanis Pontificibus,* qui usque ad Concilium Nicaenum Ecclesiae praefuerunt, ac *de praecipuis qui acciderunt eventibus.* Id vero eo magis hac in Disquisitione opportunum est, quod controversiae plures ac majoris momenti quae hac aetate occurrunt, prae oculis habendae sunt, dum de Arianismo ejusque ortu atque progressu judicium fertur. Dein de *perniciosa hac haeresi* disseremus, et *de ipso Concilio* quo eadem profligata est. — Praeter ea quae decursu Dissertationis citabimus opera, cfr. Baronius *Annal.*; Tillemont, *Mémoires;* Natalis Alexander, *Dissert.* I—XX in saec. IV; Berti, *Dissert. I in saec. VI;* Palma, *Praelect.;* Möhler, *Athanasius der Grosse und die Kirche seiner Zeit, Mainz 1827 (Athanase le Grand etc. Bruxelles 1841);* Feye *Etudes sur le premier concile de*

---

[1]) Leo ep. 53.

Nicée, Revue cathol. 1854; Schwane *Dogmen-Geschichte;* Hagemann *Die röm. Kirche;* Schrödl *Geschichte der Päpste etc.;* Newmann *The Arians of the fourt Century; Theological Tracts: Doctrinal causes of Arianism* London 1874.; Hefele *Conc. Gesch. B. I.; Entstehung und Character des Arianismus,* Tübing. Quartalschrift 1851; Franzelin, *De Deo trino sec. personas.;* Gams, *Kirchengeschichte von Spanien, B. II.*

I.

Pontifices Romani et Ecclesiae status.

S. Dionysius P. 3. S. Dionysius (a. 259—269). — Post martyrium S. Sixti, quod accidit die 6. Augusti a. 258, Sedes Apostolica juxta Catalogum Bucherianum ultra undecim menses persecutione durante vacavit; electus dein est die 22 Julii a. 259 in Pontificem S. Dionysius, qui Sixto Pontifice inter Romanae Ecclesiae presbyteros eminebat. De ipso in Catalogo Feliciano dicitur: *Hic presbyteris ecclesias dedit, et coemeteria et parochias dioecesis constituit.* Eruditionis singularis laudem ipsi tribuit Eusebius, commemorans quartam epistolam de Baptismo, quam ipsi adhuc presbytero scripserat Dionysius Alexandrinus. *Ex qua,* inquit H. E. VII. 7, *hunc ipsum Romanum Dionysium eruditissimum planeque admirandum virum fuisse, testimonio Dionysii Alexandrini licet cognoscere.* — Idem caeteroquin colligitur ex fragmento scriptorum ejus quod superest. In eo dum Sabelliana profligare studet commenta, simul et Arii et Tritheitarum placita praevertit atque convellit, ac Nicaenae Synodo, quam postea sequeretur caeterisque sequendam decerneret fidem praemonstravit. In hoc praeterea prudentiam patefecit suam, quod in Dionysium Alexandrinum quantumvis graviter accusatum nihil asperi vel dixit vel gessit; verum, non dissimulans quam grave esset unde accusaretur, patienter sustinuit, quoad iste praesul abunde satisfaceret ingestamque de se suspicionem penitus depelleret. Jam de hac Dionysii Alexandrini

apud Pontificem accusatione deque illius doctrina eo magis disserere convenit, quod auctores in sententia hac de re ferenda inter sese dissentiunt.

4. *S. Dionysius Alexandrinus,* propter ingenii praestantiam mentisque dotes, propter virtutum eminentiam ac vitae sanctitatem, propter egregia in propaganda ac defendenda catholica fide merita, a Patribus antiquis appellatus *Magnus,* ex ethnico Christianus, discipulus fuit Origenis. Anno 231 in schola Alexandrina, et anno 248 in episcopatu Alexandrino Heraclae successit. Is Nepotem episcopum Arsionitarum, qui in libro *Refutatio Allegoristarum* chiliasmum seu Millenariorum errorem instauraverat, duobus libris *De promissionibus* refutavit, et eos qui Nepotis jam defuncti auctoritate errorem susceperant, ab eo reduxit. Quae in controversia de baptismo haereticorum ipse egerit, jam commemoravimus. S. Dionysius Alex.

5. Paulo post vero in regionibus illis propagatum est dogma Sabellii, qui, uti notum est, asserebat, Patrem et Filium et Spiritum Sanctum non esse personas a se invicem distinctas, sed vocabulis istis designari unius personae divinae manifestationes seu operationes, seu pro variis operationibus unicam divinam personam triplici illo nomine insigniri. Tunc Dionysius et Sixtum Rom. Pontificem hac de re certiorem reddidit, et quum ipsi ecclesiae in istis partibus sitae essent subjectae, epistolas plures scripsit contra Sabellium, unam ad Ammonem Berenicensem episcopum, unam ad Telesphorum, ad Euphranorem alteram, et aliam rursus ad Ammonem et Euporum. Nominatim vero epistolis ejus ad Ammonem et Euphranorem nonnulli moti, illum ad Romanum Pontificem detulerunt. *Cum Dionysius Alexandrinus,* ait S. Athanasius, *contra Sabellii haeresim ad Ammonem et Euphranorem studio religionis permotus scripsisset, quidam ex Ecclesia fratres, sanae quidem doctrinae homines, non sciscitati tamen eum, qua de causa ita scripsisset, Romam se contulerunt, illumque apud cognominem Dionysium Romanum Episcopum accusarunt*[1]), quod nimirum Accusatur erroris.

---

[1]) Epist. de sententia Dionysii n. 13.

ad ostendendam distinctionem Patris et Filii adversus Sabellianos dixerit, *opus et rem factam esse Filium Dei, non natura proprium, sed alienum a Patre secundum essentiam, sicut est agricola comparate ad vitem, et faber ad scapham, et vero cum sit res facta, non erat antequam fieret, ποίημα καὶ γενετὸν εἶναι τὸν Υἱὸν τοῦ Θέου, μήτε δὲ φύσει ἴδιον, ἀλλὰ ξένον κατ᾽ οὐσίαν αὐτὸν εἶναι τοῦ Πατρὸς· ὥσπερ ἐστὶν ὁ γεώργος πρὸς τὴν ἄμπελον, καὶ ὁ ναυπηγὸς πρὸς τὸ σκάφος*[1]). Praeterea discimus ex litteris apologeticis Dionysii et ex Athanasio, Dionysium etiam accusatum fuisse, quod *Filium Patri non consubstantialem affirmaret, ὡς λέγοντα ποίημα καὶ μὴ ὁμοούσιον τὸν Υἱὸν τῷ Πάτρι*[2]).

6. Accusationes porro quae Romam allatae erant, haud unice Dionysium Ep. spectasse, sed indicasse videntur, in illis Orientis regionibus esse, qui Sabellio resistentes, sententias erroneas de Filii divinitate proponerent, talibusque opinionibus etiam Dionysium favere. — Dionysius Papa hac de re Romae synodum egit, et *Romana synodus rem indigne tulit, Romanus autem Episcopus scriptis ad cognominem suum litteris omnium* (ea de re) *sententiam notam ei fecit*[3]). Quantum ex documentis colligi potest, scripsit Dionysius Pontifex tum litteras privatas ad episcopum Alexandrinum, tum litteras ad Alexandrinos, sive ad plures illarum regionum Praesules et presbyteros, et aliam edidit *epistolam seu opus adversus Sabellianos,* cujus fragmenta nobis S. Athanasius conservavit. Praeclara in eadem habetur fidei expositio adeoque praecisa, ut pateat, ea quae postea in Concilio Nicaeno sancita sunt fidei dogmata, jam antea explicita fide recepta fuisse. Fragmentum hujus epistolae quod apud S. Athanasium habetur hisce concluditur: *Neque igitur admirabilis et divina unitas in tres divinitates est separanda, neque factionis* (ποίησις) *vocabulo dignitas et summa magnitudo Domini est diminuenda, sed credendum est in Deum Patrem omnipotentem, et in Christum Jesum ejus Filium, et in Spiritum Sanctum: Verbum autem Deo*

---

1) Ibid. n. 4.
2) Athan. De Synodis, n. 43.
3) Athan. De sent. Dionysii, n. 13.

universorum esse unitum. Quippe: „Ego, inquit, et Pater unum sumus“; et „Ego in Patre et Pater in me est“. Ita scilicet divina Trinitas et sancta monarchiae praedicatio integra servabitur[1]).

7. Dionysius Alexandrinus dein tum ad Dionysium Pontificem epistolam scripsit, tum quatuor libros apologeticos sub titulo *Apologia atque Elenchus* (convictio) edidit, seque ab omni erroris suspicione plenissime purgavit. — Illud autem hoc loco animadvertendum est, de mente et doctrina S. Dionysii Alexandrini theologos non eamdem ferre sententiam. Etenim praesertim recentiori tempore varii auctores judicarunt, tum alios Patres antiquos, tum Dionysium Alexandrinum revera *inferioritatem* et *subordinationem* quamdam Filii concepisse, *distinxisse naturam divinam*, notionesque et opiniones habuisse confusas et erroneas, quas etiam sententiis suis expresserint. Dionysium vero, existimant, dein post doctrinam a Romano Pontifice ejusque synodo propositam suas opiniones minus rectas *correxisse*, atque ea quae antea scripserat, studuisse sano sensu interpretari. Alii vero judicant, antiquos illos Patres de opinionibus falsis nullatenus argui posse, sed quum mysteriorum intelligentia minus distincta esset et evoluta, nec termini technici quibus veritas fidei exprimeretur essent determinati, in suis expositionibus eos etiam identidem loqui modo minus distincto, verbisque uti minus aptis, durioribusque expressionibus; caeterum illos recte sensisse. Quaestio haec summi momenti est praesertim relate ad haeresim Arianam, ac de eadem quaestione inferius iterum agemus. Modo autem convenit examinare, quid de Dionysio Alexandrino consendum sit. Ejus Apologia.

8. Itaque 1° advertendum est, Dionysium in sua Apologia et Confutatione nullatenus admittere, se aliquando ancipitem haesisse, vel opiniones minus exactas tenuisse, easdem vero correxisse. Sed ipse peremptorie omnes accusationes ut sycophantum calumnias rejicit. Orthodoxia ejus in dubium ab illis revocatam esse, conqueritur, ac Vindiciae Dionysii.

---

[1]) Ap. Coustant. ad *Dionys.*

declarat, se semper eadem sensisse, quae Dionysius Romanus ejusque Synodus proponebant. Sic v. g. scribit: *Mendacii convici etiam illud quod adversum me proferunt crimen, me scilicet non asserere, Christum esse Deo consubstantialem. Haec et similia quae scripta sunt se non videre caecutientes dissimulant; duabus autem voculis incompositis quasi lapidibus eminus me conantur impetere. . . . Si quis autem calumniatorum* (τῶν συκοφάντων), *eo quod Deum omnium factorem et creatorem dixi, putet me etiam Christi creatorem dixisse, advertat, me prius Patrem ipsum appellasse, quo in vocabulo simul enuntiatus est et Filius*[1].)

9. Etiam S. Athanasius 2° nullatenus censuit, S. Dionysium aliquando quidem opiniones habuisse Arianorum erroribus affines, easque dein correxisse, sed asserit, ab omni errore immunem fuisse illum Antistitem[2]). *Et primo quidem,* inquit, *epistolam suam inscripsit Apologiam et Elenchum. Quid sibi vult illud, nisi quod et obtrectatores suos arguit et scripta sua propugnat, ostendens, se non ea mente qua suspicatus est Arius scripsisse, sed licet eorum meminerit quae de Domino secundum humanitatem dicta sunt, non ignorasse tamen, ipsum esse Verbum et Sapientiam a Patre indivisibilem.*

10. Optime revera 3° omnia quae Dionysio objecta fuerunt explicantur, et ab ipso explicata sunt. Vidimus quas ejus sententias accusatores incriminaverint, „nec tamen haec omnia, ait Em. Franzelin, videntur fuisse verba ipsius Dionysii, sed solam comparationem illam cum vite, et cum scapha Dionysius ipse fatetur a se adhibitam fuisse“[3]). *Caeterum,* inquit Dionysius, *ubi res factas et opificia quaedam consideranda dixi, hujusmodi rerum vel ut minus idonearum obiter protuli exempla, quando dixi: Neque planta id est quod agricola, neque scapha id quod navium faber. Deinde congruis et naturae rei accommodatioribus magis sum immoratus.* — „Potuit autem Dionysius adversus Sabellianos, ita ad rem Em. Franzelin, uti hac comparatione dupliciter, vel

---

1) Epist. III. 2) De sentent. Dionysii. nn. 13, 14.
3) De Trinit. p. 188.

solum generatim ad affirmandam *realitatem* distinctionis inter Patrem et Filium, non vero ad declarationem *qualis* sit distinctio et quae proprie sit ratio; vel potuit respicere naturam humanam assumptam, ut Athanasius Dionysium interpretatur. Cum enim Filius ipse secundum humanam naturam dixerit: *Ego sum vitis vera, et Pater meus agricola est,* (Jo. 16, 1), potuit Dionysius inde demonstrare, alium esse Patrem et alium Filium. Reliqua videntur accusatores ex hac ab eo instituta comparatione deducendo collegisse, quod ergo Filius est opus factum, quod est alienus ab essentia Patris et non consubstantialis, quod factus est quum antea non esset. Dionysius ipse testatur, se nunquam ita ut illi objiciebant, sed contraria omnia sensisse et dixisse" [1]). *Quibusdam autem imperite vel mala conscientia ipsi reponentibus* (ait S. Athanasius l. c., n. 21) *quod Deum dixisset Christi factorem* (ποιητήν), *sui purgandi causa varia adhibuit argumenta, neque sic aiens reprehendenda esse sua verba; se enim factoris nomine usum affirmat propter carnem quam Verbum assumpserat, utique factam. Quod si quis illud de Verbo dictum fuisse suspicetur* (inquit ipse Dionysius), *etiam modo absque contentionis studio audiendum erat,* (in sensu genitoris). *Ut enim Verbum rem factam esse non sentio, et Deum non factorem sed Patrem ejus dico, si quando de Filio disserens Deum dixissem factorem, sic quoque defensioni locus esset; sapientes enim Graecorum se ipsos dicunt factores suorum sermonum* (ποιητὰς τῶν ἰδίων λόγων), *licet propriorum sermonum patres sint; divina autem Scriptura nos motuum cordis factores appellat, cum nos dicit factores legis et judicii et justitiae.*

11. Quod vero 4° ad formulam postea in Concilio Nicaeno statutam attinet, *Filium esse Patri ὁμοούσιον,* cujus professionem jam tunc accusatores et ipse Pontifex postulabant, non solum ultro eam admisit Dionysius, sed testatus est, rem ipsam hac tessera expressam se semper tenuisse. *Pluribus,* inquit, *ea quae certioris fidei sunt exposui, variis excogitatis exemplis, quae tibi in alia epistola scripsi; in*

---

[1]) L. c.

quibus etiam ostendi mendacem criminationem quam contra me proferunt, quasi nollem dicere Christum Deo esse consubstantialem (ἐν οἷς ἤλεγξα καὶ ὁ προφερούμενον ἔγκλημα κατ᾽ ἐμοῦ ψεῦδος ὄν, ὡς οὐ λέγοντος τὸν Χρίστον ὁμοούσιον εἶναι τῷ Θεῷ); *etsi enim fatear me hoc vocabulum nusquam invenisse aut legisse in SS. Scripturis, argumenta tamen mea quae subjunxi et quae isti tacuerunt ab hoc sensu non discrepant* (Athan. l. c. n. 18).

12. Itaque censemus 5⁰ a Dionysio Alexandrino revera orthodoxam doctrinam semper propositam fuisse, nec ab ipso antequam moneretur a Pontifice Romano *inferioritatem* Filii et *distinctionem* naturae ejus a Patris natura esse assertam. Effatis in crimen vocatis nihil aliud ipse significare voluit, nisi distinctionem personarum. Haud admisisse Alexandrinum distinctionem naturae, etiam clare ex illis ejus verbis colligitur, quibus, uti ait Athanasius, in secundo libro adversarios pudore suffundit: *Singula nomina a me prolata a se invicem nec separari nec dividi possunt: Patrem dixi, et priusquam Filii mentionem facerem jam illum in Patre significaram; Filium adjunxi, ac etiamsi Patrem non prius nominassem, is tamen in Filii nomine comprehensus fuerat; Spiritum Sanctum addidi, sed simul unde et per quem processerit adjunxi. Illi vero ignorant, neque Patrem, qua Pater est, a Filio alienari posse, nam nomen illud est origo conjunctionis; neque Filium a Patre separari, namque Patris vocabulum commune quidpiam indicat. In manibus autem illorum est Spiritus, qui neque a mittente neque a ferente separari potest. Quomodo igitur ego, qui talibus utor nominibus, illa a se invicem separata et omnino divisa existimem. . . . Sic quidem nos indivisibilem unitatem in Trinitatem dilatamus, et Trinitatem iterum, quae imminui nequit, in unitatem contrahimus* (n. 17). Hisce luculentissime *unitas numerica naturae* divinae, *distinctio personarum* et earum *aequalitas* praedicantur, simulque apparet, haec omnia tum Romae tum Alexandriae considerata fuisse ut capita quae strictissime ad fidem pertinebant.

13. Ex hisce igitur constat, Dionysium Alex. magno cum vigore suam orthodoxiam perpetuam defendisse et ac-

cusatores ut mendaces sycophantes et calumniatores tractasse; ex fragmentis porro Dionysii, quae apud Athanasium habentur, ejus orthodoxiam omnino colligi, atque etiam S. Athanasium eamdem contra Arianos ut certissimam vindicare. Difficultas tamen aliqua hac in re oritur ex S. Basilii ep. 9[a] ad Maximum Philosophum. Is a Basilio petierat, ut ipsi transmitteret Dionysii libros, eique Basilius respondet: *Caeterum quae postulas Dionysii scripta, venere illa quidem ad nos, et valde multa; sed non adsunt libri, et idcirco non misimus. Sententia autem nostra haec est. Non omnia viri hujus admiramur; imo sunt quae prorsus etiam improbemus. Nam fere illius quae nunc circumstrepit impietatis, Anomoeam dico, is est quantum quidem scimus, qui primus semina hominibus praebuerit. Causa autem, ut opinor, non sententiae pravitas, sed vehemens studium Sabellio adversandi. . . . Cum enim Libyos impietati occurreret vehementer, non intellexit, se nimis contendendi studio in contrarium malum delabi. Et cum ei satis esset, non idem esse subjecto Patrem et Filium demonstrare, atque haec adversus blasphemum palmaria tenere, ut manifestam prorsus et redundantem victoriam habeat, non modo hypostaseon alietatem statuit, sed etiam essentiae differentiam, ac potentiae gradus et gloriae diversitatem. Quare inde contigit, ut mutaret quidem malum malo, a recta autem doctrina aberraret. Hinc etiam non sibi constat in scriptis, nunc quidem tollens consubstantiale propter eum, qui hac voce ad hypostases destruendas prave utebatur: nunc vero admittens in iis, quae defensionis causa ad cognominem scripsit. Ad haec de Spiritu voces emisit minime dignas Spiritu, ab adorata illum Deitate sejungens, et in inferioribus una cum creata ac ministra natura numerans. Vir igitur ille ejusmodi.* S. Basilii sententia.

14. Haec tamen S. Basilii verba nos haud movent, ut sententiam de Dionysio mutemus, eum videlicet de SS. Trinitate *recte et orthodoxe sensisse* nec opiniones erroneas habuisse, atque etiam *doctrinam* ab ipso contra Sabellium propositam *in suo complexu* orthodoxam fuisse. — Ex S. Basilii severiori judicio enim aliud probari non potest, nisi expressiones quasdam Dionysii in se Expenditur.

spectatas minus aptas fuisse ac duriores; inde postea uti fieri solet, Ariani occasionem nacti sunt, ut ad Dionysium provocarent. Ipse Basilius non *sententiae pravitatem* Alexandrino adscribit; unde etiam quae de doctrina dicit, si ad trutinam revocantur, nonnisi in expressionibus Dionysii abruptim sumptis fundamentum habent. Ariani, uti diximus, ad illum episcopum Alexandrinum provocabant, illis expressionibus abutebantur, et catholicis doctoribus hac ratione molestiam creabant. Hinc fieri potuit, ut Basilius diceret, semina falsae doctrinae in eo adesse, praesertim quum scriberet ad virum laicum philosophum, cui lectio operum Dionysii periculosa esse poterat. Caeterum prae manibus tunc non habebat illa scripta, et eo magis judicium ejus referendum est ad sententias abruptas et verba, quibus Ariani abutebantur quaeque in Basilii memoria versabantur, non vero ad complexum doctrinae. Quum conqueritur, *consubstantiale* sustulisse Dionysium, vidimus jam unice agi de voce, quam non adhibuerat Dionysius, quamvis eam adhibere, uti rem ipsam docuerat, statim paratus fuerit. Quae relate ad Spiritum Sanctum S. Basilius advertit, pariter non nisi de abruptis expressionibus intelligi possunt. Caeterum in Libro de Spiritu Sancto c. XXIX (vel n. 72) S. Basilius etiam ad Dionysium provocat, ut ostendat, secundum antiquam doctrinam glorificari Patrem et Filium *cum* Spiritu Sancto, et Trinitatem non dividendam esse[1]).

Paulus Samosatenus.

15. Brevi postquam Dionysius R. P. Romae concilium habuit (a. 263,) et fidem orthodoxam tam luculenter proposuit, acrior exarsit Antiochiae in Syria *controversia ob haeresim Pauli Samosateni,* qui erat episcopus Antiochenus. Docuit autem iste Praesul haeresim Sabellianae similem, videlicet non esse nisi unicam personam divinam quae in Scripturis Pater vocetur; Verbum seu Filium non esse personam, sed Dei sapientiam seu rationem, quae ita Deo insit, sicuti ratio inest homini; Jesum Christum fuisse merum hominem, qui tum solum existere coeperit, quum

---

[1]) De Dionysio Alex. vide etiam Wouters Dissert. Tom. I. Diss. 41.

a Maria conciperetur; ei in conceptione conjunctam fuisse Dei rationem, qua homines viam salutis docuerit, miracula patraverit, et Filius Dei seu etiam Deus improprio sensu dici meruerit. Ubi haec audierunt praesules Syri, anno 264 Antiochiae synodum habuerunt, in qua impietates illas execrati sunt; de Paulo vero, cum mentem suam ambiguis locutionibus occultaret et se catholice sentire simularet, judicium non tulerunt. Synodo praesedit, quantum ex documentis colligi potest, S. Firmilianus. Aliquanto post alia synodus habita est, quum Paulus eadem pergeret proferre impia dogmata; attamen quum ipse se errores correcturum promitteret, eum dignitate sua non privarunt[1]). Sed quum iterum Paulus absoluta synodo easdem spargeret doctrinas, a. 269 ipse in tertia synodo Antiochena, cui septuaginta saltem Praesules adfuerunt, haeresis convictus, excommunicatus et depositus fuit, atque in locum ejus ordinatus Domnus. Synodus haec epistolam synodicam eo de negotio emisit, in qua Pauli indoles et mores describuntur, variaque habentur quae multum illustrant, qualis fuerit eo tempore conditio Ecclesiae. Ex parte Eusebius eam epistolam historiae suae inseruit, opportunumque videtur ex eadem aliqua afferre. Synodi Antioch.

16. Scribit Eusebius (H. E. l. VII. c. XXX): *Omnes itaque in unum congregati Antistites unam ex communi sententia ad Dionysium Romanae urbis Episcopum, et ad Maximum Alexandrinum scripserunt epistolam, eamque ad omnes deinde provincias transmiserunt. . . . Porro ipsamet illorum verba ad perpetuam posteriorum memoriam non incommodum fuerit hic referre. — Dionysio et Maximo et omnibus per universum orbem comministris nostris, episcopis, presbyteris, diaconis, et universae Ecclesiae catholicae quae sub coelo est, Helenus, Hymenaeus, Theophilus, . . . et re-*

[1]) Ad concilia quod spectat hac in causa Antiochiae habita, non convenit inter eruditos de numero nec de tempore. Pearson unum tantum admittit; alii bina ut Benedictini (L'art de vérifier les dates), Pagius, Cabassutius, Natalis Alexander; tria Dodwellus, Tillemont, Hefele, Bollandistae. Atque haec ultima sententia solidis nititur fundamentis, uti infra videbitur.

liqui omnes qui nobiscum sunt vicinarum urbium et provinciarum episcopi . . . . carissimis fratribus in Domino salutem. . . . Et ad Dionysium Alexandrinum et ad Firmilianum Cappadociae antistitem, beatae recordationis viros, litteras dedimus. Quorum ille quidem scripsit Antiochiam; sed erroris ducem ne salutatione quidem dignatus est, neque ad eum nominatim, verum ad universam Antiochensium ecclesiam litteras suas direxit, quarum etiam exemplum hic subjecimus. Firmilianus vero cum bis Antiochiam venisset, damnavit quidem dogmatis ab illo invecti novitatem, ut testamur nos qui adfuimus, et alii plures perinde ac nos optime norunt. Sed cum ille mutaturum se sententiam promisisset, credens ei Firmilianus, speransque sine ullo religionis nostrae probro atque dispendio rem optime posse constitui, distulit sententiam suam, deceptus scilicet ab homine, qui Deum ac Dominum suum negabat, et qui fidem quam antea profitebatur violaverat. Nunc quoque Antiochiam venturus erat Firmilianus, et jam Tarsum usque pervenerat. . . Sed cum nos jam antea convenissemus, interea loci dum illum accersimus, dum ejus adventum exspectamus, abiit e vita.[1]).

17. Deinde paulo post, (ait Eusebius), cujusmodi fuerit hominis vita exponunt his verbis: *Sed quoniam a fidei regula recedens ad spuriam et adulteram doctrinam se transtulit, hominis ab Ecclesia alieni actus examinare nihil attinet; neque quod cum antea pauper et mendicus esset, nec ullas omnino facultates aut a parentibus relictas accepisset, aut artis ullius exercitio sibi comparasset, nunc ad incredibilem opulentiam pervenit per scelera ac sacrilegia fratrumque concussiones: dum injuria affectos decepit, promittens quidem sese illis accepta mercede opem laturum, fallens autem ipsos et ex facilitate litigantium, qui ut negotio liberentur quidvis dare parati sunt, lucrum incaute captans, et pietatem quaestum esse existimans. Neque quod fastu et arrogantia supra modum elatus saeculares gerit dignitates, et ducenarius vocari quam episcopus mavult: per forum magnifice incedens,*

---

[1]) Ex his colligitur, antea jam duo Concilia Antiochiae fuisse habita, quibus Firmilianus praesedit.

epistolas legens ac dictans inter ambulandum palam ac publice, stipatusque maxima hominum multitudine, partim praeeuntium, partim subsequentium, adeo ut ex illius fastu et arrogantia incredibilis invidia odiumque multorum adversus fidem nostram conflatum sit. Neque item attinet examinare ambitiosam hominis vanitatem in ecclesiasticis conventibus, quam omni studio consectatur; nihil aliud quam inanem gloriam captans et pompam affectans, atque hujusmodi artibus animos imperitorum perterrefaciens. Nam et tribunal et sublimem thronum, non ut Christi discipulus, sibi ipsi construxit, et secretum perinde ac saeculares magistratus ita appellatum habuit. Ad haec femur manu percutere et tribunal pedibus pulsare solitus. Eos vero qui non laudarent, nec ut in theatris fieri solet oraria concuterent, neque una cum fautoribus ipsius viris et mulierculis indecore auscultantibus exclamarent atque exsilirent, sed cum gravitate ac modestia sicut in domo Dei decet audirent, increpabat et contumeliis afficiebat. Et alios quidem legis nostrae doctores jam vita functos petulanter in concione lacerabat; de se autem ipse magnifice loquebatur, non ut episcopus, sed ut sophista quidem et impostor. ... Quid hic referre attinet subintroductas, ut Antiocheni vocant, mulieres, tam ipsius, quam presbyterorum ac diaconorum? In quibus non hoc solum, sed etiam alia insanabilia crimina, quorum conscius est et quorum ipsos reos esse convicit, nihilominus tegit ac dissimulat, ut illos sibi obnoxios habeat, utque dum sibi ipsis metuunt, ipsum ob ea quae impie agit ac loquitur accusare non audeant. . . Hunc igitur Deo bellum indicentem, nec cedere volentem, cum a communione nostra abdicassemus, necesse habuimus alium ejus loco ecclesiae catholicae episcopum ordinare, non absque divina, ut credimus, providentia: Demetriani scilicet beatae memoriae episcopi, qui ante hunc magna cum laude eamdem rexit ecclesiam, filium Domnum, virum omnibus quae episcopum decent dotibus exornatum. Quod quidem idcirco vobis significavimus, ut et ad eum scribatis et ab eo communicatorias litteras accipiatis. Hic vero ad Artemam scribat si lubet, et qui Artemam sectantur cum ipso communicent.'

Depositio Pauli.

18. Paulus autem quamvis in synodo depositus, fultus praesidio Zenobiae, quae tum temporis Syria potiebatur, neque domo episcopali oxcessit, neque functionibus episcopalibus abstinuit. At paulo post Aurelianus Imperator devicta Zenobia, quum a Christianis interpellatus esset, *rectissime,* ait Eusebius, *hoc negotium dijudicavit, iis domum tradi praecipiens, quibus Italici christianae religionis Antistites et Romanus Episcopus scriberent. Hoc modo vir supra memoratus cum summo dedecore per saecularem potestatem ab ecclesia exturbatus est.*

An proscripta vox ὁμοούσιος.

19. Sed commemorandum illud nobis restat, quod ad Arianismi historiam pertinet, videlicet ex plurium opinione in concilio Antiocheno a. 269 rejectam esse vocem ὁμοούσιος seu consubstantialis, quae postea veluti tessera fidei catholicae in Synodo Nicaena constituta fuit. Animadvertendum tamen est, tantum inde ab a. 358 hanc assertionem a Semiarianis esse factam; antea non invenitur qui contenderit, vocem illam in concilio Antiocheno rejectam fuisse. Idque incredibile videtur, quum decennio ante illud concilium Antiochenum in Dionysium Alexandrinum ea apprime lata fuisset accusatio, quod non profiteretur Filium Patri esse consubstantialem. Ex modo autem quo Dionysius hanc accusationem diluit, (cf. sup. n. 11), infertur, etiam de ipsa voce actum fuisse, vel saltem ipsam vocem agnitam fuisse, ut aptissimam, qua fides catholica exprimeretur. Propterea historia illius damnationis a multis censetur conficta. Patres qui ista de re agunt, SS. Athanasium, Hilarium, Basilium, nonnisi a Semiarianis suis adversariis factum illud accepisse, ex eorum scriptis colligi videtur. Varii nihilominus auctores factum damnationis admittunt. Quaestionem historicam hoc loco elucidare non vacat, sufficiat ea notasse quae dicit Franzelin De Trinit. p. 192: *Certe in admittendo facto damnationis per totam cortroversiam cum Arianis usque ad annum 358 nunquam memorato tantae sunt difficultates, ut sine testibus omni exceptione majoribus credibile fieri nequeat; auctoritas vero testium omnis revocatur ad illos Semiarianos inimicissimos tesserae τοῦ ὁμοουσίου, et ideo cupidissimos Concilio*

Nicaeno opponendi aliud concilium. Tota inquam auctoritas in iis sistit; Athanasius enim et Hilarius diserte significant, se ab illis accepisse narrationem, nec Basilius, obiter hanc rem memorans, ex ipsis Actis Antiochenis, sed itidem ab adversariis vel forte ex disputatione Athanasii hausisse dicendus est. Rationes dabunt Maranus (Divinit. J. Ch. IV. 39), Simon de Magistris (Opp. Dion. Alex. Praef. XVIII), quae falsitatem assertionis Arianae saltem probabilissimam reddunt, nec mihi videntur enervatae argumentis oppositis Frohschammeri (Tüb. Qutsch. 1850) et C. J. Hefele (C. G. B. I. S. 139)[1]).

20. Convenit tamen ut explicemus, quomodo Patres Antiocheni rejicere potuerint vocem *consubstantialis,* videlicet sensu quodam detorto, quem huic verbo Paulus subjiciebat. Duplici autem ratione rem jam antiqui Patres explicant. 1° In creatis consubstantiales dicuntur duae personae, quae habent naturas duas specie similes, seu quae habent naturam specie quidem et conceptu unam, re autem unaquaeque suam propriam et separatam ab altera. Atque id quoad homines in patre et filio ita locum habet, ut pater filio generatione hanc distinctam naturam ipsius naturae similem communicaverit. Prima formatio notionum et impositio nominum quidem spectat creata, sed non possunt ad Deum transferri haec nomina nisi sensu analogico; error esset eodem sensu haec Deo attribuere. Jamvero id fallaci argumentatione ex Athanasio faciebat Paulus Samosatenus, catholicos arguens, ex eorum doctrina sequi Patrem et Logon esse consubstantiales seu habere naturas distinctas. Contendebat videlicet, Verbum debere concipi ut rationem Patri insitam, quia secus admittendum esset, Patrem (uti in humanis) separatione quadam naturae generasse Filium, et Patrem et Filium esse ὁμοουσίους seu substantias singulares numero distinctas, licet ejusdem naturae. Hac significatione igitur noluerunt Patres admit-

---

[1]) Etiam Palma, Praelect. Tom. I. P. I. c. 30, ostendere nititur, falsam esse illam assertionem de rejecta voce ὁμοούσιος per synodum Antiochenam. Fusius de hac quaestione disserit P. De Smedt, Dissert. VI., oppositamque sententiam ipse ut valde probabilem habet. Praevalere tamen censerem argumenta alterius partis.

tere, Patrem et Filium in divinis consubstantiales esse dicendos (V. Athanas. De Syn. n. 45).

21. 2° Secundum aliam expositionem ipse Paulus Samosatenus falso sensu contendebat, Patrem et Filium esse *ὁμοούσιον* seu *unam personam.* Potuit videlicet haereticus, qui essentiam singularem et personam nullo modo distinguebat, in hoc vocabulo *οὐσίαν* sumere pro persona, et hoc sensu dicere, Verbum esse Deo *ὁμοούσιον*, consubstantialem, videlicet non distingui ab unica persona Patris, sed esse ei inhaerentem rationem. Semiariani illi, qui ex sua synodo Ancyrana anno 358 scribentes ad episcopos Sirmii congregatos, primum mentionem fecisse reperiuntur damnatae vocis *ὁμοούσιος*, contendebant, revera hoc sensu vocabulum a Paulo Samosateno usurpatum, et ideo a Patribus rejectum fuisse. Scribit videlicet S. Hilarius de Synod. n. 81: *Secundo quoque id addidistis, quod patres nostri, quum Paulus Samosatenus haereticus pronuntiatus est, etiam homoousion repudiaverint, quia per hanc unius essentiae nuncupationem solitarium atque unicum sibi esse Patrem et Filium praedicabat. Et hoc sane nunc quoque profanissimum Ecclesia recognoscit, Patrem et Filium in his nominum professionibus ad unionis ac singularis solitudinem negata personarum proprietate revocare*[1]).

Primatus Rom.

22. In causa S. Dionysii Alexandrini quantopere auctoritas Romani Pontificis quoad res fidei enituerit, nemo est qui non videat. Haec auctoritas non minus a Dionysio Romano adhibita, quam a Dionysio Alexandrino agnita est. — In causa Pauli Samosateni pariter istius primatus indicia occurrunt. Ad Romanum Pontificem imprimis dirigitur synodica epistola concilii Antiocheni; et ipse Aurelianus Imp. adeo bene novit, inter Christianos Romani Pontificis esse Sedem primam, ut in judicio ferendo de legitimo Praesule Antiocheno ea regula usus sit, illum habendum esse legitimum praesulem, cui communicabat Pontifex Romanus.

---

[1]) V. Franzelin l. c. Cfr. etiam Newman, Tracts theological etc. p. 40.

23. F e l i x I Rom. Pontifex a. 269 successit S. Dionysio. Quum vel brevi ante mortem Dionysii (an. 268, 26 Dec.), vel initio pontificatus S. Felicis epistola synodica concilii Antiocheni Romam pervenisset[1]), inde (uti videtur) occasionem sumpsit Felix, ut epistolam dogmaticam scriberet ad Maximum episcopum Alexandrinum ejusque clerum. Ex fragmento hujus epistolae quod exstat, et ex modo quo eadem tum in Concilio Ephesino tum ab antiquis Patribus laudata est, colligitur, eâdem contentam fuisse damnationem Pauli Samosateni et confirmationem decretorum Antiochenae synodi. Dubitari non potest, similes litteras a Felice ad Domnum Antiochenum ejusque clerum directas fuisse. — Videtur Felix martyrio coronatus esse, quum Aurelianus versus finem regni sui in Christianos persecutionem moveret; adscribitur obitus ejus 30 Decembri a. 274[2]). S. Felix.

24. S. E u t y c h i a n u s successit S. Felici, et quum eo anno (275) Aurelianus Imp. decederet, brevis ejus persecutio finem habuit ac tempora magis quieta successerunt. Commemoratur in *Libro Pontific.*, ab Eutychiano benedictiones frugum constitutas fuisse, eumque sepulturae martyrum peculiarem curam habuisse. *Hic constituit,* dicitur in Lib. Pont., *ut fruges super altare tantum favae et uvae benedicerentur, hic temporibus suis per diversa loca 342* (Cat. Fel. 362) *martyres manu sua sepelivit. Qui hoc constituit, ut quicumque fidelium martyrem sepeliret, sine dalmatica aut colobio purpurato nulla ratione sepeliret, quod tamen ad notitiam sibi divulgaretur.* — Baronius censet, primum edictum opportune ab hoc Pontifice editum esse, ut adversus nascentem Manichaeorum haeresim, quae fruges aliasque res corporeas tanquam a principio mali creatas execrabatur, fideles muniret[3]). — Pariter advertit Coustantius, ut honores insignes Eutychianus martyribus decerneret, eam excogitari posse causam, quod Manichaei S. Eutychianus.

---

[1]) Plures auctores censent, concilium Antiochenum a. 268 celebratum esse.

[2]) Schrödl, l. c.

[3]) Annal. ad a. 283. n. 15.

sanctorum martyrum cultum non secus ac idololatriam respuebant[1]). Sedit S. Eutychianus ab a. 275 usque ad 7
S. Caius. (8) Decembr. a. 283. — S. Caius ei successit, *natione Dalmata, ex genere Diocletiani Imperatoris,* uti habetur in Catalogo Feliciano. Sub ipso, a. 284 ad 286, regnante Carino, et dein initio imperii Diocletiani Romae persecutio contra Christianos mota est, in qua plures martyrium subierunt; inter alios S. Sebastianus, ac Primus et Felicianus fratres. — Ecclesiae praefuit S. Caius usque ad a. 296.

Manichaeismus. 25. Ultimis decenniis saeculi tertii *Manichaeismi perversa religio* orta ac paulatim multum propagata est; atque hac de secta, quum frequenter ejus mentio in rebus Ecclesiae occurrat, pauca dicere juvabit. Auctor fuit Manes seu Manichaeus Persa; de viri hujus vita autem ac de rebus ab ipso gestis magna est inter Orientales et Occidentales scriptores dissensio. Graeci ac Latini scriptores, ea quae referunt de Manete maxima parte deprompserunt ex Actis disputationis S. Archelai Cascarorum episcopi, quae ab ipso lingua syriaca scripta perhibentur. Certe saeculo quarto jam exstabant; nihilominus utrum in omnibus iis fidendum sit, non plane constat. Secundum Occidentales igitur, Scythianus, vir dives, gente Saracenus et cunctis gentilium disciplinis excultus, ultimis annis vitae suae degit in Aegypto, ibique habuit discipulum Terebinthum seu Buddam. Huic reliquit Scythianus libros quatuor, qui inscripti erant *Mysteria, Capitula, Evangelium* et *Thesaurus;* juxta alios Terebinthus degens apud magistrum suum eosdem confecerat. Post mortem magistri Terebinthus Babylonem profectus habitavit apud viduam aetate provectam, multumque gloriabatur de scientia sua profundissima. Sed brevi post infelici casu periit; libros autem retinuit illa vidua, eosdemque reliquit *Cubrico* liberto. Is in regiam Ecbatanam profectus, mutato nomine, *Manes* dictus est, et ex illis libris ab eo amplificatis systema suum religiosum confecit. Haud diu post a rege accersitus ut vir sapiens ad medendum filio regis, quod

---

[1]) Epp. R. PP., ad *Eutychianum,* n. 2.

temerariis medicamentis mortem pueri accelerasset, in carcerem conjectus est. E custodia elapsus fugit in Mesopotamiam; sed inde, ab Archelao Cascarorum episcopo in publicis disputationibus confutatus minisque populi perterritus, aufugit in castrum Arabum. Interceptus dein a militibus regis Persiae, hujus jussu vivus pelle exutus, feris objectus fuit a. 277.

26. Paulo diversa est relatio scriptorum orientalium, Persarum et Syrorum, qui tamen posterioris temporis sunt, videlicet saeculi IX et X. Secundum hos Manes, vir nobilis ex Magorum genere, religionis Zoroastris praeceptis institutus atque in artibus et scientiis Persarum valde versatus, postea christianam religionem amplexus est. Deinde et Christianorum et Magorum religionem reformare, et ex utraque novam procudere volens, a Christianis abjectus et jussu regis Persarum tanquam patriae hostis et religionis corruptor extremo supplicio affectus fuit. — Ex collatis his narrationibus id confici potest, quod Manes, natione Persa, artium quidem atque litterarum haud expers, sed animo elatus et fraudulentus, cum inter religiosas Magorum et haereticorum Gnosticorum doctrinas quamdam deprehendisset affinitatem, ut sibi famam crearet, ex illis novam religionis formam conflaverit. Quaedam etiam adjecit christianismi elementa. Inde vero Magorum et regis odium ac vexationes expertus fugam arripuit, sed interceptus supremum supplicium subiit[1]).

27. Manetis *doctrina theoretica* satis complexa est, et Gnosticorum systemati valde similis. Principium fundamentale est *dualismus*, seu existentia principii boni et mali, quorum alterum regni lucis, alterum regni tenebrarum dominus est. Utrumque principium naturas sibi similes produxit, et per regnum suum distribuit. Sol quidem et luna sunt ex materia bona confecta; reliqua astra et aër ex materia haud pura; globus vero terraqueus ex materia maxime infecta paratus est. Homines in eo Doctrina.

---

[1]) Cfr. Kirchenl. Art. Manichaei; Wouters Dissert. tom. I. Diss. LI.; Hergenröther K. G. B. I. n. 141.

constituti tribus constant partibus, nimirum corpore e materia prava confecto, anima sentiente pravis cupiditatibus plena et a diabolo descendente, et anima rationali e luce divina oriunda, quae semper bonum vult, et non nisi pravis animae sentientis cupiditatibus assentiendo peccat. Christus, quem Deus in terras misit, est quaedam luminis coelestis substantia in sole residens; in terram veniens umbram tantum corporis assumpsit, et non nisi specie tenus passus est. Spiritus Sanctus etiam coelestis substantia est, sed Christo minor; in bono aëre habitat et in terrestria corpora salubriter influit. Manes est paracletus a Christo promissus, et immediate ab eo missus ad homines, ut eis omnem doctrinae thesaurum, neque a Christo neque ab Apostolis ex integro traditum, communicaret. Animae electorum seu Manichaeorum *perfectorum* post mortem per lunam et solem transeunt, et penitus purgatae in regnum lucis recipiuntur; animae *auditorum* seu Manichaeorum catechumenorum vel imperfectorum, in alia sive hominum sive animalium corpora tamdiu migrant, donec perfectae redditae sunt. Reliquorum hominum animae in igne malo, attamen purgativo aliquamdiu cruciantur, deinde in alia corpora detruduntur, et si nec tunc doctrinae Manetis conformiter vixerint, in eodem igne asservantur usque ad finem mundi. Post mundi finem regnum lucis plane separabitur a regno tenebrarum cum suis incolis, daemonibus videlicet et animabus incorrigibilibus; hae in limitibus regni tenebrarum custodes constituentur, ne daemones in regnum lucis irruptionem facere possint.

Mores. 28. Quantum ad *practicam Manichaeorum doctrinam* spectat, ea speciatim corpus, tanquam e materia prava formatum, dure tractandum mandabat. Praescribebat, crebro jejunandum, abstinendum ab omnibus blasphemiis, inter quas referebant cunctos sermones doctrinae suae contrarios, (sigillum oris); nulla animalia esse occidenda, (sigillum manus); vitandam prolis procreationem, (sigillum sinus), etsi commixtio carnalis permitteretur. Haec tamen praecepta maxime spectabant perfectos, auditores ad ea non constringebantur. Electis seu perfectis praeterea ab-

stinendum erat a vino et ab omni cibo e regno animali, a manuum labore, magistratus muneribus, bonorum possessione. — Sed vigebat inter Manichaeos maxima vivendi licentia. Testatur S. Augustinus, perditos illorum mores magnopere discrepasse a rigida disciplina quam verbis commendabant et fallaciter ostentabant, maximisque flagitiis eos fuisse coinquinatos. — Quoad *sectae constitutionem,* Manichaei organismum catholico similem introduxerunt. Secta habebat unum supremum ducem qui Christum repraesentaret, duodecim magistros velut apostolos, ad similitudinem septuaginta duorum discipulorum Christi totidem episcopos, quibus presbyteri et diaconi suberant. In cultu et ritibus pariter catholicos imitabantur; ulterius haec describere modo non vacat; illud sufficiat addere, electorum ritus secretos variorum judicio valde infames fuisse. — Secta haec non tantum in Perside sed etiam per Romanum imperium late propagata fuit, pluribusque saeculis in christiani nominis probrum percrebuit; imo qui medio aevo apparuerunt Manichaei cum antiquis illis secreta quadam continuatione cohaesisse videntur.

29. Jam paucis nunc *exteriorem statum Ecclesiae* describamus. Vidimus, anno 257 a Valeriano Imp. persecutionem contra Christianos excitatam fuisse, in qua SS. Stephanus, Sixtus II, Cyprianus, martyrio coronati sunt. *Valerianus* a. 260 a Persis bello captus miserrime periit; ejus autem filius *Gallienus* (260—268) non tantum Christianis pacem concessit, verum etiam eorum praefectis facultatem dedit, munus suum secure obeundi, et fundos, coemeteria, oratoria recuperandi. Gallienus reprimendis barbarorum invasionibus et internis seditionibus impar, a. 268 successorem habuit *Claudium II,* qui Christianis nihil adversi decrevit, imperavitque usque ad 270. Tunc ad imperii solium evectus est *Aurelianus,* vir strenuus et pluribus bellis victor, qui integro quadriennio Christianis utcumque pepercit; sed quinto et ultimo imperii anno pacem turbare tentavit. Verum inter ipsa persecutionis initia exstinctus est. Sub sequentibus imperatoribus (276—284), nimirum sub *Tacito, Probo, Caro, Carino* et *Numeriano*

Conditio Christianorum.

Christiani generatim tranquillitate fruebantur, quamvis in variis regionibus martyria non omnino deessent.

30. Anno 284 a militibus salutatus fuit imperator

Diocletianus. *Deocletianus* Salone in Dalmatia natus, rei bellicae laude clarus. A primo ejus imperii anno initium ducit *aera Diocletiana,* quae et aera martyrum dicitur. Is primis imperii sui annis miti et benigna fuit in Christianos voluntate, ita ut eos passim provinciis praeficeret, ab officio sacrificandi praefecturae adnexo dispensaret, in ipso palatio multos Christianos haberet, inter quos Dorotheum et Gorgonium eximia dignitate honoravit. Diocletianus ad meliorem imperii administrationem et defensionem tres alios sibi adjunxit, nempe *Maximianum Herculeum,* quem a. 286 Imperii collegam creavit, *Maximianum Galerium* et *Constantium Chlorum,* quos in filios adoptatos a. 292 Caesares appellavit. Inter hos imperium ita distribuit, ut Constantio Chloro Galliam et Britanniam, Herculeo Hispaniam, Italiam et Africam, Galerio Illyricum et Thraciam committeret, sibi vero praeter supremam potestatem servaret Asiam Romanis subjectam nec non Aegyptum, sedem suam Nicomediae in Bithynia constituens.

31. Eusebius H. E. l. VIII. c. 1 felicem statum Ecclesiae versus finem saeculi III eloquenter describit, persecutionem autem censet ortam et a Deo permissam fuisse eo, quod Christiani jam ex nimia libertate in negligentiam et desidiam lapsi essent, adeoque punitionem divinam mererentur. Ejusmodi ratio ab antiquis plerumque afferri solet, dum persecutiones vel magnas calamitates fidelium recensent; quamvis autem haec sententia videatur veritate niti, tamen pro singulis qui occurrunt casibus difficile est ostendere, rem ita se habuisse. Caeterum quaedam ex Eusebio citare juvabit. *Quis,* scribit, *innumerabilem hominum quotidie ad fidem Christi confugientium turbam, quis numerum ecclesiarum in singulis urbibus, quis illustres populorum concursus in aedibus sacris cumulate possit describere? Quo factum est, ut priscis aedificiis jam non contenti, in singulis urbibus spatiosas ab ipsis fundamentis exstruerent ecclesias. Atque haec progressu temporis increscentia*

et quotidie in majus et melius proficientia, nec livor ullus alterare, nec malignitas daemonis fascinare, nec hominum insidiae prohibere unquam potuerunt; quamdiu omnipotentis Dei dextera populum suum utpote tali dignum praesidio texit atque custodiit. Sed cum ex nimia libertate in negligentiam ac desidiam prolapsi essemus; cum alter alteri invidere atque obtrectare coepisset; cum inter nos quasi bella intestina gereremus, verbis tanquam armis quibusdam hastisque nos mutuo vulnerantes; cum Antistites adversus Antistites, populi in populos collisi jurgia ac tumultus agitarent; denique quum fraus et simulatio ad summum malitiae culmen advenisset: tum divina ultio, levi brachio ut solet, integra adhuc ecclesiae statu et fidelium turbis libere convenientibus, sensim ac moderate in nos coepit animadvertere, orsa primum persecutione ab iis qui militabant. Cum vero sensu omni destituti de placando Dei numine ne cogitaremus quidem, quin potius instar impiorum quorumdam res humanas nulla sollicitudine et providentia gubernari rati alia crimina aliis adjiceremus: cum Pastores nostri, spreta religionis regula, mutuis inter se contentionibus decertarent, nihil aliud quam jurgia, minas, aemulationem, odia, ac mutuas inimicitias amplificare studentes, principatum quasi tyrannidem quamdam contentissime sibi vindicantes: tunc demum juxta dictum Jeremiae obscuravit Dominus in via sua filiam Sion, et dejecit de coelo gloriam Israël.

32. Haud ita facile est determinare *ultimam causam,* qua Diocletianus adductus fuit, ut ingentem in Christianos suscitaret persecutionem, ad totam religionem christianam funditus evertendam. Antiqui auctores aliquot eventibus minoris momenti, et maxime influxui Galerii attribuunt, quod Diocletianus animum in Christianos benignum mutaverit, eosque exterminare statuerit. Ita Lactantius coaevus qui Nicomediae versabatur, cuique propterea fides adhibenda videtur: *Quam vero causam persequendi habuerit,* inquit, *exponam. Cum ageret in partibus Orientis, ut erat pro timore scrutator rerum futurarum, immolabat pecudes, et in jecoribus eorum ventura quaerebat. Tum quidam ministrorum scientes Dominum, cum assisterent immolanti imposuerunt frontibus suis immortale signum. Quo facto fu-*

Persecutionis causa.

gatis daemonibus sacra turbata sunt. Trepidabant haruspices, nec solitas in extis notas videbant, et quasi non litassent saepius immolabant. Verum identidem mactatae hostiae nihil ostendebant, donec magister ille haruspicum Tagis, seu suspicione, seu visu, ait idcirco non respondere sacra, quod rebus divinis profani homines interessent. Tunc ira furoris sacrificare non eos tantum qui sacris ministrabant, sed universos qui erant in palatio jussit, et in eos si detrectassent verberibus animadverti: datisque ad praepositos litteris, etiam milites cogi ad nefanda sacrificia praecepit, ut qui non paruissent militia solverentur. Hactenus furor ejus et ira processit, nec amplius quidquam contra legem aut religionem Dei fecit. Deinde interjecto aliquo tempore in Bithyniam venit hiematum; eodemque tum Maximianus quoque Caesar inflammatus scelere advenit, ut ad persequendos Christianos instigaret senem vanum, qui jam principium fecerat[1]). Eadem sententia etiam nostro tempore a pluribus tenetur[2]).

Diocletiani principia.

33. Attamen plerique auctores qui pragmatica ratione historiam evolvunt, censent, *principiis* Diocletiani insitum fuisse, ut christianismum destrueret; consilium istud jam diu ipsi inhaesisse, et propterea non prius executioni datum fuisse, quod opportunum tempus nondum adesse visum fuerit. Nec convenire characteri hujus Imperatoris, qui in administrando Imperio haud exiguam prae se tulerit artem atque peritiam, ut credatur in negotio illo summi momenti aliorum influxui vel eventibus quibusdam fortuitis cessisse. — Diocletianus, inquiunt, inde ab initio regni sui restaurationem antiqui splendoris et roboris imperii, auctoritatisque summae et absolutae gubernii imperialis seu Imperatorum, ut scopum sibi proposuit. Principium igitur ejus supremum fuit, *absolutam et sub omni respectu summam reddendam esse auctoritatem imperialem, qua omnia regerentur,* ut hac ratione etiam illa unitas obtineretur, qua vigor imperii sibi constaret. Hinc tum in rebus civilibus, tum in rebus quae religionem spectant, Imperatori summam

---

[1]) De mort. pers. c. X.

[2]) Cfr. e. g. Civiltà catt. Quad. 594 marzo 1875.

vindicabat potestatem, sicuti eam in cultu gentilium, non obstantibus variis sectis et opinionibus, Imperatores Romani habuerant.

34. Diocletianus bellis feliciter gestis hostes externos devicerat, quumque animadvertisset, vastiores esse imperii terminos, quam ut ab uno omnia administrari possent, prudenti consilio providerat, ut tres alios imperantes sibi adjungeret ipsisque provincias distribueret. Sed tum in delectu personarum tum in disponendis rebus ita egerat, ut summam potestatem sibi reservaret. Perspiciebat autem, christianismum perpetuum fore obstaculum illius unitatis quam sibi obtinendam proposuerat. Ex indole enim sua haec religio erat ejusmodi, ut Imperatori, maxime gentili, summas partes supremamque auctoritatem in rebus religiosis omnino negaret; eamque dignitatem et potestatem fere divinam, quam *Diocletianus Jovius* praesertim versus finem regni sui sibi vindicabat, Christiani agnoscere haud poterant. Hinc quum felici successu Imperator regnum firmasset, opportunum tempus adesse ei visum est, ut destrueret hanc religionem; atque tunc ingentem persecutionem incepit[1]).

35. Haec explanatio nobis satis probatur, quatenus eadem ostenditur, persecutionem Christianorum provenisse ex illis principiis, quibus Diocletianus in suo gubernio disponendo dirigebatur. Nimium tamen procedere videntur quum existimant, inde ab initio ab Imperatore isto haec omnia jam constituta fuisse, ita ut tam finem suum tam media singula determinato modo intenderet et callide disponeret. Sed decursu temporis potius haec omnia, uti fieri solet, se magis magisque evolverunt. Post plures Imperii annos, principium illud de auctoritate absoluta et suprema Imperator ultra omnes limites extendere voluit, atque etiam ad religionem applicare. Tunc mox perspexit, Christianos ipsi esse impedimento, et ita ad eorum persecutionem pervenit. Si ita res concipitur, cum his etiam conciliantur anti-

---

[1]) V. Katerkamp, B. I. §. 74. — Reumont, Gesch. d. St. Rom. B. I. S. 534 sqq.

quorum narrationes de influxu Galerii et de eventibus quibusdam, quibus ad persequendum Christianos Diocletianus excitatus fuerit. Simulque intelligitur, quomodo, antequam principia sua usque ad extremos limites evolveret, ipse benignus erga Christianos esse potuerit; ad firmandum enim imperium, eorum fidelitas animusque a rebellione maxime alienus multum juvabant[1]).

Persecutio. 36. Persecutionis aliqua praeludia quidem jam adfuerunt, praesertim contra milites christianos, antequam decreta contra Christianos ederentur, inter quae praeludia factum illud recensendum quod ex Lactantio retulimus, quodque a. 302 accidisse videtur. Generalis persecutio coepit edito decreto die 23 Feb. a. 303; dein brevi intervallo tria alia decreta severiora secuta sunt, quorum ultimum omnes Christianos supremo supplicio affici jubebat. Descriptioni hujus persecutionis pro tempore supersedemus. Fuit ea omnium crudelissima, et ingens adfuit martyrum numerus. In Occidente quidem tantum per duos tresve annos duravit, sed in Asia Maximinus usque ad a. 313 persecutionem continuavit. Gallia, quam Constantius Chlorus regebat, persecutionis expers fuit.

---

[1]) In ea incidimus tempora, quibus non desunt auctores profani et impii, qui id sibi propositum dicunt, *ut nomen Diocletiani vindicent a maledictionibus Christianorum.* Tales sunt e. g. Burckhard (Die Zeit Constantins d. Gr. Bern 1853); Vogel (Herzog Realencycl. v. III. p. 399 Diocletian); Wietersheim (Geschichte d. Völkerwanderung 1862. B. III. p. 160); Bernhardt (Diocletian in seinem Verhältnisse zum Christenthum; Bonn 1862. p. 62). Necessitate politica asserunt Diocletianum ad persequendos Christianos adactum fuisse; imo supponunt, Christianos in animo habuisse, ut everterent imperium. Ita Vogel l. c.: „Les chrétiens avaient sans doute trahi leur dessein et leur espérance de renverser de fond en comble l'édifice artificiel de l'Etat, et à l'aide d'un théisme représenté par les souverains eux mêmes et par l'armée, de supplanter la nouvelle religion de l'Etat, de se substituer à sa place et de placer un chrétien sur le trône." — Wietersheim: „Le christianisme prévalait sur le gouvernement; et des faits inconnus de nous, ou de violents soupçons dûrent convaincre subitement Dioclétien qu'il lui fallait ou se mettre à la tête du mouvement ou le comprimer par les plus énergiques mesures. Il choisit ce dernier parti, qui, à son point de vue, était la voie la plus légale." — Vide haec ap. Möhler (Gams), Hist. eccl. T. I. Persécutions, Dioclétien; p. 235.

37. Interea status politicus rerum paulatim mutatus est. Anno 305 *Galerius* effecit, ut Diocletianus et Herculius se imperio abdicarent, hicque in Campaniam, ille in Dalmatiam se ad vitam privatam gerendam conferrent. Quo facto, *Galerius et Constantius Chlorus* proclamati sunt Augusti. Cum Constantius sponte sua Gallia, Britannia et Hispania esset contentus, Galerius duos creavit Caesares, nempe *Severum* cui Italiam et Africam, et *Maximinum* cui Orientem commisit; Illyricum vero Thraciam et Asiam minorem sibi reservavit. Anno 306 Constantio Chloro defuncto, *Constantinus* ejus ex Helena filius, suprema patris voluntate et militium suffragio Augustus salutatus est, atque inde ab initio subditis eamdem quam pater religionis libertatem concessit. Eodem anno *Maxentius* filius Herculii quondam Augusti Romae Imperator renuntiatus est, qui Severo devicto atque occiso et Galerio Italia ejecto, Italiam et Africam sibi subjecit. Maxentius rationibus politicis motus, primis imperii sui annis tranquillitatem qua Christiani in Italia et Africa jam fruebantur non turbavit, postea vero eos vehementissime persecutus est.

Constantinus M.

38. Anno 310 Herculius, conspirationis in Constantinum convictus, mortem ipse sibi adscivit; Galerius foedo morbo percussus a. 311 decreta contra Christianos revocavit, et paulo post etiam propria manu se interfecit. Diocletianus ignobili morte exstinctus est a. 313. — Maxentius interea Constantino bellum indixit, quasi mortem patris sui Herculii ulturus. Constantinus vero ut illum reprimeret et Romanos ab ejus tyrannide liberaret, exercitum in Italiam duxit, primas adversarii copias ad Veronam fudit, ac dein cum exercitu propius Romam profectus est (a. 312). Verum sentiens exercitum suum esse longe inferiorem copiis Maxentii, seque altiori auxilio omnino indigere, se convertit ad illum unicum verum Deum cujus protectioni prospera patris sui fata attribuebat. Coelesti visione de prospero belli exitu instructus victoriam de Maxentio ad pontem Milvium retulit. Maxentius devictus et in Tiberim, quem trajicere conabatur, lapsus periit; Constantinus vero inde ab hoc tempore christianam religionem professus est.

Constantini conversio et visio.

39. Visionem coelestem Constantino factam in dubium vocare ausi sunt plures scriptores increduli et rationalistae, vel eam adscribere causis naturalibus. Non vacat hic veritatem facti prodigiosi propugnare; convenit tamen nosse Eusebii narrationem, ex qua argumenta ad vindicandum illud prodigium facile colliguntur. „Cum intelligeret Constantinus, scribit Eusebius, praeter militares copias praestantiore aliquo subsidio sibi opus esse, ob maleficas artes magicasque praestigias quas tyrannus studiose consectabatur, Deum sibi adjutorem quaesivit. . . . Igitur cogitare apud se coepit, quemnam sibi Deum adsciseret. Quod dum sollicite inquirit, haec illi subiit cogitatio: ex plurimis qui ante se imperium tenuerant, eos quidem qui in deorum multitudine spem suam collocassent, et qui victimis illos et donariis coluissent, primum vaticiniis ad assentationem compositis et oraculis fausta omnia pollicentibus delusos, tandem infausto mortis genere interiisse; nec deorum quemquam praesto illis adfuisse, qui eos invecto divinitus exitio liberaret; solum ipsius patrem, qui contrariam prioribus illis viam iniisset, et qui eorum quidem errorem condemnasset, unum vero supremum omnium Deum toto vitae spatio coluisset, eumdem servatorem ac imperii custodem et omnium bonorum auctorem habuisse. . . . Haec, inquam, omnia cogitatione sua complexus, deos quidem qui nusquam essent colendo nugari, et post tot et tanta documenta caeco adhuc errore ferri, summae dementiae esse existimavit; solum vero Deum genitoris sui sibi esse colendum censuit.“

40. „Hujus ergo opem implorare coepit, orans atque obsecrans, ut se ipsi noscendum praeberet, ac praesentibus negotiis adjutricem manum porrigeret. Haec precanti ac suppliciter postulanti Imperatori admirabile quoddam signum a Deo missum apparuit. Quod si quidem ab alio quopiam diceretur, haud facile auditores fidem essent habituri. Verum quum ipse victor Augustus nobis qui hanc historiam scribimus longe post tempore, cum videlicet in ejus notitiam et familiaritatem pervenimus, id retulerit et sermonem sacramenti religione firmaverit, quis posthac

fidem huic narrationi adhibere dubitabit? Praesertim quum id quod subsecutum est tempus, sermonis hujus veritatem testimonio suo confirmavit. Horis diei meridianis sole in occasum vergente crucis tropaeum in coelo ex luce conflatum soli superpositum ipsis oculis se vidisse affirmavit, cum hujusmodi inscriptione: Hac vince (*τούτῳ νίκα*). Eo viso et seipsum et milites omnes qui ipsum, nescio quo, iter facientem sequebantur, et qui spectatores miraculi fuerant, vehementer obstupefactos."

41. „Interim ipse ut aiebat addubitare animo coepit, quidnam hoc spectrum sibi vellet. Cogitanti ipsi et diu multumque apud se reputanti, nox tandem supervenit. Tum vero Christus Dei dormienti apparuit cum signo illo quod in coelo ostensum fuerat; praecepitque, ut militari signo ad similitudinem ejus quod in coelo vidisset fabricato, eo tanquam salutari praesidio in praeliis uteretur. Ille primo statim diluculo surgens arcanum omne amicis exposuit. Convocatis deinde auri et gemmarum fabris, medius inter eos sedens speciem signi eis sermone depinxit, jussitque ut auro et lapillis similitudinem ejus exprimerent. Quod et nos aliquoties vidisse meminimus. Hoc igitur salutari signo tanquam munimento adversus oppositas quorumvis hostium copias imperator semper est usus, aliaque ad ejus similitudinem expressa signa cunctis exercitibus praeferri jussit" [1]). Post haec Imperator, qui in religionem christianam jam pridem propendebat, in eadem ut accuratius instrueretur curavit, eamque amplexus est, quodam progressu ejus doctrinas et cultum christianum recipiens; baptismum tamen abusu quodam illius aetatis distulit usque ad finem vitae.

42. Fuerunt quidem qui contenderunt, Constantinum non ex animo et sincere religionem christianam amplexum — *Conversio sincera.*

---

[1]) De vita Const. l. I. c. 27 sqq. V. Lactant De morte persec. c. 44. Socrates H. E. I. 3. — De visione Constantini conferri possunt: Du Voisin, Dissertation critique sur la vision de Constantin, Paris 1784; Calmet, Traité des apparitions et des visions, tome 2 p. 376; Jacutius, Syntagma, quo adparentis M. Constantino crucis historia complexa est universa; Romae 1755.

esse, sed motivis mere politicis incitatum fuisse, ut se Christianum profiteretur[1]). Sed id manifeste falsum est. Vel ipse Moshemius hac in re bene scribit: *Constantinum ad religionem christianam ex animo et vere accessisse, facta ejus, leges, consilia, instituta extra omnem ponunt dubitationem. Neque ullam omnis historiae, si sacram excipias, partem majoribus niti tam rerum quam verborum testimoniis arbitror*[2]). Cum his tamen apprime conciliatur, Constantinum merito persuasum habuisse, polytheismo et cultu falso gentilium jam Imperium solido modo fulciri non posse, seque etiam sub respectu civili atque politico publicis rebus optime providere, suscepta et promota religione christiana. Gradibus enim variis hanc religionem magis magisque promovit.

Pontifices R. R.

43. Sed jam paucis commemoremus eos *Pontifices,* qui tempore persecutionis ac triumphi Apostolicam Sedem occuparunt. Priusquam generalis persecutio contra Christianos esset imperata, *S. Caius* papa d. 22 Aprilis anni 296 aeternam gloriam consecutus est. In ejus locum subrogatus fuit *S. Marcellinus* Romanus, martyrium adeptus d. 26 April. a. 304. Ferunt quidem, hunc Pontificem saeviente persecutione mortis metu adactum idolis thura incendisse, et in Sinuessano trecentorum episcoporum concilio ea de causa coacto, lapsum suum confessum poenitentiam egisse. At Marcellini lapsum et Sinuessanum concilium esse commentitia, jam consentiunt eruditi. Etenim 1° nullus veterum scriptorum meminit lapsus Marcellini; tantummodo tempore S. Augustini Petilianus Donatista plures Romanos Episcopos traditionis sacrorum codicum et thurificationis accusavit. Eum S. Augustinus *de Baptismo* l. I. arguit, simul ostendens, nihil eo tempore de aliquo Marcellini lapsu notum fuisse. *Quid ergo,* inquit, *opus est, ut Episcoporum Romanae ecclesiae, quos incredibilibus calumniis insectatus est, objecta ab eo crimina diluamus? Mar-*

S. Marcellinus.

---

[1]) Ita e. g. G. Arnold, H. eccl. T. I. l. IV, c. 2, et Christian. Thomasius, Obser. Hallens.

[2]) De rebus christ. ante Const. saec. IV. §. 7.

cellinus et presbyteri ejus, Melchiades, Marcellus et Silvester traditionis codicum divinorum et thurificationis crimine ab eo arguuntur: sed numquid ideo etiam convincuntur, aut convicti aliqua documentorum firmitate monstrantur? Ipse sceleratos et sacrilegos dicit; ego innocentes fuisse respondeo. Quid laborem probare defensionem meam, quum ille ne tenuiter probare conatus sit accusationem suam? — 2° Plane incredibile est, tercentos episcopos tempore persecutionis convenire potuisse haud procul ab urbe Roma. — 3° Concilii illius Acta stylo tam barbaro rebusque tam inusitatis contexta sunt, ut eo ipso posterioris temporis foetum se ostendant. — 4° Scribit Theodoretus, H. E. l. I. c. 3. Marcellinum Papam *persecutionis temporibus inclaruisse*[1]). — Marcellinus obiit martyrio, uti videtur, coronatus d. 24 Octobris a. 304.

44. Vacavit dein propter difficultates temporum, quum Maxentius tyrannus Romae dominaretur, Sedes Apostolica per aliquot annos, donec a. 307 vel 308 *S. Marcellus* in eam succederet. Ipse quum persecutio remissior facta esset, res ecclesiasticas ordinare studuit, lapsosque Ecclesiae facta poenitentia reconciliare. Sed a Maxentio captus martyrio vitam finivit. Liber Pontificalis de eo haec refert, quae quantum ad substantiam spectat eruditis probantur. S. Marcellus. *Marcellus natione Romanus, ex patre Benedicto, de regione Via lata. . . Hic rogavit quamdam matronam nomine Priscillam, et fecit coemeteria Via Salaria, et viginti quinque titulos in Urbe Roma constituit, quasi dioeceses, propter baptismum et poenitentiam multorum qui convertebantur, et propter sepulturas martyrum. Hic ordinavit viginti sex prebyteros in Urbe Roma per mensem Decembris, diaconos duos et episcopos per diversa loca viginti et unum. Hic coarctatus est et tentus eo quod Ecclesiam ordinaret. Comprehensus a Maxentio, ut negaret se esse Episcopum et sacrificiis se humiliaret daemoniorum. Qui semper contemnens, deridens dicta et praecepta Maxentii, damnatus est in catabulo; qui dum*

---

[1]) Cfr. Wouters, Dissert. vol. I. Diss. LIX. — Döllinger, Pabstfabeln, *Marcellinus.*

multis diebus serviret in catabulo, orationibus et jejuniis Domino servire non cessabat. Mense autem nono nocte venerunt clerici ejus omnes, et emerunt eum de catabulo; matrona autem quaedam nomine Lucina, quae fecerat cum viro suo Marco annos XV et in viduitate annos XIX, suscepit B. Marcellum; quae domum suam nomine B. Marcelli dedicavit, ubi die noctuque hymnis et orationibus Domino Jesu Christo confitebantur. Hoc audito Maxentius misit, et tenuit iterum B. Marcellum, et jussit iterum in eadem ecclesia plancas exsterni, ut ibidem animalia catabuli congregata starent, et ipsis B. Marcellus deserviret, qui tandem in servitio animalium nudus, amictus cilicio defunctus est. Cujus corpus collegit B. Lucina et sepelivit in coemeterio Priscillae Via Salaria VII Kal. Febr., et cessavit episcopatus diebus XX. Lucina vero proscriptione damnata est.

S. Eusebius. 45. Quum S. Marcellus a. 309 obiisset, summum sacerdotium delatum est *S. Eusebio* natione Graeco, qui eo functus est usque ad a. 311. In SS. Marcellum et Eusebium exstant S. Damasi Pont. epitaphia, ex quibus colligitur, eos Pontifices in lapsis reconciliandis post legitimam poenitentiam multam dedisse operam; in interpretatione autem eorum quae referuntur auctores non plane conveniunt. Sunt vero epitaphia hujusmodi:

Veridicus rector, lapsis quia crimina flere
Praedixit, miseris fuit omnibus hostis amarus.
Hinc furor, hinc odium sequitur, discordia lites,
Seditio, caedes, solvuntur foedera pacis.
Crimen ob alterius Christum qui in pace negavit,
Finibus expulsus patriae est feritate tyranni.
Haec breviter Damasus voluit comperta referre,
Marcelli ut populus meritum cognoscere posset.

Heraclius vetuit lapsos peccata dolere:
Eusebius miseros docuit sua crimina flere.
Scinditur in partes populus gliscente furore
Sedet loca edes (seditio, caedes), bellum, discordia, lites.
Exemplo pariter pulsi feritate tyranni

Integra cum rector servaret foedera pacis,
Pertulit exilium omnino sub judice laetus,
Littore Trinacrio mundum vitamque reliquit.

46. De Rossi existimat, turbas et lites motas fuisse a rigoristis, qui nolebant ut cum Ecclesia lapsi reconciliarentur, iisque Pontifices restitisse et lapsos post convenientem poenitentiam ad communionem admisisse[1]). Alii tamen, ut Constantius[2]) et Schrödl[3]) censent, Marcellum et Eusebium poenitentiam canonicam a lapsis exegisse, horum vero complures duce Heraclio noluisse eam poenitentiam persolvere, sed postulasse, uti quondam lapsi Carthaginenses, ut sine poenitentia ad communionem admitterentur. Inde ortam esse seditionem, et Heraclium, qui forte apud Maxentium quid valebat, tyrannum movisse, ut Pontifices in exilium mitterentur. Difficile est hanc quaestionem dirimere. In Libro Pontif. de Eusebio etiam dicitur: *Hic haereticos invenit in urbe, quos vere ad manus impositionem reconciliavit.*

47. Videtur S. Eusebius a. 310 ad Pontificatum pervenisse, eumque tantum tenuisse per quatuor menses; post ejus vero obitum per plures menses S. Sedes vacavit. In locum S. Eusebii a. 311 suffectus est *S. Melchiades,* qui S. Melchiades. Ecclesiam gubernavit duobus annis et aliquot mensibus. Obiit 10 Decembris a. 313. Post ejus obitum d. 31 Januarii a. 314 summus pontificatus delatus fuit *S. Silvestro* Romano, qui magna cum gloria eo functus est usque ad annum 335.

48. Restat, ut pauca dicamus de *Schismate Donatistarum,* Donatistae. quod initio saeculi IV in ecclesia Africana exortum est. Tempore persecutionis Diocletiani ecclesiae Carthaginensi praeerat *Mensurius* vir prudens, sub quo tamen jam aliqua initia discordiae in ecclesia illa apparuerunt, eo quod quibusdam in persecutione nimium prudentia humana niti videretur. Quum diaconus aliquis Felix epistolam

---

[1]) De Rossi Dissert. de Philosophoumenis; Bollet. IV. p. 28.
[2]) Epp. RR. PP., ad *Marcellum.*
[3]) Gesch. d. Päpste; Marcellus.

scripsisset de Maxentio tyranno, in crimen vocatus est; sed Mensurius in suis aedibus in quas confugerat eum abscondit et tradere recusavit. Hinc a Maxentio Mensusius Romam citatus est ad causam dicendam, et quum libertati restitutus Carthaginem reverteretur, mortuus est a. 311. Post ejus mortem *Botrus* et *Celestius* Carthagine episcopatum ambierunt, atque quo facilius quod concupiscebant obtinerent, operam dederunt, ut absentibus Numidiae praesulibus, soli episcopi Carthagini vicini ad electionem episcopi Carthaginensis convocarentur. Nihilominus spes presbyteros illos fefellit; in episcopum enim suffragio totius populi electus est *Caecilianus* Mensurii archidiaconus, isque a *Felice* episcopo Aptungano consecratus est.

49. Sed mox factio Carthagine constituta est Caeciliano opposita. Praeter Botrum et Celestium videlicet plures alii hunc praesulem impugnarunt et e dignitate sua ejicere studuerunt. Mensurius Romam proficiscens senioribus quibusdam ecclesiae supellectilia pretiosa secreto commendaverat custodienda; rerum indicem tamen etiam communicaverat piae mulieri, ut si non reverteretur eum traderet successori, quo securius ipse res traditas repetere posset. Seniores illi jam res illas retinere, in animo habebant; quando vero a Caeciliano ope indicis commemorati coacti sunt ut redderent, a communione episcopi se subtraxerunt. Iisdem se junxit femina factiosa *Lucilla,* nobilitate et divitiis praepotens ac Caeciliano infensa, quod quum solita esset ante sacram synaxim osculari ossa cujusdam hominis de cujus martyrio non constabat, ab illo reprehensa fuisset. Schisma igitur illo tempore vanae mulieris iracundia peperit, ambitio presbyterorum nutrivit, et avaritia seniorum roboravit.

50. Factiosi Caecilianum accusarunt, quod durante persecutione, quum esset archidiaconus, confessoribus in carcere constitutis cibum denegasset. Episcopi Numidiae autem cum primate Secundo, Tigisis episcopo, offensi quod ad electionem Caeciliani non fuissent exspectati, factiosis accesserunt. Ut schismatis praetextum magis speciosum

haberent, Caeciliani electionem vitiosam esse confinxerunt, asserentes, Felicem Aptungitanum, ejus ordinatorem, fuisse librorum sacrorum sub Diocletiani persecutione traditorem; simul urgebant accusationem in Caecilianum latam. Has ob causas a. 312 septuaginta episcopi, qui traditionis crimine ipsi polluti et Lucillae argento corrupti erant, Carthagine in aedibus privatis conciliabulum habuere, ordinationem Caeciliani irritam declararunt, et *Majorinum* clericum, Lucillae domesticum, in sedem Carthaginensem intruserunt. Hoc pacto ecclesia Africana bifariam scissa fuit, ita quidem ut alii Caeciliani, alii Majorini partes sequerentur. Praecipuus hujus schismatis promotor fuit *Donatus a Casis Nigris* episcopus, diversus tamen ab altero *Donato* Majorini in episcopatu successore, a quo sectae nomen derivandum videtur.

51. Cum Constantinus Imp. Caeciliano faveret, schismatici per Aculinum Africae proconsulem libellum supplicem ad Imperatorem miserunt, petentes, ut judices ex Gallia a partium studio alienos ipsis daret. Constantinus rescripsit, ut decem episcopi ex parte Caeciliani et decem ex altera parte Romam venirent, quibus Imperator tres episcopos ex Gallia adjunxit, videlicet Maternum Coloniensem, Reticium Augustodunensem et Marinum Arelatensem, utque ibidem coram Romano Episcopo rei examen fieret. Anno igitur 313 in *Synodo Romana* hortante Constantino celebrata, ad quam praeter supradictos etiam quindecim episcopi Italiae comparuerunt, praeside Melchiade Pontifice, Donatus a Casis Nigris damnatus, Caecilianus vero ceu innocens absolutus fuit. Quam synodi sententiam Donati sectatores detrectarunt, et de paucitate episcoporum, de causa negligentius examinata, de omissa inquisitione in delictum Felicis Aptungitani conquesti sunt. Tunc Imperator a. 314 *Arelate* novam Synodum indixit, cui interfuerunt legati Romani Pontificis, et ducenti episcopi ex Italia, Gallia et Hispania, in qua Synodi Romanae sententia confirmata fuit. Verum nec huic decisioni Donatistae acquieverunt. Tunc eos a. 316 Constantinus Me-

diolanum ad suum tribunal accersivit, ipsiusque Imperatoris sententia iterum ipsi damnati sunt.

52. Quum vero tot judiciis rejecti schismatici illi non quiescerent, sed catholicos opprimerent, ipsumque Imperatorem reprehenderent, Constantinus poenas eorum pervicaciae opponendas ratus, iis ecclesias eripi et eorum primarios in exilium migrare jussit. At nec his schismaticorum audacia fracta est, sed vi armisque Imperatoris legibus restiterunt. Constantinus indignabundus eos tanquam homines incorrigibiles anno 321, minus prudenter revocatis suis legibus, soli divinae vindictae reliquit. Unde factum est, ut Donatistae, adhibitis etiam contra Catholicos violentiis, latissime se per Africam propagarent. Extra Africam vero omnes ecclesiae cum Caeciliano communicabant. Hinc schismatici asseruerunt, veram Ecclesiam ubique traditorum communione defecisse et apud se solos perdurasse, ac proinde ab aliis baptizatis, confirmatis aut ordinatis rursus haec sacramenta conferebant. Sic Donatistae cum schismate haeresim conjunxerunt. Africam autem perturbarunt furore bellico, donec initio saeculi quinti a gubernio civili repressi sunt.

Synodi variae.

53. In *Synodo Arelatensi* etiam varii canones de disciplina ecclesiastica constituti vel renovati sunt, inter quos notandus est VIII[us], ut *baptismus ab haereticis cum debita forma et materia collatus, non repetatur.* — Plures aliae synodi celebriores eadem aetate, initio videlicet saeculi IV, celebratae sunt. Ita anno 305, remissa jam sub Severo Caesare in Africa persecutione, episcopi duodecim synodum celebrarunt apud *Cirtam*, Numidiae civitatem, ut in locum defuncti hujus civitatis episcopi alium ordinarent. In hac synodo actum etiam est de traditoribus, qui suppliciorum metu sacros libros aliasve ecclesiarum res magistratibus prodiderant. Postquam Secundus episcopus Tigisitanus omnes fere qui aderant episcopos istius criminis convicisset, ipse etiam ejusdem accusatus est a Purpurio episcopo Lametensi Unde omnibus consultius visum est, causae judicium relinquere soli Deo. — Circa idem tempus novemdecim episcopi, inter quos eminebat Osius Cordu-

bensis, convenerunt *Illiberim* (Elvira) in Boetica Hispaniae provincia. Condiderunt 81 canones, in quibus multa sanciuntur de poenitentia eorum, qui in gravia crimina lapsi essent, de continentia clericorum, de usu SS. Imaginum et picturarum in ecclesiis, et de aliis capitibus ad disciplinam et cultum divinum spectantibus. — Restant commemoranda Concilium *Ancyranum,* quod a. 314 ab octodecim episcopis Ancyrae, quae est Galatiae metropolis, et aliud quod paulo post ab iisdem fere episcopis *Neocaesareae* in Cappadocia habitum est. Variis canonibus conditis illi Praesules studuerunt malis per persecutionem illatis mederi, et collapsam disciplinam ecclesiasticam instaurare.

II.

De haeresi Ariana.

54. De ortu haeresis Arianae ita Socrates scribit: *Post Petrum Alexandrinae urbis episcopum, qui Diocletiano regnante martyrium consummavit, Achillas pontificatum ejus loco suscepit. Huic deinde successit Alexander, reddita jam Christianis pace quam supra commemoravimus. Hic ergo securius degens ecclesiam suam gubernabat. Forte quodam tempore praesentibus qui sub ipso erant reliquoque clero, de sacrosanctae Trinitatis mysterio sollicite* (φιλοτιμοτέρως) *disputans, in Trinitate esse docebat unitatem. Arius vero unus e numero presbyterorum qui Alexandro parebant, vir artis dialecticae minime ignarus, ratus episcopum Sabellii Libyci dogma inducere, ad opinionem quae cum Sabellii dogmate ex adverso pugnat contentionis studio deflexit, iisque quae ab episcopo dicta fuerant acerbius ut videbatur occurrit, ita disputans: Si Pater genuit Filium, existendi initium habet is qui genitus est. Ex quo manifeste liquet, fuisse aliquando cum non esset Filius* (ὅτι ἦν ὅτε οὐκ ἦν ὁ Υἱός); *et necessario conficitur, eum ex nihilo subsistere. Haec ille novis et inauditis assertionibus quum conclusisset, multos ad eam quaestionem excitavit. Ortum quippe ab Alexandrina ecclesia malum per universum Aegyptum et Libyam ac superio-*

Ortus haeresis.

rem Thebaïdem pervasit; tandem vero reliquas provincias ac civitates depastum est[1]).

Arii indoles. 55. Erat autem Arius natus in Lybia Aegypto proxima et episcopo Alexandrino subjecta, vir quidem subtilis ingenii, eloquens et dialecticarum artium haud imperitus, sed arrogans, invidus et dominandi cupidus. Primum adhaesit Meletio, qui contra Petrum Alexandr. episcopum schisma excitaverat, postea vero ad partes legitimi episcopi transiens a Petro diaconus ordinatus est. Sed mox Petri in Meletium acta ita redarguit, ut sacrorum communione privaretur. Post Petri martyrium in ecclesiam Arius iterum irrepsit, et ab Achilla successore non solum in communionem fuit receptus, verum etiam ad presbyteri dignitatem elevatus, qua in dignitate occasionem habuit multos sibi amicos colligendi, maxime cum popularem sectaretur eloquentiam aptoque esset ad blandiendum ingenio. Unam ex ecclesiis Alexandrinis, quae *Raucalis* dicebatur, curae suae commissam habuit. Famosissimum haeresiarchum sic depingit S. Epiphanius. *Fuit proceriore statura, demisso vultu, totaque corporis configuratione subdoli serpentis instar ad fraudem et fallaciam composita, ita ut callido illo externoque habitu facile simplicioribus animis obreperet. Nam hemiphorium et collobium indutus, in colloquiis ac salutationibus blandus erat imprimis, atque omnium animos adulationum illecebris devinctos tenebat*[2]). — Ejus autem argumentatio subdola ejusmodi erat: Si Pater est ingenitus, Filius vero genitus, Pater principio caret, Filius autem principium quoddam habet, et erat quando non erat Filius; nam omne quod genitum est, aliquando non erat, hinc Filius non est aeternus. Si autem non est aeternus, non est vere et proprie Deus, neque genitus est ex substantia divina, nam secus esset Deus. Itaque unus solus est verus Deus, Pater; Filius seu Verbum non est nisi creatura, omnium tamen prima et suprema, qua Pater ad creandam rerum omnium universitatem usus est, quia mundus visibilis immediatam Dei actionem ferre non posset. Si Fi-

---

1) H. E. l. I. cc. 5. 6.
2) Haer. 69.

lius est creatura, Patrem nec plene videre nec cognoscere potest; si est creatura, est mutabilis, adeoque ejus voluntas tam ad bonum quam ad malum inclinare potuisset. Propter rectum vero usum voluntatis et eximias virtutes Filius a Patre super omnes creaturas elevatus fuit, et ideo vocatus est Deus.

56. Alexandriae igitur complures mox Arii partes amplexi sunt. *Ab ejus partibus stabant,* inquit Sozomenus H. E. l. I. c. 14, *ex Alexandrina ecclesia presbyteri quidem Aethalas, Achillas, Carpones, Sarmates et Arius alter; diaconi autem Euzoius, Macarius, Julius, Menas et Helladius.* Quosdam alios Alexander episcopus in suis litteris commemorat, atque S. Epiphanius tradit, septem presbyteros, duodecim diaconos, et septingentas virgines Deo dicatas Arii errori adhaesisse. *Hinc etiam factum est,* pergit Sozomenus, *ut non exigua populi pars ad eorum factionem se transferret; quippe nonnulli ita de Deo sentiendum arbitrati sunt; alii, quod quidem vulgo evenire solet, eos tanquam affectos injuria et indicta causa ecclesia ejectos commiserati. Ubi vero res Alexandriae essent hoc loco constitutae, Ariani benevolentiam episcoporum singulas civitates administrantium sibi necessario ante colligendam arbitrati, mittunt legatos ad eos cum litteris de fide sua, contenduntque ab illis, ut si rectum ipsis videretur de Deo sentiendum, significarent Alexandro, uti minime ipsis succenseret, sin minus, docerent eos, quemadmodum sentiendum esset. Qui quidem conatus non parum eorum causam adjuvit. Nam hac illorum opinione in omnes fere dispersa, ab omnibus passim episcopis de ea disputare coeptum est: quorum pars scripsere ad Alexandrum, ne admitteret Arianos in ecclesiam, nisi suam de fide opinionem abjicerent, pars autem oravit, ne istud faceret.* — Maxime autem partes Arii arripuit, ejusque doctrinam comprobavit et propagavit *Eusebius Nicomediensis* episcopus, qui, quum ultimis annis Imperatores Nicomediae resedissent, splendore quodam et honore praestabat. Arii sequaces.

57. Alexander postquam exhortationibus et scriptis epistolis frustra operam dedit, ut errorem nascentem reprimeret, anno 320 (vel 321) concilio multorum (circiter Arius damnatur.

centum) episcoporum convocato, Arium et ejus opinionis fautores presbyteri gradu abdicavit[1]). Hac de re dein Alexander dedit ad universos episcopos epistolam, qua ipsis Arii et Eusebii impietatem inauditam denuntiat. Inter alia scribit: „Ac mihi certo in animo erat de illo facinore penitus reticuisse, ut ejus labes si quo modo fieri potuisset, inter illos solum qui ab Ecclesia desciverant deleri quivisset, ne in alia loca evagata, simplicium quorumdam aures suis sordibus inficeret. Verum quoniam Eusebius qui nunc Nicomediae episcopus est, quique totum Ecclesiae statum in sua manu positum arbitratur, quum a nemine, quod ecclesiam Beryti deseruerit, quodque oculos cupiditatis et ambitionis suae ad episcopatum ecclesiae Nicomediensis obtinendum adjecerit, in se animadversum esse videat, istorum etiam qui ab ecclesia defecerunt patrocinium suscipit: et ad omnes qui sunt ubique gentium litteras scribere conatur, eosque in eisdem commendat plurimum, quo imperitos quosdam in gravissimam haeresim Christoque penitus adversariam rapiat: necesse habeo . . . silentium rumpere, remque vobis omnibus indicare, quo non modo eos qui defecerunt a Christo, execrabiliaque verba quae eorum haeresis usurpat cognoscatis, verum etiam si forte Eusebius litteras scripserit, ad eas animos minime attendatis. Nam inveteratam suam malevolentiam silentio ad tempus obrutam jam per istos renovare studet, et licet simulatione quadam prae se ferat eorum causa litteras scribere, re tamen ipsa declarat perspicue, se in rem suam serio istud agere.“ — Exponit dein Arii haeresim, erroremque *novum* esse, et, quod notare juvat, *inauditum in Ecclesia* luculentis verbis asserit. — „Ario igitur, scribit, et ejus fautoribus, qui ista asserunt et de iisdem tam impudenti ore loquuntur, una cum illis qui ejus opinioni assentiuntur, nos cum aliis fere centum Aegypti et Libyae episcopis in unum convenientes anathema denuntiamus. . . Quis unquam talia audivit? aut quis est, qui si jam audiret, non ea tanquam insolita et peregrina ob-

---

[1]) Socr. l. I. c. 6.

stupesceret, auresque obturaret, ne ejusmodi verborum sordes in audiendi sensum illaberentur"[1]).

58. Quum Arius nihilominus continuaret suam haeresim Alexandriae spargere et latius propagare, etiam plures alias epistolas Alexander ad episcopos varios misit, inter quas insignis est epistola encyclica, quam subscriptione cleri quoque sui signatam ad ecclesias dedit. Coëgit tandem Arium, ut Alexandriam relinqueret. In Palaestinam tunc cum pluribus sectatoribus Arius secessit, indeque litteras scripsit ad Eusebium Nicomediensem fautorem suum. Ab ipso forte invitatus, mox Nicomediam se contulit, ac studuerunt quidem dein tum Eusebius tum Arius litteris datis Alexandrum adducere, ut revocaret sententiam in Arium latam, aliosque etiam praesules movernnt, ut idem peterent. Sed merito restitit Alexander; persistebat enim haeresiarcha in perversis suis doctrinis, quae magis magisque dilatatae sunt. Quo facilius autem etiam multitudini errores suos communicaret, Arius veterem poëtam Sotadem Aegyptium imitatus, libellum confecit levioris generis *Thaliam* (convivium) nuncupatum, in quo, poësi cum prosa mixta, doctrinas suas exhibebat. *Mirari subit,* ait S. Athanasius, *quod cum multi plurimos commentarios et sermones scripserunt in novum et vetus Testamentum, nec apud ullos, vel etiam apud graviores gentilium auctores, Thalia reperiatur, sed ab his dumtaxat soleat adhiberi, qui inter pocula cum plausu et facetiis ista in ludis canunt, ut ab aliis irrideantur: mirificus Arius nihil honestum sectatus, imo ignarus quid probos homines deceat, maximamque partem aliarum haeresum furatus, solius Sotadae scurriles facetias aemulatus fuit. Quid enim eum agere eonveniebat, cupientem contra Dominum tripudiare, quam miseras suae impietatis voculas dissolutis et luxuriosis modis significare? ut, quemadmodum Sapientia ait: „Ex verbis suis cognoscetur vir", sic hujusmodi numeris scriptoris animus effeminatus ejusque mentis corruptio pateret*[2]).

Arii Thalia.

---

[1]) Socr. l. c.

[2]) Contra Arianos Or. I. n. 4.

Doctrina Patrum Antenicaen.

59. Antequam ulteriora Arianismi fata prosequamur, quaestionem oportet tangere magni momenti ac difficiliorem quam superius jam innuimus, eam videlicet, num doctrina Patrum Antenicaenorum de Verbo, Arii erroribus fuerit confinis iisque paraverit viam, vel quatenus saltem eorum loquendi et scribendi modus occasionem dederit faciliori propagationi illius haeresis. Hac de re auctores valde graves non eadem statuunt, et controversia quaedam diversaque de doctrina Patrum sententia jam ex eo tempore viguit, quo *Dionysius Petavius* de ea quaestione erudite quidem sed minus clare disseruit. Ipse videlicet in sua Praefatione ad tractatum de SSma. Trinitate c. I. n. 12 ita scribit: *Complures antiquorum illorum, quos auctores ac testes appellamus fidei nostrae, de plurimis dogmatibus, praesertim vero de Trinitate multum a nobis diversa scripserunt. Verum et paucissimi illi sunt qui in re dissentiunt a communi fide, et si sinceros purosque catholicos quaerimus, omnino nulli. In re ipsa dixi. Nam in loquendi modo paululum quosdam variasse, in tertio et quarto capite primi libri de Trinitate monstravimus. Deinde cujusque modi tandem istorum scripta et testimonia sunt, in praecipuis tamen et quae ad summam spectant mysterii totius, ut concordes invicem sunt, ita nobiscum congruunt.* Quum vero hic benignius de antiquis loquatur, durius in ipso libro primo de Trinitate, dum multorum scriptorum sententias refert eosdem tractat. Ita L. I. c. 5. n. 7 scribit: *Igitur nonnullis veterum illa de divinitate ac personarum in ea diversitate insederat opinio, unum esse summum ingenitum, neque aspectabilem Deum, id est,* (videtur corrigendum *qui) Verbum vel Sermonem quem ἐνδιάθετον, intus inclusum tenebat, ex sese foras produxerit, vocalem et sonantem, nec tamen vocis instar sonique transeuntis ac dissipabilem, sed ejusmodi, ut velut corporatus ac subsistens caetera deinceps efficeret. Tum autem a supremo Deo ac Patre productum esse dixerunt, cum hanc rerum universitatem moliri statuit: ut illum velut administrum adhiberet. Quam sententiam alii clarius, alii obscurius significant, sed isti fere: Athenagoras, Tatianus, Theophilus, Tertullianus et Lactantius. Tam ii vero quam alii, ut Origenes,*

aevo dignitate ac potentia superiorem esse Verbo Patrem arbitrati sunt, ac tametsi de Patris esse substantia sive natura Filium assererent, qua una re ab caeteris quae creaturae proprie vocantur, illius conditionem diversam faciebant, non minus tamen quam creaturas initium habuisse, hoc est minime ab aeterno distinctam hypostasim fuisse putarunt. Ac de antiquioribus quidem istis minus est mirandum, sic eos de divini Verbi productione sensisse. Zenonem Veronensem episcopum satis admirari nequeo, qui . . . eadem cum priscis illis existimasse videtur.

60. Severius etiam cap. 8. n. 2, ait: *Planissime constat, germanum Platonicum Arium exstitisse, tum illorum veterum secutum esse dogma, qui nondum patefacta constitutaque re ad eumdem errorem offenderunt. Nam et illi productum a Deo Patre Verbum, non tamen ex aeternitate docuerunt, sed antequam mundum fabricaret, ut illo administro ad hujus molitionem operis uteretur. . . . Quamobrem quod Arium illius dogmatis architectum fuisse, cujusmodi hactenus auditum non erat, Alexander in epistola queritur, aliique Patres qui contra hanc haeresim scripsere, oratorio modo et per exaggerationem dici arbitror, siquidem magna est producta a nobis copia priscorum, qui idem quod Arius ante tradiderant. Nisi forte hoc ipse praecipuum habeat, quod Verbum Dei ac Filium ἐξ οὐκ ὄντων, ex nihilo, creatum palam ac disertius quam unquam alius asseveraverit. Nam plerique illi quos supra citavi non id aperte declarant, sed Filium sive λόγον aiunt ex Patris substantia profluxisse, ut Athenagoras, Theophilus Antiochenus, Tatianus. Origenes autem et Dionysius Alexandrinus, etsi reapse idem quod Arius sentiunt, non tamen expresse ac verbo declarant, ἐξ οὐκ ὄντων Filium esse factum.* — Hisce igitur antiquos Petavius vehementer perstringit; sed jam diximus ipsum sibi non cohaerere, quum alibi plane alia dicat; ita in Praef. c. 4 n. 4 Dionysium Alexandrinum tantum verba duriora adhibuisse videtur agnoscere[1]).

[1]) Praefationem post ipsum opus scriptam esse, ex modo loquendi Petavii colligitur; dixeris autem, quum dissensio sit inter plures auctoris sententias, ultimam manum operi non esse admotam.

Expenditur Petavii sententia.

61. Profecto plane immerito Sandius Socinianus Petavio eam impingere studuit calumniam, ipsum opinionem Arianismo affinem et Socinianis acceptam habuisse ut veram doctrinam antiquam, quamvis id aperte fateri non ausus sit. Id unum quaeri potest, annon severius Petavius de pluribus Patribus antiquis judicaverit. Georgius Bullus Anglicanus objicit Petavio, uti videtur immerito, ex ipso plerosque Patres antiquos Arianismo infectos fuisse, ac dein studio laudabili et proficuo demonstravit, Patrum locutiones difficiliores omnino sano sensu interpretandos esse[1]), uti in Praefatione ipse Petavius declarat. Pariter theologi doctissimi, Natalis Alexander, Godefridus Lumper O. S. B., Möhler (in opere Athanasius), Em. Franzelin, hanc sententiam tenent, atque ex ipsis principiis Patrum demonstrarunt, duriores illas locutiones consone cum doctrina orthodoxa intelligendas et exponendas esse. Haec vero interpretatio jam communis et certa inter theologos videbatur.

Opinio aliquot auctorum.

62. Attamen varii theologi graves nostro tempore aliter sentiunt, aliaque ratione existimant de Patrum antenicaenorum doctrina judicandum esse. Anno 1850 cl. Kuhn Dissertationem edidit, qua Petavium contra Sandium et Bullum defendit, et conferens ea quae in opere de Trinitate cum iis quae in Prolegomenis Petavius scribit, benigniorem ejus et aequam fuisse de Patribus sententiam statuit[2]). Ita defendere studuit virum celeberrimum contra Baur, theologum protestantem et rationalistam, qui asseruerat, Petavii judicia severiora de Patrum doctrina vera esse, sed parum conformia cum systemate catholico de dogmatum stabilitate[3]). Quamvis vero SS. Patrum antenicaenorum orthodoxia haud culpanda sit, advertendum tamen esse, advertit, *imperfectam fuisse dogmatum intelligentiam,* quae juxta principia *de profectu intellectus catholici* per aetates magis magisque perficitur; adeoque haud

---

[1]) Defensio fidei Nicaenae.

[2]) Ehrenrettung des D. Petavius und der katholischen Auffassung der Dogmengeschichte. — Tübing. Quart. 1850.

[3]) Die christl. Lehre von der Dreieinigkeit und Menschwerdung.

mirandum, si sancti illi Patres in modo concipiendi et explicandi dogmata aliquando deficiant.

63. Ut indoles hujus sententiae accuratius intelligatur, juvabit citare ea quae hac de re habet Em. Franzelin, dum quaestionem hanc uberius tractat. — „Ex una parte, scribit, fatentur hi theologi, fidem et professionem dogmatis eamdem fuisse Patrum antenicaenorum ac deinceps; ex parte vero altera affirmant, modum concipiendi et explicandi ipsum dogma fuisse *deficientem*. Defectum autem reperiunt non solum in usu argumentorum, comparationum, obscurae elocutionis, sed in eo, quod Patres antenicaeni plerique naturam Filii putaverint esse aliam inferiorem quam sit natura Patris, ac proinde idem utique censuerint de natura Spiritus Sancti. Credidisse, aiunt, illos vetustos Patres universos Filium Dei Deum, sed consubstantialitatem cum Patre sensu Concilii Nicaeni nondum intellexisse, imo visos esse tendere ad asserendam naturam Filii velut participationem de natura Patris *quantitate* inferiorem. *Quamdiu enim ratio, qua persona se habet ad personam, non distinguitur a ratione qua natura in Filio se habet ad naturam in Patre, tamdiu subordinatio personalis (quod una persona habet originem ex altera), necessario etiam transfertur ad essentiam, nec admittit cognitionem absolutae consubstantialiatis, id quod accidit apologetis et plerisque Patribus antenicaenis.* (Ita Kuhn, De Trinit. §. 12. p. 123). Non probant recentes isti theologi, ut modos loquendi duriores Patrum antenicaenorum comparatione facta cum declarationibus et formulis Patrum subsequentium, in eumdem sensum quoad rem ipsam reducere satagamus, solo admisso discrimine ac progressu ab obscuriori ac confusiori modo concipiendi ad clariores et distinctiores definitiones; sed duriores illas locutiones veterum urgent velut exprimentes gradum inferiorem, ac proinde diversitatem naturae in Filio Dei prae Patre, Deo universorum“[1]).

64. Animadvertendum porro est, auctores illos, fere uti Petavius cujus expositionem vindicant, non omnino

[1]) De Deo trino Th. X.

sibi videri cohaerere in iis quae statuunt. Simul videlicet antiquos illos Patres defendere student, et identidem ita loquuntur, ut concedere videantur, rem ipsam unitatis naturae in personis distinctis Patres utique tenuisse, sed solum non clare exprimere valuisse, quod fidei intellectu concipiebant. At certe si ita est, oportet omnino conciliare locutiones illas obscuriores cum doctrina subsequentium Patrum et cum explicatione catholica. — Advertunt quoque, duo capita quoad doctrinam de Filio semper ut revelata agnita fuisse, videlicet *veram divinitatem Filii ejusque aequalitatem cum Patre*, et *distinctionem personae a Patre;* sed in consequentiis quibusdam illos Patres errasse. Attamen si sensu illo severo dicta Patrum duriora sumuntur, non apparet, quomodo *Filii aequalitatem* cum Patre ipsi tenuerint, dum *subordinationem naturae* docent. Atque etiam doctrina de *unitate Dei non specifica sed numerica,* adeoque doctrina de *consubstantialitate* personarum, certe pertinet ad dogmata revelata, inde ab initio in Ecclesia habita veluti fundamenta et elementa fidei. Sed in hoc dogmate plerosque Patres antenicaenos errasse, illi viri fatentur.[1])

Haud admittitur. 65. At rationibus dogmaticis prohiberi censemus, quominus ejusmodi errores tam multis egregiis Patribus adscribamus. Ac revera ipsi dici possent praeparasse viam Arianismo, si res ita se habet. Patres vero Ario coaevi et postnicaeni nunquam concesserunt, antiquiores Patres antenicaenos quoad *doctrinam* in illis capitibus summi momenti errasse vel fluctuasse. — *Unitas* Dei, *trinitas* personarum, *aequalitas* Patris et Filii (quum sint unus numerice Deus), pertinent ad veritates quae fundamentum et principia religionis christianae constituunt, et necessario semper et explicite ab omnibus credita sunt. In ejusmodi autem veritatibus non potest admitti talis progressus, qualem viri illi eruditi concipiunt. Aliud est, si agitur de quibusdam veritatibus, quae vel solum *implicite* in aliis revelatae sunt, vel usu et observatione quadam

---

[1]) Franzelin, l. c.

communi disciplinae potius quam diserta doctrina propositae. In his veritatibus potest aliquando, praesertim per magisterium authenticum Ecclesiae sub directione Spiritus Sancti profectus explicationis locum habere eo fere modo, uti theologi illi asserunt locum habuisse quoad veritates principes in dogmate de SS. Trinitate.

Antenicaeni consentiunt cum posterioribus.

66. Caeterum Patres Arium impugnantes semper suam doctrinam proclamarunt ut eamdem, quam Patres anteriores proposuerant, et communis Christianorum fides continuo tenuerat. Jam vidimus, Alexandrum ad Praesules universos deferre errores Arii ut inauditas et blasphemas opiniones novas, eam *Ebionis et Artemae,* dicit, *doctrinam esse, et aemulationem Pauli Samosateni, qui in synodo et judicio qui ubique sunt episcoporum ab Ecclesia est ejectus*[1]). Hinc Arius et asseclae ejus studebant verbis ambiguis impietatem suam tegere, et adhibere locutiones catholicas, ita ut populus christianus sub verbis quae Ariani retinere cogebantur sensum intelligeret eatenus ab universa Ecclesia creditum et praedicatum. *Et hujus quidem usque adhuc impietatis fraude perficitur,* ait S. Hilarius, *ut jam sub Antichristi sacerdotibus Christi populus non occidat, dum hoc putant illi fidei esse, quod vocis est. Audiunt Deum Christum: putant esse quod dicitur; audiunt Filium Dei: putant in Dei nativitate inesse Dei veritatem; audiunt ante tempora: putant id ipsum ante tempora esse quod semper est. Sanctiores aures plebis quam corda sunt sacerdotum*[2]). S. Athanasius de apostolica traditione fidei Nicaenae adversus novitatem Arianorum ita loquitur: *Nos quidem hanc sententiam a Patribus ad Patres transiisse demonstramus, vos vero, o novi Judaei et Caiphae discipuli, quos patres dictorum vestrorum exhibere potestis? Nullum certe prudentem et sapientem unquam proferetis; omnes enim a vobis abhorrent praeter unum diabolum,... qui etiam nunc vobis persuadet, ut calumniemini oecumenicam Synodum, quia videlicet non vestra definivit sed ea, quae ab initio tradiderunt testes oculati, qui et ministri verbi fuerunt; nam fides quam*

---

[1]) Ep. ad Alex. Byzant. ap. Theodor. H. E. l. I. c. 3

[2]) Contr. Auxent. n. 6.

Synodus scripto confessa est, ipsa est fides catholicae Ecclesiae[1]).

67. Ut ostendatur, minus accuratam et determinatam etiam ab antiquis habitam esse doctrinam Patrum antenicaenorum, citari solent illa verba Augustini (in Ps. 54): *Numquid perfecte de Trinitate disputatum est, antequam oblatrarent Ariani?* et illa S. Hieronymi in Apologia secunda contra Rufinum de vetustis doctoribus scribentis: *Fieri potest, ut vel simpliciter erraverint, vel alio sensu scripserint, vel a librariis imperitis eorum paulatim scripta corrupta sint, vel certe antequam in Alexandria quasi daemonium meridianum Arius nasceretur, innocenter quaedam et minus caute locuti sint, et quae non possint perversorum hominum calumnium declinare.* — Sed manifestum est, ex his nullatenus posse deduci, SS. Augustinum et Hieronymum censuisse, *de facto* non paucos Patres antenicaenos de divinitate Verbi opiniones habuisse erroneas. S. Hieronymus l. c. arguit Rufinum, qui veluti *a priori* et *principio fixo* omnes errores in Origenis operibus repertos attribuebat fraudi et interpolationi haereticorum. Similia quoad aliorum antiquorum Patrum opera sentiebat, dicens, etiam in libris Clementis Alexandrini et Dionysii Alex. evidenter plura ab haereticis esse corrupta. S. Hieronymus rejicit illud principium, ut *quidquid in libris omnium vitiosum reperiatur, ab aliis corruptum sit;* et ea occasione plures causas adducit, quare *possit* inveniri aliquid in Patribus quibusdam quod minus probandum videatur. Sed ex hisce rationibus *possibilitatis* quas affert, si quaeratur *de facto*, prima et tertia sine valida probatione admitti non debet; secunda autem et quarta inspectis Patribus invenitur verissima et ad formulas et locutiones de quibus agimus aptissime applicatur[2]). — Idem fere de S. Augustini effato dicendum est.

68. Locutiones illae difficiliores Patrum antenicaenorum a theologis haud difficulter explicantur.[3]) Praecipuae

[1]) De decret. Nic. n. 27. — [2]) Vide haec ap, Franzelin l. c.

[3]) Cfr. Tract. nostrum de Verbo incarn. n. 38 sqq. — Franzelin de Deo trino Th. X et XI.

formulae eo pertinent, quod interdum loquuntur 1° de relatione Filii ad Patrem velut inferioris ad superiorem; 2° de voluntaria generatione Filii; 3° de operatione Filii ad extra velut ministrantis Deo Patri, ejusque generatione ad opus creationis; 4° de missione et operationibus Filii etiam in veteri Testamento velut visibilis et loco circumscripti, prae Patre invisibili et immenso. — Jamvero omnes illae locutiones penes Patres orthodoxos possunt, et spectatis eorum principiis et declarationibus debent intelligi *de reali distinctione Filii per generationem procedentis a Patre ut a suo principio,* non autem de *modo distinctionis secundum diversitatem naturae;* in plerisque vero simul respicitur humana natura a Filio assumenda aut assumpta, vel apparitio in loco per subjectam creaturam. Sententiae quaedam explicantur.

69. Sumamus exempli causa aliqua ex *Hippolyto* contra Noëtum n. 10. *Deus solus,* scribit, *cum esset nihil habens sibi coaevum, voluit mundum creare. . . . Quando voluit et quomodo voluit ostendit Verbum suum temporibus apud eum definitis. Omnia quae facta sunt, Verbo et Sapientia facit; Verbo quidem creat; Sapientia vero ornat. Fecit igitur sicut voluit; Deus enim erat. Eorum autem quae facta sunt ducem consiliarium et effectorem generabat Verbum. . . Quod Verbum quum in se haberet, essetque inadspectabile mundo creato* (i. e. creaturis nondum existentibus), *fecit adspectabile emittens priorem vocem, et lumen ex lumine generans emisit creaturae Dominum, suum proprium intellectum prius ipsi soli visibilem, creato vero mundo invisibilem, ut mundus videns eum dum apparuit, salvari posset. Atque ita adstitit ei alius. Cum alium dico, non duos deos dico, sed tanquam lumen ex lumine et aquam ex fonte, aut radium ex sole. Una enim virtus quae ex toto est, totum vero Pater, ex quo virtus Verbum. Hoc* (Verbum) *mens est, quod prodiens* (per Incarnationem) *in mundo ostenditur filius Dei* (παῖς θεοῦ, Christus homo). *Omnia igitur per ipsum, ipse solus ex Patre. . . . Duos quidem deos non dicam, sed unum, personas vero duas, et oeconomiam tertiam Gratiam Sancti Spiritus* (n. 10. 11). . . . *Quid est quod ex ipso Patre genitum* Hippolytus.

est nisi Spiritus, id est Verbum? Sed dices mihi, quomodo genitum est? Explicationem quomodo tu genitus sis non potes expromere. . De generatione autem Verbi quaeris? Deus Pater volens genuit, sicuti voluit; ὃν βουληθεὶς ὁ θεὸς Πατὴρ ἐγέννησεν ὡς ἠθέλησεν) n. 16.

70. In his 1° dum Hippolytus Patrem dicit *totum* et Verbum *virtutem* ex toto, verborum sensus est: Pater et Verbum una virtus est, et ideo unus Deus; sed Pater dicitur totum, velut fons et principium ex quo procedit Verbum, et ideo Pater et Verbum qui sunt una virtus, distinguntur ut principium et principiatum. In his et similibus Patrum expressionibus nullatenus inferior exprimitur Verbi natura. — 2° Dum dicitur Pater *volens, uti voluit,* genuisse Verbum, id non eo pertinet, ut voluntas libera designetur ut causa efficiens. Sed exprimitur, non vile quid de illa generatione esse cogitandum, eam non esse invitam vel per modum processionis naturalis, qualis est in corporibus cognitione et voluntate carentibus; at eam esse mysterio plenam ac talem, qualis decet infinitum spiritum, in quo generatio est per intellectum sed *cum voluntate.* Exprimitur igitur *voluntas naturalis concomitans,* sicut Deus voluntate Deus est, non quod voluntas sit effectrix Dei, sed quod Deus ex intrinseca sui perfectione existens vult utique Deus esse sicuti est, nec invite Deus est. — 3° Expressio, Verbum esse *operarium Patris eique ministrare* in mundi creatione, etiam apud S. Irenaeum et alios Patres tum ante tum post tempora Arii occurrit. Non agitur hic de servili et instrumentali ministerio, sed pertinent haec ad doctrinam apud omnes theologos receptam de missione et appropriatione. S. Basilius simili ratione loquens ait: *Proinde quod dicitur mandatum, ne sermonem imperiosum per vocalia organa prolatum intelligamus, Filio velut subdito praescribentem quid facere debeat; sed ut Deum decet cogitemus voluntatis communicationem, velut formae cujusdam irradiationem in speculo a Patre in Filium aeternaliter dimanantem*[1]).

---

[1]) De Spir. S. n. 19.

71. Difficultatem quidem multis movet, quod 4° non pauci Patres dicunt de *generatione Verbi in ordine ad opus creationis;* sed neque id ab orthodoxa doctrina vel minimum dissentit. Distinguunt videlicet Patres nomine generationis duo valde diversa, *generationem aeternam,* qua Filius in se est persona a Patre distincta, velut consiliarius in visceribus et in corde Patris, tum Filii *manifestationem ad extra,* quae nec ab aeterno est, nec necessaria, sed libera, et quae tanquam *missio generati* dicitur *generatio ad extra.* Clarissime S. Hippolytus hanc generationem ad extra ait esse *ostensionem* Verbi, ut quod prius erat visibile soli Patri, fieret visibile creaturis. — 5° Hippolytus videtur *distinguere inter Verbum et Filium,* ita ut secunda persona Trinitatis ante manifestationem ad extra, et nominatim ante incarnationem ac nativitatem ex Virgine, fuerit Verbum, nondum vero perfectus Filius; sed Filius perfectus demum intelligatur, quatenus Verbum est manifestatum et incarnatum. Id provenit ex indole disputationis ejus cum Noëtianis. Trinitatem personarum illi negabant, et quando a catholicis urgebantur, saepe eo confugiebant, ut dicerent Filium carnem esse, id est hominem, id est Jesum; Patrem autem Spiritum, id est Deum, id est Christum. Hippolytus igitur primum probat, quod Verbum est incarnatum, dein insistit disertae declarationi, quod Verbum incarnatum est una persona Filius Dei, idem Deus Verbum et homo. Quoniam vero adversarii Filium intelligebant, quatenus est Filius hominis natus ex Virgine, Hippolytus distinguit rationem Verbi unigeniti a Patre et ineffabiliter secundum Spiritum (secundum divinitatem) generati a Patre, et rationem filii hominis in tempore ex Virgine nati secundum carnem. Videlicet distinguit unius ejusdemque personae duplicem generationem, ex Deo Patre secundum divinitatem, et ex Virgine secundum humanitatem, et ex utraque simul, ait, intelligi *perfectum* Filium, i. e. rationem Filii Dei et Filii hominis quae Christo Deo-homini competit. Vides, in his nihil haberi Arii placitis affine[1]).

---

[1]) Vide haec ap. Franzelin l. c. Th. XI. Scholion 2. — Doctrinas.

Quomodo Filius visibilis.

72. Restat ut commemoremus sententias aliquot Patrum, qui sensisse videntur, *Patrem* esse natura sua ob suam eminentiam et immensitatem *invisibilem, Filium* vero aut esse aut posse fieri *visibilem,* et sic a Filio in sua persona et per suam personam factam visibilem, hominibus manifestari Patrem invisibilem. Talia habent Justinus, Theophilus, Irenaeus, Clemens Alexandrinus et alii, unde arguuntur a Petavio et aliis auctoribus, quod adscripserint Filio inferiorem naturam. — Jam vero nemo illorum Patrum dicit, Filium esse aut fieri visibilem in sua propria natura divina, quod haec inferioris rationis sit, aut Filius secundum naturam divinam non aeque sit immensus et ubique praesens sicut Pater. Sed solum docent, Filium posse fieri et factum esse visibilem maxime in natura humana assumpta, qua Deus Filius simul est verus homo; et etiam in veteri Testamento *per subjectam creaturam,* variis scilicet ostentis, demonstrantibus praesentiam Filii, ut personae missae a Patre et proinde personae distinctae. Quando vero illi Doctores vetusti videntur a Filio qui visibilis apparet excludere immensitatem, et ei attribuere circumscriptionem, ibi imprimis prae oculis habent naturam humanam. Theophanias porro V. T. habebant ut prolusiones quasdam ad Incarnationem et ad apparitionem Verbi in carne, atque ideo phaenomena illa ignis, nubis, figurae humanae habebant veluti umbras naturae humanae assumendae. Secundum ipsos autem apparet Filius, non vero Pater, ob characterem utriusque personalem et peculiarem. Quia scilicet Pater est *principium,* Filius vero in relatione ad Patrem est *plena manifestatio Patris,* ut consubstantialis *imago* Patris, ut *splendor gloriae et figura substantiae* ejus, ideo etiam omnis manifestatio ad extra in ordine ad creaturas est per Filium. Porro qui apparet, se exhibet ut *missum.* Sed tanquam *missus* Pater apparere non potuit, quia nulla est persona a qua procedat, ac pro-

vel modum loquendi S. Hippolyti aliquanto accuratius consideravimus, quo magis clareat, plane orthodoxum ipsum fuisse, nec esse eum qui Opus Philosophoumenon conscripsit.

inde nulla a qua mittatur. — Interdum quidem aliqui ex illis Doctoribus nimium procedere videntur, dum *congruentiam* illam, ut Filius (manifestatio Patris) per subjectam creaturam appareat, aestu disputationis ita urgent, ut opinentur, Patrem non posse apparere, apparitionem Patris, si qua foret, jam futuram esse secundum divinam naturam, et ideo esse impossibilem. Nimium hic procedunt; nullam tamen inducunt distinctionem ac diversitatem naturae Patris et Filii, sed in hac speculativa theoria characteres personales prae oculis habent[1]).

73. Ex hisce igitur, quantum angustiae nostrae Dissertationis id patiuntur, satis ostendimus, locutiones quasdam formulasque difficiliores complurium Patrum merito sensu orthodoxo esse exponendas, subordinationemque et diversitatem naturae Filii prae natura Patris ab ipsis non adstrui, sed consubstantialitatem Patris et Filii sancte servari. — Operae pretium est commemorare sententiam Em. Cardinalis Newman in sua Dissertatione *de causis ortus et propagationis Arianismi*[2]). Ipse magna cum eruditione examinat varias doctrinas et locutiones Patrum antenicaenorum, et quamvis censeamus severiorem eum in pluribus esse, tamen, pleraque sensu orthodoxo intelligi posse, fatetur. Sed vehementius movetur doctrina plurium Patrum de *temporali generatione Filii*, eaque errorem contentum fuisse quo postea Semiariani usi sunt, ipse existimat. Censet tamen eruditissimus vir, etiam illos Patres admisisse aeternitatem et hypostaticam Verbi existentiam, et consubstantialitatem cum Deo Patre; sed non admisisse *Verbi qua Filii aeternitatem*. Eos non agnovisse generationem aeternam, sed supponere veram quamdam temporariam generationem ante rerum creationem, qua Verbum Filius factum sit. Sub hoc respectu igitur opinionem erroneam pluribus Patribus tribuit, attamen pro scopo suo id sibi sufficere, ait, quod explicaverit, ex locutionibus et ex-

Em. Newman.

---

[1]) V. Franzelin, l. c.

[2]) Tracts theological and ecclesiastical by John Henry Newmann D. D. London, 1874. II. Causes of the rise and successes of Arianism.

plicationibus variis Patrum antenicaenorum Arianos dein *occasionem* desumpsisse, ut suos tuerentur et propagarent doctrinas haereticas[1]).

---

[1]) En sententia Em. viri: §. 11. The temporal Gennesis. — Hitherto I have found nothing in the thougth or language of the Ante-Nicene Fathers, which, even though suggestive accidentally of the subsequent Semi-Arianism, does not admit of an orthodox sense, and has not the sanction of the Post-Nicene Fathers. The *Principatus* is the doctrine of St. Gregory Nazianzen and of St. Augustine; the *syncatabasis* is the special teaching of St. Athanasius. Such doctrines are in no respect inconsistent with the consubstantiality, coëternity, and coëquality of the Son with the Father. So far is clear; but I have something more to say concerning the early writers, and it is not of an equally satisfactory character. J am obliged to own that I cannot acquit a large proportion of them of using language concerning the Divine Sonship, which it is difficult to distinguish from what in St. Augustine's day would have been considered heretical, or close upon heresy. — The doctrine, which they favour, is the Temporal *Gennesis*; viz., that the Eternal Word was not the Son from everlasting, but became the Son before the creation in order to be its Creator; and this doctrine afterwards stigmatized as a heresy, is, it is plain, in real connexion historically, and in apparent connexion theologically, with Arianism. .. That these writers held both, the eternity, and the hypostatic existence of the Word, I think beyond a doubt. . . Still that they believed in His eternity, viewed as the Son, I cannot persuade myself, if their language is the index of their belief. . Nor will it satisfy me even if some of them assert the existence of the Son *before all ages*. . . By such expressions they imply that the *gennesis* after all had a relation to time; and then it is that it occurs to the inquiror that *before all worlds* is also of the nature of a date, and, being a phrase not absolute but relative, is inadmissible as a categorical enunciation of the Son's eternity. . . And further still; it was possible to hold eternal *conception* of the Son in the Divine Essence, as a distinct Person, without holding His *birth* to have been from eternity, and to understand *gennesis* not to mean *generation* but *birth*.

§. 15 Conclusion — Thus we find that till about the year 360. . . the writers of the East and West as far as their works are extant, professed the doctrine of the temporal *gennesis*. Shortly after that date St. Phoebadius and St. Ambrose in the West, and St. Basil and the two Gregories in the East, initiate on that point a sounder theological literature. Or, if it seems extreme and dangerous thus to speak, let me say instead, that from the first and through the following centuries the language of the Alexandrian writers is as clear concerning the Eternal *Gennesis* as the language of ecclesiastical writers after that

74. Ex locutionibus difficilioribus Patrum Arianos et Semiarianos sumpsisse occasionem suos vindicandi errores, verissimum est, atque eatenus Emin. Auctori plane consentimus. Sed non acquiescimus ejus sententiae de opinione erronea Patrum, quoad generationem temporariam. Etenim 1° jam vidimus, quo haec doctrina pertineat; et aequum est, ne Patres secum ipsis et cum aliis Patribus committamus, ut temporaria illa generatio uti *manifestatio et missio Filii in creatione mundi* explicetur. Sed 2° etiam existimamus argumenta *manifesta* adesse in illis Patribus, eos *veram aeternam generationem* Filii agnovisse; unde per se sequitur, temporariam generationem alio sensu intelligendam esse. Non vacat Patrum effata percurrere; satis tamen explicavimus doctrinam S. Hippolyti, cui opinionem de vera temporaria generatione Filii ad creandum Auctor adscribit. Perspicuis verbis dicit S. Hippolytus, c. Noetum n. 15: *Nec enim Verbum per se et sine carne perfectus Filius erat, cum tamen esset perfectum Verbum, Unigenitus* (*καίτοι τέλειος Λόγος ὢν, Μονογένης*). Si Verbum dicit *Unigenitum* ab aeterno, profecto *veram* generationem *aeternam* fuisse docet[1]).

---

date, and as the language of theologians now; whereas the language of the Ante-Nicene writers in East and West was undeniably unlike what would be tolerated now, and like that what now would be called, and rightly called, heresy. Nay, I will admit still more: — though I cannot myself accept, I will tolerate the subterfuge, as I consider it, of those moderns who would save the credit of these writers in East and West, by the hypothesis that when they spoke of a temporal *gennesis* immediately before the creation, they were not speaking of the real *gennesis*, which is from eternity, but of the Son's procession to create, called *gennesis* by a figure, althoug those writers say not a word to suggest that they were speaking figuratively, and are simply silent about an eternal and true *gennesis*. This last representation of the historical fact will be quite enough for my purpose; for I am only engaged in pointing out those facts in the foregoing centuries which gave a handle to Semi-Arian doctrine in the fourth, and the statements of a figurative *gennesis* on the part of the early Catholic writers are so very like the denial of a proper *gennesis* from eternity, that it is no wonder if the Semi-Arians did take them, or rather very wonderful if they had not taken them, to mean what they plainly said.

[1]) Accuratius haec tractata vide ap. Franzelin l. c.

Praeludia errorum.

75. Dum vero Patres merito ab opinionibus Arianorum erroribus confinibus defendimus, alia quaestio est, num in scholis interdum, vel alia occasione quidam doctores, uti Origeni accidit, minus accurate de Trinitate ac de Filii divinitate disputarint, indeque semina illius haeresis jam antea sparsa sint. Hoc revera evenisse existimamus. — Complures censent, S. Lucianum presbyterum Antiochenum et celeberrimum sub Maximino martyrem, doctrinas Arii dogmati similes proposuisse cum Sabellianis vehementius resisteret, atque ex ipso Arium suos errores hausisse. Alexander enim episcopus Alexandrinus in sua ad Alexandrum Constantinopolitanum epistola, quum dixisset, a Paulo Samosateno Arii doctrinam derivari, pergit: *Cui succedens Lucianus pluribus annis a communione trium episcoporum sese abjunxit. Horum impietatis faecem quum hausissent, nuper nobis orti sunt Exoucontii, Arius scilicet et Achillas, et reliqua impiorum istis adhaerentium turba*[1]). Et Arius ipse in epistola ad Eusebium Nicomediensem fautorem et sectatorem suum scribit: *Opto te in Domino valere, memorem vexationum nostrarum, Συλλουκιάνιστα ἀληθῶς Εὐσέβιε*[2]). Ariani postea libenter ad Lucianum provocabant, eique fidei quamdam formulam adscribebant, in qua coaeternitas et consubstantialitas Filii cum Patre non exprimebatur; haud tamen constat hanc formulam Luciani fuisse[3]). Baronius argumenta collegit non spernenda (ad a. 311. n. 12 et ad a. 318 n. 75) ut ostenderet, clarissimum illum martyrem revera non fuisse Ariano errore imbutum, sed, uti quondam Dionysius Alexandrinus, injuste in suspicionem adductum. Pro orthodoxia Luciani sane militat, quod S. Athana

[1]) Ap. Theodoret H. E. l. I. c. 4. [2]) Ibidem c. 5.

[3]) „Aiebant autem, reperisse se hanc fidem scriptam manu ipsius Luciani, ejus qui Nicomediae martyrium perpessus est, viri tum in aliis rebus praestantissimi, tum in sacris Litteris admodum exercitati. Utrum vero istud vere dixerint, an conscriptionem suam auctoritate martyris commendare voluerint, equidem nequeo dicere.“ Sozom. H. E. l. III. c. 5.

sius a Paulo Samosateno quidem haeresim Arianam repetit, Lucianum tamen nullatenus erroris arguit[1]).

76. Quamvis vero non constet certo, S. Lucianum ipsum in opiniones erroneas incidisse, id sane ex vetustorum narratione colligitur, in schola Antiochena sub ipso subtilius de SSma Trinitate ac de Verbo disputatum fuisse. Veluti per se hoc ex eo sequebatur, quod ibidem Paulus Samosatenus haeresim suam propagare studuisset. Inde vero factum est, ut ingenia audaciora atque a christiana humilitate aliena, quale Arii ingenium fuisse vidimus, opiniones sibi conderent de Verbo ac de Trinitate rationi humanae specietenus magis obvias, utque mysterium illud dialectica sua fallaci subruerent. Semina quaedam errorum in plurimorum episcoporum animis, uti in Eusebio Nicomediensi adfuisse, ex factis inferri potest; ardor tamen quo ipse et alii quidam Praesules doctrinam Arii sustinuerunt, haud ex persuasione quadam dogmatica provenit, sed ex simultate et dominandi cupidine, cui tendentia rationalistica in rebus fidei juncta erat.

77. Optime enim animadvertit Katerkamp, de propagatione agens Arianismi[2]), variis temporibus varias adesse errorum tendentias in societate, ita quidem ut si tunc viri surgant ingenio audaciore praediti, facile multos secum ad ejusmodi errores trahant. Praecedentibus saeculis Gnosticorum phantasticae theoriae sub specie profundioris rerum intelligentiae multos attraxerant et seduxerant, ita ut contra Gnosticorum sectas multiplices Ecclesiae fuerit continua lucta. Sed Gnosticorum somnia jam obsoleverant, Neoplatonismi autem philosophia, quae apud gentiles ea aetate vigebat, necnon inquisitiones speculativae in dogmata, quae in christianis scholis ad exponendam et defendendam fidem fieri solebant, animos disposue- Causae Arianismi.

[1]) Cf. Baron. ad a. 318 n. 77. — Verba tamen S. Athanasii ad a. 311 n. 12 a Baronio citata, ex opere dubio, *Synopsis S. Script.*, deprompta sunt.

[2]) KGs. B. II. §. 95

rant, ut libenter dogmata scrutarentur, et subtili ac dialectica eorum explanatione gauderent. Tales inquisitiones etiam apprime conveniebant periodo illi pacis et tranquillitatis, qua Ecclesia fruebatur. Sed facile sese admiscere potuit tendentia quaedam rationalistica praesertim apud eos, quibus spiritus pietatis christianae deerat. Hi fidei gravitati simplici libenter suos substituebant conceptus, ac dum mysteria comprehendere non poterant, falsa explanatione eadem rationi magis obvia reddere satagebant. Poterat id etiam eos allicere, qui ex gentilibus, persuasione dubia, ad christianismum accedebant. Praesertim illi qui potius ob commoda temporalia religionem christianam suscipiebant, talem dogmatum expositionem acceptam habebant. Imperatores vero postea Arianismum vehementer promoverunt, atque tunc auctoritate gubernii civilis maxime factum est, ut haeresis illa longe lateque propagaretur. Atque in erroris defensione ac propagatione, Ariani certe multum abusi sunt durioribus illis et obscuris plurium Patrum anteriorum locutionibus et sententiis, iisque, etsi immerito innixi, facilius doctrinas suas falsas spargere multisque cum quadam pietatis specie obtrudere potuere.

78. Ut igitur paucis indicemus, quid de causis Arianismi ejusque propagationis statuendum videatur, haec advertenda censemus. — 1° Errores Pauli Samosatemi et quorumdam aliorum, qui veram divinitatem Christi negabant, viam Arianismo praepararunt, ac veluti semina fuerunt funestae illius doctrinae. — 2° Scholarum, speciatim Antiochenae, subtiliores investigationes et audaciores theoriae, quibus inscrutabilia Trinitatis et Incarnationis mysteria, modo rationi specietenus magis pervio explicabantur, multum contribuerunt, ut animi complurium Praesulum et virorum ecclesiasticorum dispositi essent ac proni ad dogmata Arii suscipienda, quae planiora videbantur ac rationi magis obvia. Atque hoc maxime accidit in illis episcopis et clericis qui honores ambiebant, quibusque deerat tum ascesis severior, tum intellectus ille profundus christianae religionis ac mysteriorum, qualem gratia divina opitulante in

opitulante in viris virtute eximiis invenimus. 3° Spuriam hanc christianismi formam etiam pronius susceperunt permulti illi, qui post Constantini conversionem ob motiva externa potius quam sincero cordis affectu christianae religioni nomen dederunt. Arii enim doctrina specietenus intellectui magis obvia non exigebat illud superbae rationis obsequium plenum, quod in credendis mysteriis requiritur. Inde etiam factum est, ut Imperatores et aulici adeo Arianismo faverent; et horum impulsu jussuve multitudo saltem externa professione ad Arianismum defecit. Quum tamen multitudinis fides simplicior sit et a subtili inquisitione aliena, quum formulae multae, uti baptismi, et doxologiae orthodoxae remanerent, facillime postea isti fideles qui minus discrimina fidei verae et falsae adverterant, ad doctrinam orthodoxam reducti sunt. — 4° In defendenda et propaganda doctrina sua erronea Ariani fucata pietate abusi sunt obscurioribus dictis anteriorum Patrum, atque ita ex eorum sententiis fulcimenta conquisiere. Per accidens igitur etiam illa dicta contribuerunt, ut Arianismus latius propagaretur. — Sed jam revertamur ad eventuum seriem enarrandam.

79. Ex Sozomeno comperimus, Eusebium Nicomediensem aperte partes Arii sequentem, in Bithynia coëgisse synodum, quae illius opiniones tuita est; post haec Eusebius continuavit suo favore tueri haeresiarcham mox Alexandriam reversum. *Postquam*, ita Sozomenus, *Eusebius et qui ab illo stabant Alexandrum saepius deprecati flectere minime potuerunt, tanquam injuria affecti indignari coeperunt; et ad Arii opinionem stabiliendam promptiores exstiterunt. Collecta igitur apud Bithyniam synodo ad omnes ubique episcopos scripsere, ut cum Arii fautoribus tanquam recte sentientibus communicarent, darentque operam, ut Alexander cum ipsis communicaret. Sed cum conatus illorum nequaquam ipsis ex voto succederet, Alexandro nullatenus cedente, Arius legatos mittit ad Paulinum episcopum Tyri, et ad Eusebium Pamphili qui Caesariensem in Palaestina regebat ecclesiam, et ad Patrophylum Scythopolitanum antistitem; petitque, ut sibi una cum suis concederetur, plebem* Eusebii gesta.

ipsis adhaerentem in ecclesiis colligere eumdem quem prius, presbyterorum obtinentibus gradum. Hunc enim morem esse Alexandriae, qui quidem etiamnum manet, ut sub uno episcopo qui omnibus praeest presbyteri separatim ecclesias obtineant, et populum ad illos convenire solitum colligant. Illi vero una cum aliis episcopis in Palaestina congregati, Arii petitioni subscripserunt, hortantes, ut plebem quidem colligerent, sicuti antea facere consueverant, Alexandro tamen subjecti essent, ac sine intermissione ei supplicarent, ut ejus pace et communione fruerentur[1]).

80. Interea bellum ortum est inter Constantinum et Licinium, qui in Thracia, Illyrico et Oriente regnabat, atque a. 323 Constantinus, devicto apud Byzantium Licinio, totum Romanum imperium in suam potestatem redegit. Nicomediam veniens, quantopere Orientis regiones turbis ab Ario excitatis moverentur cognovit, atque operam praestitit, ut concordia restitueretur. Influxui autem Eusebii Nicomediensis, hominis vafri, adscribendum esse videtur, quod existimarit initio, agi de controversiis minoris momenti, culpam tum Ario tum Alexandro esse tribuendam, concordiamque iniri posse, dummodo sepositis illis quaestionibus subtilioribus uterque se promptum ad concordiam praeberet. Hinc litteras scripsit ad Alexandrum atque Arium, quibus ad pacem ineundam eos hortatur. Quum profecto Constantinus haud ita versatus esset in rebus theologicis, litteras illas confectas dixeris ab Eusebio vel ab aliis episcopis qui Ario quadamtenus saltem favebant.

Constantini epistola.

81. Ab Eusebio Caesariensi integra epistola magnis cum laudibus in Vita Constantini (L. II. c. 64 sqq.) exhibetur; compendium vero ejus a Sozomeno traditur, qui ea de re (L. I. c. 16) scribit: *Cum autem multis quoque in Aegypto conciliis celebratis contentio nihilominus invalescens ad ipsum usque palatium pervenisset, Imperator Constantinus non mediocri dolore perculsus est, quod, cum religio christiana recens coepisset augeri, opinionum discrepantia multos ab ejus professione revocaret. Atque hujus rei culpam*

[1]) H. E. l. I. c. 15.

palam Ario tribuebat et Alexandro, datisque ad eos litteris utrumque objurgavit, quod hanc quaestionem, cum latere posset, in apertum produxissent, et vehementi altercandi studio impulsi pervicaciter movissent ea, quae nec inquiri omnino nec cogitari initio oportebat, et si forte cogitata fuissent, silentio tradenda erant; cum utique ipsis licuisset a se invicem non sejungi, quamvis parte dogmatis dissentirent. Nam de divina quidem providentia unam eamdemque fidem necessario habendam esse. Hujusmodi autem quaestionum scrupulosas argutias, licet in eamdem non conveniamus sententiam, clausas in intimo mentis recessu servari debere. Jussit igitur, ut inani de his rebus altercatione deposita ad concordiam redirent; se namque non mediocriter dolere, atque ob eam causam, licet ingenti desiderio teneretur urbes Orientis videndi, iter suum repressisse. Et haec quidem Alexandro et Ario scripsit, partim reprehendens, partim consulens.

82. Misit Constantinus illam epistolam Alexandriam per *Hosium episcopum Cordubensem,* ut ipse simul operam adhiberet ad dissidia componenda. Erat videlicet Hosius (natus circ. a. 257) vir inter Praesules illius temporis spectatissimus, qui tum confessione fidei in persecutione Diocletiani, tum rebus ecclesiasticis optime administratis, jam magnum sibi acquisiverat nomen. Constantinus vero ipsum ex Hispania accersiverat, eumque plurimum amabat atque colebat.[1]). Ex Socrate colligitur, praesente Hosio Alexandriae synodum habitam fuisse, eumque de Sma Trinitate in ea disputasse. Scribit videlicet Socrates (H. E. l. III. c. 7): *Caeterum qui in Alexandrino concilio aderant hanc* Hesius.

[1]) Mirari quis possit, quomodo Hosius episcopus in rebus theologicis versatus, susceperit eam missionem, ut deferret Alexandriam Imperatoris litteras, quae rei gravitati parum conveniebant et Ario nimis favebant. Sed advertendum est, Constantinum eam epistolam confecisse sub influxu Eusebii aliorumve praesulum Arii amicorum; Hosius certe in illis litteris conficiendis partes non habuit. Hinc merito supponitur, eum petente Constantino eam legationem suscepisse, quum praevideret, Arianos haud se submissuros esse mandatis Imperatoris, hunc vero eo magis in posterum obsecuturum consiliis ipsius Hosii ad doctrinam orthodoxam tuendam. — V. Gams, Kircheng. Spaniens, B. II. S. 143.

quaestionem diligenter examinarunt, de substantia scilicet et hypostasi. Etenim Hosius Cordubae Hispaniarum urbis episcopus, cujus etiam ante mentionem fecimus, quum ab Imperatore Constantino ad hoc missus esset, ut excitatum ab Ario tumultum exstingueret, dum Sabellii Libyensis dogma studet evertere, de substantia deque hypostasi quaestionem agitavit. — Forte ea occasione Alexander episcopus Alexandrinus scripsit epistolam illam ad Alexandrum Byzantinum (aliosque praesules), in qua errores Arii exponit et de perversitate ipsius et Eusebii Nicomediensis vehementer conqueritur. — Quum vero rebus infectis Hosius rediisset, ab eo edoctus Constantinus perspiciens rei gravitatem, congregandum existimavit Concilium magnum episcoporum, ut hac ratione Ecclesiae pax restitueretur. — Alia etiam ratio congregandae Synodi fuit *diversitas in celebrando Paschate,* quae adhuc in quibusdam regionibus existebat. *Sed et alius suberat,* scribit Socrates, *localis morbus, qui ecclesias non mediocriter conturbabat, dissensio scilicet de festo Paschae die, quae quidem in Orientis dumtaxat partibus versabatur, his Judaeorum more diem festum celebrare, illis reliquos totius orbis Christianos in hoc imitari studentibus. Caeterum quamvis de die festo inter se hoc modo dissiderent, non tamen ideo a communione mutua abstinebant. Sed diei festi laetitia hoc dissensionis nubilo fuscabatur. Cum igitur Imperator duobus his malis Ecclesiam concuti videret, universalem Synodum congregavit, omnes undequaque episcopos invitans, ut Nicaeam Bithyniae convenirent*[1]). Modo jam de celebratione hujus Concilii agamus.

III.

De celebratione Concilii Nicaeni.

Concilii convocatio. 83. Quale fuerit Concilium Nicaenum, eloquentibus verbis Eusebius describit, et ex ipso Socrates, quorum verba citare juvabit, ut dein de convocatione ac de gestis sacrae Synodi accuratius inquiramus. *Unus porro in terris,*

---

[1]) H. E. l. I. c. 8.

exstabat Constantinus, qui ad haec bona perficienda idoneus Dei minister videretur. . . Mox velut divinam phalangem adversus hostem (daemonem) *instruens generalem Synodum convocavit, honorificis litteris* (γράμμασι τιμητίκοις) *episcopos undique invitans, ut quantocius adessent. Nec vero simplex et nuda erat jussio* (τὸ ἐπιτάγμα), *sed praeterea multum ad hoc opus contulit Imperatoris benignitas. Qui aliis quidem cursus publici copiam* (ἐξουσίαν δημοσίου δρόμου) *praebuit; aliis vero jumentorum usum abunde subministravit*[1]). *. . . Ex omnibus ecclesiis quae universam Europam, Africam atque Asiam impleverant, ii qui inter Dei ministros principem locum obtinebant, simul convenere. Unaque aedes sacra velut Dei nutu dilatata, Syros simul et Cilicos, Phoenices et Arabes et Palaestinos, Aegyptios praeterea, Thebaeos ac Libyas aliosque ex Mesopotamia advenientes, ambitu suo complexa est. Quidam etiam ex Perside episcopus concilio interfuit. Ac ne Scytha quidem desideratus est in hoc choro. Pontus item, Galatia, Pamphylia et Cappadocia, Asia quoque et Phrygia lectissimum quemque ex suis praebuere. Thraces praeterea ac Macedones, Achivi et Epirotae et qui longissimo ultra hos intervallo positi sunt nihilominus adfuere. Ab ipsa quoque Hispania vir ille multo omnium sermone celebratus una cum reliquis aliis consedit. Aberat quidem regiae urbis antistes ob senilem aetatem; sed praesto erant presbyteri qui vices* (τὴν τάξιν) *ejus implerent. Hujusmodi coronam pacis vinculo consertam et connexam solus ab omni aevo Imperator Constantinus, velut divinum grati animi monumentum pro victoriis quas de hostibus et inimicis retulerat, Christo Servatori suo dedicavit, hoc amplissimo coetu tanquam imagine quadam apostolici chori nostris temporibus convocato. . . . In praesenti autem choro episcopi quidem trecenti et amplius adfuerunt*[2]), *presbyterorum vero, qui eos comitati sunt, diaconorum, acolythorum, aliorumque complurium numerus iniri vix potest. Porro ex his Dei ministris*

[1]) Eusebius Vita Constant. L. III. cc. 5. 6.

[2]) Inferius Socrates scribit: „Hanc fidem trecenti quidem et octodecim episcopi probaverunt et amplexi sunt.“ — Eusebius dicit: „In praesenti autem choro episcopi quidem supra ducentos et quinquaginta adfuerunt.“

alii sermone sapientiae, alii gravitate vitae et laborum tolerantia eminebant, alii modestia et comitate morum erant ornati, ac nonnulli quidem eorum ob provectam aetatem maximo in honore erant; nonnulli et corporis et animi juvenili vigore enitebant, quidam recens admodum ministerii sui stadium erant ingressi. Quibus omnibus quotidie annonas copiose praeberi Imperator mandaverat[1]).

Partes R. Pontificis.

83. Ad *convocationem* Synodi Nicaenae quod attinet, non exstant documenta coaeva, ex quibus accurate determinari possit, quas partes hac in re habuerit S. Silvester Rom. Pontifex. Certe S. Silvestrum in causa Arianismi varia scripsisse et egisse supponendum est, uti optime animadvertit Coustantius, commemorans epistolam encyclicam, quam Alexander Ep. Alexandrinus etiam ad Silvestrum miserat. *Circa annum 319,* scribit, *cum Alexander Alexandrinae ecclesiae episcopus Arium et socios ejus habito concilio damnasset, missis undequaque encyclicis litteris, episcopos hac de re certiores fecit. Inter alios scripsit et ad Silvestrum Papam, easque litteras Liberius epist. 4 ad Constantium n. 4 laudat in hunc modum: „Manent litterae Alexandri episcopi olim ad Silvestrum sanctae memoriae destinatae, quibus significat, ante ordinationem Athanasii, undecim tam presbyteros quam etiam diaconos, quia Arii haeresim sequerentur, se Ecclesia ejecisse.“ . . . Neque ambigendum videtur, quin haec Alexandri epistola, necnon Arianae haereseos causa eamque consequens Nicaena Synodus, Silvestro multis scribendis accipiendisve litteris occasionem praebuerint, tametsi nulla, saltem genuina, ad nos pervenerit.*[2]) Et sane non sine auctoritate Silvestri Pontificis Concilium convocatum fuisse, plurima persuadent.

84. Certam enim hujus facti animadvertimus in Oriente et Occidente traditionem. Ita in Concilio oecumenico VI Act. XVIII legitur in sermone acclamatorio ad imperatorem Constantinum: *Continuo Constantinus semper Augustus et Silvester laudabilis magnam atque insignem in Nicaea*

---

[1]) Socrat. H. E. l. I. c. 8; Euseb. Vita Const. l. III. c. 6 sqq.

[2]) Epist. RR. PP. ad *Silvestrum.*

Synodum congregabant, per quam ipsa Trinitas tam fidei symbolum dictavit, quamque adversus Arianorum malitiam sententiam promulgavit. — Hoc vero testimonium eo majoris momenti est, quod Concilium oecum. VI ex episcopis Orientis constaret. — In Concilio Chalcedonensi retulerunt legati S. Leonis praeceptum ejusdem Pontificis, vetantis ne Dioscorus séderet in Concilio cum caeteris episcopis. Et interrogati de causa hujus praecepti, respondit Lucentius Vicarius Sedis Apostolicae: *Judicii sui necesse est eum dare rationem, quia cum personam judicandi non haberet, praesumpsit, et Synodum ausus est facere sine auctoritate Sedis Apostolicae, quod nunquam licuit, nunquam factum est*[1]). Haec verba saltem vehementer insinuant, generalem eo tempore fuisse persuasionem, Concilium Nicaenum haud sine auctoritate R. Pontificis convocatum fuisse; secus enim coram Orientalibus non tanta cum fiducia Vicarius Papae sic locutus fuisset. — Rufinus H. E. l. 1. c. 1 testatur, Concilium Nicaenum non nisi *ex sacerdotum sententia* fuisse convocatum. *Tum,* inquit, *ille* (Constantinus) *ex sacerdotum sententia apud urbem Nicaeam episcopale concilium convocat.* Ex ipsa natura rei et ex indole Constantini hoc per se supponendum est, quod diserte hic Rufinus asserit. Jam vero inter illos *sacerdotes* cum quibus hac de re egit Constantinus, haud dubium videtur, fuisse etiam Romanum Episcopum. Optime sciebat Imperator, primum locum in Ecclesia hunc Pontificem habere, atque etiam occasione illorum conciliorum, quae Romae et Arelate in causa Donatistarum celebrata fuerant, cum eodem Imperator egerat. — Opportunum etiam est notare, episcopos illos qui Constantino consuluerunt ut Synodum congregaret, haud fuisse, quantum conjicere possumus, Eusebium Nicomediensem ejusque amicos. Hi enim nil quod tendentiis suis faveret ex Concilio exspectare poterant. Hinc colligere licet, egisse Constantinum ista de re cum Hosio et episcopis praecipuarum sedium, adeoque praecipue cum Episcopo Romano.

---

[1]) Conc. Chalced. Act. 1.

Hosius legatus.

85. Animadvertendum porro est, plures auctores censere, *Hosium* jam ante Concilium Nicaenum in partibus Orientis, ut vicarium seu legatum partes egisse S. Silvestri Rom. Pont.; idque merito supponendum esse videtur. Sane in ipso Concilio Nicaeno Hosium loco Pontificis praesedisse, diserte asserit Gelasius Cyzicenus in sua Historia Concilii Nicaeni. Agens de episcopis, qui ex diversis gentibus Concilio adfuerunt, pleraque quidem ad litteram citat ex Eusebio, aliqua tamen addit. Eusebius videlicet haec tantummodo habet: *Ab ipsa quoque Hispania vir ille multo omnium sermone celebratus una cum reliquis aliis consedit,* (αὐτῶν δὲ Σπάνων ὁ πάνυ βοώμενος εἷς ἦν τοῖς πολλοῖς ἅμα συνεδρεύων). *Aberat quidem regiae urbis antistes ob senilem aetatem, sed praesto erant presbyteri, qui vices ejus implerent* (πρεσβύτεροι δ' αὐτοῦ παρόντες τὴν αὐτοῦ τάξιν ἐπλήρουν). — Gelasius autem scribit: *Ipse quoque Hispanus* (αὐτός τε Σπάνων) *Hosius, nominis et famae celebritate insignis, qui etiam Silvestri Episcopi maximae Romae locum obtinebat, cum presbyteris Romae Vitone et Vincentio, cum reliqua multitudine in consessu adfuit* (τοῖς πολλοῖς ἅμα συνεδρεύων). *Urbis autem illius penes quam imperium est episcopus, Metrophanes nomine, ingravescente aetate praepeditus abfuit; sed presbyteri ejus qui aderant ejus locum suppleverunt, quorum unus Alexander illi postea in ejus episcopatu successit*[1]). Hic manifeste Gelasius ea quae de absentia Episcopi Romani scripserat Eusebius, intellexit de episcopo Constantinopolis seu Byzantii. Sed falso; eo enim tempore Byzantium nondum erat urbs regia. Porro inquisivit Gelasius tum nomen episcopi Constantinopolitani illius temporis, tum eorum qui ex parte Romani Pontificis adfuerunt. Itaque ex documentis quae ipsi aderant deprompsit, Hosium locum tenuisse Romani Pontificis una cum presbyteris Romanis Vitone (seu Vito) et Vincentio[2]).

---

[1]) Gelasii Hist. Conc. Nic. L. II. c. 5. — Collect. Concil. Labbei Tom. II c. 154.

[2]) Gelasius quidem Cycizenus haud in omnibus quae refert criticam adhibuit necessariam, sed non est cur dubitemus, factum illud simplex de Hosio Romani Pontificis vices gerente, recte ab illo referri. — Muz-

86. Caeterum hoc factum inferius confirmabimus. Modo sufficiat animadvertere, plane cum hoc praesidio Hosio a Silvestro commisso convenire, ut jam antea in causa Arii, vel saltem in negotio convocationis Concilii cum Pontifice egerit ejusque vices gesserit. Adeoque non sine concursu Romani Pontificis, sed consensu et approbatione Silvestri ante petitis et obtentis Concilium a Constantino convocatum fuisse, omnia haec simul suadent. In Catalogo quoque Feliciano legitur de Silvestro: *Hujus temporibus factum Concilium cum ejus consensu in Nicaea Bithyniae, et congregati sunt sacerdotes trecenti septemdecim, episcopi catholici, et quorum chirographus cucurrit; alii imbecilles ducenti octo; qui exposuerunt fidem integram, sanctam, catholicam et immaculatam, et damnaverunt Arium, Fotinum et Sabellium vel sequaces eorum.*[1])

87. Ut hisce statim nectamus quaestionem de *praesidibus* Concilii Nicaeni, haud dubium est, in eo Concilio praesedisse Hosium et duos illos presbyteros Romanos, atque hosce tres quidem nomine et loco Romani Pontificis. Patet hoc primum ex subscriptionibus; hi enim tres omnium primi subscripserunt ante Alexandrinum et Antiochenum episcopos. Ita invenitur in antiquissimis codicibus et catalogis, quibus series episcoporum eorumque subscriptiones exhibentur. Quum videlicet in aliis differant, in eo conveniunt, quod *primo loco* commemorent subscriptionem *Hosii et duorum presbyterorum Romanorum Vitonis et Vincentii.* Per se jam nulla probabilis ratio adduci potest de hac praerogativa in subscriptionibus, nisi quod Hosius, Viton et Vincentius repraesentabant primam

Concilii praesides.

---

zarelli *de auctoritate Rom. Pont.* Tom. I. Cap. V. §. 3 existimat, quae a Gelasio referuntur de Hosio iisdem verbis in Eusebii Historia fuisse, sed codices esse nunc mutilos. Attamen id valde dubium est. Etenim certe quae de Metrophane dicit Gelasius, haud scripsit Eusebius; unde colligitur illum, ut compleret Eusebii descriptionem, aliqua addidisse.

[1]) Alii *imbecilles ducenti octo* dicuntur, qui ob imbecillitatem, infirmitatem vel senectutem Concilio Nicaeno adesse non potuerunt. Ex quo loco constat, praeter catalogum tercentum decem et octo episcoporum qui Concilio Nicaeno adfuerunt, alios ducentos octo Patres ejus Actis subcripsisse, quorum catalogus deperditus est.

Sedem quae caeteris omnibus praecellebat dignitate et auctoritate. Caeterum, uti in pluribus catalogis Vito et Vincentius subscribunt: *Vito (*vel *Victor) et Vincentius presbyteri urbis Romae pro venerabili viro Papa et Episcopo nostro sancto Silvestro subscripsimus, ita credentes sicut supra scriptum est,* sic in catalogis Gelasii Cyziceni L. II. c. XXVII cum inscriptione: *Subscriptiones episcoporum fidem approbantium,* et dein c. XXXVI quod inscriptum est: *Catalogus sanctorum episcoporum, per quos sancta magna et universalis Synodus Nicaeae coacta misit omnibus in toto orbe terrarum Dei ecclesiis ea quae ab ipsis per Spiritum Sanctum in ea constituta sunt;* in his, inquam, catalogis primo loco habetur: *Hosius Episcopus Cordubae sanctis Dei ecclesiis, quae Romae sunt et in Italia et Hispania tota, et in reliquis ulterius nationibus usque ad Oceanum commorantibus, per eos qui cum ipso erant Romanos presbyteros Vitonem et Vincentium.* Sequuntur dein nomina variorum episcoporum, qui variis provinciis decreta synodalia transmiserunt. Jamvero ex hac inscriptione clare colligitur, quod jam antea Gelasius indicaverat, Hosium vices gessisse Silvestri R. Pontificis. Ipsa etiam locutio *per eos qui cum ipso erant Romanos presbyteros Vitonem et Vincentium,* id ostendit; hi enim qui certe locum Pontificis tenebant ut ipsi Hosio juncti significantur. Optime hac in re Muzzarelli: *Quare dici poterat, Vitum et Vincentium fuisse cum Hosio, nisi quatenus Hosius cum ipsis unam et eamdem legationem Romani Pontificis ad Concilium constituebat? quomodo Hosius relationem Synodi transmisit ad Romanam ecclesiam per Vitum et Vincentium veluti eorum caput, si tale non erat? Imo dicendum, quod Hosius in Concilio repraesentaret fere omnem occidentalem Ecclesiam, quum Synodi judicata transmisit ad omnes Italiae et Hispaniae ecclesias et ad caeteras nationes usque ad Oceanum, quod munus exercere non potuisset, nisi per delegationem Romani Pontificis primatis omnium occidentalium ecclesiarum*[1]).

88. Photius quoque testimonium Gelasii Cyziceni refert

---

[1]) De auctoritate Rom. Pont. T. I. c. V. §. III.

de Pontificiâ legatione Hosii cum Vito et Vincentio ad Concilium Nicaenum[1]). Neque tamen hic vir eruditissimus, sed Apostolicae Sedi infensissimus, aliquid saltem ad dubitandum de authenticitate hujus testimonii adnotavit. — Ad praesidentiam Hosii etiam maxime faciunt illa S. Athanasii: *In qua Synodo ille* (Hosius) *non dux et antesignanus fuit? quae ecclesia illius praesidentiae non pulcherrima monumenta retinet*[2])? *Hic est princeps Synodorum*[3]). Vitus autem et Vincentius post Hosium subscripserunt ante episcopos propter praeeminentiam, dignitatem et auctoritatem S. Sedis, quam una cum Hosio repraesentabant. — Posteriori tempore haec persuasio de praesidentia Hosii ut legati S. Silvestri plane firma erat et communis. Hinc Hincmarus Rhemensis loquens de Concilio Nicaeno sine haesitatione ait: *Cui ad vicem Silvestri praesederunt Hosius Cordubensis episcopus et Victor et Vincentius presbyteri urbis Romae*[4]).

89. Adversarii Romani Pontificis omnem lapidem moverunt, ut Sanctae Sedi praesidentiam hujus Concilii eriperent[5]), sed oleum et operam perdiderunt. Alii Constantinum Imperatorem praesedisse contenderunt. At manifeste refutantur ex serie narrationis Eusebii, qui inter alia, postquam Constantini ingressum in Concilium ejusdemque *de pace* orationem descripsit, ita pergit: *Haec ille cum Latino sermone dixisset, quae alius quispiam Graece interpretatus est, deinceps Concilii Praesidibus sermonem commisit* (*παρεδίδου τὸν λόγον τοῖς τῆς συνόδου προέδροις*)[6]). Habuit quidem Constantinus praesidium quoddam honoris et exteriorum rerum et ordinis curam, uti etiam in aliis Conciliis Imperatores habuere; non vero auctoritatis. Decretis Concilii haud subscripsit Constantinus, vel forte post Sententiae falsae.

---

[1]) Biblioth. c. LXXXVIII. — Gelasius saepius de hac delegatione loquitur. Ita L. II. c. XII. scribit: „Sancta et magna et generalis Synodus sanctorum Patrum Nicaeae congregatorum, per beatum et sanctum Hosium episcopum civitatis Cordubae in Hispania, tenentem locum Episcopi Romani cum praedictis ejusdem Sedis presbyteris, altero ipsum interpretante dixit."

[2]) Apol. de fuga sua.

[3]) Epist. ad solitarios.

[4]) Opusc. adv. Hincmarum Laudens.

[5]) Vide Janus p. 82.

[6]) De vita Constantini L. III. c. XIII.

omnes Praesules. Quum vero multi episcopi ei obtulissent libellos querelis in suas collegas refertos, Imperator respondit: *Istae accusationes tempus quidem sibi praescriptum habent, magni judicii diem; judicem vero eum qui omnes judicaturus est. Mihi vero cum homo sim, nefas est hujusmodi rerum cognitionem mihi arrogare, cum et qui accusant et qui accusantur sacerdotes sint*[1]). Generatim Constantinus non sibi arrogavit primas partes in disponendis rebus fidei et Ecclesiae, nec eo spectant verba ejus notissima, se esse *Episcopum externum,* quod gubernio suo Ecclesiam subjicere voluerit. Sed officium et munus protectionis Ecclesiae ac religionis ipse merito suscepit; quodsi interdum ultra limites progressus est ac haereticis patrocinium praestitit, id potius culpae vertendum quibusdam episcopis, ut Eusebio Nicomediensi aliisque, qui influxu suo a recto tramite Imperatorem retrahebant[2]).

90. Alii quidem auctores Alexandro Alexandrino, vel Eustathio Antiocheno episcopo, vel utrique alternatim (uti Schröckh) attribuunt praesidentiam Concilii. Sed nullum hujus opinionis est solidum fundamentum, quamvis probabiliter hi episcopi post Hosium et Romanos presbyteros rebus in Concilio ordinandis et gerendis praefuerint, primasque in his partes habuerint. Id enim ad summum ex quibusdam documentorum et auctorum antiquorum textibus

---

[1]) Sozom. H. E. l. c. XVII.

[2]) Opportunum est notare quae Eusebius de celebri illo Constantini effato habet. Postquam de Vita Constantini L. IV. c. XXIII narravit: Quomodo idolorum cultum prohibuit, Martyrum autem festa honoravit; capite XXIV sequitur: Quod rerum externarum quasi episcopum se esse dixit (*ὅτι τῶν ἔξω πραγμάτων ὥσπερ ἐπίσκοπον ἑαυτὸν εἶπεν εἶναι*). „Quocirca non absurde, cum episcopos aliquando convivio exciperet, se quoque episcopum esse dixit, his fere verbis usus nobis praesentibus: Vos quidem, inquit, in iis quae intra Ecclesiam sunt episcopi estis. Ego vero in iis quae extra geruntur episcopus a Deo sum constitutus. (*Ἐγὼ δὲ τῶν ἐκτὸς ὑπὸ Θεοῦ καθεσταμένος, ἐπίσκοπος ἂν εἴην.*) Itaque consilia capiens dictis congruentia, omnes imperio suo subjectos episcopali sollicitudine gubernabat (*ἐπεσκόπει*), et quibuscumque modis poterat, ut veram pietatem consectarentur incitabat.“

colligi potest. Eusebium Caesareensem praesidium tenuisse, Centuriatores Magdeburgenses contenderunt; sed plane immerito, nulloque probabili fundamento. Ex eo quod ipse videatur orationem habuisse adveniente Imperatore, nullatenus eum Concilio praesedisse sequitur, neque id homo ambitionis sane non expers in sua historia tacuisset. Etiam Patriarchae Alexandrinus et Antiochenus tale privilegium ipsi non concessissent.

91. Launoius, *Epist. ad Raimundum Formentium,* affirmat, Vitum et Vincentium presbyteros quidem loco Silvestri Papae interfuisse, sed non praesedisse Concilio Nicaeno; Hosium episcopum Cordubensem Concilio praefuisse, non Romani Pontificis loco et auctoritate, sed aut nomine Constantini Imperatoris, aut ab ipso Concilio ad id officium selectum. Launoii mentem secutus est Febronius. Sed ex principiis doctrinae catholicae jam responderi potest, seponendas esse fallaces conjecturas; cum enim ad Romanum Pontificem solum, quia totius Ecclesiae caput est, pertineat Concilio praesidere, ii ipsi qui Romani Pontificis nomine et loco Concilio interfuerunt vicesque ejus egerunt, hoc ipso Concilio praesedisse noscuntur. — Hosium non praesedisse Concilio nomine Constantini Imperatoris vel ex eo patet, quod Constantinus ipse etsi praesens esset, jus tamen praesidendi nullatenus sibi arrogaverit. Id ex relatione Eusebii (Vita Const. L. III. c. 10 sqq.) clare colligitur, atque Imperator ab Eusebio a *τοῖς τῆς συνόδου προέδροις* diserte distinguitur. Hosium non praesedisse ex delegatione vel electione Concilii, inde probatur, quod Concilium id juris non haberet, et Patriarchae orientales atque nobilissimarum ecclesiarum Praesules, quorum plures magna etiam merita habebant, ad officium praesidendi non elegissent episcopum parvae civitatis in Hispania. Neque favet Launoio, quod Socrates, Sozomenus et Theodoretus scribant, duos tantum, Vitum et Vincentium, a Silvestro Papa Nicaeam missos fuisse; et quod Hosius non subscripserit ut Romani Pontificis legatus, sed ut episcopus Cordubensis, secus ac fecerunt Vitus et Vincentius, qui subscripserunt ut presbyteri urbis Romae pro Silvestro Papa. — Primo quidem

Vitus et Viucentius soli leguntur Roma missi Nicaeam: sed huc a Pontifice missi sunt cum mandato, ut tanquam socio legationis se jungerent Hosio, qui tunc apud Constantium Imperatorem versabatur. Secundo, non erat necesse, ut Hosius subscribens aperte exprimeret legationem pontificiam quam omnes noverant; et hoc ipso quod primo loco ante omnes episcopos subscripserit, satis ostenoit se fuisse Apostolicae Sedis legatum. Vitus vero et Vincentius cum non essent episcopi adeoque per se jure suffragii non gauderent, quumque recens ex Occidente Nicaeam appulissent, munus suum subscribendo expresserunt, ne quis eos ante episcopos subscripsisse miraretur.

Acta Concilii. 92. Ad *Acta* Concilii Nicaeani quod spectat, Eusebius *De Vita Constantini* L. III. c. 14 indicat, ea tantum fuisse a Patris Nicaeanis conscripta et ab omnibus subscripta, de quibus communi consilio convenerat. *Ea,* inquit; *quae in communi placuerant scriptis mandata, et singulorum subscriptione roborata sunt.* Communi autem consilio convenerat de Symbolo, de Canonibus et de epistola synodica. Ac merito: *Falluntur,* ait Valesius in hunc locum Eusebii, *qui praeter ista tria putant etiam Acta Synodi scriptis esse mandata.* Non defuerunt videlicet auctores, qui cum Baronio (ad a. 325 n. 62) existimarint, Acta uberiora in ipso Concilio a notariis esse confecta; sed nostro tempore inter eruditos omnibus rite perpensis constat, rem ita haud se habere. [1])

Gelasius Cyzicenus. 93. Gelasius quidem relationem satis amplam conscripsit de iis, quae in Concilio Nicaeano prolata et gesta sunt, sed amplificata haec esse neque ad amussim celebrationem Concilii continere, haud dubium est. Immerito tamen Gelasius carpitur, ac si Acta proprie dicta et in Concilio conscripta opere suo exhibere voluerit; talem enim ejus mentem non fuisse, ex ipsius exordio satis colligitur. Etenim tantum asserit, in variis documentis vetustis se ea

---

[1]) Cfr. Hefele C. G. B. I. § 23.

quae tradit invenisse; poterant autem ab hominibus privatis vel tempore Synodi vel paulo post conscribi ejusmodi commentarii, quibus varias discussiones et varia facta exhibebant. En Gelasii verba: *Omnia quae in praeclara illa et sancta Synodo dicta, facta et constituta fuerant, jam pridem cum adhuc in paterna domo degerem legi, cum illa invenissem in antiquissimo libro in membranis plane integris descripta, qui fuit divini et celebris Dalmatii in illustri Cyzicenorum metropoli sanctae atque catholicae ecclesiae archiepiscopi, quique tandem ad familiae nostrum dominum devenit, patrem dico meum secundum carnem, dignum habitum qui in ordinem presbyterorum ejusdem ecclesiae cooptaretur. . . . Plurimam omnino et ubique diligentiam adhibui, et quod dici solet omnem rudentem movi, ut pervestigarem quae in sancta illa Synodo acta sunt pro sanctae et apostolicae fidei determinatione. . . . Vix tamen invenire potui nonnulla ex iis, quae illic tractata et conscripta erant, apud plures viros litterarum studiosos, ut apud Joannem quemdam presbyterum, antiquum virum et scribendi admodum peritum, in quaternionibus valde antiquis; neque tamen omnia inde habui, sed ex aliis etiam scriptoribus variis, ut ex Eusebio Pamphili episcopo Caesareae et Rufino presbytero Romano, qui etiam sanctae illi synodo interfuerunt, aliisque plurimis. . . . Sed neque omnia invenire potui praeter nota mihi et veritatis propria, ex eo libro quem prius ego legeram. . . . Cum autem ex utrisque aliqua collegissem, necessarium existimavi illa in hoc libro describere ad communem utilitatem atque confirmationem eorum, qui in haec scripta inciderint.* — Quum igitur Acta ampliora Concilii Nicaeni haud existant et nunquam exstiterint, ea quae celebrationem Synodi spectant critico cum delectu ex historicis antiquis colligenda sunt.

94. Conveniunt omnes auctores tum antiqui tum recentiores, Concilium habitum esse anno 636 post Alexandrum M., adeoque a. 325 p. C., Anicio Paulino et Anicio Juliano Consulibus. Dissensio autem est de initio ac de duratione Concilii, sed solidis argumentis ostendit cl. Hefele, praeferendam esse hanc computationem. Concilium Tempus Concilii.

convocatum est in diem 20 Maii, adeoque huic diei Synodi initium adscribendum est. Quum vero Imperator nondum advenisset, Patres congregationes habuerunt minus solemnes ac discussiones varias. Die 14 Junii sessiones solemnes initium habuerunt, et Constantinus Synodum cum pompa ingressus est; die 19 Junii Symbolum Nicaenum propositum fuit. Deinceps de aliis negotiis, videlicet de disciplina, de celebratione Paschatis, de schismate Meletiano, tractatum est, die vero 25 Augusti Synodus finem habuit.[1]) — Forte tamen definitiva Symboli forma nondum die 19 Junii statuta est; nam cum discussiones ampliores etiam praesente Imperatore hac de re ab historicis commemorentur, vix intra quinque illos dies haec discussio constringi possit.

Disputationes.

95. Ad *Disputationes* quod spectat, imprimis illud haud omnino praeterire convenit, quod Socrates et Sozomenus tradunt, etiam laicos rhetores et philosophos Nicaeam venisse illius conventus gravitate allectos. *Aderant,* scribit Socrates (L. I. c. 8), *etiam complures laici dialecticae artis periti, suae partis patrocinium parati suscipere.* Gelasius vero disputationes et objectiones philosophorum de rebus fidei refert. Quamvis autem in his multa videantur amplificata, tamen indubium censemus, adfuisse varios philosophos et dialecticos tum christianos tum gentiles, haud quidem ut in ipsis congregationibus disputarent, sed ut de re religionis cum episcopis conferrent.

Patrum tendentiae.

96. Ad episcopos quod attinet, longe maxima pars Ario plane opposita erat et orthodoxam fidem magno cum vigore vindicabat; paucissimi, uti Theonas episcopus Marmaricae et Secundus episcopus Ptolemaïdis, partes Arii omnino tenebant; factio vero aliqua quindecim forte episcoporum Ario quidem favebat, sed mediam quamdam viam inire nisa est, eo majori orthodoxiae discrimine, quod verbis perversas Arii doctrinas tegere et velare studerent. Eorum princeps erat Eusebius Nicomediensis; ad eos pertinebant etiam Theognis et Maris, quorum ille quidem Nicaeae, hic vero Chalcedonis in Bithynia episcopus erat; Euse-

[1]) V. Hefele l. c. §. 26.

bius quoque Caesariensis haud satis alienus erat ab Arii opinionibus.

Vox consubstantiali.

97. Patres autem mox animadverterunt, ut fraudes illorum fugerent ac fidem orthodoxam clare determinarent, verbis praecisis opus esse, atque ita tesseram contra Arianismum in eo feliciter constituerunt, ut in Symbolo definirent, Filium esse *ex substantia Patris* ac Patri *consubstantialem.* Pro historia dogmatum et pro intelligentia ac defensione doctrinae catholicae electio illorum verborum maximi momenti est, Conciliumque Nicaenum propterea quovis tempore tanti habitum fuit, quod formulas istas ut moenia fortissima haereticorum impietati opposuerit. Propterea convenit, ut ex S. Athanasio *(De decretis Synodi Nicaenae)* haec aliquanto accuratius referamus.

Arianorum fraudes.

98. *Si quis ea,* scribit Athanasius n. 18, *quae contra illos* (Arianos) *a Synodo scripta et decreta sunt, diligenter perpenderit, nihil nisi meram veritatem in illis contineri haud dubie reperiet, maxime si studiose velit inquirere, quam necessaria fuerit causa has voces adhibendi, quae quidem haec fuit.* — (n. 19). *Cum vellet Synodus impia Arianorum vocabula abrogare et certa ac confessas Scripturarum voces adhibere, nempe quod Filius non sit ex nihilo sive ex non existentibus, sed ex Deo; quod Verbum item sit et Sapientia, non vero res creata aut facta sed proprius Patris foetus: Eusebiani prava sua inveterata opinione impulsi istud ex Deo, τὸ ἐκ τοῦ Θεοῦ, nobis commune esse nihilque hac in re Verbum Dei a nobis differre volebant, idcirco quod scriptum sit: Unus Deus, ex quo omnia.* — Patres videlicet, intelligentes *Filium* sensu proprio, exclusa causa efficiente illud *ex Deo* acceperunt pro principio generante, Ariani contra hoc ipsum *ex Deo* sumentes pro causa efficiente, intellexerunt *Filium* sensu improprio, atque ideo hoc dictum suae sententiae nihil officere putabant[1]).

99. *Qua illorum astutia et impia calliditate perspecta, Patres clarius explicare coacti sunt, quid per vocem ex Deo intelligendum esset. Quocirca scripserunt, Filium esse ex*

[1]) Franzelin. De Trinit. Th. VIII. p. 116.

Dei substantia, ut nempe istud ex Deo non commune Filii et rerum factarum existimaretur, sed ut crederetur, caetera quidem omnia creata esse, solum autem Verbum esse ex Patre. Nam licet omnia ex Deo esse dicantur, verum alio omnino modo quam sit Filius. — In Symbolo videlicet Patres definierunt Filium *γεννηθέντα ἐκ τοῦ Πατρὸς μονογενῆ, τοῦτ' ἐστὶν ἐκ τῆς οὐσίας τοῦ Πατρὸς.* Non est quidem aliud *substantia Patris,* quam Pater, ut Athanasius n. 22 animadvertit, sed alius est modus significandi; exprimitur enim diserte principium *quo* generationis, quando dicitur Pater Filium ex sua substantia genuisse, non vero creasse ex non exstantibus. In declaratione autem hac generationis proprie dictae, ita ut Ariani sensum jam pervertere nequirent, continebatur, substantiam seu *οὐσίαν* Patris, principii generantis, esse eamdem Filio communicatam[1]). — (n. 20). *Cum autem rursus episcopi dicerent, scribendum esse Verbum virtutem veram imaginemque Patris esse, eique in omnibus sine ulla prorsus varietate esse similem (ὅμοιον), denique immutabile, semperque esse, ac sine divisione in ipso esse: nec enim unquam non fuit, sed fuit semper Verbum, quod et ab aeternitate apud Patrem exstitit tanquam lucis splendor: his autem cum Eusebiani (οἱ περὶ Εὐσέβιον) repugnare non auderent, utpote quos supputebat convictos et confutatos fuisse: tamen deprehensi sunt inter se iterum murmurare oculisque innuere, istas voces, simile, semper, virtutem, et in ipso, nobis cum Filio esse communes, ac proinde nihil illis molestum videri, si haec nos approbaremus. Nam quod ad vocem similis spectat, ea, inquiebant, nobis quoque attribuitur, quippe cum scriptum sit: Homo imago et gloria Dei est. Vox semper nobis item convenit; nam scriptum est: Semper enim nos viventes. Nec haec verba in ipso a nobis sunt aliena, quia in ipso vivimus, movemur et sumus. Immutabiles quoque dicimur, ubi scriptum est: Nihil nos separabit a charitate Dei. Denique nomen virtutis aliis quoque rebus tribuitur. Nam eruca et bruchus virtus et quidem virtus magna dicuntur.* Hac-

[1]) Franzelin, Ibid.

tenus scilicet Concilium non diserte nominaverat naturam eamdem Filii quae est Patris, sed eam in suis characteribus et proprietatibus descripserat nominibus, quibus haeretici sensum improprium subjici posse putabant.

100. *Verum ubi episcopi eorum simulationem hac in re animadverterunt, dolumque esse in cordibus impiorum mala cogitantium, ut ait Scriptura, sententiam rursus ipsi ex Scripturis colligere sunt coacti, et quae antea dixerant eadem clarioribus verbis significare, ac denique scribere Filium Patri esse consubstantialem* (ὁμοούσιον), *ut scilicet significarent Filium non tantum similem, sed eamdem rem similitudine esse ex Patre* (ἀλλὰ ταὐτὸν τῇ ὁμοιώσει ἐκ τοῦ Πατρὸς εἶναι), *atque ut similitudinem et immutabilitatem Filii aliam omnino esse ostenderent ab ea imitatione quae in nobis esse dicitur, quam quidem nos propter mandatorum observationem ex virtute consequimur. Namque quod spectat ad corpora quae inter se sunt similia, illa certe distare et procul a se invicem possunt abesse, ut accidit hominum liberis erga proprios parentes, quemadmodum de Adam et Seth quem ille genuit scriptum est, nempe similem illi fuisse secundum speciem suam* (ὅς ἦν ὅμοιος αὐτῷ κατὰ τὴν ἰδέαν αὐτοῦ). *Verum cum Filii generatio alia plane sit a natura hominum, nec solum similis ille sit substantiae Patris, sed dividi ab ea non queat, et unum sint ipse et Pater, ut idem dixit, semperque Verbum sit in Patre et Pater in Verbo, eo modo quo splendor se habet ad lucem, id enim dictio ipsa significat: idcirco Synodus ea re perspecta eum esse consubstantialem recte scripsit, ut et haereticorum perversitatem everteret, et Verbum aliud esse a factis rebus ostenderet. Hinc illa voce scripta statim Patres subjungunt: „His vero qui dicunt Filium Dei ex nihilo sive ex non existentibus esse, vel creatum, vel mutabilem, vel factum, vel ex alia substantia, anathema dicit sancta et catholica Ecclesia.“ Quibus utique dictis aperte declaratur, his vocabulis ex substantia et consubstantialis deleri impietatis voculas, quibus aiunt Filium esse rem creatam, conditam, factam et mutabilem, nec prius fuisse quam genitus est. Nam qui ita sentit, Synodo refragatur. Qui vero non idem ac Arius sentit, necesse est eum eadem*

quae Synodus sentire et intelligere, ita ut recte percipiat, haec eo fere modo esse quo splendor erga lucem se habet, indeque veritatis imaginem accipiat. — Ex hac S. Athanasii expositione patet, vocem *consubstantialis* aptissimam Synodo visam fuisse, ut exprimeretur 1⁰ omnimoda aequalitas substantiae in Patre et Filio, 2⁰ unitas substantiae in utroque, quatenus natura divina est in Patre generatione communicanda, in Filio vero generatione communicata. Id Athanasius nervose et breviter exprimit dum dicit, Patres voce *ὁμοούσιος* voluisse significare, Filium non tantum *ὅμοιον, ἀλλὰ ταὐτὸν τῇ ὁμοιώσει ἐκ τοῦ Πατρὸς εἶναι.*

101. Vides ex hac expositione, quam inepte Curcellaeus, Cudworthus, Petrus Faydit, Placidus Stürmer censuerint, Concilium Nicaenum et Patres posteriores ejusdem Concilii doctrinam secutos, non unam, sed tres numero naturas divinas, specifice tantum unam docuisse. „Caeterum, ait Franzelin, quoad rem ipsam nihil sane aliud dicitur per hanc declarationem *Filium esse ὁμοούσιον* Patri, quam si dicatur Filius Dei Patris, genitus a Patre, Pater Deus, et Filius Deus, Pater et Filius unum sunt etc., dummodo haec sensu proprio intelligantur: ‚hoc est illud *ὁμοούσιον* quod fides antiqua pepererat.‘ August. Contra Maximum L. II. c. 14. n. 3. At praestantia illius formulae in hoc ipso sita est, quod rationem filiationis, generationis, deitatis, unitatis, clarissime enuntiat constitutam in communicatione essentiae divinae a Patre in Filium. Exinde *ὁμοούσιον* mansit tessera certissima fidei catholicae adversus haereses contrarias, negantes sive unitatem naturae in distinctis personis, sive distinctas personas in unitate naturae.“

Symbolum Nicaenum. 102. Postquam igitur *cuncta quae controversiam et dissensionis materiam excitare videbantur accurate discussa et examinata sunt*[1]), S. Synodus Symbolum illud edidit, quo Arii haeresis peremptorie damnabatur. Verba Symboli jam addamus: *Credimus in unum Deum, Patrem omnipotentem, omnium visibilium et invisibilium Creatorem. Et in*

---

[1]) Ep. Constant. ap. Socratem H. E. l. I. c. 9.

unum Dominum Jesum Christum Filium Dei, genitum ex Patre, unigenitum, hoc est ex substantia Patris (γεννηθέντα ἐκ τοῦ Πατρὸς, μονογενῆ, τοῦτ᾽ ἐστὶν ἐκ τῆς οὐσίας τοῦ Πατρὸς), *Deum de Deo, lumen de lumine, Deum verum de Deo vero, genitum, non factum: consubstantialem Patri, per quem omnia facta sunt, quae in coelo sunt et in terra: qui propter nos homines et propter nostram salutem descendit, incarnatusque et homo factus est et passus; qui resurrexit tertia post die; ascendit ad coelos, venturus est ut vivos judicet ac mortuos: et in Spiritum Sanctum. Eos autem qui dicunt: Erat aliquando, cum non esset* (ἦν ποτὲ ὅτε οὐκ ἦν), *et: Antequam gigneretur non erat; vel quod de non exstantibus factus sit, vel qui ex alia substantia vel essentia sit* (ἢ ἐξ ἑτέρας ὑποστάσεως ἢ οὐσίας εἶναι), *aut creatum, aut conversioni mutationique obnoxium dicunt Filium Dei, anathematizat sancta catholica et apostolica Dei Ecclesia.*

Huic Symbolo Patres subscripserunt. Initio quidem quinque Praesules, Eusebius Nicomediae, Theognis Nicaeae, Maris Chalcedonis, Theonas Marmaricae, et Secundus Ptolemaidis episcopi subscribere recusarunt; postremo tamen etiam illi tres formulam, quamvis animo ficto, signarunt, Theonas vero et Secundus in sua obstinatione perstiterunt. Hi igitur cum Ario anathemate damnati sunt, eosque Constantinus in exilium relegavit. *Thaliam* quoque Arii sacra Synodus condemnavit[1]).

103. Animadvertimus, alteram causam ob quam Synodus Nicaena coacta est, fuisse diversitatem in celebratione Paschatis, *quia*, dicit S. Athanasius, *Syri, Cilices, et qui in Mesopotamia degunt, a nobis dissentiebant et eodem quo Judaei tempore Pascha celebrabant*[2]). Haec videlicet erat differentia praecipua, uti jam vidimus, quod illi Quartodecimani cum Judaeis et ex eorum indicatione die plenilunii (XIV) mensis Nisan semper Pascha celebrabant. Reliqui Christiani Dominica sequenti Pascha habebant, sed decursu temporis etiam inter hos ob computationes astronomicas differentes diversitas non raro oriebatur. Plu- Quaestio Paschatis.

---

[1]) Socrat. H. E. l. I. c. 9. [2]) Epist. ad Afros.

rimi videlicet (uti antiqui Judaei) plenilunium illud habebant pro termino *a quo,* quod *aequinoctium veris* sequebatur, sed alii ad aequinoctium (uti recentiores Judaei) non attendebant, et saepe ante aequinoctium jam Pascha celebrabant. Unde et *Protopaschitae* dicti sunt. Aequinoctium vero Alexandrini computabant esse die 21 Martii, Romani autem d. 18 Martii; atque ob has differentias etiam tabulas paschales diversas sequebantur.

104. Jam in Concilio Arelatensi a. 314 Patres uniformitatem in celebrando Paschate observandam esse decreverant, usumque Romanum introducere conati sunt. In decretis enim quae per epistolam synodicam direxerunt ad Romanum Pontificem ita habetur: *Domino Sanctissimo fratri Silvestro Marinus, vel coetus episcoporum qui adunati fuerunt in oppido Arelatensi. Quod decrevimus communi consilio, caritati tuae significamus, ut omnes sciant quid in futurum observare debeant. — Canon I. Ut uno die et tempore Pascha celebretur. — Primo loco de observatione Paschae Domini, ut uno die et uno tempore per omnem orbem a nobis observetur, et juxta consuetudinem litteras ad omnes tu dirigas.* — In Concilio Nicaeno, quum differentia sublata haud esset, iterum uniformitas hac in re praescripta est. In Epistola Synodica ad ecclesiam Alexandrinam directa Patres dicunt: *Nuntiamus praeterea vobis de concordia sanctissimi Paschae, hoc etiam negotium, precibus vestris juvantibus, feliciter confectum fuisse, cunctosque, qui in Oriente sunt fratres, qui antea cum Judaeis Pascha celebrarunt, cum Romanis in posterum et nobiscum et cum omnibus, qui ab ultima antiquitate nobiscum Pascha peregerunt, concorditer esse celebraturos.* — Idem etiam Constantinus in suis litteris nuntiat.

Decretum. 105. Decretum porro Concilii Nicaeni non verbotenus habetur in documentis, sed fuit illud, *ut Pascha celebraretur ab omnibus ecclesiis una eademque die, videlicet proxima Dominica sequente lunam XIV* (plenilunium) *post vernum aequinoctium illucescentem.* Porro ne differentia in computatione aequinoctii perturbationem induceret, convenit, ut Alexandrinus episcopus quotannis indicaret tempus Paschatis Ro-

mano Pontifici, hic vero litteris encyclicis indiceret ex auctoritate hunc diem universis ecclesiis. Ita *implicite* Synodus adoptavit cyclum Paschalem novemdecim annorum, qui Alexandriae in usu erat. Eum jam Anatolius Laodicenus Episcopus versus a. 270 constituerat; postea eum Eusebius Caesariensis accuratius emendavit.

106. Haec Nicaeae ordinata fuisse, ut uniformitas in celebratione Paschatis obtineretur, ex testimoniis antiquorum colligitur. Ita S. Cyrillus Alexandrinus in *Prologo Paschali* a. 437 edito haec tradit: *Quum his igitur atque hujusmodi dissensionibus per universum mundum Paschalis regula perturbaretur, Sanctorum totius orbis Synodi consensione decretum est, ut, quoniam apud Alexandriam talis esset reperta ecclesia, quae hujus scientiae perfectione clareret, quota kalendarum vel iduum et quota luna Pascha rite deberet celebrari, per singulos annos Romanae ecclesiae intimaret: unde Apostolica auctoritate universalis Ecclesia per totum orbem definitum Paschae diem sine ulla disceptatione cognosceret.* — Idem confirmat *S. Leo M.* in epistola ad Marcianum Augustum. *Paschale festum,* inquit, *quamvis in primo semper mense celebrandum sit, ita tamen est lunaris cursus conditione mutabile, ut plerumque sacratissimae diei ambigua occurrat electio, et ex hoc fiat plerumque quod non licet, ut non simul omnis Ecclesia quod non nisi unum esse oportet observet. Studuerunt itaque Sancti Patres occasionem hujus erroris auferre, omnem hanc curam Alexandrino episcopo delegantes, (quoniam apud Aegyptios hujus supputationis antiquitus tradita esse videbatur peritia), per quem quotannis dies praedictae solemnitatis Sedi Apostolicae indicaretur, cujus scriptis ad longinquiores ecclesias indicium generale percurreret.* — S. Ambrosius vero cycli Paschalis mentionem facit scribens: *Non mediocris esse sapientiae diem celebritatis definire Paschatis, et Scriptura divina nos instruit et traditio majorum: qui convenientes ad Synodum Nicaenam inter illa fidei ut vera, ita admiranda decreta, etiam super celebritate memorata, congregatis peritissimis calculandi, decem et novem annorum collegere rationem, et quasi quemdam con-*

stituere circulum, ex quo exemplum in annos reliquos gigneretur. Hunc circulum Enneadecaëterida nuncuparunt[1]).

Cycli paschales.

107. Diximus superius, saltem *implicite* a Concilio Nicaeno cyclum illum paschalem novemdecim annorum adoptatum esse eo ipso, quod computationem ecclesiae Alexandrinae committeret, ubi hic cyclus jam in usu erat. In ancipiti relinquimus quaestionem, utrum expresse etiam hunc cyclum proposuerit, uti S. Ambrosius existimat. Animadvertendum videlicet est, etiam post Concilium Nicaenum identidem diversitatem in celebrando Paschate occurrisse. Sublata quidem fuit maxima parte Quartodecimanorum consuetudo, sed vario modo perrexerunt computare aequinoctium Alexandrini d. 21 Martii, Romani die 18 Martii. Sive supponas Alexandrinos neglexisse indicare diem Paschatis, sive censeas a Romanis indicationem interdum ut erroneam non fuisse receptam, colligitur ex antiqua tabula paschali, Romae brevi post Concilium Nicaenum variis annis, scilicet annis 326, 330, 333, 340, 341, 343, alio die Pascha celebratum fuisse quam Alexandriae. In Concilio Sardicensi quidem concessionibus mutuis convenerunt de die Paschatis pro intervallo quinquaginta annorum, sed quum paulo post propter Arianismum vehementior esset discordia inter Occidentem et Orientem, quae statuta erant, haud observata sunt. Anno 387 Romani, quum aequinoctium computarent d. 18 Martii, Pascha celebrarunt d. 21 illius mensis; Alexandrini vero aequinoctium d. 21 Martii computantes, Pascha celebrarunt die 25 Aprilis, ita ut quinque hebdomadum esset differentia. Ea occasione de hac diversitate iterum actum est, atque episcopi Alexandrini, Theophilus ac postea Cyrillus, Latinis exposuerunt errores computationis ipsorum. Isti errores etiam a S. Ambrosio, ac dein a S. Leone Pont. agniti sunt, et S. Leo pluries Alexandrinis, occurrente diversitate, se conformavit.

108. Romani eo tempore utebantur, forte inde a fine saeculi tertii, cyclo paschali 84 annorum, qui in variis

---

[1]) Epist. ad Episcopos Aemiliae.

punctis a calculo Alexandrinorum dissidebat. Praecipua differentia erat, uti jam diximus, ea, quod Romani aequinoctium diei 18 Martii, Orientales vero melius 21 diei illius mensis attribuebant. Orientales praeterea, si plenilunium veris incidebat in diem sabbati, statim subsequente Dominica Pascha celebrabant, uti etiam nostro tempore facimus; Latini vero tantum altera sequente hebdomada festum illud peragebant. Identidem quidem Latini emendationes quasdam fecerunt; sed nonnisi saeculo sexto introducta est tabula paschalis confecta a Dionysio Exiguo, qui cyclum Alexandrinum novemdecim annorum adoptavit, atque hac ratione plena conformitas cum Orientalibus obtenta est. Verum etiam post haec tempora in quibusdam regionibus Britanniae et Galliae controversiae acriores de tempore Paschatis habitae sunt, quum nonnulli nimia cum obstinatione erroneas computationes cycli 84 annorum retinerent. Sic nonnisi a. 719 vetustorum Britannorum major pars cyclum paschalem novemdecim annorum adoptavit, et temporibus Caroli M. in toto Occidente hic cyclus receptus est.

109. De variis cyclis paschalibus alia quaedam addere juvabit, quae etiam in quaestione de cyclo S. Hippolyti usui esse possunt. Opinati sunt aliqui, jam Judaeos antiquos cyclo octoginta quatuor annorum usos esse, sed vera sententia videtur, tum Judaeos antiquos tum Christianos primo tempore post Christum Dominum, cyclis haud usos esse, sed ex observationibus neomenias atque etiam plenilunium Paschatis determinasse[1]). — S. Cyrillus in Prologo paschali superius citato scribit: *Illi etiam, qui Judaeorum pravitati respondere conati sunt, et octoginta quatuor annorum paschalem cyclum instituerunt, perfectae rationis circulum tenuissent, si in supputatione mensium vel annorum non humanam sed divinam traditionem sequi potuissent. . . Quod alii providentes ac reprehendentes, et quasi emendare cupientes,*

---

[1]) Id probat Patritius, Dissert. in Evangel. L. III. Diss. LII. — Cfr. de cyclis paschalibus etiam Ideler, Handbuch der mathematischen und technischen Chronologie, B II. Siebenter Abschnitt; S. 175 ff.

quia non divina revelatione illuminati, sed humanae scientiae praesumptione elati sunt, pejus aliquid ediderunt. Et sicut illi per sex quatuordecennitatis, ita et isti per septem sedecennitates (112 annos) *et quasdam dimensionum pergulas, duplicatos vel multiplicatos numeros ac monogrammos adnotando, scribere enisi sunt*[1]). Ex Cyrillo igitur cyclorum omnium quibus Christiani usi sunt vetustissimus est cyclus annorum 84, hunc tamen confectum dicit ab iis, *qui Judaeorum pravitati respondere conati sunt,* i. e. a Quartodecimanis. Quod si verum est, facile colliges, hunc cyclum Romae haud adhibitum fuisse, quando S. Hippolytus suum cyclum *septem sedecennitatum,* cujus initium est a. 222, confecit. Quamvis autem in Hippolyti cyclo paschali defectus inveniantur, cyclus tamen valde similis sedecim annorum ab alio quoque auctore mediante saeculo tertio confectus est, videlicet *Computus de Pascha* qui *Cypriani* nomine insignitur, et usque ad annum 243 deductus atque eo anno vel paulo post compositus est[2]). Unde inferes, illis defectibus cycli sedecennalis coaevos non adeo turbatos fuisse, eumque nihilominus magni aestimatum, ac forte cum quibusdam immutationibus aliquanto tempore in usu fuisse[3]). Dein vero cyclo octogintaquatuor annorum Romani usi sunt; incertum tamen est, quando eam supputationem adhibere coeperint. In *Libro de Computo,* quem ex Ambrosiana bibliotheca erutum Muratorius edidit, hujus Supputationis exemplar exstat, cujus initium est annus 298; incertum vero est an prima ista periodus fuerit[4]). Conjici tamen posset, saeculo tertio desinente, vel quarto ineunte Romanos illum cyclum adhibere coepisse. De eodem loquitur Paschasinus, Lilibaei in Sicilia episcopus, in epistola ad S. Leonem M., a quo consultus fuerat de Pa-

---

[1]) Ap. Bucherium, De doctrina temporum, p. 481 (Ed. a. 1664).

[2]) Vide hunc Computum inter Opera S. Cypriani, editionis Oxoniensis vel Amstelodamensis.

[3]) Hoc fusius ostendere nititur Bucherius in suis Notis ad Canonem paschalem S. Hippolyti, l. c. p. 297, vel ap. Migne Patr. Gr. t. X. ad Opera S. Hippolyti.

[4]) V. Patritium Diss. in Evang. L. III. Diss. XIX. n. 36.

schate a. 444 celebrando. *Cum Romana supputatio quae cyclo concluditur, cujus ipse de quo agitur erit annus LXIII, qui coepit a consulatu Antonii et Syagrii* (a. 382), *dubietatem afferret* etc[1]). Non obstantibus defectibus hunc cyclum octoginta quatuor annorum Romani non seposuerunt, nisi a. 465 (uti videtur), quando Hilarius Pontifex adoptavit computationem Paschatis Alexandrinae conformem, quam eo hortante a. 457 Victorius Aquitanus confecerat. Est autem ista Periodus Victoriana cyclus lunisolaris (19 × 28) annorum 532. Cyclum demum novemdecim annorum Romae, uti diximus, versus medium saeculum sextum Dionysius Exiguus introduxit. — Sed de his hactenus.

109. Actum quoque est in Concilio Nicaeno *de schismate Meletiano,* quod Aegypti provinciam perturbabat. Schisma Meletii. Hujus schismatis auctor fuerat Meletius episcopus Lycopolitanus in Thebaïde; non satis autem conveniunt antiqui scriptores, dum de Meletii persona ac de ratione qua schisma ipse excitavit disserunt. Illud tamen ex iis colligitur, Meletium jura patriarchica usurpasse in Thebaïde, quae regio, uti etiam Libya et Pentapolis, a priscis temporibus episcopo Alexandrino subjecta erat. Meletius videlicet ad singula loca transiit, episcopos, presbyteros ac diaconos ordinavit, atque ita ecclesias in tetram scissionem conjecit. Quae de hac re decreta fuerint, in Epistola synodica his verbis referuntur: *Placuit igitur (clementius erga Meletium agente Synodo; summo enim jure nullam veniam merebatur), ut is in sua civitate maneat, nec ullam habeat aut manus imponendi aut eligendi potestatem; nec hujus rei causa aut in vico aut in urbe ulla compareat, sed nudum honoris sui nomen retineat. Ii vero qui ab ipso constituti sunt sanctiore ordinatione confirmati, ad communionem admittantur, ea lege, ut honorem quidem et ministerium suum retineant; secundo tamen semper loco sint ab iis omnibus, qui in unaquaque paroecia et ecclesia versantur a carissimo collega nostro Alexandro prius ordinati; adeo ut his quidem nulla facultas suppetat, quos visum fuerit eligendi,*

---

[1]) Ap. Bucher l. c. p. 75.

aut nomen cujuspiam suggerendi, aut omnino quidquam gerendi sine consensu episcopi catholicae ecclesiae qui Alexandro subjectus est. Illi vero qui Dei juvante gratia vestrisque precationibus nullo unquam in schismate deprehensi sunt, sed in catholica et apostolica Ecclesia absque labe ulla perseverant, potestatem habeant eligendi et proponendi nomina eorum, qui in clerum allegi meruerint, cuncta denique peragendi juxta legem et sanctionem Ecclesiae. Quodsi quempiam eorum qui in Ecclesia censentur diem suum obire contigerit, tum in defuncti locum atque honorem provehantur ii qui nuper asciti sunt, modo digni videantur, et populus eos eligat, suffrágante nihilominus plebisque judicium confirmante Alexandrinae urbis episcopo. De Meletio vero, ob pristinam ejus contumaciam et ob temerarium ac praeceps hominis ingenium, aliter placuit decernere, ne potestas auctoritasque ulla tribuatur homini, qui easdem rursus turbas excitare possit[1]).

Canones Nicaeni.

110. Exstant praeterea sub Nicaeni Concilii nomine *Canones viginti* de disciplina ecclesiastica, quos re ipsa a Patribus Nicaenis conditos fuisse omnes viri eruditi consentiunt. Hos enim viginti canones scriptores veteres constanter laudarunt tanquam a Concilio Nicaeno editos, iique ipsi canones in antiquissimis codicibus ac versionibus sub nomine Canonum Nicaenorum leguntur. Theodoretus H. E. l. I. c. 8: *Post haec,* inquit, *episcopi rursus in unum convenientes de Ecclesiae disciplina viginti leges conscripsere.* Saeculo XVI *Franciscus Turrianus* S. J. edidit Canones Nicaenos octoginta, quos e codice Arabico excerpsit et in latinam linguam vertit. Post aliquot inde annos *Abraham Ecchelensis* Maronita novam versionem latinam octoginta quatuor canonum Arabicorum Concilii Nicaeni cum pluribus aliis ejusdem Concilii statutis in lucem edidit. Canones istos Arabicos ostendit Ecchelensis apud ecclesias Orientales Melchitarum, Nestorianorum, Jacobitarum, Coptorum, Maronitarum, Armenorum, Graecorum, sub nomine Concilii Nicaeni asservari et laudari. Inde

---

[1]) Ap. Socrat. H. E. l. I. c. 9.

reipsa a Patribus Nicaenis eos conditos esse, Ecchelensis, Turrianus et alii nonnulli censuerunt. Sed solidis argumentis Pagi, Tillemont, Natalis Alexander, Hefele probarunt, illos canones haud esse Synodi Nicaenae. Fatentur tamen laudati auctores, istos Arabicos canones esse antiquos, ut ostendit Ecchelensis, attamen non vetustiores Concilio Chalcedonensi, habito anno 461; occurrit enim in illis saepius nomen *patriarchae,* quod primum a tempore praedicti Concilii usurpari coepit[1]).

111. Inter Canones Nicaenos celeberrimus est is qui Canon sextus. legitur ordine *sextus;* multum enim de ejus sensu disputatum est eo vel magis, quod aliquo modo ad jura Rom. Pontificis pertineat. Hic canon in ordinariis Nicaeni editionibus lingua Graeca ejusmodi est. *Τὰ ἀρχαῖα ἔθη κρατείτω, τὰ ἐν Αἰγύπτῳ καὶ Λυβύῃ καὶ Πενταπόλει, ὥστε τὸν Ἀλεξανδρείας ἐπίσκοπον πάντων τούτων ἔχειν τὴν ἐξουσίαν, ἐπειδὴ καὶ τῷ ἐν τῇ Ῥώμῃ ἐπισκόπῳ τοῦτο σύνηθές ἐστιν· ὁμοίως δὲ καὶ κατὰ Ἀτιόχειαν καὶ ἐν ταῖς ἄλλαις ἐπαρχίαις τὰ πρεσβεῖα σώζεσθαι ταῖς ἐκκλησίαις· καθόλου δὲ πρόδηλον ἐκεῖνο, ὅτι εἴ τις χωρὶς γνώμης τοῦ μητροπολίτου γένοιτο ἐπίσκοπος, τὸν τοιοῦτον ἡ μεγάλη σύνοδος ὥρισε μὴ δεῖν εἶναι ἐπίσκοπον· ἐὰν μέντοι τῇ κοινῇ πάντων ψήφῳ, εὐλόγῳ οὔσῃ καὶ κατὰ κανόνα ἐκκλησιαστικὸν, δυὸ ἢ τρεῖς δι' οἰκείαν φιλονεικίαν ἀντιλέγωσι, κρατείτω ἡ τῶν πλειόνων ψῆφος.* — Latina versio ita habet: *Antiqua consuetudo servetur per Aegyptum, Libyam et Pentapolim, ita ut Alexandrinus episcopus horum omnium habeat potestatem, quia et urbis Romae episcopo parilis mos est. Similiter autem et apud Antiochiam caeterasque provincias suis privilegia serventur ecclesiis. Illud autem generaliter clarum est, quod si quis praeter sententiam metropolitani fuerit factus episcopus, hunc magna synodus definivit episcopum esse non oportere. Sin autem communi cunctorum decreto rationabili et secundum ecclesiasticam regulam comprobato, duo aut tres propter con-*

---

[1]) Occurrit quidem hic titulus jam antea, uti in Concilio oecum. II. a. 381, attamen potius ut titulus mere honorificus, qui etiam aliis episcopis dari poterat.

tentiones proprias contradicant, obtineat sententia plurimorum. Gelasius Cyzicenus et Isidorus Mercator eadem ratione hunc canonem referunt. At Rufinus in sua Historia ecclesiastica L. II. c. 6 primam partem hujus canonis paucis ita recitat: *Et ut apud Alexandriam, et in urbe Roma, vetusta consuetudo servetur, ut vel ille Aegypti, vel hic suburbicariarum ecclesiarum sollicitudinem gerat.* In Concilio autem Chalcedonensi, quum Paschasinus Sedis Apostolicae legatus ostendere vellet, episcopum Constantinopolitanum haud anteponendum esse Alexandrino et Antiocheno, provocavit ad hunc canonem, quem ex codice secum allato legit hac forma, quae proinde eo tempore Romae nota erat: *Quod ecclesia Romana semper habuit primatum; teneat autem et Aegyptus, ut episcopus Alexandriae omnium habeat potestatem, quoniam et Romano episcopo haec est consuetudo.* Constantinus vero secretarius Concilii ita legit ex codice Constantinopolitano: *Antiquae consuetudines teneant in Aegypto, ut Alexandrinus episcopus omnium habeat potestatem, quoniam et Romano episcopo haec consuetudo est.*

Canonis explicatio.

112. Quaeritur quoad hunc canonem imprimis, *quaenam privilegia et jura* antiqua eodem episcopo Alexandrino confirmentur. Inepte contenderunt Salmasius Protestans, Beveridge Anglicanus, et Launoyus Gallicanus, eodem tantummodo consueta jura metropolitica episcopo Alexandrino confirmari; manifeste enim in eo agitur non de communibus metropolitarum juribus, sed de majoribus privilegiis Praesulis Alexandrini. Quod si certissimum est, duplex tamen suppositio hac in re fieri posset. Potuerunt Aegytus, Libya, Thebais et Pentapolis quatuor provinciae civiles unam constituere provinciam ecclesiasticam, cujus metropolita unus esset episcopus Alexandrinus, uti censuit Van Espen[1]). Vel Libya, Thebais et Pentapolis singulos quidem habebant metropolitas, sed provinciae illae ecclesiasticae cum Aegypto unam constituebant *Dioecesim patriarchalem,* cujus patriarcha erat episcopus Alexandrinus, ejusque jura patriarchalia hoc canone vindicantur et

---

[1]) Scholia in Can. VI Nicaenum.

confirmantur. Ultimum hoc verum esse, quamvis tituli Patriarchae vel Exarchae eo tempore nondum in usu haberentur, viri eruditi solidis argumentis evincunt.

113. Ea universim regula obtinebat, ut quaevis provincia civilis, etiam provinciam ecclesiasticam constitueret. Eo pertinet quod in Canone IV° Nicaeno dicitur: *Episcopum convenit maxime quidem ab omnibus, qui sunt in provincia episcopis ordinari.* Confirmatur sententia ista ex occasione, qua Synodus permota est ad condendum canonem VI^m^. Meletius videlicet episcopus Lycopolitanus ex Epiphanio *archiepiscopus* Thebaidis erat (haer. 69), quo satis significatur, eum illius provinciae metropolitam fuisse; isque jura patriarchica quae Praesuli Alexandrino in Thebaidem conveniebant, usurpaverat. Hoc saltem summa cum probabilitate ex variis documentis scriptorum, qui de schismate Meletiano agunt, colligitur, quamvis Epiphanius in describenda origine illius schismatis aliquantisper discrepet. Omnino autem inde res conficitur, quod Synesius in epist. 69 ad Theophilum episcopum Alexandrinum scribit, a S. Athanasio Siderium, qui in episcopum Palaebiscae et Hydracis ordinatus erat, translatum fuisse ad sedem Ptolemaidis, *ut ecclesiam metropoliticam* administraret. Quum Synesius ipse ineunte saeculo quinto episcopus Ptolemaidis esset, summi sane momenti hoc ejus est testimonium, ex quo colligitur, jam tempore S. Athanasii adeoque et Concilii Nicaeni Ptolemaidem *metropolim Pentapolis* fuisse. Tempore Synesii Ptolemaïde vere Sedem metropoliticam fuisse, ex pluribus aliis locis epistolarum ejus et ex gestis ipsius elucet. Etiam Theodosius II litteris datis 30 Martii a. 449 Dioscorum episcopum Alexandrinum invitat, ut cum decem metropolitis, qui ad dioecesim ejus ecclesiasticam eo tempore pertinebant, Concilio celebrando interesset.

114. Indubium igitur est, canone VI Concilii Nicaeni confirmari *jura et privilegia,* quae episcopo Alexandrino conveniebant in provincias ecclesiasticas et metropolitas earum, qui ipsi ut *Patriarchae* subjecti erant. Jura autem haec inter alia continebant, quod episcopus Alexandrinus

ordinabat non tantum Metropolitas illarum provinciarum, sed etiam illorum Metropolitarum episcopos suffraganeos, qui secundum ordinarium usum a Metropolitis ordinari solebant. Attamen Patriarcha Alexandrinus tantummodo in episcopum aliquem ordinare poterat, si Metropolita suum dederat consensum. Sic Synesius ep. 76 petit a Theophilo Patriarcha Alexandrino, ut consecret episcopum electum Olbiae in Pentapoli, addens, *φέρω κἀγὼ τὴν ἐμαυτοῦ ψῆφον ἐπὶ τὸν ἄνδρα*, etiam ego confero meum consensum in hunc virum. Atque huc etiam pertinent quae in secunda parte canonis VI[i] continentur, ne videlicet jura singulorum Metropolitarum privilegiis Patriarcharum omnino absorberentur.

115. Sicuti Alexandriae, ita etiam *Antiochiae* eadem jura et privilegia confirmantur. Antiochia videlicet erat sedes patriarchalis Dioecesis Orientis, ad quam variae provinciae (postea saltem quindecim) pertinebant. Dum in canone decernitur, in *caeteris quoque Eparchiis* ecclesiis sua privilegia conservanda esse, agitur de tribus Eparchiis sensu eminenti, seu de Exarchatis, *Ephesi* pro Asia proconsulari, *Caesareae* Cappadociae pro Ponto, *Heracleae* (postea Constantinopolis) pro Thracia. In his videlicet Eparchiis tres illi episcopi jura et privilegia similia possidebant, eaque conservanda esse decernitur[1]).

116. Ex hisce altera quaestio facile solvitur, videlicet quo pertineat illa confirmatio ex more Romano, ad quem Synodus provocat his verbis: *quia et Episcopo Romano parilis mos est.* Videlicet episcopus Alexandrinus componitur cum episcopo Romano non quoad metropolitica, sed quoad *patriarchica jura*, et episcopo Alexandrino convenienter conservari sua jura in totam Dioecesim ex variis provinciis constantem inde confirmatur, quod etiam Romanus Pontifex jura similia patriarchica in totum Occidentem exerceat, adeoque talis Dioeceseos constitutio corroboretur ex usu illius ecclesiae, quae reliquarum norma est. Scriptores quidam difficultatem moverunt contra patriar-

---

[1]) Vide Hefele C. G. Tom. I. in hunc Canonem.

chatum Romanum ex perplexa canonis Nicaeni VI[i] interpretatione quam dedit Rufinus, quamque superius citavimus. At Rufinus potius paraphrasim quam versionem Nicaeni canonis dedit, quum in verbis Concilii ne vestigium quidem habeatur de *urbicariis vel suburbicariis* ecclesiis. Unde dicendum est, Rufinum aut nomine ecclesiarum suburbicariarum intellexisse ecclesias totius Occidentis, aut eum mentem Patrum canonisque sexti non esse assecutum.

117. Ex iis quae diximus manifestum est, canone sexto Concilii Nicaeni contineri nihil, quod vel minimum primatui Romani Pontificis opponatur; ex scopo canonis enim jura *patriarchica* Romani Pontificis hic in exemplum proponuntur, quod conveniat similibus juribus secundum morem antiquum episcopum Alexandrinum gaudere in dioecesim Aegypti. — Sed in multis versionibus Latinis eodem canone directe *professio primatus* ecclesiae Romanae continetur, quum in pluribus codicibus canon eam habeat formam, qua ipsum recitavit Paschasinus in Concilio Chalcedonensi: *Quod ecclesia Romana semper habuit primatum; teneat autem et Aegyptus* etc. Quamvis probabiliter illa priora verba non fuerint nisi aliqua inscriptio canoni addita, merito tamen quaeritur, quomodo confirmationem primatus antiqui in illo canone adesse censuerint. Saepius enim apud antiquos invenimus assertum, in Concilio Nicaeno primatum Romani Pontificis confirmatum fuisse, qua in re ad hunc canonem sextum respicere videntur.

Primatus R. Pontificis.

118. Explicatio obvia invenitur in epistola Nicolai I Pont. ad Michaëlem Imperatorem: *Ecclesiae Romanae privilegia,* scribit, *Christi ore in beato Petro firmata, in Ecclesia ipsa deposita, antiquitus observata, et a sanctis universalibus Synodis celebrata atque a cuncta Ecclesia jugiter venerata, nullatenus possunt minui, nullatenus infringi, nullatenus commutari; quoniam fundamentum, quod Deus posuit, humanus non valet amovere conatus. . . . Ista igitur privilegia huic sanctae ecclesiae a Christo donata, sed Synodis non donata, sed solummodo celebrata et venerationi habita. . . . Denique si instituta Nicaenae Synodi diligenter inspiciantur, invenietur*

profecto, quia Romanae ecclesiae nullum eadem Synodus contulit incrementum; sed potius ex ejus forma quod Alexandrinae ecclesiae tribueret, particulariter sumpsit exemplum. — Romana ecclesia videlicet seu Romanus Pontifex a Concilio commemoratur, quatenus ipse *normam* dedit illius institutionis potestatis patriarchalis, dum in provinciis Occidentis, quamvis primatum habeat in universam Ecclesiam, peculiari modo strictiora jura exerceret. Eo ipso ostendit, hanc gubernii formam convenientem et constitutioni Ecclesiae conformem esse. Hac de re praeclare Ex. D. Feije: *Les Pères du Concile ne se contentèrent aucunement de baser les prérogatives des Patriarches d'Alexandriae et d'Antioche sur leur conviction de l'utilité de l'institution patriarcale, ni sur les anciens usages seulement. Il leur fallut plus que tout cela: ils remontèrent à la source de toute jurisdiction dans l'Eglise, et ils l'exprimèrent en termes formels: parceque tel est l'usage de l'Evêque de Rome. C'est comme s'ils disaient: C'est lui qui nous en donne l'exemple; il ne s'agit pas d'usages arbitrairement introduits; l'Evêque de Rome lui-même est la source de la puissance patriarcale; c'est de là que vient cette règle*[1]).

Epistola synodica.

119. Hisce exposuimus praecipua capita, quae in Concilio Nicaeno tractata sunt. Post haec Patres Synodi synodicam epistolam scripserunt ad ecclesias in Aegypto, Libya et Pentapoli constitutas, quas certiores reddiderunt de omnibus quae in Concilio fuerant definita et decreta. Constantinus Imperator etiam litteras scripsit ad omnes ubique ecclesias, quas ad observanda Nicaena decreta hortatus est; ea maxime ratione, quod quae tot episcopi a Spiritu Sancto directi definierint, ipsius Dei effata censenda sint. Reipsa Concilii Nicaeni decreta ubique etiam ab iis ecclesiis quae neminem ad illud deputarant suscepta

---

[1]) Revue Cath. 1854; *Etudes sur le Conc. de Nicée.* — Ibidem etiam invenies expositam sententiam quorumdam auctorum, qui directam confirmationem primatus illo canone contineri existimant. Sed textus canonis in hac suppositione cum quadam mutatione legendus est. Hanc vero quaestionem discutere modo non vacat.

sunt, illudque semper ab omnibus catholicis tanquam oecumenicum Concilium habitum est.

120. Jam ex Eusebio referamus, quae ad Concilii finem et episcoporum reditum spectant. *Ea*, scribit, *quae in commune placuerant scriptis mandata et singulorum subscriptione roborata sunt. Quibus ita gestis Imperator alteram hanc victoriam de hoste Ecclesiae se retulisse testatus, triumphalem festivitatem in honorem Dei celebravit. Eodem tempore vicesimus imperii ejus annus complebatur. Cujus rei causa cum in cunctis provinciis publicae festivitates agerentur, Imperator Dei ministros ad convivium vocavit; et cum iisdem jam inter se conciliatis epulatus, hoc velut conveniens sacrificium per illos obtulit Deo. Neque ullus episcoporum ab hoc imperiali convivio abfuit. Res porro ipsa omnem dicendi copiam longe superabat. Protectores enim et milites in orbem dispositi, strictis gladiis palatii vestibulum custodiebant. Homines autem Dei per medium illorum absque ullo metu transibant, et ad intima usque palatii penetralia ingrediebantur. Ex his deinde alii una cum Imperatore accubuerunt, alii in stibadiis utrimque dispositis discubuere. Prorsus imago quaedam regni Christi adumbrati, resque ipsa somnio quam veritati propior videbatur. Celebratis splendidissimo apparatu conviviis, Imperator cunctos liberaliter excipiens, id etiam pro sua magnificentia adjecit, ut unumquemque pro meritis et dignitate muneribus honoraret. Eos quoque qui huic Synodo minime interfuissent, de rebus in ea gestis certiores fecit per litteras. . . . Porro cum Synodus jam dissolvenda esset, Imperator sermonem cum episcopis habuit quo ipsis valediceret. Quippe omnes certo die in unum convocavit. Cumque adessent eos admonuit, ut pacis inter se servandae studiosi essent, et pervicaces contentiones fugerent, nec inviderent, si quis inter ipsos episcopus sapientiae et facundiae laude floreat, sed uniuscujusque virtutem commune bonum esse existimarent, neve ii qui praestantiores sunt supra inferiores sese efferrent; Dei enim esse de vera cujusque virtute et praestantia judicare. . . . Ad extremum vero adjecit, ut pro se quoque preces ad Deum sedulo facerent. Cum in hunc modum eis valedixisset, cunc-*

tis post haec in patriam redeundi potestatem fecit. Illi igitur summa hilaritate domum reversi sunt[1].)

Concilii confirmatio.

121. Ut Dissertationem hanc concludamus, pauca de *confirmatione* Concilii Nicaeni animadvertere opportunum erit. Fatendum est, non existere authentica documenta quibus probetur, S. Silvestrum vel in aliquo concilio Romano vel per epistolam Apostolicae Sedis decreta et canones Synodi Nicaenae confirmasse. Scilicet acta talis concilii vel haec epistola genuina non exstant; nam illa quae antiquitus circumferebantur ab omnibus fere eruditis inter spurias merces, et merito quidem, rejiciuntur. Sed tamen non desunt testimonia per quae ostendi possit, S. Silvestrum confirmationem suam, seu consensum et approbationem Concilio Nicaeno apposuisse.

122. Atque imprimis haec *antiquissima fuit in Ecclesia regula,* ut Concilia Romani Pontificis confirmationi submitterentur. In Concilio Chalcedonensi invenimus, tum ab Anatolio Patriarcha Constantinopolitano, tum a Patribus Concilii, tum a Marciano Imperatore hanc confirmationem magna cum sollicitudine petitam esse[2]). Unde omnino probabile est, eadem principia etiam in Concilio Nicaeno viguisse. Id vero maxime inde confirmatur, quod ex Socratis historia ecclesiastica comperimus, Julium Romanum Pontificem, qui paucis annis post Silvestrum Ecclesiam gubernavit, saepius provocasse ad eum antiquum canonem, Conciliorum decreta sine consensu Romani Pontificis non valere. Ita H. E. l. II. c. 17 scribit: *Julius itaque contrariis inter se litteris ad ipsum missis, rescribens episcopis qui Antiochiae convenerant, graviter conquestus est, primum quidem de acerbitate ipsorum epistolae; deinde quod contra canones ipsum ad synodum non vocassent, cum ecclesiastica regula interdictum sit, ne praeter sententiam Romani Pontificis quidquam ab ecclesiis decernatur; questus est item, regulam fidei clanculum ab ipsis adulterari.* — Videmus proinde, Julii tempore illam regulam, decreta Sy-

---

[1]) De Vita Constantini l. III. cc. 14 et sqq.

[2]) V. Hefele C. G., B. I. § 44.

nodi non valere nisi consentiente Romano Pontifice, ut *antiquam* viguisse, adeoque concludendum est, etiam pro decretis Concilii Nicaeni ejusmodi approbationem esse petitam.

Romae autem haec persuasio de confirmatione Concilii Nicaeni a Silvestro data subsequentibus saeculis omnino viguit. Sic Felix III Epist. IV, data anno circiter 485, de Concilio Nicaeno scribit: *Quam vocem* (Tu es Petrus) *sequentes ter centum decem et octo SS. Patres apud Nicaeam congregati, confirmationem rerum atque auctoritatem sanctae Romanae ecclesiae detulerunt.* — Dionysius Exiguus vero Concilio Nicaeno in sua collectione hanc addidit notam: *Et placuit, ut haec omnia mitterentur ad episcopum urbis Romae Silvestrum.*

123. Non incongrue etiam ex Muzzarellii sententia observari potest, ipsam subscriptionem legatorum Pontificis ejusmodi esse potuisse, ut confirmatio Pontificis eadem jam contineretur[1]). *Subscriptio*, inquit, *legatorum Papae, facta ejus nomine, nunquam ab Apostolica Sede retractata, imo usu constanter retenta per observationem et executionem Nicaeni, nonne vere dicenda est approbatio et confirmatio ipsius Papae? Posset forte illa major solemnitas desiderari quae ex epistola Silvestri ad Concilium resultaret; sed quatenus ad vim confirmationis procul dubio hujusmodi subscriptio legatorum sufficiens erat. Ubi notandum, quod cum Vitus et Vincentius nomine Papae subscripserint et Nicaenam fidem professi sint, supponendum est, hoc in mandatis habuisse ab ipso Silvestro. Cognita enim erat Silvestro causa fidei de qua agebatur; ideoque adeo probabile est suam sententiam legatis tradidisse in Concilio publicandam, ut contrarium prorsus inverosimile appareat.*

---

[1]) De auctoritate Rom Pont. t. I. c. V. §. 4.

Index.

Dissertatio tertia.

Dissertatio quarta.

Dissertatio quinta.

Index alphabeticus rerum.

D.

E.

F.

T.

U.

V.

Z.

A. M. D. G.

Errata.

Pag.	Lin.	Loco.	Corrige.
24	5	Tridentini	Florentini.
41	28	„Petrus Apostolus natione Galilaeus, Christianorum Pontifex primus“, — restituatur textus genuinus Chronici Eusebii: „Petrus Apostolus (ὁ κορυφαῖος), cum primam Antiochenam ecclesiam fundasset etc.“	
109	14	1664	1634
128	24	Diocletiani	Domitiani.
260	37	illusion	allusion.

DISSERTATIONES

SELECTAE

in

HISTORIAM ECCLESIASTICAM

AUCTORE

BERNARDO JUNGMANN,

Eccles. Cathedr. Brugens. Canon. hon.,
Philos. et S. Theolog. Doct., ac Profess. ord. Hist. eccl. et Patrol.
in Universitate cath. Lovaniensi.

Tomus II.

MDCCCLXXXI.

RATISBONAE, NEO EBORACI & CINCINNATII,

SUMPTIBUS, CHARTIS ET TYPIS FR. PUSTET,

S. SEDIS APOSTOLICAE TYPOGRAPHI.

Approbatio.

Dissertationes in Historiam ecclesiasticam, auctore viro eximio Bernardo Jungmann, S. Th. et Philos. Dr., Historiae ecclesiasticae et Patrologiae in Universitate catholica Lovaniensi Professore ordinario, et ecclesiae cathedralis Brugensis Canonico honorario, novem annorum spatio exaratas atque ab auditoribus magno cum fructu exceptas, nunc primum, utpote ab omni, ut Nobis visum est, naevo immunes, atque solidissima doctrina refertas, approbamus et ultro imprimi permittimus.

Datum Brugis, hac 1. Junii 1880.

J. J. Epus. Brugens.

Opus quod inscribitur: *Dissertationes selectae in Historiam ecclesiasticam, Tom. II., auctore Bernardo Jungmann, Eccles. Cath. Brugens. Can. hon., Philos. et S. Theol. Doctore, in Univers. Cath. Lovaniens. Hist. eccles. et Patrolog. Prof. ord.,* ex auctoritate Eminentissimi et Reverendissimi Cardinalis Archiepiscopi Mechliniensis et legum Academicarum praescripto recognitum, quum fidei aut bonis moribus contrarium nihil continere visum fuerit, imprimi potest.

Datum Lovanii, die 17. Martii 1881.

A. J. Namèche, Rect. Univ.

Dissertatio sexta.

De Arianismi fatis ac de supposito lapsu Liberii R. P.

---

1. Felicissimo quidem exitu in Concilio Nicaeno Arianorum turbae videbantur sedatae, eorumque haeresis repressa. Ac re quidem vera Nicaenorum Patrum symbolum, definitiones et canones, ea fuerunt subsequenti tempore documenta, quibus impiorum conatus omnes demum elisi sunt; illiusque Synodi auctoritate irrefragabili fulti, sancti Ecclesiae episcopi atque doctores victoriam de haereticorum perfidia retulerunt. Haud facile tamen post Nicaenum Concilium ad exoptatam Ecclesiae pacem perventum est, sed tempora secuta sunt difficilia; suis quippe fraudibus Praesules Ariani haeresim etiam latius sparserunt et propagarunt, magnasque persecutiones episcopis orthodoxis suscitaverunt. De hisce ulterioribus *Arianismi fatis,* ac de eventibus celebrioribus iis connexis jam aliquanto fusius hac Dissertatione agemus. Dissert. indoles.

2. Opportunum autem erit peculiari diligentia inquirere in *suppositum lapsum Liberii R. Pontificis.* Admodum varia hoc de facto auctorum judicia inveniuntur. Adversarii S. Sedis et Pontificum infallibilitatis osores usque ad dies nostros Liberium accusant, quod in haeresim Arianam

lapsus eamque subscriptione Symboli haeretici publice professus sit; alii quidem benignius de Liberio judicant, et quamvis infirmiorem eum fuisse admittant, tamen multa in ejus excusationem afferri, et haereseos notam ei inuri non posse statuunt; alii postremo censent, lapsum Liberii meram fabulam esse, hujusque Pontificis fidem integram atque orthodoxiam ne minimum quidem laesam fuisse.

De quaestionibus, quas tractabimus, conferri possunt: Hefele, *Conc. Gesch. B. I*; Natalis Alexander, *Hist. eccl. saec. IV. Dissert. variae;* Tillemont, *Mém. tom. VI;* Katerkamp, *K. G., B. II;* Palma, *Praelect. H. E. Tom. I. P. II;* Muzzarelli, *De auctor. RR. PP. Tom. I.;* S. Athanasii Opp., *Hist. Arianorum,* et *de Synodis;* S. Hilarii Op., *De Synodis;* Coustant, *Epist. Rom. Pont.* et *Annotat. in opera S. Hilarii;* Möhler, *Athanasius der Grosse;* Stilting, *De S. Liberio Commentarius crit. hist.* ap., Bolland. Acta Sanctorum, 23 Sept.; P. Corgne, *Dissertation crit. et histor. sur le Pape Libère;* Ballerini, *De vi ac primatu R. Pontificis, c. XV. §. 8;* Zaccaria, *Dissert. de commentitio Liberii lapsu;* Dumont, *St. Libère. son exil., etc.* Revue des Questions historiques 1866; Reinerding. *Beiträge zur Honorius- und Liberiusfrage,* Münster 1865; Schneemann, *Prüfung des angeblichen Falles des Liberius,* Katholik 1868, B. II. XXXVI; Wouters Dissertationes Vol. II, Dissert. VI sqq. et Auctores ibidem citatos.

I.

De Arianismi incrementis.

Constant. tuetur orthodoxiam.

3. Primo tempore post Concilium Nicaenum Constantinus Imp. magno cum vigore fidem ibidem proclamatam ac decreta Synodi tuitus est, atque conatus eorum qui Arii erroribus favebant repressit. Contumacem Arium, Theonam Marmaricae et Secundum Ptolemaïdis episcopos in exilium relegavit; imo brevi post etiam Eusebium Nicomediensem et Theognem Nicaenum, qui licet haud aperte Arianismum sectabantur, tamen Ario favebant et errores affines tenebant et propagabant, e sedibus suis pariter in

exilium misit. Anno 328 die 8 Junii post mortem Alexandri *S. Athanasius* Arianismi acerrimus adversarius in episcopum Alexandrinum ordinatus est, atque hac quoque ratione doctrina orthodoxa in Aegypto omnino firmata videbatur.

Fraudibus circumvenitur.

4. Sed ea aetate infeliciter animus Constantini mutatus, ipseque fraudibus impiorum mox circumventus est. Episcopos illos videlicet, imo paulo post etiam Arium ex exilio revocavit; ac brevi *Eusebius Nicomediensis* aliique quidam Ariani perniciosum influxum in Constantinum exercuere. Quamvis haud omnino clareat, qua ratione ista Constantini mutatio acciderit, ex auctoribus tamen colligitur, partes haud exiguas hac in re fuisse Constantiae sororis Imperatoris, et presbyteri cujusdam Ariani et familiaris hujus mulieris. *Constantinus Imp.*, scribit Socrates, *sororem habuit nomine Constantiam* (Licinii viduam). *Huic familiaris erat presbyter quidam Arianae favens sectae, adeoque inter ejus domesticos censebatur. Iste igitur ab Eusebio et reliquis ejusdem factionis impulsus, in familiaribus cum Constantia colloquiis sermonem interseruit de Ario, illum injuria affectum dicens esse a Synodo, nec ita sentire ut rumore vulgi ferebatur. Quae quum audisset Constantia presbytero quidem facile credidit, sed Imperatori dicere minime ausa est. Accidit interea, ut Constantia in gravem morbum incideret. Eam aegrotantem Imperator assidue invisebat. Cum autem morbus quotidie ingravesceret et mulier mortem jam exspectaret, Imperatori commendat presbyterum, industriam ejus ac religionem, devotamque principis obsequio fidem ac benevolentiam testimonio suo confirmans. Et illa quidem non multo post fato functa est. Presbyter vero inter familiarissimos Imperatoris deinceps haberi coepit. Qui paulatim majorem nactus auctoritatem eumdem de Ario sermonem suggerit Imperatori, quem antea cum sorore ejus habuerat, Arium affirmans non aliud sentire quam quod a Synodo decretum fuisset, et si in conspectum ejus admitteretur, Synodi decretis consensurum esse, et sine causa eum falso insimulari. Nova atque admiranda Imperatori visa sunt quae a presbytero dicebantur. Sic igitur ille respondit pres-*

bytero: Si Arius decretis Synodi subscribit, et eadem sentit cum Synodo, eum in conspectum meum admittam libens et cum honore remittam Alexandriam[1]).

5. Colligitur ex hisce, Constantinum semper firmiter definitiones Nicaenas tuitum esse, sed Arii amicos paulatim eo tendisse, ut Imperatori persuaderent, Arium nunquam docuisse errores in Concilio Nicaeno damnatos, quoad *doctrinam et fidem* revera non esse discrimen, sed omnes convenire. Litem vigentem inter Arium ac defensores ipsius, et inter ejus adversarios, reapse non offendere fidem, sed consistere in subtili terminorum expositione. Vocabulum *ὁμοούσιος*, *consubstantialis*, non esse necessarium, multis videri parum aptum et valde obvium sensibus haereticis, adeoque non esse urgendum. Nec qualis sit generatio divina subtilius inquiri debere, quum eadem sit mysterium ineffabile. Satis esse, doctrinam de Filio Dei profiteri verbis Scripturae; caeteroquin *re et aequivalenter* omnes admittere ea quae in Concilio Nicaeno definita erant.

Favet Arianis. 6. Jam ante Arium videntur Eusebius et Theognis revocati fuisse, atque Eusebius quum orthodoxam doctrinam simularet et assensu suo ad fidem Nicaenam Constantinum sibi conciliaret, quumque praeterea, uti videtur, ex ipso Constantini genere esset, in magnis honoribus ab Imperatore habitus est. Quo magis vero Arii fautores Constantino fucum facerent, tum ipsi tum Arius fidei formulas in speciem catholicas, sed subdolas et aequivocas, Imperatori obtulerunt. Exstat fidei symbolum, quod Arius obtulit, apud Socratem H. E. L. I. c. 26. In eodem inter alia profitetur Arius fidem *εἰς Κύριον Ἰησοῦν Χριστὸν τὸν Υἱὸν αὐτοῦ (Πατρὸς), τὸν ἐξ αὐτοῦ πρὸ πάντων τῶν αἰώνων γεγεννημένον, Θεὸν Λόγον δι' οὗ πάντα ἐγένετο, κ. τ. λ.* Facile vides, tali professione specie orthodoxa Imperatori in rebus theologicis

[1]) Socrates, H. E., L. I. c. 25. — Cfr. Sozom. H. E., L. III. c. 15, ubi refert Arianos contendere, *aut somnium aut veram visionem sorori Imperatoris apparuisse divinitus, qua monita sit, homines illos recte sentire, et injuste esse damnatos. Hac de causa Imperatorem eos ab exilio revocasse.*

minus versato, homines callidos potuisse illudere. In se enim hoc symbolum plane ambiguum erat, et totum virus Arianismi continebat. Ita Filium haud dicunt γεγεννημένον (genitum), sed γεγενημένον (factum). In fine dicitur: *Nisi haec ita credimus, ac nisi vere suscipimus Patrem et Filium et Spiritum sanctum sicut omnis catholica Ecclesia et Scripturae docent, quibus per omnia credimus, judex noster est Deus nunc et in futuro judicio.* Dum autem Arius asserit, omnem Ecclesiam ita credere, haereticum suum errorem de divinitate impropria Filii et Spiritus Sancti callide supponit ut antiquam doctrinam Ecclesiae catholicae.

7. Quum vero Arii fautores, Eusebius scilicet Nicomediensis Praesulesque ipsi conjuncti, orthodoxam fidem simularent, adversarios suos, veros Synodi Nicaenae defensores, sub praetextu variorum errorum vel criminum studuerunt *Constantino exosos reddere et ex sedibus suis deturbare.* Imprimis Eusebiani illi anno 331 in conciliabulo Antiocheno S. Eustathium patriarcham Antiochenum Sabellianismi et fornicationis accusarunt, eumque episcopatu deposuerunt. Pari fraude deposuerunt Marcellum Ancyranum, Asclepam Gazensem aliosque, et in eorum sedes suae intruserunt factionis viros. — Nullum vero magis oderant quam Athanasium, qui factiosorum studia constanter debellabat, et Arium, non obstantibus Eusebii Nicomediensis et Constantini Imp. commendatitiis litteris, in communionem clerumque ecclesiae Alexandrinae admittere recusaverat.

Persecutio in Athanasium.

8. Adjunctis sibi schismaticis Meletianis, ut Athanasium Imperatori redderent invisum, ei incredibili impudentia multa crimina objecerunt, a quibus sanctus Praesul alienissimus erat. Eum accusaverunt, quod stuprum mulieri intulisset, Arsenium episcopum occidisset, Ischyram, quem presbyterum dicebant quamvis talis haud esset, contumeliis affecisset, ejusque calicem in Mareotidis regione sacrilege confregisset; quod novum tributum Alexandrinis imposuisset, et Imperatori se parum addictum ostendisset. Ita paulatim Athanasium Constantino saltem suspectum reddiderunt. Assiduis Eusebianorum clamoribus pulsatus

tandem a. 335 Imperator in causa Athanasii *Synodum indixit Tyri.* In ea Athanasius, quamvis sole clarius a calumniis adversariorum se vindicasset, excommunicatus et depositus fuit. Iniquam sententiam merito sprevit Athanasius, et in Alexandrina ecclesia permansit. Eusebiani vero Tyro profecti sunt Hierosolymas ad solemnem dedicationem basilicae curis Constantini constructae. Ibi peracta festivitate novum conciliabulum habuerunt, in quo Arius post fidei professionem ambiguam, qua errores suos tegebat, in communionem receptus et cum synodica epistola ad ecclesiam Alexandrinam remissus est. Sed Athanasius simulationem optime perspiciens Arium minime recepit. Quapropter illi novis calumniis Athanasium apud Constantinum etiam inde falso accusarunt, quod impediret, ne frumentum Alexandria Constantinopolim veheretur. Unde effecerunt, ut Constantinus a. 336 Athanasium Treviros relegaret.

Constantini indoles.

9. Mirum sane videtur, quomodo Constantinus Imperator pius et Ecclesiae valde addictus, tandem ad hoc adduci potuerit, eo vel magis, quod ipse accusationes plane falsas contra Athanasium ferri, identidem agnovisset, et ad sanctum virum varias epistolas horificas misisset. Sed Constantino insitum erat, ut credulus nimium esset et facile ab aliis circumveniretur, uti vel ipse Eusebius Caesariensis in *Vita Constantini* fatetur. *Insita*, scribit, *Imperatori humanitas ac bonitas et fidei morumque sinceritas eo ipsum adduxit, ut crederet fictae in specie pietati hominum illorum qui pro christianis habebantur, et qui sinceram erga ipsum benevolentiam callida mente simulabant. Quibus ille quum semet ipse credidisset, interdum fortasse in ea, quae parum decora essent impegit*[1]). — Praetera vero Imperator summo studio eo tendebat, ut unitatem et concordiam in Ecclesia restauraret atque firmaret. Ariani eo tempore nondum coetus distinctos formabant, sed cum catholicis

[1]) L. IV. c. 54. Eusebius Caes. sane hic non loquitur de Arii fautoribus, quibus etiam ipse nimium se sociaverat, sed quae universim dicit apte ad rem nostram applicantur.

plane commixti erant; censebatque Constantinus in errorem inductus, ex parte doctrinae, pacis et concordiae impedimenta vera haud adesse. Exosos autem habebat eos, quos turbarum et discordiae credebat fautores. Eusebiani igitur paulatim eo devenerunt, ut Athanasium redderent Constantino suspectum, ac si ejus charactere elato, violento, a concordia alieno, pax et unio impedirentur; justumque Praesulis vigorem ac severitatem in tuenda orthodoxia et reprimendis factiosis, repraesentarunt ut obstinationem paci valde nocivam. Qualis Constantini animus quoad Athanasium fuerit, collligitur ex illis quae scribit Sozomenus H. E. L. II. c. 31: *Cum et populus urbis Alexandriae assidue vociferaretur, Deumque in supplicationibus publicis oraret pro reditu Athanasii, et magnus Antonius monachus frequentes de eo litteras ad Imperatorem scripsisset, rogans ne Meletianis fidem haberet, sed eorum accusationes calumniarum loco duceret, Imperator tamen flecti non potuit. Verum ad Alexandrinos quidem litteras scribens dementiam illis et levitatem exprobravit; clericis vero et sacris virginibus ut quiescerent praecepit, affirmans, se nequaquam mutaturum sententiam, nec revocaturum esse Athanasium utpote seditiosum et ecclesiastico judicio condemnatum. Antonio autem rescripsit, se adduci non posse, ut sententiam synodi despiceret. Etenim, inquit, quamvis pauci quidam per odium aut gratiam judicaverint, haudquaquam credibile est, tantam prudentium ac bonorum episcoporum multitudinem pari modo affectam fuisse. Athanasium enim contumeliosum et arrogantem esse, discordiaeque et seditionis auctorem. Quippe adversarii haec potissimum crimina objiciebant Athanasio, eo quod Imperator ejus generis homines mirum in modum aversaretur.*

10. Anno 336, dum Eusebiani episcopi quorum votis omnia favere videbantur, Constantinopoli congregati Arium solemni cum pompa, reclamante licet Alexandro Constantinopolitano episcopo, in ecclesiam recipere vellent, eodem die vel pridie infelix haeresiarcha e vivis sublatus est. Divina videlicet ultione percussus in medio itinere, quod cum fastu per urbem instituebat, disrupto ventre dilapsis- Arii mors.

que visceribus est exstinctus. — Constantinus Imp. obiit pie a. 337. Baptismum eousque distulerat, tum quod in Jordane baptisma suscipere in animo haberet, tum quod abusum quemdam sequeretur differendi susceptionem hujus sacramenti, quem Ecclesia nondum exstirpare potuerat. Haud multo ante mortem igitur Nicomediae ab Eusebio illius civitatis episcopo solemniter baptizatus est. Quod vero baptismum reciperet ab homine Arii haeresi infecto, facile excusaveris, si perpendis, a Constantino Eusebium habitum esse ut orthodoxum doctrinaeque Nicaenae sectatorem, ac generatim Arianos Praesules catholicis plane mixtos ea aetate fuisse.

Constantini successores. 11. Mortuo Constantino M., ejus filii Constantinus, Constans et Constantius imperium sibi diviserunt; Constantinus et Constans orthodoxi erant, sed Constantius, qui in Oriente regnabat, Arianis addictus erat. Post obitum quidem Constantini M. Athanasius aliique episcopi orthodoxi ex exilio ad ecclesias suas reversi sunt. Verum Ariani mox apud Constantium Orientis Imperatorem fraudibus et calumniis uti antea in orthodoxos Praesules usi sunt. Constantius ad eorum partes deflexit, eis impense favit, et catholicos praesertim post fratris sui Constantis Imperatoris Occidentis obitum (350) graviter persecutus est.

12. Imprimis Ariani a. 339 coacto Constantinopoli conciliabulo S. Paulum urbis hujus episcopum deposuerunt, et in ejus locum intruserunt Eusebium Nicomediensem. Bellum pariter in S. Athanasium acrius continuarunt. Constituerunt videlicet circa a. 339 hujus civitatis episcopum certum quemdam *Pistum,* qui jam a. 320 ab Alexandro ex presbyterii gradu dejectus fuerat. Ut vero res suas firmarent, *etiam a Romano Pontifice rei gestae comprobationem obtinere nisi sunt,* atque ita splendidum primatus ejus testimonium exhibuere. — Romae S. Silvestro exeunte anno 335 ad coelestem vitam evocato, summum sacerdotium delatum fuit *S. Marco,* qui post octo menses anno 336 aeterna gloria donatus est. Huic successit *S. Julius Romanus,* qui usque ad a. 352 Apostolicam Sedem tenuit. Ad Julium igitur destinati sunt ab Eusebianis legati, Macarius

S. Julius R. P.

presbyter, Martyrius et Hesychius diaconi, cum litteris in gratiam Pisti adversus Athanasium, ac forte etiam adversus Marcellum Ancyrae et Asclepam Gazae episcopos conscriptis. Simul etiam Acta contra S. Athanasium in causa Ischyrae in Mareotide collecta et confecta Julio communicarunt. Transscripta ejusmodi Acta Julius transmisit Athanasio. Is porro habuit Alexandriae synodum centum fere episcoporum provinciae suae, qui innocentiae ejus testimonium perhibuere; atque dein pariter legatos ad Julium Pont. misit.

13. Interea legatis Athanasii Romam accedentibus, Macarius presbyter ab iis convinci metuens, clam aufugit. Tum qui supererant Eusebianorum legati, Martyrius videlicet et Hesychius, cum Athanasii presbyteris congressi eis resistere quum non valuissent, synodum convocari petierunt. Julius Pontifex igitur, auditis utriusque partis legatis, Romae synodum indixit. Quocirca litteris accersitus Athanasius statim Romam se contulit (341). Post ejus autem adventum Julius ad Eusebianos per presbyteros suos Philoxenum et Epidium misit litteras, quibus eos praestituto die ad synodum vocabat. Verum Eusebiani legatos illos, ut Athanasius *epist. ad Monachos* n. 11 narrat, ultra condictum synodi diem, videlicet usque ad mensem Januarium a. 342 (Julii ep. n. 6) detinuere; tandem eos cum litteris ad Julium dimiserunt.

Arianorum legati.

14. Hisce in litteris expostulabant, quod Julius secum contumeliose ageret, utpote quos de rebus a se definitis rationem reddituros ad synodum vocaret; obtendebantque firmam esse debere cujuslibet synodi auctoritatem, et injuriam judici fieri, cum ejus judicium ab alio examinatur. Plura alia irreverenter in Pontificem addiderunt, ita quidem ut, quum antea erga Apostolicae Sedis jura atque auctoritatem sua ratione agendi reverentiam professi essent magnam, jam honorem debitum denegarent ejusque auctoritatem inficiarentur. Iste videlicet ab antiquo haereticorum mos est, ut quamdiu fraudibus Sedis Apostolicae favorem et protectionem sibi se conciliaturos esse sperant, jura ejus revereantur vel se agnoscere saltem fingant, quum

vero res suas ex ipsa hujus Sedis auctoritate periclitari animadvertunt, contra ejus jura insurgant.

Julii sententia.

15. Hujusmodi litteras cum accepisset Julius, veritus, ne si publicae fierent, tanta protervia offenderentur cuncti, eas apud se tamdiu retinuit, quamdiu spes erat fore, ut Eusebianorum saltem nonnulli ad ipsum venirent. At ubi desperare prorsus coepit, tum demum versus Septembrem a. 342 in loco ubi presbyter Vito conventus agebat, congregata synodo quae plus quinquaginta episcopis constabat, litteras illas in medium protulit. In ista synodo S. Athanasii, Marcelli Ancyrani, Asclepae Gazensis ac Lucii Andrianopolitani, qui et ipsi contra Arianorum sententias ad Apostolicam Sedem confugerant, causis discussis, illi in communione Ecclesiae atque in sedibus suis, quibus ab Arianis fuerant privati, retenti sunt. Quibus actis, Julius Pontifex ad praecipuos Arianae factionis fautores epistolam scripsit celebrem, in qua eos increpavit, quod Nicaenam fidem clanculum innovarent, quod ad Romanam synodum vocati venire noluissent, quodque contra jus Athanasium aliosque primarum Sedium antistites deposuissent, quorum, etiam si rei forent, causae, secundum ecclesiasticum canonem et notum ipsis morem ad Apostolicam Sedem fuissent deferendae. Refulget ex hac Julii epistola ejus in universam Ecclesiam primatus. Relucet in eadem vere apostolicus animus, quo episcopos eosque numero plurimos, auctoritate in aula potentes, libere ac graviter reprehendit; zelus intrepidus, quo canones disciplinamque tuetur ecclesiasticam; sollicitudo omnium ecclesiarum, qua praesulum injuste depositorum causam agit, atque ecclesiarum pacem procurare satagit[1]).

16. Ariani vero Imperatoris Constantii patrocinio freti Pontificis sententias ac minas spreverunt, et in episcopos orthodoxos atque in fideles cum his communicantes et intrusorum communionem vitantes violentia usi sunt. Ut autem simplices incautosque deciperent, haereseos notam

---

[1]) V. Constant, Epistolae RR. Pont. ad *Julium;* Hurter, SS. Patr. Opuscula t. XVII, Monitum in ep. Julii ipsasque litteras.

evitarent, suamque doctrinam in aliorum animos infunderent, varias fidei formulas ediderunt, quae ex parte saltem haeresim non aperte exprimebant, sed propter suppressum vocubulum *ὁμοούσιος* eam non excludebant. — Longum est singula Arianorum facta percurrere, praecipuos eventus tantum breviter indicamus. Opportunum autem erit animadvertere, in varias factiones sese Arianos mox divisisse.

17. Qui ecclesiasticam temporum illorum historiam legerit, ait Petavius[1]), majorem invicem Arianorum quam cum Catholicis pugnam ac dissensionem fuisse, cognoscet. Ea porro vel ex ambitione ac privatis odiis, vel ex doctrinae opinionisque diversitate ortum habuit. Ut hanc potissimum attingamus, tres Arianorum factiones apte discernemus. Nam alii qui *Anomoeorum* voce designantur, meram Arii blasphemiam amplexi sunt, qui Verbum Dei ac Filium a Patre creatum ex nihilo, non de ejus substantia genitum esse dicebant. Fuisse proinde tempus aliquando cum nondum existeret, ac natura ipsum esse mutabilem, sed excellentis cujusdam prae caeteris creaturis dignitatis atque virtutis. Ad haec Patrem affirmabant nihil aequale habere vel simile, vel majestate ac gloria comparandum. Quocirca *dissimilem, ἀνόμοιον* substantia rebusque caeteris Patris esse Filium illi affirmaverunt, unde et Anomoeorum assecuti sunt nomen. Eorum signifer et auctor fuisse perhibetur Aëtius, quem Leontius Antiochenus diaconum ordinavit; ejus vero discipulus et postea acerrimus sectae propugnator fuit Eunomius. Anomoei.

18. Affinis hisce fuit secta *Acacianorum,* qui ita appellati sunt ab Acacio Caesareae in Palaestina post Eusebium (a. 340) episcopo. Acacius videlicet callide eam rationem ingressus est, ut neque consubstantialem Patri diceret esse Filium, neque creaturam unam ex creaturis, ac praeterea similem (*ὅμοιον*) esse Patri, non tamen substantia vel *οὐσίᾳ*. Quod illi sic interpretabantur, ut quemadmodum statuarii effigies hominum, ac simulacra vivorum ad similitudinem exprimunt, quae natura ac substantia Acaciani.

---

[1]) De Trinit. L. I. c. 9.

diversa ac dissimilia, externa sola specie ac lineamentis similia sunt, sic Pater sibi similem Filium procrearit, non tamen divinitate vel aeternitate, vel ulla naturae proprietate parem et aequalem. Proinde *ὁμοούσιον, consubstantialis,* et *ὁμοιούσιον, similis substantiae* vocabula, tanquam peregrina neque Scripturis usitata rejiciebant; *ἀνόμοιον* pariter anathemate damnabant. In quo, uti patet, verbotenus ab Anomoeis dissidentes, reipsa consentiebant. Nam qualemcumque similitudinem istam eodem sensu ac illi capiebant. Sed cum Aëtii et Anomoeorum dogma, quod Filium creaturam esse ex reliquarum ordine ac Patri nulla re aut naturae proprietate similem asserebat, aperte palamque prolatum invidiam haberet, ut istiusmodi vocem qualiumcumque Christianorum aures non admitterent, fucum illi fecere captiosis insidiosisque verbis. Haud enim palam virus suum effudere, sed ea quam dixi tergiversatione sunt usi, similem ut esse docerent Patri Filium eodem prorsus modo sensuque, quo Anomoei fatebantur; sed *dissimilis* vocem callide condemnabant, quam isti audacter usurpabant. Quare fautores Aëtii seu Anomoei etiam identidem, amore sedium suarum, vel metu Constantii qui *dissimilis* vocabulum ferre non poterat, Acacii partes amplectebantur; periculo autem semoto, iterum similitudinis nomen abjiciebant, asserentes *per omnia* Patri *dissimilem* esse Filium, atque ex nihilo procreatum[1]).

---

[1]) Anomoeos et Acacianos re convenire, orthodoxi Patres jure suo tempore adverterunt. S. Hilarius in fraudulentos homines invehit *Contra Constantium Imper. n. XIV. Cum autem,* scribit, *intellexissent et hi, qui dissimilem Deum dicunt, humanas aures tantae impietatis verba non suscepturas esse, rursum hi ipsi, fallaces potius quam Ecclesiae episcopi fidem scribunt, homousion et homoeousion et dissimilitudinem damnant. Quod cum contrarium ipsis sensu audientium esset, ipse ego quemdam eorum, qui forte ad me pertentandum accesserat, quasi ignorans rerum gestarum percontatus sum, quid sibi vellet istud, ut qui unam substantiam Filii esse cum Patre damnassent, vel esse similis substantiae denegassent, dissimilitudinem damnarent. Tunc mihi ait: Christum Deo similem non esse, sed similem Patri esse. Rursus hoc obscurius mihi adhuc videbatur. De quo cum iterum interrogarem, tunc haec ita locutus est: Dico eum dissimilem Deo esse, similem Patri*

19. Tertia factio erat *Semiarianorum,* qui vocabulum ὁμοούσιος recusantes, Filium similem Patri in omnibus (ὅμοιον κατὰ πάντα), etiam secundum essentiam, ὁμοιούσιον, profitebatur. Non unum est auctorum de Semiarianis judicium; multi, praesertim recentiores critici, eos ab haeresi absolvunt, et circa dogma de divinitate Verbi recte sensisse existimant. Dicendum videtur, aliquos quidem Semiarianos quamdam subordinationem Filii sub Patre, cum doctrinis caeterum orthodoxis, forte ex confusione et inconsequentia quadam concepisse, sed plerosque plane orthodoxe sensisse. Videlicet hi Semiariani per vocabulum ὁμοιούσιος intelligebant similitudinem perfectam in omnibus, in natura et substantia, et contendebant, per illud vocabulum satis exprimi doctrinam in Concilio Nicaeno definitam, cui doctrinae se adhaerere profitebantur. Vocabulum vero ὁμοούσιος pacis ac concordiae causa silentio premendum volebant, maxime quod in SS. Scripturis non exstaret, et quod opinarentur, eodem Sabellii haeresim personas confundentem tegi posse. Ex Semiarianis erant inter alios Basilius Ancyranus eorum dux, Meletius Antiochenus, Eusebius Samosatenus, Silvanus Tarsensis, S. Cyrillus Hierosolymitanus. Hi episcopi summo zelo Arianos, Anomoeos et Acacianos insectati sunt, ut constat e synodis Ancyrana a. 358, Seleuciensi a. 359, Antiochena a. 363, Lampsacena et Tyanensi a. 365, et Constantinopolitana a. 381. Semiariani.

20. S. Athanasius et S. Hilarius cum Semiarianis disputabant tanquam cum fratribus et catholicis cum ipsis de re ipsa consentientibus, et de solo vocabulo ab ipsis dissidentibus. *Adversus eos,* scribit S. Athanasius, *qui omnia Synodi Nicaenae scripta recipiunt, de solo autem „consubstantiali" ambigunt, non ut adversus inimicos nos* Habentur ut fratres.

---

posse intelligi, quia Pater voluisset creaturam istiusmodi creare, quae similia sui vellet: et idcirco similem Patri esse, quia voluntatis esset potius Filius quam divinitatis; dissimilem autem Deo esse, quia neque Deus esset, neque ex Deo, id est de substantia Dei natus esset. — Haec audiens hebui, neque credidi, donec cum publice ex consensu omnium eorum profanissimae hujus similitudinis ratio praedicaretur.

affici decet, — sed veluti fratres cum fratribus disceptamus, ut cum quibus nobis eadem sit sententia, controversia autem de verbis. Nam cum profiteantur, Filium ex Patris substantia esse, nec creaturam eum, nec opus existere, sed genuinum et naturalem Patris foetum, et aeternaliter cum Patre esse, cum ejus ratio et sapientia sit, non longe absunt a recipiendo consubstantiali. Talis est Basilius ex Ancyra in scriptis suis de fide etc. — Ac loquens de eorum ratione agendi in Concilio Seleuciensi ait: *Acaciani igitur amentiae suae audacia usi quae Nicaeae scripta fuerant plane abnegarunt, ipsamque synodum criminabantur. Alii autem multo majore numero reliquis omnibus Synodi admissis verbis, solam consubstantialis vocem, eo scilicet obtentu quod prae obscuritate suspecta esset, improbabant* [1]). Pari ratione de Semiarianis loquitur S. Hilarius.

Eorum imprudentia.

21. In eo tamen Semiariani imprudentissime ac perperam agebant, quod illam vocem *ὁμοούσιος* admittere nollent, quam Concilium Nicaenum plena auctoritate et sapientissimo selectu ut tesseram catholicae veritatis adoptaverat. Eo ipso imprimis auctoritatem magnae Synodi Nicaenae labefactabant, atque inepte suis conciliis eam potestatem tribuebant, ut alias fidei formulas conderent. Praeterea illa voce rejecta haereticis et novatoribus occasionem praebebant, ut sub ambiguis formulis, quae bonum sensum prae se ferebant, errores suos tegerent et venenum suum propagarent. Ita vocabulum *ὅμοιος* poterat quidem de *perfecta* similitudine intelligi etiam quoad essentiam, sed ex altera parte poterat *imperfectae* similitudinis significatio illi voci subjici et ita error eadem proponi[2]).

---

[1]) De Synodis, n. 12.

[2]) Optime animadvertit S. Hilarius, orthodoxum sensum voci *similis* subesse posse, et quomodo haec vox ab orthodoxis intelligenda sit. „Praedicantes itaque, inquit, similem Filium in omnibus Patri, nihil aliud quam aequalem praedicamus . . . . Nec me fallit quosdam esse, qui similitudinem confitentes negant aequalitatem. Sed loquantur ut volunt, ut blasphemiae suae virus ingerant ignorantibus. Si inter similitudinem et aequalitatem differre dicunt, quaero, unde comparatur aequalitas? Nam si secundum essentiam et virtutem et gloriam et tempus Patris Filius similis est, interrogo, ex quo non videatur aequalis?“ De Synodis nn. 73. 74.

22. In sedem Alexandrinam (a. 340) a Constantio Imp. et episcopis Eusebianis intrusus fuit *Gregorius Cappadox* homo plane indignus, qui in clericos, virgines aliosque secum communicare nolentes magna violentia saeviit. Mense Junio a. 345 ipse vita functus est. S. Athanasius vero exul fuit per aliquot annos, atque ab anno 340 ad a. 343 Romae versatus est. — Ab Orientalibus episcopis eo tempore varia habita sunt concilia, inter quae celebrius est *concilium in encaeniis* dictum, et a. 341 celebratum Antiochiae, quo nonaginta et septem Praesules ad dedicandam basilicam *auream* a Constantino M. et Constantio aedificatam convenerant. Quamvis plurimi ex illis episcopis orthodoxi essent, tamen circumventi sunt ab Eusebianis, ita ut in illa Synodo Athanasii depositio confirmata fuerit. Id inde explicatur, quod Eusebiani constanter suam in Synodum Nicaenum reverentiam rectamque fidem asseverarent, adeoque orthodoxi haberentur, quodque Athanasium reliquis suspectum redderent, ut virum inquietum et dubiae fidei. Conditi sunt praeterea in ista Synodo 25 Canones orthodoxi et celebres apud antiquos de fide et disciplina[1]). — Paulo post illud concilium in Encaeniis Eusebius Constantinopoli vita functus est (a. 342). Synodus in Encaeniis.

23. *Concilium Sardicense* (a. 343). — Brevi postquam Julius P. suas ad Eusebianos litteras dedit, convenit inter ipsum atque Imperatores Constantem et Constantium, ut ad turbas sedandas ac pacem ecclesiasticam plene restituendam synodus generalis convocaretur. Plures etiam episcopi, uti Hosius Cordubensis et Maximinus Trevirensis hoc maxime desiderabant, atque S. Athanasio id pariter gratissimum fuit. *Sardicam* in Illyrico illud concilium convocatum fuit; quamvis vero auctores plerique usque ad haec tempora censuerint, a. 347 eam synodum habitam esse, ex *Litteris paschalibus* S. Athanasii recenter inventis Conc. Sardicense.

---

[1]) Cfr. de hac Synodo Hefele C. G., B. I. §. 56, ubi apprime explicatur, quomodo in hoc concilio, quamvis numero orthodoxi praevalerent, Athanasii depositio confirmata fuerit.

aliisque documentis colligitur, jam versus finem a. 343 concilium hoc incepisse, ac primis mensibus a. 344 continuatum fuisse[1]). Ad numerum episcoporum quod attinet: *Conveniunt,* scribit Athanasius, *tum ex Oriente tum ex Occidente in Sardica urbe episcopi plus minus centum septuaginta*[2]). Orientales maxima parte erant Eusebiani. Hos Eusebianos fere *octoginta* fuisse Praesules, ex ipsorum litteris synodicis atque ex Socrate (II. 20) et Sozomeno (III. 12) colligitur; inter quos Acacius Caesariensis et Stephanus Antiochenus eminebant. — Julius P. abfuit ob gravia motiva, uti patet ex litteris synodi ad ipsum: *Et tu itaque, dilectissime frater, corpore separatus, mente concordi ac voluntate adfuisti: et honesta fuit et necessaria excusatio absentiae, ne aut lupi schismatici furtum facerent et raperent per insidias, aut canes haeretici rabido furore exciti insani oblatrarent, aut certe serpens diabolus blasphemiorum venenum effunderet. Hoc enim optimum et valde congruentissimum esse videbitur, si ad caput, id est ad Petri Apostoli sedem, de singulis quibusque provinciis Domini referant sacerdotes*[3]). Praesederunt igitur vice Pontificis Hosius Cordubensis atque Archidamus et Philoxenus Romanae ecclesiae presbyteri a Pontifice missi.

Arianorum oppositio.

24. Eusebiani suae causae diffidentes inde a Concilii initio tergiversati sunt. Ad synodum venire nolebant, quamvis semel et iterum invitati; contendebant enim se communicare non posse cum Athanasio, Marcello aliisque synodorum sententia depositis. Deinde intelligentes, fieri non posse quin calumniae quibus Athanasium aliosque persequebantur, in concilio detegerentur ac confutarentur,

---

[1]) V. Hefele, l. c. § 58.

[2]) Apologia c. Arianos c. 15. — Asserunt quidem Socrates et Sozomenus trecentos Praesules occidentales Concilio Sardicensi adfuisse, sed in errorem inducti sunt verbis Athanasii Apol. c. 1: *Iis quae* (in magna synodo Sardicae coacta) *nostri gratia decreta fuerunt, suffragati sunt plus quam trecenti episcopi.* — Computat vero S. Athanasius h. l. etiam absentes illos qui postea actis synodi consenserunt.

[3]) Hilarii ex opere histor. Fragmentum II. — Ultima verba *Hoc enim* etc. a quibusdam supposita habentur.

clam Sardica aufugerunt *Philippopolim* in Thracia, ubi conciliabulum celebrarunt. — De iis autem quae in causa Athanasii a synodo Sardicensi gesta sunt, sic scribit ipse S. Athanasius: *Ita igitur illi turpiter et indecore fugam fecere. Sacra vero synodus ex plus triginta quinque provinciis coacta, animadversa Arianorum malignitate, Athanasium sociosque admisit, ut sese purgarent de allatis criminationibus quarum causa fuerant tot calamitatibus afflicti. Postquam autem illas detulissent, ... a synodo admissi et summa admirationi habiti sunt, adeo ut eorum communionem amplecterentur: ac missis ubique litteris Athanasium et socios puros omnisque criminis expertes declararunt, adversarios autem illorum sycophantas, facinorosos, ac quidvis potius quam christianos. Illos igitur cum pace dimisere; Stephanum vero, Menophantum, Acacium, Georgium Laodicensem, Ursacium, Valentem, Theodorum et Narcissum deposuere. Nam Gregorium ab Imperatore Alexandriam missum ita proscripserunt, ut qui nunquam episcopus fuisset, nec vel christianus esset vocandus*[1]).

25. Praeterea a concilio Sardicensi conditi sunt pro instauranda disciplina ecclesiastica canones magni momenti, Graecorum computatione viginti, Latinorum viginti unus. Insigniores ex hisce et ob controversias de iis habitas celebriores sunt illi, quibus *de recursu ac de appellationibus ad Romanum Pontificem* agitur, videlicet canones tertius, quartus et quintus (al. septimus). De iisdem pauca notare juvabit, quum graviores de eorum indole quaestiones agitatae sint. Canones Sardicenses.

26. Ex versione Dionysii Exigui textui Graeco quoad substantiam consona hi canones ita sonant: Can. III: *Hosius episcopus dixit: Illud quoque necessario adjiciendum est, ut episcopi de sua provincia ad aliam provinciam, in qua sunt episcopi, non transeant, nisi forte a fratribus suis invitati, ne videamur januam claudere caritatis. — Quodsi in aliqua provincia aliquis episcopus contra fratrem suum episcopum litem habuerit, ne unus e duobus ex alia provincia advocet episco-*

---

[1]) Historia Arian. ad Monachos c. 17.

pum cognitorem. (Videlicet lites a synodo provinciali, non vero ab extraneis Praesulibus componendae sunt). — *Quodsi aliquis episcoporum judicatus fuerit in aliqua causa, et putat se bonam causam habere, ut iterum concilium renovetur* (potius, *ut iterum examen renovetur, ἵνα καὶ αὖθις ἡ κρίσις ἀνανεωθῇ*): *si vobis placet sancti Petri Apostoli memoriam honoremus, ut scribatur ab his qui causam examinarunt Julio Romano episcopo, et si judicaverit renovandum esse judicium* (*τὸ δικαστήριον*), *renovetur et det judices. Si autem probaverit, talem causam esse ut non refricentur ea quae acta sunt, quae decreverit confirmata erunt. Si hoc omnibus pla cet? Synodus respondit: Placet*[1]).

Can. IV. *Gaudentius episcopus dixit: Addendum si placet huic sententiae, quam plenam sanctitate protulisti, ut quum aliquis episcopus depositus fuerit eorum episcoporum judicio, qui in vicinis locis commorantur, et proclamaverit agendum sibi negotium in urbe Roma; alter episcopus in ejus cathedra post appellationem ejus, qui videtur esse depositus, omnino non ordinetur, nisi causa fuerit in judicio episcopi Romani determinata*[2].)

---

[1]) Can. III. Ὅσιος ἐπίσκοπος εἶπε· *Καὶ τοῦτο προστεθῆναι ἀναγκαῖον. ἵνα μηδεὶς ἐπισκόπων ἀπὸ τῆς ἑαυτοῦ ἐπαρχίας εἰς ἑτέραν ἐπαρχίαν, ἐν ᾗ τυγχάνουσι ὄντες ἐπίσκοποι, διαβάνῃ. εἰ μήτοι παρὰ τῶν ἀδελφῶν τῶν ἑαυτοῦ κληθείη, διὰ τὸ μὴ δοκεῖν ἡμᾶς τὰς τῆς ἀγάπης ἀποκλείεν πύλας.*

Καὶ τοῦτο δε ὡσαύτως προνοητέον. ὥστε ἐὰν ἔν τινι ἐπαρχίᾳ ἐπισκόπων τις ἄντικρυς ἀδελφοῦ ἑαυτοῦ καὶ συνεπισκόπου πρᾶγμα σχοίη. μηδέτερον ἐκ τούτων ἀπὸ ἑτέρας ἐπαρχίας ἐπισκόπους ἐπιγνώμονας ἐπικαλεισθαι.

Εἰ δὲ ἄρα τις ἐπισκόπων ἔν τινι πράγματι δόξῃ καταχρίνεσθαι καὶ ὑπολαμβάνει ἑαυτὸν μὴ σαθρὸν ἀλλὰ καλὸν ἔχειν τὸ πρᾶγμα, ἵνα καὶ αὖθις ἡ κρίσις ἀνανεωθῇ· εἰ δοκεῖ ὑμῶν τῇ ἀγάπῃ. Πέτρου τοῦ αποστόλου τὴν μνήμην τιμήσωμεν. καὶ γραφῆναι παρὰ τούτων τῶν κρινάντων Ἰουλίῳ τῷ ἐπισκόπῳ Ῥώμης, ὥστε διὰ τῶν γειτνιώντων τῇ ἐπαρχίᾳ ἐπισκόπων, εἰ δέοι. ἀνανεωθῆναι τὸ δικαστήριον καὶ ἐπιγνώμονας αὐτὸς παράσχοι· εἰ δὲ μὴ συστῆναι δύναται τοιοῦτον αὐτοῦ εἶναι τὸ πρᾶγμα, ὡς παλιν δικίας χρήζειν. τὰ ἅπαξ κεκριμένα μὴ ἀναλύεσθαι, τὰ δὲ ὄντα βέβαια τυγχάνειν.

[2]) *Γαυδέντιος ἐπίσκοπος εἶπεν· Εἰ δοκεῖ. ἀναγκαῖον προστεθῆναι ταύτῃ τῇ ἀπόφασει. ἥντινα ἀγάπης εἰλικρινοῦς πλήρη ἐξενήνοχας. ὥστε ἐάν τις ἐπισ-*

Can. V. *Hosius episcopus dixit: Placuit autem, ut si episcopus accusatus fuerit, et judicaverint congregati episcopi regionis ipsius, et de gradu suo eum dejecerint, si appellaverit qui dejectus est et confugerit ad episcopum Romanae ecclesiae et voluerit se audiri: si justum putaverit ut renovetur judicium* (vel discussionis examen) *scribere his episcopis dignetur qui in finitima et propinqua provincia sunt, ut ipsi diligenter omnia requirant et juxta fidem veritatis definiant. Quod si is qui rogat suam causam iterum audiri, deprecatione sua moverit episcopum Romanum, ut de latere suo presbyterum mittat, erit in potestate episcopi quid velit et quid aestimet; et si decreverit mittendos esse, qui praesentes cum episcopis judicent, habentes ejus auctoritatem a quo destinati sunt, erit in suo arbitrio. Si vero crediderit episcopos sufficere, ut negotio terminum imponant, faciet quod sapientissimo suo consilio judicaverit*[1]).

27. Ut horum canonum indoles melius intelligatur, haec animadvertenda occurrunt. Praeter alias forte rationes, in ipsis temporis ac rerum adjunctis gravia motiva Occasio Canonum.

χοπος καθαιρεθῇ τῇ κρίσει τούτων τῶν ἐπισκόπων τῶν ἐν γειτνίᾳ τυγχανόνιων, καὶ φάσκῃ πάλιν ἑαυτῷ ἀπολογίας πρᾶγμα ἐπιβάλλειν, μὴ πρότερον εἰς τὴν καθέδραν αὐτοῦ ἕτερον ὑποκαταστῆναι, ἐὰν μη ὁτῆς Ῥωμαίωο ἐπίσκοπος ἐπιγνοὺς περὶ τούτον ὅρον ἐξενέγκῃ.

[1]) *Ὅσιος ἐπίσκοπος εἶπεν· Ἤρεσεν, ἵν' εἴ τις ἐπίσκοπος καταγγελθείη, καὶ συναθροισθέντες οἱ ἐπίσκοποι τῆς ἐνορίας τῆς αὐτῆς τοῦ βαθμοῦ αὐτὸν ἀποκινήσωσι, καὶ ὥσπερ ἐκκαλεσάμενος καταφύγῃ ἐπὶ τὸν μακαριώτατον τῆς Ῥωμαιῶν ἐκκλησίας ἐπίσκοπον, καὶ βουληθείη αὐτοῦ διακοῦσαι, δικαιόν τε εἶναι νομίσῃ ἀνανεώσασθαι αὐτοῦ τὴν ἐξέτασιν τοῦ πράγματος, γράφειν τούτοις τοῖς συνεπισκόποις καταξιώσῃ τοῖς ἀγχιστεύουσι τῇ ἐπαρχίᾳ, ἵνα αὐτοὶ ἐπιμελῶς καὶ μετὰ ἀκριβείας ἕκαστα διερευνήσωσι καὶ κατὰ τὴν τῆς ἀληθείας πίστιν ψῆφον περὶ τοῦ πράγματος ἐξενέγκωσιν. Εἰ δέ τις ἀ᾽ιῶν καὶ πάλιν αὐτοῦ τό πράγμα ἀκουσθῆναι, καὶ τῇ δεήσει τῇ ἑαυτοῦ τὸν Ῥωμαίων ἐπίσκοπον δόξειεν (κινεῖν δόξῃ ἵν' ἀπὸ) ἀπὸ τοῦ ἰδίου πλευροῦ πρεσβυτέρους ἀποστείλοι, εἶναι ἐν τῇ ἐξουσίᾳ αὐτοῦ τοῦ ἐπισκόπου, ὅπερ ἂν καλῶς ἔχειν δοκιμάσῃ καὶ ὁρίσῃ δεῖν, ἀποσταλῆναι τοὺς μετὰ τῶν ἐπισκόπων κρινοῦντας, ἔχοντάς τε τὴν αὐθεντίαν τούτου παρ' οὗ ἀπεστάλησαν· καὶ τοῦτο θετέον· εἰ δὲ ἐξαρκεῖν νομίσῃ πρὸς τὴν τοῦ πράγματος ἐπίγνωσιν καὶ ἀπόφασιν τοῦ ἐπισκόπου, ποιήσει ὅπερ ἂν τῇ ἐμφρονεστάτῃ αὐτοῦ βουλῇ καλῶς ἔχειν δόξῃ. ἀπεκρίναντο οἱ ἐπίσκοποι· Τά λεγθέντα ἤρεσεν.*

fuisse patet, cur episcopi in synodo Sardicensi congregati de recursu ac de appellationibus ad Romanum Pontificem tractarent, editisque canonibus accuratius quaedam determinarent. Eusebiani videlicet magna cum irreverentia et arrogantia hac in re egerant. Athanasius causam suam Romam detulerat, et quamvis initio etiam ipsi ad Pontificem recurrissent, tamen re adhuc pendente substituerant S. Athanasio pseudoepiscopum Gregorium. Dein quum Eusebianorum legati res suas maxime periclitari vidissent, ipsis petentibus Julius episcopos Eusebianos ad concilium Romam convocaverat. Sed Eusebiani causae suae male fisi haud venere, aliisque praetextibus etiam eam rationem quod non venirent adjunxere, rem in synodo Orientalium jam diremptam, videlicet Athanasii aliorumque Praesulum causam et depositionem, haud iterum tractandam esse alio judicio. Sic tum factis tum scriptis appellationi ad Rom. Pontificem sese opposuerant. Nec minus paulo post in sua Encyclica quam ex Philippopoli dederunt illud urgent, quae in conciliis decreta sunt, ab aliis conciliis non esse immutanda[1]).

28. Julius P. in sua ad Eusebianos epistola, cujus superius fecimus mentionem, pluribus refutaverat eorum assertionem arrogantem, quae in uno concilio statuta fuerint ab alio, (praesertim a synodo majoris auctoritatis), non posse examinari et mutari; et cum vigore jura Romani Pontificis vindicaverat, quatenus causae majores haud sine ipsius voto dirimi debeant. *Oportuit,* scribit, *omnibus nobis* (Julio et synodo ejus) *scripsisse, ut ita ab omnibus quod justum esset decerneretur: episcopi enim erant qui patiebantur, nec vulgares ecclesiae quae vexabantur, sed quas ipsi Apostoli per se gubernarunt. Cur autem de Alexandrina potissimum ecclesia nihil nobis scriptum est? An ignoratis, hanc esse consuetudinem, ut primum nobis scribatur, et hinc quod justum est decernatur? Sane si qua hujusmodi*

---

[1]) „Non enim ecclesiis consulunt, qui leges juraque divina, caeterorum decreta dissolvere perconantur . . . . Verum omnium conciliorum juste legitimeque actorum decreta firmanda, majorum nostrorum gesta consignant.“ Encycl. n. XXVI., ap Hilar. Fragm. hist. III.

suspicio in illius urbis episcopum cadebat, ad hanc ecclesiam scribendum fuit. Nunc autem illi, re nobis non indicata, posteaquam quod libuit egere, nos quibus ea crimina explorata non sunt, sibi demum suffragatores esse volunt. Nequaquam talia sunt Pauli statuta, non haec patres tradiderunt; sed aliena est ista forma, novum hoc institutum. Obsecro, bono animo ferte; quae enim scribo, ad publicum bonum conferunt. Nam quae accepimus a beato Petro apostolo, ea vobis significo, non scripturus tamen, quod nota apud omnes ea esse existimem, nisi quae gesta sunt nos conturbassent[1]).

Vides igitur, propter Athanasii aliorumque episcoporum causam, atque propter Eusebianorum irreverentiam et arrogantiam quam in Julium ostenderant, motiva fuisse synodo Sardicensi gravia, ut de appellationibus ad Romanum Pontificem agerent, illudque appellandi jus canonibus vindicarent, modumque procedendi accuratius determinarent Quumque Hosius ut Pontificis legatus praesideret, merito supponere possumus, ab ipso Julio Pont. mandatum fuisse, ut recursum ad S. Sedem et jus appellationum vindicarent, ac de modo ejus accuratius agerent.

29. Jam de illorum canonum sensu, de quo acriores Canonum sensus.

---

[1]) Ep. Julii n. 22. — Ad haec respexit haud dubie Socrates L. II. c. 17, ubi scribit, Julium litteris ad eos qui Antiochiae convenerant missis conquestum esse „*quod contra canones ipsum ad synodum non vocassent, cum ecclesiastica regula interdictum sit, ne praeter sententiam Romani episcopi ab ecclesiis quidquam decernatur* (*μὴ δεῖν παρὰ γνώμην τοῦ ἐπισκόπου Ῥώμης κανονίζειν τὰς ἐκκλησίας*).“ Et etiam Sozomenus cum tradit L. III. c. 10, „*pro irritis habenda esse, quae praeter sententiam episcopi Romani fuerint gesta*“. „Fatemur quidem, (inquit Hurter in nota ad n. 22 ep. Julii), hos scriptores ampliorem verbis Julii subjicere sensum, quam illa prae se ferunt; tamen nimium Julii verba coarctat Constantius cum aliis, qui illa de una Alexandrina ecclesia dicta interpretantur. Sat clare enim significat Julius verbis illis: An ignoratis etc., regulam *generalem*, quam modo applicat ecclesiae Alexandrinae. Quodsi quaeras, quam late pateat illa regula, dicimus, id definiri posse tum primatus notione, tum ex Ecclesiae praxi et sensu. Haec autem evidenter ostendunt, non in quolibet casu de rebus minoris momenti fuisse scribendum ad Romanum Episcopum, sed neque solum cum de ecclesia Alexandrina ageretur.“ — Jus appellationis quoque Julii litteris Romanae Sedi implicite vindicari, satis patet.

controversiae babitae sunt, aliquanto accuratius agamus. Quae vero huc pertinent egregie explanantur ab Ex. H. Feye in suis *Praelectionibus Juris publici ecclesiastici*, ejusque expositione quaestionem apprime elucidari censemus[1]). Itaque quoad canonem III, „ut recte intelligatur hic canon, ait cl. Auctor, noscenda est disciplina tunc vigens in causis episcoporum. Si episcopus aliquis ab altero episcopo vel actore competente accusaretur, debebat metropolita synodum provinciae cogere. In qua si causa ceciderat accusatus episcopus, hoc erat ei remedium, ut synodus convocaretur episcoporum provinciae finitimae. Hi autem debebant ex canonum dispositione convocari a metropolitano accusati, et in synodo congreganda in provincia damnati episcopi, ipse metropolitanus rursus cum iis judicare debebat. . . Attamen abusum irrepsisse, quo provocatio ad judicium alicujus finitimi episcopi fieret ab ipso reo vel actore, indicant verba ipsius can. III: *Quodsi in aliqua . . . cognitorem.* Interdicunt hoc Sardicenses Patres. En igitur explicationem primorum verborum. — Prosequitur Hosius: *Quodsi aliquis episcopus judicatus fuerit in aliqua causa, et putat se bonam causam habere, ut iterum concilium (al. judicium) renovetur.* — Judicatus, i. e. condemnatus, . . . non enim eguisset alio concilio, si causa non cecidisset. — *Si vobis placet . . . honoremus.* In quo? *Ut scribatur ab his qui causam examinarunt Julio Romano Episcopo;* ab episcopis nempe propriae provinciae. *Det judices,* id est determinet, qui ex provincia finitima episcopi secundo loco cognoscere causam debeant.“ Dein sequitur: *Si autem probaverit, talem causam esse, ut non refricentur ea quae acta sunt, quae decreverit confirmata erunt.*

Explicatur Can. III.

30. „Habes igitur, prosequitur auctor citatus, explicationem canonis, circa quem notanda sunt quaedam non levis momenti, et quidem: a) In eo non agi de appellatione ad R. Pontificem. Nam 1° ne verbum de ea continet. 2° Appellatio fit a reo, hic vero scribitur ab episcopis judi-

[1]) V. Feye, Praelectiones Juris eccles. publici, Lib. II. p. 224 sqq. (Autographia).

cibus. 3° In controversia inter Zosimum et Africanos saeculo V [1]), commemorati sunt canones Sardicenses de appellationibus; inter eos autem non erat III, sed IV et VII (V). — b) In eo statui novam disciplinam. *Si placet*; — *honoremus*, scilicet, non jam sit in potestate metropolitae convocare finitimae provinciae episcopos, sed mittantur Romam acta causae, ut Episcopus Romanus edicat, an putet, causam esse refricandam, necne. Si hoc, sit certa sententia judicum nativorum; si illud, non jam metropolita eligat judices episcopos finitimae provinciae, sed ipse R. Pontifex det judices, designet nempe e finitima provincia episcopos."

31. „Sed quid, si etiam in secunda synodo habita ab episcopis, quos determinaverat R. Pontifex, episcopus fuisset damnatus? Pro hoc casu statutus fuit canon IV. (V. n.26). Duplex est hujus canonis pars, altera historica et suppositionis, altera dispositionis et determinativa. Utriusque bipartita species est. — Pars historica et duplex ejus membrum est: a) Si episcopus etiam in secunda synodo damnatus sit; b) si idem proclamaverit agendum sibi negotium in urbe Roma. — Hac quidem parte nihil disponitur, sed ponitur factum historicum, ita ut speciem casus habeas, si utrumque membrum conjungas. — Pars disponens et duplex ejus membrum est: a) Alter episcopus in ejus cathedram post appellationem illius, qui videtur esse depositus, omnino non ordinetur. — Et quousque id non licebit? b) Donec causa fuerit in judicio Episcopi Romani determinata. — Dispositio itaque Patrum non cadit in partem historicam, sed in hoc tantum, quid ea posita sit faciendum. Appellatio igitur supponitur, agnoscitur; non conceditur. Quid autem sit faciendum, non statuitur primum, sed declaratur, contra agendi rationem Eusebianorum in causa S. Athanasii aliorumque episcoporum. In his enim canonibus rite explicandis prae oculis haberi debet, eos contra Eusebianos esse confectos." Explicatur Can. IV.

32- „Ex dictis autem de hoc canone jam observamus

---

[1]) De hac controversia inferius agetur.

sequentia: 1° Agnovisse Patres Sardicenses, appellationem illam a secunda synodo esse suspensivam. 2° Dici *videtur depositus; videtur* ob praesumptionem justitiae sententiae jam latae in duabus synodis, non tamen simpliciter *depositus,* quia exspectabatur Romani Pontificis sententia irreformabilis et ultima. — 3° Absurde affirmari, tempore Sardicensis synodi inauditum fuisse, episcoporum causas agi in urbe Roma, in parte enim historica canonis id supponitur. — 4° Absurde dici, etiam post concilium Sardicense causam esse tractandam, sententiam ferendam, in locis ipsis, non Romae. Legant enim: *Nisi causa fuerit in judicio Episcopi Romani determinata,* quae conjungantur cum prioribus ex parte historica: *et proclamaverit agendum sibi negotium in urbe Roma.* — 5° Per eum canonem nullam potestatem factam esse R. Pontifici recipiendi appellationes; hae enim supponuntur a Patribus."

Explicatur Can. V. 33. Jam de canone V (VII). „Duplicem, ait cl. Auctor, et hic canon partem habet, historicam alteram, et alteram disponentem ac juridicam. Pars historica haec est: a) Episcopus damnatus est in synodo propriae provinciae. b) Idem non ad solitum tribunal confugit, esset enim hoc synodus finitimae provinciae, sed continuo appellat R. Pontificem." (Agitur itaque de episcopo primo judicio, episcoporum suae provinciae, damnato.) — „Pars disponens constat iis omnibus, quae post supposita illa adjuncta sequuntur. In ea autem duo sunt notanda, illud quod disponitur, et modus quo fit dispositio. Illud quod disponitur est, ut R. Pontificis sit videre, an retractanda sit causa, necne, ideoque 1°: Ut ipse videat, utrum necne expediat per appellationem denuo cognosci causam semel definitam in synodo propriae provinciae. 2° Si putaret, causam non esse indignam retractatione, tunc multiplex exsequendi modus proponitur R. Pontifici, vel committendo causam episcopis finitimae provinciae, quod esset consuetam disciplinam servandam jubere, vel de latere suo mittendo unum vel plures, qui vel per se, vel cum episcopis finitimae provinciae judicent cum autoritate, qua id posset Pontifex in Urbe. — Sed ad modum quod spectat quo disponitur,

praescribiturne, an modeste proponitur? Hoc fieri, non illud, phrases indicant, quae sunt suadentium, non praecipientium. — Ex his duo consectaria dimanant: 1° Tempore Sardicensis synodi nonnunquam contigisse, ut etiam a prima synodo appellaretur ad Rom. Pontificem. De hac enim appellatione nihil statuunt Patres, eam historice assumunt. 2° Patres non putasse, sibi esse jus aliquod, praescribendi R. Pontifici formam disciplinae quam ipse sequeretur in hypothesi appellationis ad ipsum interpositae. — Haec de interpretatione canonum Sardicensium, ex quibus patet, illos jus R. Pontificis recipiendi appellationes etiam in causis episcoporum *non* primum ei *contulisse*, sed *ut competens supposuisse*."

34. „Aliter de iisdem his canonibus nonnulli auctores, quorum doctrina huc recidit. 1° Vi horum canonum RR. Pontificibus factam esse primitus potestatem accipiendi appellationes. 2° Cum explicare debent, quid sit haec potestas, coarctant eam ad merum jus revisionis praecipiendae; 3° praecipiendae autem revisionis faciendae vel in ipsa provincia rei, vel in ipsa provincia finitima, adeo ut per canones Sardicenses nec licuerit, nec liceat R. Pontifici, causam per appellationem ad eum devolutam cognoscere Romae. — Haec quidem Photius in Nomocanone. Eodem fere tempore eadem Hincmarus Rhemensis ad Joannem VIII scripsit. Eamdem doctrinam instaurarunt de Marca, Dupin, Fleury, Quesnel, Febronius, alii." Errores.

35. „At vero quomodo suam doctrinam stabiliunt? Primam partem sic confirmant: In canone III occurrunt verba: *Si vobis placet, . . . honoremus;* haec de primatu dici non possunt; ergo de jure primum collato, quod non descendit ex primatu, dicta fuerunt. — Responsionis loco dici Refelluntur. potest, tum honorari etiam memoriam Petri, quando jura antiqua ex primatu descendentia agnoscuntur, tum suffragium decisivum in Conciliis dari consuevisse per verbum *placet,* etiam in rebus quae a voluntate Patrum non pendent, quoad intrinsecam existentiam et veritatem, v. g. in rebus fidei. Attamen his omnibus non indigemus; sufficit reponere, in canone III non agi de appellationibus

ad R. Pontificem. Quod vero spectat ad canones IV et V (VII), qui de appellationibus agunt, hi de iis loquuntur in parte historica ut praeexistentibus, non in parte disponente seu juridica."

36. „Sed 2° addunt, in canonibus IV et V etiam non agi de veris appellationibus, harumque recipiendarum jus non fieri Pontifici, sed unice jus et privilegium concedi determinandi secundam revisionem causae, faciendam non Romae, sed in provincia rei. — Verum in iis canonibus occurrunt ipsa etiam vocabula *appellatio* et *appellare*, nulla addita limitatione, et ita quidem ut potissimus appellationis effectus, suspensiva vis, iis adscribatur. Habemus igitur vocabula et rem ipsam."

37. „Dicunt 3°, licet in canone III non agatur de appellatione ad Romanum Pontificem, agatur vero de ea in canonibus IV et V, attamen ex serie horum Sardicensium canonum apparere, Romanis Pontificibus potestatem non fuisse agnitam causas terminandi Romae, sed iis injunctum officium, ut causae per appellationem ad ipsos devolutae, in provinciis finirentur. Id enim, inquiunt, perspicue praescribitur in canone V. — Verum, eo quod in canone V id praescriberetur, nondum ex canonibus Sardicensibus id generatim praescriptum dici posset Romano Pontifici; nec quia pro tertia hypothesi valeret, ideo valeret pro secunda, quae est in canone IV. Sed ad rem ipsam veniamus. In canone V, etiam in parte disponente, Patres nihil praescribunt, sed suadent, ut indicat vel lectio canonis. Suadent autem, ut insinuent, se optare causam non terminari Romae; atque id quidem ob causam aequissimam optabant. In memoriam revocetur species casus. Supponebatur, appellationem non fieri gradatim, sed medio tribunali (finitimae provinciae episcoporum) praetermisso. Jamvero in utroque jure appellationes ejusmodi, quamquam non prohibitae, nonnunquam tamen improbantur, et regulariter non sunt faciendae, tum quia id videtur nimis prodesse causae rei, tum ob injuriam medio tribunali illatam. Nulla denique vis est allatae objectioni, si inspiciatur canon IV, in quo agitur de appellatione or-

dine facta, ideoque ad summum aliquid probaret, (quod tamen negandum esse constat), pro casu canonis V."

38. Addere juvabit, Gallicanorum et Febronianorum errorem inde radicitus provenisse, quod falsam haberent sententiam de primatu et auctoritate Romani Pontificis ejusque in universalem Ecclesiam jurisdictione ordinaria; atque ex hoc principio etiam ille error jam per se refellitur. Etenim cum hac universali jurisdictione quae juris divini est, etiam, uti patet, jus recipiendi appellationes cohaeret. Apprime ad rem Concilium Vaticanum: *Et quoniam divino Apostolici primatus jure Romanus Pontifex universae Ecclesiae praeest, docemus etiam et declaramus, eum esse judicem supremum fidelium, et in omnibus causis ad examen ecclesiasticum spectantibus ad ipsius posse judicium recurri; Sedis vero Apostolicae, cujus auctoritate major non est, judicium a nemine fore retractandum, neque cuiquam de ejus licere judicare judicio*[1]). Quod vero asserere solent, usum appellationis antiquitus fuisse ignotum et ante saeculum VIII non obtinuisse, falsum esse patet ex variis exemplis jam commemoratis[2]), ex ipsis concilii Sardicensis canonibus, plurimisque subsequentium saeculorum eventibus, qui decursu historiae ecclesiasticae occurrent. Errorum radix.

39. Scripserunt Patres Sardicenses rebus finitis epistolam ad Julium Papam, qua eum de cunctis concilii actis certiorem reddiderunt. Rogabant dein Pontificem, ut episcopis Siciliae, Italiae et aliis qui concilio non interfuerant scriberet, ne eorum qui a concilio fuerant damnati et depositi communicatorias litteras acciperent. Alteram epistolam scripserunt ad clerum et populum ecclesiae Alexandrinae, ut Gregorii et aliorum Arianorum consortium vitantes, in communione cum Athanasio et orthodoxis perseverarent. Tertiam denique ejusdem fere argumenti epistolam dederunt ad omnes episcopos. Synodi epistolae.

40. Quamvis conveniant auctores, decreta concilii Sardicensis ab universa Ecclesia fuisse recepta, controvertunt tamen, *utrum ipsum Concilium fuerit oecumenicum.* Character Synodi.

---

1) Const. de Eccl. c. III. 2) Cfr. Dissert. IV. de S. Cypriano.

Quaestionem hanc fusius expendere non vacat. Videtur dicendum, concilium illud convocatione fuisse oecumenicum, et etiam in sua celebratione et conclusione hunc characterem conservasse. Quamvis enim Eusebiani recessissent, tamen qui remanserunt Praesules cum praesidentibus Pontificis legatis Ecclesiam universam revera repraesentabant. Ideo autem Sardicense concilium inter oecumenica proprio nomine appellatum non est, quia minus solemne fuit, nullam peculiarem haeresim damnavit, seque in Arii fautores exserens velut appendix Nicaeni Concilii habitum est.

Eusebianorum gesta.

41. Eusebiani qui clam discesserant Sardica, uti diximus, Philippopolim convenerunt, ibique suum celebrarunt conciliabulum. Rursus ipsi Athanasium Alexandrinum, Marcellum, Ancyranum, Asclepam Gazensem ac Paulum Constantinopolitanum proscripserunt, imo etiam Hosium et alios praecipuos S. Athanasii patronos ipsumque Julium Pontificem excommunicarunt. De his porro aliisque ab ipsis gestis epistolam encyclicam direxerunt ad Gregorium pseudoepiscopum Alexandrinum et universam Ecclesiam, eamque ex Sardica inscripserunt, eo quod se ipsos verum Sardicense concilium constituere praetenderent. Symbolum etiam ediderunt in quo *consubstantialis* vox reticetur; caeterum vero Arianorum errores haud aperte in eodem proponuntur. Unde S. Hilarius hoc symbolum orthodoxo sensu interpretatur[1]).

Eventus.

42. Multum abfuit, ut post concilium Sardicense pax in Ecclesia restitueretur; imo Eusebiani eousque a Catholicis non undequaque divisi, magis etiam se a Praesulibus orthodoxis separavere, et quum in Oriente numero plurimi essent, persecutiones novas excitarunt, suasque opiniones undequaque promovere nisi sunt. In Occidente tamen, in quo Constans Imp. regnabat, orthodoxa doctrina omnino praevalebat, imo etiam influxu Constantis factum est, ut res in Oriente quoque per aliquot annos melius haberent. — Post concilium Sardicense videlicet a Patribus missi sunt duo legati Antiochiam ad Constantium Orientis Im-

[1]) De Synodis n. 35.

peratorem, Vincentius Capuanus et Euphrates Coloniensis, ut impetrarent reditum Athanasii aliorumque episcoporum ad ecclesias suas. Constans episcopis junxit comitem Soliam magistrum militum, urgentesque dedit ad fratrem litteras, ut petitis episcoporum annueret. Legati quidem ab Eusebianis Antiochiae turpibus injuriis affecti sunt, sed Constantius fratris litteris et ipsis Eusebianorum excessibus motus, meliora sapere visus est. S. Athanasium, cujus adversarius Gregorius Cappadox obierat, perhonorificis litteris ex Occidente evocavit et ad Alexandrinam ecclesiam remisit, omnes clericos communionis cum Athanasio causa exules revocavit, vetuitque, ne quis propter communionem cum Athanasio vexaretur. Sic Athanasius, quum per sex fere annos exul fuisset, die 21 Octobris a. 346 summa cum populorum laetitia ingentique triumpho Alexandriam pervenit, sedemque suam recepit. Eodem tempore S. Paulus ad ecclesiam Constantinopolitanam, Marcellus ad Ancyranam, Asclepas ad Gazensem redierunt.

43. Interea in Occidente in *causa Photini,* episcopi Sirmii in Pannonia, duo concilia habita sunt, primum Mediolani, uti videtur a. 345, quum episcopi Sardica reverterentur, alterum a. 347 iterum Mediolani vel Romae. Photinus, natione Galata, Marcelli Ancyrani diaconus et dein episcopus Sirmiensis, circa annum 340 assentientibus sibi non paucis docere coepit: unicam esse Divinitatis personam scilicet Patris; Verbum seu *λόγον* esse rationem Dei personalitate carentem; Jesum Christum autem merum fuisse hominem, qui Deus aut Dei filius dici possit, quod virtus quaedam divina ei adjuncta fuerit. Similiter et Spiritum Sanctum docebat esse virtutem quandam divinam, propria hypostasi destitutam. Instaurabat igitur Photinus Sabellii et Pauli Samosateni errores[1]). — Photini causa.

44. Jam a. 344 synodus Antiochena Photini errores proscripserat, iterumque damnati sunt a. 345 in synodo

---

[1]) Etiam Marcellus Ancyranus. Arianorum ardentissimus adversarius, iterato ab Arianis Sabellianismi accusatus et damnatus fuit, sed a catholicis semper absolutus. Et re quidem vera ejus doctrina orthodoxa

Mediolanensi, et a. 347 in altera synodo cujus mentio fit ap. S. Hilarium fragm. hist. II. n. 9: *Ad tollendum ex episcopatu Photinum, qui ante biennium jam in Mediolanensi synodo erat haereticus damnatus, ex pluribus provinciis congregantur sacerdotes.* — Illo tempore etiam Ursacius Singiduni et Valens Mursiae episcopi, viri primarii in factione Eusebianorum, qui a concilio Sardicensi depositi erant, postquam eorum omnium quae contra Nicaenum Concilium et Athanasium egerant veniam postulassent, in gratiam recepti sunt. Id tamen nonnisi in alia quadam synodo perfectum fuisse, ex Hilario l. c. colligitur, qui illam synodum anni 347 commemorans addit: *Quam opportunitatem nacti Ursacius et Valens Romanae plebis Episcopum adeunt, et in communionem per veniam admitti rogant. Julius ex consilio veniam quam orabant impertit.* Epistola ad Julium data bini illi episcopi Arianismum damnant, et Athanasii communionem amplectuntur. Notatu dignum est, utpote primatus Pontificis documentum, quod eadem epistola promittunt: *Profitemur etiam, quod si aliquando nos Orientales voluerint vel idem Athanasius malo animo ad causam vocare, citra conscientiam tuam non adfuturos* (μὴ ἀπέρχεσθαι παρὰ γνώμην τῆς σῆς διαθέσεως)[1]).

Mors Constantis Imp.

45. Anno 350 Constans imperator Occidentis a Magnentio legionum praefecto occisus est. Tunc idem Magnentius et Vetranio magister militum imperium arripuere. At hic armis victus ad privatum otium redactus est; ille etiam profligatus magno apud Mursam praelio (sept. 351) sibi mortem conscivit; Constantius autem totam imperii summam in Occidente et in Oriente solus accepit. Funesta fuit rebus Catholicorum Constantis orthodoxi Imperatoris mors. Quum enim Constantius Arianis mitioribus et Semiarianis faveret, majori audacia hi orthodoxos Praesules insectati,

---

fuit, tantum ut substantiae in tribus personis unitatem et aequalitatem contra haereticos vindicaret, interdum locutiones duriores adhibuit. Ex his forte Photinus occasionem suorum errorum hausit. An vero postea quum Photinus errores suos jam proposuisset, etiam Marcellus iis constrictus fuerit, controvertitur.

[1]) V. Athanas. Apol. c. Arian. n. 58.

sunt, et etiam in Occidente Nicaenam fidem et *consubstantialis* professionem subvertere studuerunt. — Anno 352 die 12 Aprilis obiit S. Julius Pontifex, qui magna cum vigilantia et constantia orthodoxam fidem vindicaverat. Successit in Sedem Apostolicam brevi post *Liberius*. Novae igitur Arianorum turbae et eventus earum occasione memorandi in hujus Pontificis tempora incidunt, atque eorum expositio intimius nectitur cum inquisitione de *lapsu Liberii Pontificis*. Hujus quaestionis examen jam instituere convenit.

II.

De supposito lapsu Liberii Pontificis.

46. *Examen de Liberii lapsu* ita instituemus, ut primum eos exponamus eventus, qui suppositum Pontificis lapsum praecedunt, quorumque cognitio requiritur, ut de Liberio sententia ferri posset. — Quum Photinus damnationi in illum latae haud cederet, jam a. 349 plures episcopi occidentales Sirmii synodo habita eum iterum damnarunt, nec tamen eo pervenerunt, ut ipsum ex sua sede dejicerent. Sed postquam Constantius devicto Magnentio toto imperio potitus est, ipso auctore a. 351 iterum Sirmii, ubi Imperator residebat, amplior habita est synodus Praesulum maxima parte orientalium, qui *Semiarianismo* addicti erant. Ex Occidente tantum adfuerunt Valens Mursae et Ursacius Singoduni episcopi, qui post mortem Constantis denuo ad Arianismum declinaverant. In isto Semiarianorum concilio Photinus iterum condemnatus ac depositus, et in ejus locum *Germinius* Arianus suffectus fuit. Formulam fidei cum 25 Anathematismis etiam condiderunt; atque haec formula dici solet *Sirmiensis prima*. Hanc formulam S. Hilarius [1]) sensu orthodoxo interpretatur; eam vero perinde ac reliquas ab Arianis exaratas S. Athanasius condemnat et rejicit. Ea formula videlicet in se spectata non est

Formula Sirmiensis prima.

---

[1]) De Synodis, n. 38 et sqq.

haeretica, nec aliquid catholicae doctrinae de Verbi divinitate repugnans diserte enuntiat, atque sic sano sensu exponi potest. Attamen ambigua quaedam in ea occurrunt, Ariana haeresis non satis diserte excluditur, et verbum *consubstantialis* in ea desideratur[1]).

47. Praesules Ariani mox apud Constantium ipsis addictum, ut S. Athanasius rursus ex sede sua expelleretur, novis excogitatis in ipsum calumniis vehementer instituerunt, simulque laborarunt, ut ab omnibus episcopis ac nominatim a Rom. Pontifice damnaretur. Hunc in finem non modo Constantium impulerunt, ut persequeretur omnes qui nollent in condemnationem S. Athanasii consentire, sed litteras quoque episcopi orientales miserunt Romam ad Pontificem, ut impetrarent Athanasii damnationem. Sed eodem fere tempore octoginta alii Praesules ex Aegypto pariter ad Liberium miserunt litteras, quibus Athanasium defendebant. Liberius autem nullatenus Athanasii adversariis cessit, sed in ipsius communione perseveravit, fidemque orthodoxam intrepide defendit. Id tum ex testimonio S. Athanasii (Hist. Arian. c. 33) patet, tum ex epistola quam Liberius postea ad Constantium Imp. misit. In qua Pontifex scribit: *Qui fidem et sententiam non commodavimus nostram, quod eodem tempore octoginta episcoporum sententia repugnabat: quam similiter recitavimus atque insinuavimus episcopis Italis. Unde contra divinam legem visum est, etiam cum episcoporum numerus pro Athanasio major existeret, in parte aliqua commodare assensum*[2]).

Liberius tuetur Athanasium.

48. Pontifex, ut causam Athanasii et fidei orthodoxae defenderet, operam dedit, ut *concilium* celebraretur de hisce negotiis; illudque versus finem anni 353 convocatum est *Arelatem* in Gallia, ubi tunc Imperator degebat. Liberius eo misit legatos Vincentium et Marcellum Campaniae episcopos. At summa fuit in hoc conventu Imperatoris

---

[1]) Adfuisse in hac synodo Liberium eamque formulam signasse, opinatus est Cabassutius (Notitia hist. eccl. saec. IV. n. 21); sed patet, hanc sententiam plane erroneam esse.

[2]) Ep. ad Constant. n. 2., ap. Coustant. Epp. RR. PP.

et episcoporum Arianorum violentia et fraus, ita ut minis perterriti cum aliis illi quoque legati Athanasii damnationi subscriberent; S. Paulinus vero Trevirensis episcopus, qui Athanasii innocentiam fortiter propugnabat, in Phrygiam relegatus fuit. — Liberius audita legatorum suorum praevaricatione doluit vehementer, ut discimus ex epistolis ejus ad Hosium Cordubensem et ad Eusebium Vercellensem. Continuo vero cogitavit de altera mittenda ad Constantium legatione, ad eamque elegit viros fortissimos de quorum constantia confidere poterat, videlicet Luciferum Calaritanum in Sardinia episcopum, qui eo tempore Romam venerat, Pancratium presbyterum et Hilarium diaconum, quibus se jungere voluit Eusebius Vercellensis iteratis litteris a Liberio rogatus. Scripsit etiam ad Fortunatianum Aquilejensem episcopum, quem censebat *neque personas hominum vereri, et futura magis praemia cogitare*[1]), ut legatis suis assisteret eosque consilio suo firmaret. Sed de Fortunatiano spes eum fefellit, quia postea minis Arianorum et Constantii succubuit. Legatis suis Pontifex litteras dedit Constantio deferendas, quibus gravibus verbis Imperatorem jam ipsi, ut ex epistola colligitur, infensissimum, simul monet et pacatum reddere studet, Athanasium defendit, novumque concilium postulat.

49. *Concilium* revera iterum a. 355 Mediolani praesente Constantio habitum est, sed exitu pariter tristissimo. Concil. Mediolanense. Nulla enim in ea quoque synodo fuit episcopis libertas, tantaque Constantii tyrannis, ut in causa Athanasii *voluntatem suam pro canone habendam esse* episcopis reponeret, et qui pravis ejus in Athanasium consiliis subscribere nolebant, in exilium pellerentur. Ex his fuerunt Dionysius Mediolanensis et Pontificis legati; Fortunatianus vero ab Arianis devictus Imperatoris mandatis obsecutus est. — Constantius dein persecutionem in episcopos cum Athanasio communicantes continuavit, maxime vero Liberium cogere studuit, ut Athanasium condemnaret. Primum, Romam misso Eusebio eunucho, muneribus minisque eum flectere tentavit; deinde Mediolanum ad se

[1]) Epist. 2. ad Euseb. Vercell.

pertrahi jussit. Pontificis constantiam celebrat S. Athasius (Hist. Arian. c. 35 sqq.); sed etiam *Ammianus Marcellinus* auctor gentilis illius aetatis eam testatur, Histor. L. XV. cap. 7 scribens: *Hoc administrante Leontio* (urbis praefecto) *Liberius christianae legis antistes a Constantio ad comitatum mitti praeceptus est, tanquam Imperatoris jussis et plurimorum sui consortium* (episcoporum nempe Arianorum) *decretis obsistens . . . . . Hunc* (Athanasium) *per subscriptionem abjicere sede sacerdotali, paria sentiens caeteris, jubente principe, Liberius monitus, perseveranter renitebatur, nec visum hominem nec auditum damnare, nefas ultimum saepe exclamans, aperte scilicet recalcitrans Imperatoris arbitrio. Id enim ille Athanasio semper infestus licet sciret impletum, tamen auctoritate quoque qua potiores* (al. *potiuntur*) *aeternae urbis episcopi confirmari, desiderio nitebatur ardenti. Quo non impetrato Liberius aegre populi metu qui ejus amore flagrabat, cum magna difficultate noctis medio potuit absportari*[1]).

Liberii constantia.

50. Mediolanum ad Imperatorem deductus Liberius summa cum fortitudine Constantio restitit, uti S. Athanasius Hist. Ar. c. 36, Sozomenus L. IV. c. 11, Theodoretus L. II. cc. 15, 16 fusius referunt. Theodoretus colloquium inter Constantium et Liberium enarrat his verbis exordiens: *Jamvero celeberrimi Liberii fiduciam et admirabiles sermones, quos pro veritatis defensione habuit coram Imperatore Constantio, hoc loco libet adscribere. Descripti sunt enim a piis viris qui illo tempore vixerunt, utpote qui studiosos rerum divinarum acciere et ad aemulationem excitare possunt.* — Imperatori exilium minitanti Pontifex respondit: *Leges ecclesiasticas observare pluris faciendum censeo, quam Romae domicilium habere.* Tunc Constantius Liberium in exilium relegavit *Beroeam* quae est Thraciae civitas; proficiscenti quidem ex parte Imperatoris iterato oblata fuit pecunia

[1]) Tillemont. Mém. tom. 6 *de Arianis* art. 58 observat, Leontium Urbis praefectum non esse factum, nisi post VI Julii, ut colligitur ex lege ad Orfitum Urbis praefectum eo die data, apud Gothofredum in chronologia codici Theodosiano praemissa. Itaque quum Leontius esset Urbis praefectus quando Roma avulsus est Liberius, hoc certo factum est post VI Julii, et forte sub finem anni 355. — Stilting, Diss. de Liberio n. 83.

in subsidium, sed Pontifex eam accipere recusavit. Initium exilii Liberii incidit in alteram partem, vel in finem anni 355. Illud autem (quod notandum est) ex dictis habemus ut certissime demonstratum, usque ad haec tempora Pontificem semper cum vigore Athanasii sustinuisse causam, et communionem cum Arianis rejecisse.

51. Constantius porro perstitit in sua persecutione contra Athanasium aliosque Praesules, qui ejus communionem tenebant. Athanasius ipse a. 356 jubente Imperatore a militari cohorte in ecclesia impetitus, sed a fidelibus militum manibus ereptus, ad monachos in Aegypti eremis degentes confugit, inter quos usque ad Constantii mortem delituit. Ibi duas sui Apologias edidit, quarum una *Ad Constantium,* altera *De fuga* inscripta est. Post ejus discessum Georgius Cappadox, vir Arianus et flagitiosus, Alexandrinis patriarcha datus est, qui tyranni magis quam episcopi munus gessit. Eo agente episcopi orthodoxi per totam Aegyptum depositi, et in eorum sedes Ariani intrusi sunt. Cum horum communionem vitarent catholici, multi laici utriusque sexus, necnon presbyteri et diaconi vexati, cruciati, necati sunt[1]). Persecutio.

52. Varios etiam episcopos occidentales Constantius in exilium ejecit, inter quos Hilarium Pictaviensem et Rhodanum Tolosanum. Sed maxime nisus est flectere *Hosium Cordubensem Praesulem,* ea aetate centenarium et auctoritate praevalentem. Imperator eum primum ad se accersivit, *quo tempore Liberium pertentare incipiebat*[2]), atque ab eo petiit, ut contra Athanasium subscriberet et cum Arianis communicaret. Senem nullatenus cedentem re infecta dimittere coactus est. Iterum litteris scriptis eum precibus ac minis impugnavit; sed Hosius epistolam ad Imperatorem dedit, qua impiam in catholicos persecutionem ei exprobat, et magno cum vigore eum monet, ut desistat a suo agendi modo. In hac epistola habentur notissima illa verba: *Ne te rebus misceas*

[1]) Cfr. Wouters H. E. t I. p. 213.
[2]) S Athanas. Hist. Arian. c. 43.

ecclesiasticis, nec nobis his de rebus praecepta mandes; sed a nobis potius haec ediscas. Tibi Deus imperium tradidit, nobis ecclesiastica concredidit. Ac *quemadmodum qui tibi imperium subripit, Deo ordinanti repugnat, ita metue ne, si ad te ecclesiastica pertrahas, magni criminis reus fias. Reddite, scriptum est, quae sunt Caesaris Caesari, et quae sunt Dei Deo.*[1])

Hosius Sirmium accitus.

53. His litteris acceptis, Constantius jussit Hosium venire Sirmium (a. 356), ubi multis aerumnis ab Arianis et ab Imperatore affectus, postremo Arianis cessisse fertur. Quousque autem Hosius defecerit, non certo constat. In *hist. Arianismi* S. Athanasii c. 45 haec habentur: *Haec cum audisset impietatis patronus haeresisque imperator Constantius, maximeque cum comperisset, alios esse in Hispanis qui ejusdem atque Hosius sententiae essent, tentatos illos ut subscriberent, cum non valuisset eo vi adducere, arcessit Hosium: quem exilii vice anno integro Sirmii detinet, nec Deum metuens impius homo, neque patris erga Hosium affectum reveritus improbus ille, neque senectutem (centenarius quippe erat) veneratus, vir inhumanus. Haec namque omnia haereseos gratia nihil fecit novus ille Achab aliusque nostri aevi Balthasar. Tantam enim seni vim intulit, tamdiuque illum detinuit, ut malis oppressus vix tandem cum Valente et Ursacio communicaret, neque tamen subscriberet contra Athanasium. Sed eam rem minime neglexit senex; instante quippe morte vim sibi illatam quasi testamento declaravit, Arianamque haeresim feriit anathemate, vetuitque ne quis illam reciperet.* — Similiter in Apologia *De fuga* sua post laudes Hosii, quod rescriptis Arianorum adversus Athanasium haud subscripserit, additur: *Quamvis enim tandem ob vim plagarum quibus eum immanissime et ultra modum lancinarunt, et ob conspirationes adversus cognatos ejus conflatas, utpote senex ac corpore imbecillus, ad quoddam temporis spatium* (πρὸς ὥραν) *illis cesserit, attamen illorum malitia ex iis quoque eorum gestis innotescit; nam id omnino curant, ut se non veros esse Christianos comprobent.* Similiter *Apologia contra Arianos* c. 89 dicitur: *Licet ille* (Hosius) *ad*

[1]) Ibid. c. 44.

breve tempus Constantii minis perterritus iis non obsistere videretur. — Ex his igitur tantum colligitur, Hosium ob violentiam illatam cessisse, quatenus Ursacio et Valenti communicaverit, non vero subscripsisse damnationi Athanasii; neque formulam Arianam ab Hosio subscriptam commemorat S. Athanasius[1]).

54. Id tamen ab aliis auctoribus ei tribuitur. — Mediante videlicet anno 357 Sirmii convenerunt plures episcopi Ariani, atque ibidem condiderunt fidei symbolum, quod *Secunda Formula Sirmiensis* dici solet. Synodum magnam fuisse plerumque quidem auctores (uti Hefele B. I. §. 78) **Formula Sirmiensis secunda.** supponunt; sed ex antiquis id non colligitur; etenim Sozomenus (IV. 6) et Socrates (II. 29—31) hanc synodum cum primo concilio Sirmii contra Photinum habito plane confundunt, et uni synodo varias fidei formulas adscribunt. Unde cum in hac secunda synodo nulla vestigia aliorum episcoporum inveniantur, haud immerito P. Gams probare conatus est, in hoc conciliabulo tantum partes habuisse Valentem, Ursacium, Germinium et Potamium, qui episcopus Ulyssiponensis erat et comes Hosio junctus, ut ipsum ad communionem cum Arianis pertraheret[2]). Haec formula apud S. Hilarium, *De Synodis* (n. 11), habetur cum inscriptione: *Exemplum blasphemiae apud Sirmium per Hosium et Potamium conscriptae.* Attamen an haec inscriptio S. Hilarii sit, dubium est[3]). Formula porro incipit: *Cum nonnulla putaretur esse de fide disceptatio, diligenter omnia apud Sirmium tractata sunt et discussa, praesentibus sanctissimis fratribus et coëpiscopis nostris Valente, Ursacio et*

---

[1]) Advertendum est, Apologias citatas ab Athanasio confectas esse ante medium annum 357. Nam commemoratur in iis ut vivens Leontius castratus episcopus Antiochenus, qui primis mensibus illius anni mortuus est. Hinc saltem quae mortem Hosii spectant, imo probabilissime etiam ea quae ad lapsum ejus pertinent, postea adjecta sunt. Controverti potest, utrum id ab Athanasio, an vero ab alio factum sit. Sed hac de re inferius plura.

[2]) Kirch. Gesch. v. Spanien, Buch VI. Cap. VII. §. 4.

[3]) Athanasius De Synodis n. 27 hoc Symbolum refert sine ulla inscriptione. Nec ulterius addit, quando haec formula Sirmii facta sit. Quoad primam formulam Sirmiensem ait: *Iterum Sirmii adversus*

Germinio[1]). Sequitur professio de Deo ejusque Filio Jesu Christo; dein vero haeretica fraude: *Quod vero quosdam aut multos movebat de substantia quae graece οὐσία appellatur, id est (ut expressius intelligatur) ὁμοούσιον, aut quod dicitur ὁμοιούσιον, nullam omnino fieri oportere mentionem, nec quemquam praedicare, ea de causa et ratione, quod nec in divinis Scripturis contineatur, et quod super hominis scientiam sit, nec quisquam possit nativitatem Filii enarrare, de quo scriptum est: Generationem ejus quis enarrabit. . . Nulla ambiguitas est, majorem esse Patrem. Nulli potest dubium esse, Patrem honore, dignitate, claritate, majestate, et ipso nomine Patris majorem esse Filio, ipso testante: Qui me misit major est.*

Auctores. 55. Valde probabile nobis videtur, formulam a Valente et Ursacio ac Potamio, forte cum paucis quibusdam aliis concinnatam, Potamio dein ut auctori inscriptam, ab eoque adoptatam et propagatam fuisse. Si Hosius in concinnanda formula partem habuisset, non intelligeretur, quomodo ipse tantae auctoritatis vir haud nominetur. S. Hilarius quidem etiam *De Synodis* n. 3. loquitur de iis, *qui tunc apud Sirmium in sententiam Potamii et Hosii ita et ipsi sentientes confirmantesque concesserant*[2]), sed ipse a. 357 exul in Asia degebat, ac forte

---

Photinum coacti aliam fidei formulam addiderunt. Qua formula citata scribit: *His omnibus rejectis, quasi praestantiora excogitassent, fidei doctrinam formulamque statuunt, et haec Sirmii latine scribunt, quae graece translata sunt.* Dein refert secundam formulam Sirmiensem; quo facto prosequitur loquens de formula tertia: *Haec cum scripsissent, consilio iterum mutato eam edidere formulam, quam se cum consulatu edidisse postea erubuere.* Fere dixeris, tres formulas etiam ab Athanasio uni synodo Sirmiensi adscribi; saltem non diserte distinguit secundam tertiamve synodum. Ex quo probabile colligitur argumentum, secundam formulam haud in magno aliquo concilio Sirmii habito conditam fuisse.

[1]) Ap. Athan. l. c. additur *et ceteris.*

[2]) Etiam *De Synodis* n. 63 scribit: „Apud Sirmium per immemorem gestorum suorum dictorumque Hosium novae et tamen suppuratae jam diu impietatis doctrina proruperat. Sed de eo nil loquor qui idcirco est reservatus, ne judicio humano ignoraretur, qualis ante vixisset.“

quando ibidem a. 358 librum *De Synodis* scripsit, haud ex accurate instituto examine res nosse potuit. S. Phoebadius episcopus Aginnensis, oppugnans illam formulam secundam Sirmiensem librum contra Arianos scripsit, vel jam anno 357 exeunte vel a. 358 (ante Hilarium); et inter auctores formulae non recenset Hosium, sed Potamio jungit Valentem et Ursacium (nn. III. V). In fine libri autem scribit: *Sed non sum nescius, . . . antiquissimi sacerdotis et promptae semper fidei Hosii nomen quasi quemdam in nos arietem temperari, quo contradictionis temeritas propulsetur* (n. XXIII). Factum ipsum, an Hosius illa teneat, non discutit, sed ex suppositione respondet: *Non potest ejus auctoritate praescribi, quia aut nunc errat aut semper erravit. . . Quid si diversa nunc sentit, et quaecumque ab eo retro damnata fuerant defenduntur, quae defensa damnantur? Rursum dico, non mihi ejus auctoritate praescribitur.* — Socrates et Sozomenus ll. cc., ubi secundum illud conciliabulum Sirmiense confundunt cum synodo a. 351 contra Photinum habito, Hosium tradunt violentia coactum consensisse et *subscripsisse.* Sed neque hoc omnibus perpensis certum esse censemus, eo vel magis quod nulla synodus amplior Sirmii, quum formula secunda ederetur, habita videatur. Formulam secundam igitur in conciliabulo quatuor, vel saltem paucorum episcoporum, concinnatam existimamus, et dein in regiones alias transmissam. Hosii autem infirmitas, si quae dici potest, probabiliter ea fuit, ut communicaret tandem cum Valente, Ursacio aliisque Arianis, nec diserte protestaretur contra impiam formulam. Unde illi de ejus consensu gloriati sunt, quumque Potamius comes Hosii formulam adoptaret ut auctor et spargeret, facillime Hosio quoque attribui potuit.[1]).

---

[1]) Sulpitius Severus de Hosii lapsu cum quadam dubitatione loquitur. *Hosium quoque ab Hispania,* scribit, *in eamdem perfidiam concessisse opinio fuit; quod eo mirum atque incredibile videtur, quia omni fere aetatis suae tempore constantissimus nostrarum partium et Nicaena Synodus auctore illo confecta habebatur, nisi fatiscente aevo, etenim major centenario fuit, ut sanctus Hilarius in epistolis suis refert, deliraverit.* H. s. L. II. c. 40.

Hosii mors

Existimat P. Gams, Hosium brevi post, scilicet 27 Aug. a. 357, Sirmii in exilio mortuum esse, idque ex Menaeis Graecorum, ex S. Athanasio, alliisque argumentis confirmare nititur. Varii auctores censent, eum ex exilio in Hispaniam rediisse, atque ibidem post unum alterumve annum obiisse. Certe S. Phoebadius loqui videtur de Hosio ut vivo; imo etiam S. Hilarius, De Synodis n. 87 scribens: *Sed forte dicetur mihi: Aliqui hodie ex his qui tum synodo* (Nicaenae) *interfuerunt, tacendum de homousio decreverunt. Et ego, invitus licet, respondebo dicenti: Numquid non et ipsi tacendum de homoeusio constituunt? Oro vos, ne quisquam alius ex his praeter Hosium, et ipsum illum nimium sui sepulcri amantem, reperiatur, qui tacendum esse existimet de utroque.* — Sed de Hosio haec pro scopo nostro sufficiant.

56. Formulae secundae Sirmiensi laetantes consenserunt Ariani rigidiores. Synodus habita est, uti videtur ineunte anno 358, Antiochiae praeside *Eudoxio* episcopo Antiocheno, cui adfuerunt inter alios Acacius Caesariensis et Uranius Tyriensis episcopi, in eaque formula approbata fuit litteraeque datae ad Valentem, Ursacium et Germinium, quibus gratulabantur iisdem, quod Occidentales ad fidem genuinam reduxerint. Eudoxius vero dein Anomoeorum haeresim violenter Antiochiae introducere nisus est. Sed tum in Occidente impia formula rejecta est, tum Praesules

Synodus Ancyrana.

plurimi Semiariani in Oriente magno cum vigore iis quae Sirmii acta erant sese opposuerunt. Semiariani videlicet, hortante praesertim Georgio Laodiceno episcopo, ante Pascha a. 358 concilium celebrarunt *Ancyrae,* praeside *Basilio Ancyrano,* in eoque formulam illam secundam proscripserunt, et Filium Patri similem esse professi sunt. Epistolam ediderunt synodicam et 18 anathematismos, qui maxima parte plane orthodoxi erant. Attamen 18^{0} rejiciebatur vox *homousios* his verbis: *Si quis Patrem potestate simul et substantia Filii Patrem asserens, consubstantialem vel ejusdem cum Patre substantiae Filium esse dicat, anathema sit*[1]).

---

[1]) S. Hilarius, De Synodis n. 81 accurate describit, quare Semia-

57. Dein Basilius Ancyrae, Eusthatius Sebastae, et Eleusius Cyzici episcopi, ut legati synodi Ancyranae Sirmium profecti sunt, moxque effecerunt, ut Constantius Anomoeos rejiciens in Semiarianos favorem verteret. — Ex anathematismis Ancyrae confectis porro duodecim episcopis Valenti, Ursacio eorumque asseclis subscribendos detulerunt, scilicet eos, quibus Anomoeorum doctrinam damnabant. Comperimus ex Hilario, propositos anathematismos orthodoxos fuisse, eosque S. Doctor suo libello de Synodis inseruit; inter eos autem 18[us] non habetur. Ac generatim doctrinam quae a Basilio reliquisque legatis Sirmii proposita erat, collaudat S. Doctor, qui simul insinuat, non ignota sibi esse gesta Ancyrana, eaque non aeque fuisse irreprehensibilia, quam quae Sirmii facta erant per legatos concilii. Legatos alloquens n. 90 Hilarius de his ita scribit: *Vereor enim, fratres, Orientis haereses in tempora singula pullulantes, et quid vereri me dicam? jam et legi. Nihil enim in his quae vos de Orientalium quorumdam assensu, susceptae legationis ministri subscribenda Sirmium detulistis, nihil suspicionis relictum est. Sed habuerunt ab exordio nonnihilum offensionis, quae credo*

Legati Synodi.

---

riani verbum homousion admittere nollent. „De homoeusio, inquit, quod est similis essentiae, commune judicium est. De homousio vero, quod est unius essentiae, tractantes, primo idcirco respuendum pronuntiastis, quia per verbi hujus enuntiationem substantia prior intelligeretur quam duo inter se partiti essent. Et profanus hic sensus est, et communi judicio ab Ecclesia respuendus. Secundo quoque id addidistis, quod Patres nostri, quum Paulus Samosatenus haereticus pronuntiatus est, etiam homousion repudiaverint: quia per hanc unius essentiae nuncupationem solitarium atque unicum esse sibi Patrem et Filium praedicabat. Et hoc sane nunc quoque profanissimum Ecclesia recognoscit, Patrem et Filium in his nominum professionibus ad unionis ac singularis solitudinem, negata personarum proprietate, revocare. Tertio etiam haec causa reprobandi homousii commemorata a vobis est: quia in Synodo quae apud Nicaeam fuit, coacti Patres nostri propter eos qui creaturam Filium dicebant, nomen homousii indidissent, quod non recipiendum idcirco sit, quia nusquam scriptum reperiretur. Quod a vobis dictum satis miror. Si enim homousion propter novitatem verbi repudiandum sit, vereor ne et homoeusion periclitetur, quia nusquam scriptum reperiatur.“

vos, sanctissimi viri Basili, Eusthati et Eleusi, ne quid scandali afferretur, abolenda tacuisse. Quae si recte scripta sunt, taceri non debuerunt. Si autem quia non recte scripta sunt nunc tacentur, cavendum est, ne aliquando dicantur. Parcens enim de his adhuc nihil dico: tamen mecum recognoscitis, quod non ita omnis conscripta apud Ancyram fides se habebat. Non famae fabulam loquor, litterarum fidem teneo, non a laicis sumptam, sed ab episcopis datam. — Itaque clarum est, S. Hilarium distinxisse inter decreta Ancyrana, quae non omnia probat, et istorum partem Sirmii receptam, sive duodecim anathematismos, in quibus *nihil suspicionis relictum est.*

Sozomeni narratio.

58. Hoc loco, ut accuratius dein singula perpendere possimus, interserimus ea quae Sozomenus de Liberii lapsu narrat, quum recentiores auctores, uti Hefele, iis maxime insistant. Sozomenum tamen errare, videbimus. Sozomenus igitur H. E. L. IV. c. 13 enarrat: *Quomodo Eudoxio res novas agitante Georgius Laodicenus litteras miserit, ut eum reprimeret, et de missis ab Ancyrano concilio legatis ad Constantium.* Dein c. 14 refertur: *Constantii Imperatoris epistola, qua Eudoxius et qui cum eo erant jubentur expelli.* Haec vero, errore quoad tempus et quoad locum commisso, Sozomenus supponit non Sirmii, sed Romae (uti videtur) accidisse. Pergit vero c. 15: *Haud multo post Imperator ab urbe Roma Sirmium reversus, cum Occidentales episcopi legationem ad eum misissent, Liberium Beroea ad se accersit. Cumque adessent legati episcoporum Orientis, convocatis sacerdotibus qui in comitatu erant, Liberium coepit compellere, ut Filium Patri non esse consubstantialem profiteretur. Instabant autem, et Imperatorem ad hoc impellebant Basilius, Eustathius et Eleusius, qui praecipua apud ipsum auctoritate pollebant*[1]*). Qui cum ea quae contra Paulum Samosatensem et contra Photinum episcopum Sirmii decreta fuerant, ac praeterea fidei formulam in dedicatione Antiochensi editam in unum tunc libellum conjecissent, per-*

---

[1]) Facile vides, hoc nullatenus componi cum eorum agendi ratione, uti ex S. Hilario colligitur.

inde quasi quidam sub obtentu vocabuli consubstantialis propriam haeresim stabilire conarentur, effecerunt, ut Liberius, Athanasius, Severianus et Crescens Africae episcopi, ei formulae consentirent. Consenserunt pariter Ursacius, et Germinius episcopus Sirmii, et Valens Mursae, et quotquot ex Orientis partibus aderant episcopi. Sed et confessionem a Liberio vicissim susceperunt, quae eos, qui Filium secundum substantium et per omnia Patri similem non esse assererent, alienos ab Ecclesia pronuntiabat. Nam cum Eudoxius et qui cum illo opinioni Aëtii favebant, Antiochiae Hosii epistolam accepissent, (scil. formulam Sirmiensem 2^am^), *sparsis rumoribus divulgaverant, Liberium quoque consubstantialis vocabulum condemnasse, et Filium Patri dissimilem profiteri. His per Occidentalium legatos confectis, Imperator Romam redeundi potestatem Liberio concessit. Scripserunt etiam episcopi, qui Sirmium convenerant, ad Felicem qui tum Romanae Ecclesiae praesidebat, et ad clerum ejusdem civitatis, ut Liberium susciperent, utque ambo apostolicam Sedem gubernarent et simul sacerdotio fungerentur absque ulla dissensione, et quidquid molestiae acciderat propter Felicis ordinationem atque absentiam Liberii, oblivioni traderent. Nam Liberium, utpote virum undequaque egregium et qui pro religione Imperatori fortiter restitisset, populus Romanus impense diligebat, adeo ut ejus causa gravissimam seditionem excitaverit et ad caedes usque proruperit. Post haec vero cum Felix modico tempore supervixisset, Liberius solus Ecclesiam administravit. Quod quidem divina providentia ita dispensavit, ne sedes Petri dehonestaretur a duobus praesulibus simul gubernata, quod discordiae signum et ab ecclesiasticis legibus alienum est.*

59. Hanc narrationem Sozomeni auctores quidam, uti Valesius (in notis ad Sozomenum) et Hefele (C. G. B. I. §. 81), sequuntur, atque libellum illum variorum decretorum et definitionum de fide, quem collectum esse Sozomenus asserit, nomine tertiae formulae Sirmiensis designant, eique a Liberio subscriptum esse censent. Plerumque tamen et communi sententia nomine tertiae formulae Sirmiensis aliud symbolum designatur, uti jam videbimus, neque

Libellus Sirmii confectus.

illam Sozomeni enarrationem ut veritati consonam admitti posse ostendemus. Sed antea oportet paucis quosdam adhuc commemorare eventus.

60. Constantius Imperator a. 358 quum Sirmii esset, generale concilium convocare statuit, ut *cunctis Orientis episcopis ad Occidentis partes accersitis, universos, si fieri posset, ad unius fidei concordiam adduceret*[1]). Suadente Basilio Ancyrano urbs Nicomedia designata est ut sedes esset concilii; sed terrae motu atque incendio eadem civitas die 24 Augusti a. 358 penitus fuit destructa. Imperator dein influxu Anomoeorum, uti videtur permotus est, ut duo separata concilia, alterum Orientalium *Seleuciae* alterum Occidentalium *Arimini* congregaret. Arimini mense Maio a. 359 ultra quadringenti episcopi occidentales convenerunt. Interea vero aliqui episcopi, qui in comitatu Imperatoris Sirmii erant, consilium inierunt, ut formulam componerent fidei, quam paratam utrique concilio deferrent admittendam, idque Constantius comprobavit. Profectum est illud consilium ab episcopis qui partibus Anomoeorum addicti erant, idque intendebant, ut symbolum conderetur ambiguum, quod ab Anomoeis simul et Semiarianis recipi posset; Semiarianos vero Praesules Sirmii praesentes aliis praetextibus circumvenerunt, ut ipsi in symboli exarationem consentirent. Marco Arethusae episcopo commissum fuit, ut formulam concinnaret, eaque post multas discussiones nocte praecedente festum Pentecostes (22. Maii) a. 359 confecta fuit. Haec est ea quae dici solet *tertia formula Sirmiensis;* aliquot tamen auctores, uti Valesius et Hefele, pro sua quam indicavimus opinione eam *quartam formulam* dicendam esse arbitrantur.

Formula Sirmiensis tertia.

61. Haec formula inscripta erat: *Edita est catholica fides praesente domino nostro piissimo et victoriis eximio imperatore Constantio Augusto, aeterno, venerando, sub consulatu Flaviorum Eusebii et Hypatii clarissimorum, Sirmii undecimas calendas Junias.* — Dein professio sequebatur fidei; inter alia: *In unum unigenitum Filium Dei ante om-*

---

[1]) Socrates, H. E. II. 37.

nia saecula, . . . impassibiliter ex Deo genitum, . . . similem Patri suo qui ipsum genuit secundum Scripturas. . . . Nomen autem substantiae (οὐσίας), quod simplicius a Patribus positum a populisque minime intellectum offensionis causa sit, quod etiam in Scripturis non contineatur, de medio tolli, et nullam omnino substantiae mentionem in Deo deinceps faciendam esse placuit, quod divinae Scripturae nusquam de Patris et Filii substantia meminerint. Patri autem Filium secundum omnia similem dicimus, quemadmodum Scripturae dicunt et docent. Vides, hoc symbolum nihil quidem continere in sua professione, quod fidei orthodoxae oppositum sit, imo obvio sensu orthodoxum videri. Attamen ejusmodi est, ut Ariani ambiguis ejus verbis suos errores tegere possent; atque declaratio illa qua verbum substantiae eliminabatur, haereticorum consiliis summopere favebat.

62. Hanc igitur formulam Arimini Valens et Ursacius Patribus proposuerunt. Ita Sozomenus, cui consonat Athanasius[1]): *Cum autem quaeri coeptum esset de fide, prodeuntes in medium Valens et Ursacius, adjuvantibus eos Germinio, Auxentio, Gaio et Demophilo, postularunt, ut reliquae omnes fidei formulae, quae antea scriptae essent, abrogarentur; ea vero sola rata esset quam ipsi non ita dudum Sirmii Latino sermone conscripserant, quae similem quidem Patri Filium esse juxta Scripturas docebat, substantiae vero in Deo nullam omnino mentionem esse faciendam. Aiebant porro ipsum quoque Imperatorem eam formulam approbasse, eamque a concilio etiam necessario suscipi oportere, nec in posterum curiosius scrutandum esse, quid quisque sentiret, ne vocabulis in disputationem et accuratum examen revocatis dissidia ac scissiones nascerentur*[2]). Sed Patres Ariminenses cum indignatione recusarunt postulationi illorum acquiescere. *Et cum exploratum illis esset,* scribit S. Athanasius, *ignaros, vafros, vel potius haereticos esse homines, omnes Nicaenam Synodum suis suffragiis approbarunt, sufficereque illam omnibus visum est; praedictos autem, Ursa-* Rejicitur.

[1]) De Synodis n. 8. [2]) Sozom. L. IV. c. 18.

cium scilicet, Valentem, Germinium, Auxentium, Gaium et Demophilem haereticos declararunt et deposuerunt[1]).

63. De eadem hac formula adhuc Athanasius de Synodis n. 29: *Consilio iterum mutato eam edidere fidei formulam, quam se cum consulatu edidisse postea erubuere. De more autem quasi hanc item improbarent, curarunt ut per Martinianum notarium exempla ab iis qui haberent auferrentur. Et cum Constantio Imperatori auctores fuissent, ut adversus eam edictum promulgaret, aliam rursus tradidere.* — Ejusmodi prohibitionis edictum aliqui referunt ad secundam formulam Sirmiensem, nitentes Socr. H. E. II. 30 et Sozom. H. E. IV. 6—16[2]). Sed merito supponendum est, S. Athanasium, coaevum et eventuum maxime gnarum, hoc loco non errasse. Colligimus tum ex S. Athanasio[3]), tum ex Socrate[4]), inscriptionem illam, qua Imperator vocabatur aeternus, et dies confecti symboli designabatur, ut valde ineptam risui habitam esse. Id potuit movere Constantium, ut hanc formulam supprimere vellet, quamvis paulo post dempta inscriptione similem Patribus proponeret. Sed de exitu concilii Ariminensis inferius tractabimus; modo quum ea exposita sint quae ad formulas Sirmienses spectant, jam accuratius quaestionem de lapsu Liberii examinare licet.

Sententiae de lapsu Liberii.

64. De *Liberii lapsu* admodum variae sunt auctorum sententiae. Blondellus, *De primatu Papae,* Basnagius, *De eversa Ecclesiae universitate, visibilitate et auctoritate,* aliique Ecclesiae hostes contendunt, Liberium a Constantio Imperatore fuisse restitutum, quod exilii taedio victus subscripsisset formulae fidei Sirmiensi secundae, quae Arianam haeresim manifeste tradebat. — Bossuetus[5]) et Card. de la Luzerne[6]) asserunt, Liberium subscripsisse formulae Sirmiensi primae, et eo ipso incidisse in haeresim Arianam.

---

[1]) De Synodis n. 9.

[2]) Cf. e. g. Dumont, S. Libère, p. 139, Revue des QQ. histor. 1866, vol. I.

[3]) De Synod. n. 3.

[4]) H. E., L. II. c. 37.

[5]) Défense etc. P. II. L. XIV.

[6]) Sur la Déclaration du Clergé de France.

Natalis Alexander[1]) pariter censet, Pontificem formulae primae subscripsisse, eum tamen ea subscriptione non incidisse in haeresim; eademque est opinio Baronii[2]). Tillemontius[3]) dubius haeret, cui formulae subscripserit Liberius; opinatur tamen etiam ipse, eum subscripsisse formulae primae. Pagius[4]) et Valesius[5]) existimant, Liberium subscripsisse formulae Sirmiensi tertiae quae communiter dicitur. Hefele[6]) statuit, Pontificem subscripsisse libello illi qui ex Sozomeno a. 358 a Semiarianis Sirmii collectus est, et definitiones contra Paulum Samosatenum et Photinum ac professiones concilii Antiocheni in encaeniis continebat; (hunc libellum formulam tertiam Sirmiensem ipse appellat.) In hanc sententiam jam Bellarminus propendit (De Rom. Pont. IV. 9). Döllinger contendit, Liberium subscripsisse imprimis formulae primae Sirmiensi; praeterea vero ipsum subscripsisse libello isti commemorato. Simul advertit, quum in illo libello etiam contineretur decretum Antiochenum contra Paulum Samosatenum, quo consubstantialis vox rejiciebatur, eo ipso Liberium a definitionibus Nicaenis recedentem hoc verbum proscripsisse, eumque exinde cum rigidis quoque Arianis communionem tenuisse.[7]). — Etiam cl. Möhler existimavit, Liberium secundae formulae Sirmiensi subscripsisse, praeposterumque habet zelum eorum qui lapsum Liberii denegare conati sunt[8]). Corgneus vero,

---

[1]) Saec. IV. Dissert. XXXII. [2]) Annales ad a. 357 n. 38.

[3]) Mémoires etc. t. VI. *Ariens* 55.

[4]) Critica in Baron. ad a. 357. [5]) Nota in Sozom. IV. 15.

[6]) Conc. Gesch., B. I. §. 81.

[7]) Pabstfabeln, Liberius und Felix, S. 107.

[8]) *S. Athanase* L. V. p. 192 sqq.; *Histoire de l' Eglise*. t. I. Deuxième Période §. 5. Quum Möhler ultimo loco paucis congerat argumenta historica quibus ejus sententia nititur, ac rationes cur catholico viro haud dignum sit negare Liberii lapsum, ejus verba afferimus, quo melius dein accuratum rei examen instituamus. Scribit: „Quant au sécond formulaire, il était l'expression complète de la doctrine arienne, car il disait que le Père l'emportait sur le Fils en honneur, en dignité et en majesté. Cette formule fournit aux Ariens l'occasion de se scinder eux mêmes. Mais avant cette scission l'Eglise catholique ressentit une douleur bien autrement amère, par la chute d' Osius évêque de Cordoue et celle du pape Libère. Hosius pressé de souscrire cette formule, ré-

Orsi (Stor. eccles.), Stilting, Ballerini, Zaccaria, Palma, Dumont, Reinerding, Schneemann, Wouters, ll. cc. aliique Liberium papam vindicant ab omni labe, formulaeque alicui ipsum subscripsisse negant. Multi auctores rem in dubio relinquunt.

Examen facti. 65. Modo jam ea argumenta afferemus, quibus movemur ut existimemus, Liberium nullatenus lapsum esse; argumenta opposita simul perpendemus, et quantum fieri potest exponemus, quid de modo agendi hujus Pontificis videatur censendum. — Itaque imprimis advertendum est, apud antiquos ita praedicari egregiam virtutem et sanctitatem Liberii, ut nullatenus aliquem ejus lapsum admisisse videantur. S. Ambrosius (n. a. 335—340), qui adolescens et juvenis Romae studiis operam dederat (saltem ab a. 353), Pontificatum administrante Liberio, sane mores ipsius et famam optime noverat. Is vero *De Virginibus L. III. c. 1*[1]) S. Marcellinae sorori suae, quae virginitatis velum a S. Liberio acceperat, recitat orationem ab eodem tunc

---

sista longtemps et ne s'y résolut que sous l'inspiration de la crainte. Libère en fit autant afin de pouvoir retourner à Rome. De nos jours on a vainement essayé de nier ce fait. S. Athanase, et S. Hilaire dans son ouvrage historique, l'affirment expressément; ce dernier en donne même les motifs. Il en était si profundément affligé qu'il s' écriait souvent: Malheur à toi, criminel Libère! Ces passages n'ont pas été insérés dans ces deux derniers ouvrages S. Jérôme dans sa *Chronique* et dans son *De viris illustribus* c. 97, dit que Libère avait été ébranlé par Fortunatien évêque d' Aquilée. Rufin, il est vrai, n' en fait pas mention, mais il ne raconte pas la vingtième partie de l' histoire de l' Arianisme. Le Romains, si nous en croyons Sozomène, avaient intercédé pour Libère auprès de Constance pour qu'il le rendit à la liberté, mais Constance y avait mis pour condition qu'il donnerait sa signature: ce qui a fait dire à Boronius que la flatterie d' une part, et de l' autre la jalousie envers le pape Félix avaient amené Libère à s uscrire. Y a-t-il pour nous un spectacle plus douloureux que de voir tomber un pareil homme? Des fils couvrent volontiers la nudité de leur père; ma s comment nier cette nudité même? Malheur à qui pourrait se réjouir de la chute de ce pape. Quant à la rayer de l' histoire, nous ne le pouvons, ni le devons. Nous ressemblerions aux protestants qui, en recourant sans cesse à de tels moyens, ont enlevé à l' histoire tout caractère de crédibilité."

[1]) Opus scriptum est versus annum 377.

habitam, eique praemittit haec verba: *Tempus est, soror sancta, ea quae mecum conferre soles beatae memoriae Liberii praecepta revolvere, ut quo vir sanctior, eo sermo accedat gratior.* Et cap. 4 post recitatam orationem subjungit: *Haec tecum sanctae memoriae Liberius.* Ita loquebatur S. Ambrosius, quando recens erat apud Romanos memoria S. Liberii, ad sororem Mercellinam Romae habitantem. Cum autem haec Liberium toto pontificatus tempore novisse, ac Romae tam ante quam post exilium frequenter videre debuerit, non poterat (quantum videtur) ita sanctam sororem alloqui Ambrosius, nisi novisset, magnam quoque fuisse ipsius existimationem de sanctitate morum viventis et de felici vitae exitu.

Liberii memoria.

66. Pariter tum apud Occidentales tum apud Orientales vetustissimis Fastis adscripta est sancti Liberii memoria, nullibi occurrit mentio lapsus, sed ejus fidei egregia virtus celebratur. Sic v. g. in Menologio Basiliano: *B. Liberius veritatis propugnator Constantio imperante erat Romanus episcopus . . . Postquam multum redarguit atque increpavit haereticorum impietatem, in Beroeam Thraciae civitatem est relegatus. At cum Romani fide et dilectione erga illum essent devincti, accesserunt ad Imperatorem exposcentes eum; ac propterea Romam iterum missus cum suum gregem recte gubernasset, decessit.* SS. Epiphanius, Basilius, Siricius, magno cum honore ut *beatissimi episcopi* mentionem faciunt Liberii, nec ejus lapsum commemorant; Theodoretus ipsum laudibus cumulat. Et quamvis in Martyrologio Romano Liberius inter Sanctos non recenseatur, in pluribus tamen aliis antiquis Martyrologiis, uti in Fastis Hieronymianis, in Martyrologio Augustano, Turonensi, Gellonensi ejus nomen ad diem 23 Septembris invenitur. Haec validum creant praejudicium contra suppositum Pontificis lapsum.[1])

[1]) Vide haec ap. Stilting l. c. §. 1. — Etiam Graeci memoriam S. Liberii una cum memoria S. Hosii celebrant ad diem 27 Augusti, quo die Hosius perhibetur defunctus. Minus severi quidem Graeci

Argumentationis indoles.

67. Quod vero ad argumentationis directae attinet indolem, ut eadem perspiciatur haec advertenda occurrunt. Varii auctores suppares Liberii narrant reditum, ejusque motiva positive indicant ita, ut nullatenus reditum subscriptioni formulae suspectae vel erroneae tribuant, nec ullam hujus subscriptionis mentionem faciant. Quod vero ad eos scriptores coaevos vel suppares attinet qui lapsum esse Liberium asserunt, certissimum est, praecipua documenta esse supposititia et conficta. Ad alia documenta quod spectat, gravia sunt motiva, ut habeantur in his ea quae Liberii lapsum referunt vel interpolata, vel erronea, minusve accurata. Eo igitur dirigenda est intentio nostra, ut apprime singula perpendamus, eamque derivemus ex iis conclusionem, quae in eventibus historicis usu venit. Illud quoque operae pretium est notare, eos qui Liberium lapsum esse opinantur, uti vidimus maxime inter se dissentire, qua ratione Pontifex officio suo defuerit.

Causae reditus Liberii.

68. Plerique igitur auctores suppares adscribunt reditum Liberii in urbem Romam unice petitionibus, clamoribus, seditionibus populi Romani, quibus permotus Constantius Pontificem sedi suae restituerit. — Socrates ea de re: *Caeterum,* scribit, *Liberius haud multo post ab exilio revocatus, sedem suam recepit, cum populus Romanus seditione facta Felicem ecclesia expulisset, et Imperator, licet invitus, assensum illis praebuisset*[1]. Hic auctor perperam exilium Liberii post concilium Ariminense refert accidisse, eo quod Liberius eidem consentire noluerit. Satis tamen in sua narratione ostendit, dum nihil dicit de aliqua defectione Pontificis eumque ab Imperatore invito asserit dimissum fuisse, se ignorasse omnino aliquem lapsum Liberii. Sulpitius Severus pariter ignorasse se ostendit aliquem Liberii lapsum, dum de eo scribit: *Liberius quoque urbis Romae et Hilarius Pictavorum episcopus dantur exilio. . . Sed Liberius*

passim fuere in admittendis Sanctis quam Latini; patet tamen, uti Hosii ita et Liberii nomen Orientalibus in veneratione fuisse. Cfr. Möhler Hist. eccl. tom. I. p. 424.

[1]) H. E. L. II. c. 37.

paulo post urbi redditur ob seditiones Romanas[1]). Exulum constantiam ibidem laudibus celebrat.

69. Theodoretus fusius scribit de Liberio: *Gloriosus igitur veritatis athleta in Thraciam uti praeceptum fuerat perrexit. Elapso autem biennio Constantius Romam profectus est.* (Videlicet solemnem triumphum Romae egit adveniens d. 28 Aprilis a. 357, ibidemque remansit usque ad finem mensis Maii). *Senatorum vero et honoratorum conjuges a viris suis petierunt, ut principem adirent rogarentque, ut Pastorem gregi suo redderet: addentes, nisi hoc ab ipsis impetrarent, discessuras se ab illis et ad magnum illum Pastorem migraturas. At illi iram principis reformidare se dixerunt. Nobis enim, aiebant, utpote viris nullam fortasse veniam indulgebit. Vobis autem rogantibus procul dubio parcet, duorumque alterum eveniet, ut aut precibus vestris annuat, aut si abnuerit saltem illaesas dimittat. Hoc consilium amplexae praestantissimae feminae cum solemni cultu atque ornatu Imperatorem adierunt, ut cum ex veste eas nobiles esse conjecisset cum reverentia ac lenitate ipsas exciperet. Sic igitur ornatae cum ad Imperatorem venissent, suppliciter ab eo petierunt, ut tantae urbis Pastore suo orbatae et luporum insidiis expositae misereretur. Ille vero matronis respondit, urbem alio Pastore non egere; habere enim antistitem idoneum qui ipsius curam gerat. Quippe post magnum Liberium ordinatus fuerat quidam ex ejus diaconis Felix nomine. Qui formulam fidei a Nicaenis Patribus expositae integram quidem atque inviolatam servabat; cum iis tamen qui eam labefactabant libere communicabat. Atque ob hanc causam nemo ex civibus Romanis in ecclesiam ingressus est, dum ille intus esset. Idque tum mulieres illae Imperatori suggesserunt. Flexus itaque Imperator egregium illum omnique laude dignissimum ab exilio redire jussit; ambos vero in communi ecclesiam administrare. Haec Imperatoris epistola cum in circo recitata esset, populus exclamavit, aequam esse Imperatoris sententiam. Spectatores enim divisos esse in factiones duas ex coloribus suis cognominatas;*

Theodoreti narratio.

[1]) Hist. sacr., L. II.

alterum igitur episcopum huic factioni, alterum illi praeesse oportere. Hac ratione cum Imperatoris epistolam explosissent, omnes una voce acclamarunt: Unus Deus, unus Christus, unus Episcopus. Ipsa enim eorum verba hic apponere aequum existimavi. Post has christianissimae plebis acclamationes pietate et justitia plenas, reversus est admirandus ille Liberius[1]).

Alii auctores. 70. Haec Theodoreti narratio ex aliis auctoribus complenda est. Praeter istam mulierum postulationem Romae etiam turbas et seditiones usque ad caedes accidisse, ex iis comperimus; motusque isti vel ante vel post triumphum Constantii Romae celebratum locum habuere. Sozomenus refert, Constantium Romanis reditum Liberii petentibus respondisse, *revocaturum se illum et petentibus redditurum esse, si sacerdotibus qui in ipsius erant comitatu consentire vellet*[2]), adeoque potius declinasse petitionem. Nec illa epistola, quando Constantius Romae erat in circo lecta videtur. Sed colligitur satis ex variis documentis, non ita multo post, scilicet anno subsequente, Constantium Liberio reditum concessisse. Merito supponimus, tunc ejusmodi datam esse epistolam, de eaque etiam Sozomenum verba facere (H. E. IV. 15), qui eam episcopis attribuit. Colligitur pariter ex auctoribus, Felicis communionem tum ante reditum Liberii tum post ejus adventum, esse a Romanis rejectam. Socrates (II. 17) dicit eum expulsum fuisse; Sozomenus (IV. 15) eum divina disponente providentia brevi post obiisse; Theodoretus: *Felix vero,* scribit, *recedens ad aliam urbem se contulit*[3]). In Praefatione ad Libellum precum Faustini et Marcellini[4]) dicitur: *Tertio anno redit Liberius, cui obvians cum gaudio populus Roma-*

---

[1]) Theodor. H. E. L. II. c. 17.

[2]) H. E. VI. 11. [3]) L. c.

[4]) Faustinus et Marcellinus presbyteri schismatici Luciferiani circa a. 384 ad Imperatorem Theodosium libellum precum direxerunt accusationibus in Damasum Pont. refertum, quo libello sibi favorem Imperatoris liberumque cultus exercitium obtinere nitebantur. Praefatio ad libellum videtur alterius sed antiqui auctoris ejusdem sectae. Exstat ap. Sirmondum, Opera varia, Tom. I.

nus exivit. Felix notatus a senatu vel populo de Urbe propellitur, et post parum temporis impulsu clericorum qui perjuraverant irrumpit in Urbem et stationem in Julii basilica trans Tiberim dare praesumit. Quem omnis multitudo fidelium et proceres de Urbe iterum cum magno dedecore projecerunt. Post annos octo defunctus est Felix. Quamvis in pluribus huic libello fides non sit adhibenda, tamen merito ex eo confirmamus quod reliqui auctores referunt, scilicet Romanos Liberium cum gaudio recepisse et ei adhaesisse[1]). Hunc porro Liberii reditum anno 358 adscribendum esse ex collatione variorum scriptorum, jam conveniunt universim auctores, neque id ulterius hoc loco demonstrandum esse censemus.

71. Ex dictis vero ita merito argumentatur Stilting, ut appareat quam improbabilis sit Liberii lapsus. „Romani catholica fide ornati et Arianis maxime contrarii Liberium exulem summo studio petierunt, parique gaudio redeuntem exceperunt. Quis igitur facile credat, ullam Liberii praevaricationem innotuisse Romanis quando reversum exceperunt? Romani Felicem neglecto Imperatoris mandato aut Urbe excedere coëgerunt aut expulerunt: tantumne facerent pro praevaricatore, et communione cum Arianis maculato, aut injusta S. Athanasii damnatione? Romani a Felice abhorrebant, quia ab Arianis ordinatus erat, et cum iis communicabat: quomodo igitur Liberium tantopere amare tantoque cum gaudio excipere poterant, si iis obnoxium noverant praevaricationibus? Neque certe ego tantum Romanorum de Liberii reditu gaudium tantumque eorum studium ad pontificatum soli Liberio vindicandum, verisimili ratione componere possum cum subscriptione Arianorum formulae, cum damnatione S. Athanasii, cum Liberii communicatione cum Arianis“[2]). Argumentatio.

72. Revera miro modo varii auctores, qui Liberii lapsum propugnant haec explicant. — Baronius contra omnium antiquorum auctoritatem nulloque vetusto nixus

---

[1]) Cfr. S. Athanas. Hist. Arian. n. 75. — Cassiodor. L. V. c. 18.
[2]) L. c. §. VII.

testimonio, maluit dicere, Liberium invenisse abalienatos a se Romanorum animos, eum per aliquot annos haud ut Pontificem habitum esse, sed Felici orthodoxo tunc fideles adhaesisse, donec eo mortuo, iterum Liberio emendato conciliati fuerint.[1]). Tillemontius admittit simul valde opposita, scilicet Romanos a Felice alienos fuisse ob communicationem cum Arianis, eos per litteras varias Liberii (quae reapse supposititiae sunt) cognovisse lapsum et praevaricationem Liberii, ipsos tamen magno cum triumpho Pontificem redeuntem excepisse et Felicem expulisse[2]). Sed haec certe nullo modo inter sese cohaerent. — Döllinger similia habet, videlicet non obstante lapsu suo Liberium cum gaudio a Romanis esse receptum. Ipsos enim uti universim Occidentales istis controversiis de consubstantialitate Filii parum commotos fuisse, nec magnas in illis Orientalium litibus habuisse partes[3]). Sed si perpenditur, sub Julio et Liberio istas quaestiones etiam in Occidente agitatas, synodos plures coactas, episcopos ejectos, atque ob ipsius Liberii fortitudinem, aerumnas, exilium Romanis illam controversiam certe notissimam fuisse, patebit assertionem illam admitti haud posse.

Aliud argumentum. 73. Jam addamus novum argumentum. — Si Liberius lapsus est illudque notum fuit coaevis, uti necessario supponendum esset, quomodo factum dicemus, ut nulla de illo lapsu inveniatur mentio in Patrum ejusdem temporis scriptis certo genuinis? De Hosii lapsu qualicumque frequenter et acriter conqueritur S. Hilarius in libro *De Synodis* et *Contra Constantium*, nuspiam de Liberio, quamvis lapsum ejus ignorare non posset si verus sit. Liberium laudibus extollit S. Athanasius, nullibi praevaricationis arguit; nam quae de lapsu Liberii in ejus operibus leguntur, postea addita esse videbimus. Scripserunt iis quoque temporibus contra Arianos Lucifer Calaritanus, Marius Victorinus Afer, S. Phoebadius episcopus Aginensis. Nullus eorum vel verbo meminit praevaricationis Liberii. S. Phoe-

---

[1]) Annales ad a. 357 n. 44. [2]) Tom. VI *Ariens* 69 75.

[3]) Pabstfabeln, l. c. p. 109.

badius ad objectum ab Arianis Hosii lapsum respondet sine ulla mentione Liberii. Inde merito colligitur, non ausos fuisse Arianos calumniam, quam post Hosii lapsum de Liberio sparserant (Sozom. IV. 15), sustinere[1]. Merito igitur Stilting: „Non attingit lapsum Liberii, sive illum asserendo sive solum ut objectum memorando, ullus Patrum Graecorum aut Latinorum, qui tanto numero fuerunt post Liberium saeculo quarto, quinto et sequentibus. Tacent de illo omnes historici alicujus nominis, qui eodem et proxime sequentibus saeculis floruerunt, imo Graeci etiam posteriores, ut omnia videantur a medii aevi Latinis hausta ex monumentis supposititiis, Arianorumque et Luciferianorum calumniis“[2]. Silentium Patrum.

74. Ad haec nullum uspiam invenitur vestigium vel minimae dissensionis, quae fuerit ea de causa inter Liberium et Romanos. Nunquam retractasse, se excusasse vel defendisse legitur Liberius, quod sane mirum foret, si vera esset opinio de ejus lapsu. Rexit Ecclesiam post exilium sicuti antea rexerat; concilium Ariminense, in quo haereticorum fraude haeresi subscripserant catholici, continuo improbavit, deceptosque episcopos ad poenitentiam revocavit. Vigor iste aegre componitur cum praecedente aliquo lapsu, nec intelligitur, quomodo ea occasione nulla facta appareat mentio praevaricationis ipsius Liberii. Denique alia multa praeclare fecit Liberius octo illis annis quibus deinde vixit, et nulla de ejus regimine querela invenitur apud scriptores ejusdem temporis. Quae vero de ejus lapsu credidit posteritas, conficta videntur maxime per schismaticos Luciferianos, qui causam suam mendaciis audacter sustinebant prioremque Arianorum calumniam facile renovare potuerunt. Nulla Liberii retractatio.

75. Modo jam seorsim examinemus varias sententias eorum, qui primae, secundae, tertiaeve formulae Sirmiensi, aut

---

[1]) Ex his profecto peremptorium argumentum deduci potest, Liberium, quum Phoebadius scriberet, haud lapsum esse; simile argumentum eruitur ex S. Hilario, qui in libro de Synodis Hosii lapsum commemorat, de Liberio autem omnino tacet.

[2]) L. c. §. IX. n. 163.

fidei libello cuidam Sirmii confecto subscriptum a Liberio existimant. — Quod ad *primam formulam* spectat, imprimis nullus antiquorum unquam scripsit, illam Liberio ut subscriberet fuisse propositam, aut etiam ulli alteri post concilium Sirmiense a. 351 habitum, in quo illa formula contra Photinum confecta est. Scribit porro S. Hilarius anno 358 exeunte postquam in libro *De Synodis* (n. 38 sqq.) eam fidei formulam orthodoxo sensu exposuit: *Tantum ecclesiarum orientalium periculum est, ut rarum sit hujus fidei, (quae qualis sit vos judicate), aut sacerdotes aut populum inveniri* (n. 53). Videlicet tali formula in Oriente, ac certe etiam in Thracia, jam eo tempore Arianismo dediti episcopi haud contenti erant. Nec igitur talem formulam Valens, Ursacius, Germinius vel Demophilus Beroeae episcopus, omnes Ariani potius quam Semiariani, anno 357 vel 358 Liberio proposuissent. Praeterea nec Liberius nec alii episcopi qui a. 355 in exilium ejecti sunt, jubebantur subscribere formulae Sirmiensi, sed condemnare S. Athanasium. Omnino autem improbabile est, postea ad id eos sollicitatos fuisse, quando alias formulas meditabantur Ariani et de illa parum solliciti erant.

Haud subscripsit form. Sirm. primae.

Nec secundae.

76. Ad *secundam* formulam quod attinet, composita ea est uti vidimus anno 357 mediante, vel forte, ut opinatur Stilting, mense Augusto aut Septembri. Liberius vero Romam remissus est anno 358. Sed dubitare non possumus, quin statim remissus esset Liberius si a. 357 illi formulae subscripsisset, eo vel magis, quod a Constantio Romani ejus reditum enixe efflagitassent. Anno vero 358 illa formula jam derelicta est. — Sparserunt utique Ariani a. 357 rumorem, Liberium impiam illam formulam signasse; sed teste Sozomeno, ista fuit calumnia, atque brevi etiam Ariani jam obticuerunt. Praeterea, uti jam vidimus, ex SS. Hilario (*De Synod.* n. 88) et Phoebadio (*Contr. Arianos,* in fine) colligitur, ex Occidentalibus praeter Arianos *unum Hosium* fuisse, eumque violentia et nimio in patriam redeundi amore inductum, qui et homousion et homoeusion omittendum consenserit, uti fiebat in illa formula. Si Liberius formulae illi haereticae

subscripsisset, Ariani etiam magis quam Hosii illius Pontificis comprobationem jactassent et orthodoxis opposuissent, atque Hilarius et Phoebadius certe illud factum comperissent, de eoque in libellis quos eo tempore contra Arianos scripserunt egissent. — Facile autem vides, argumentum hoc non esse mere negativum, sed positivo aequivalere. Ex modo enim quo Hilarius et Phoebadius de Hosio loquuntur patet, ipsum *solum* fuisse qui tunc credebatur cessisse haereticis. Atque hoc loco id quoque in memoriam revocare juvabit, Sulpitium Severum in sua Hist. sacra l. c. pariter referre opinionem vulgatam de Hosii lapsu, quem vix admittit ob priorem constantiam, sed ne verbum quidem habere de lapsu Liberii, cujus reditum attribuit turbis Romae excitatis. — Ex omnibus hisce jam certo concludi posse censemus, secundae formulae Sirmiensi Liberium non subscripsisse.

77. *Formula Sirmiensis tertia* communiter appellata, Nec tertiae. uti vidimus composita est a. 359, die 22 Maii seu in pervigilio Pentecostes. At Liberius jam anno praecedente Romam erat reversus. Nullam autem fuisse mediam formulam (saltem sensu proprio ita appellandam), colligitur ex S. Athanasii libro de Synodis, in quo enumerat omnes Arianorum formulas; et post recensitam (n. 29) formulam secundam pergit ad hanc tertiam. Huic igitur formulae certe non subscripsit Liberius.

78. Remanet ut inquiramus, utrum Liberius subscripserit a. 358 Sirmii libello illi commemorato a Sozomeno L. IV. c. 15, quo juxta ipsum legati orientales con- An libello jecerant *ea quae contra Paulum Samosatenum et contra* cuidam fidei. *Photinum Sirmii episcopum decreta fuerant, et praeterea fidei formulam in dedicatione Antiochensis basilicae editam, . . . perinde quasi quidem sub obtentu vocabuli consubstantialis propriam haeresim stabilire conarentur.* Atque haec quaestio eo majoris momenti est, quod recentiores plures cum cl. Hefele ea ratione jam controversiam de Liberii lapsu peremptorio modo resolvant, ut illi libello Liberium subscripsisse asserant. Et revera pro hac sola solutione aliquae rationes cum quadam veri specie afferri possent.

Sententia cl. Hefele.

79. Cl. Hefele ex variis documentis haec colligi censet: 1° Synodum tertiam Sirmii a. 358 cum legati Ancyrensis concilii adessent habitam fuisse, ad eamque Liberium fuisse vocatum. — 2° In eadem synodo Anomoeos et secundam formulam Sirmiensem fuisse rejectos, et praevaluisse Semiarianorum tendentias. — 3° Novam formulam ibidem non esse conditam, sed anteriores quasdam (superius memoratas) esse renovatas, iisdemque cum reliquis subscripsisse etiam Liberium. 4° Liberium eo ipso a formula *ὁμοούσιος* recessisse, haud quidem quod defecerit ab orthodoxa doctrina, sed quia ipsum in eam adduxerint opinionem, sub hac voce *ὁμοούσιος* palliari Sabellianismum et Photini errores. — 5° Liberium (teste Sozomeno) ex altera parte cum vigore flagitasse et obtinuisse, ut damnarentur ii qui non profiterentur Filium secundum substantiam et secundum omnia Patri similem. Ita ipsum quoad verba quidem recessisse a formula orthodoxa *(consubstantialis)*, non vero quoad rem atque fidem, atque hoc posterioribus ejus factis comprobari. — 6° Postremo Liberium exinde cum illis episcopis qui cum ipso subscripserant communionem ecclesiasticam coluisse, adeoque etiam cum aliquot Arianis qui tamen hac ipsa subscriptione a rigido Arianismo recesserant.

Errores Sozomeni.

80. Ut hac de re accuratius instituamus examen imprimis notandum est, Sozomenum haud raro in iis quae narrat varia confundere et falsa referre, praesertim ubi de Arianismo agitur. Unde illud S. Gregorii M. de ejus scriptis: *Sed ipsam quoque historiam Sedes Apostolica suscipere recusat, quia multa mentitur*[1]). Ipse autem Sozomenus L. I. c. 1. advertit, vehementes contentiones in controversia Ariana effecisse, *ut difficile admodum deprehendere possemus quae in his negotiis contigerunt,* nec ipsum mendacii accusandum ab aliquo, si in aliis documentis contraria legerit. Documenta videlicet catholicorum et Arianorum non convenire inter se, ipsum vero utraque perlustrasse. Sed inde facile evenire potuit,

---

[1]) Epist. L. VI. ep. 31.

ut Arianorum narrationi nimium fideret, et dum diversa conciliare vellet, plura confunderet vel erronee narraret.

81. Atque hoc ipsi in ea relatione de qua agitur accidisse, haud dubium est. Narrat enim L. IV. c. 13 legationem episcoporum qui a concilio Ancyrano missi erant (a. 358), et c. 14 epistolam refert quam Constantius scripsit ad Eudoxium Antiochenum. Dein c. 15 scribit: *Haud multo post Imperator ab urbe Roma Sirmium reversus* etc., ac enarrat conventum in quo Liberius consenserit Semiarianis. Sed Imperator jam inde ab aestate anni 357 Sirmii erat, eoque venerunt post Pascha a. 358 legati synodi Ancyranae. Reliqua igitur si quae acciderunt Sirmii coincidunt cum illa praesentia legatorum, et habenda essent ut continuatio negotii cum illis peracti. — Praeterea plane improbabile, imo certe falsum est, Liberium movente Basilio et sociis ejus sollicitatum fuisse, *ut Filium Patri non esse consubstantialem profiteretur.* Nam e contra ipsi legati anathematismum in Synodo Ancyrana contra vocem *consubstantialis* factum absciderunt, uti clare insinuat S. Hilarius l. c. Idque certissimum fit ex duodecim anathematismis a. S. Hilario relatis, quos legati illi Sirmii proposuerunt; inter hos enim ille anathematismus non invenitur. — Legati quidem Ancyrani forte secum ferebant encyclicam synodi Ancyranae et probabiliter etiam illas formulas, quarum ista encyclica erat ulterior quaedam explicatio. Sed quoad compilationem formularum in unum libellum ac subscriptionem earum, Sozomeno fidem non habendam censemus; quid enim opus erat hac re, cum suam doctrinam contra Anomoeos synodus Ancyrana epistola synodali et anathematismis jam proposuisset? Satis inepte etiam Sozomenus postquam ea narravit quae legati Ancyrani et Liberius fecerint, ita pergit: *His per Occidentalium legatos confectis, Imperator Romam redeundi potestatem Liberio concessit.* Totum negotium tamen ex ipso confectum erat per orientales episcopos. — Errare videtur dein Sozomenus dum tradit, ab episcopis litteras datas esse ad Romanos, ut Liberius et Felix simul Ecclesiam administrarent; ejusmodi epistola fuit Constantii, eademque a

Romanis explosa est. Nec minus errat, quum insinuat, per aliquod tempus duos illos pontificatum simul gessisse. Dixeris Socratem ex variis documentis tum Catholicorum tum Arianorum, qui rumorem lapsus Liberii sparserant, compilasse et combinasse confusam narrationem rerum et eventuum, uti ipsi accidisse videbantur.

Relatio Hilarii. 82. Caeterum, de iis quae Sirmii a. 358 gesta sunt testem coaevum habemus S. Hilarium, qui de legatione Basilii et sociorum ejus in libro *de Synodis* fusius loquitur. Ipse haud difficulter scire poterat quae evenerunt, quum in Phrygia degens et in alias regiones excurrens, haud procul esset ab Ancyra quae est civitas Galatiae confinis Phrygiae provinciae, quumque in episcopos Semiarianos bene affectus esset. Tamen dum ostendit se novisse ea quae Sirmii gesta sunt, ne verbum quidem habet de legatione Occidentalium, de Liberio ejusque subscriptione, ac de transactione Sirmii confecta. Merito Stilting ita argumentatur: „Primo S. Hilarius nullos in illo conventu episcopos nominat praeter tres legatos concilii Ancyrani, Basilium, Eustathium, et Eleusium, ac tres similiter Arianos qui passim aderant Imperatori, Ursacium, Valentem et Germinium. Hi coacti sunt, per duodecim anathematismos damnare secundam formulam Sirmiensem. Tres priores eadem cum Catholicis de divinitate Filii Dei credidisse, sed vocem *consubstantialis* omitti voluisse, quia ea abusi erant Paulus Samosatenus, Photinus eorumque sectatores, variis locis declarat Hilarius. Eosdem ubique actores facit contra auctores secundae formulae Sirmiensis, atque omnem damnatae formulae gloriam illis tribuit. Illos vero qui coacti erant subscribere nominat Ursacium, Valentem et Germinium, quos innuit praecipuos fuisse impiae formulae auctores. . . . Nullibi vero innuit ullum alium Sirmii subscripsisse, aut omnino ullum alium episcopum Sirmii fuisse, dum illa agebantur. Nam Hosium et Potamium nominat quidem inter auctores impiae formulae, sed non ut praesentes dum illa fuit damnata. De tribus vero aliis n. 81 ita meminit alloquens legatos Ancyrani concilii: *Epistolam quam a vobis de homousii et homoeusii expositione apud Sirmium Valens*

et Ursacius et Germinius poposcerunt, legi[1]). *Intelligo, in quibusdam non minus circumspectam esse quam liberam* etc. Soli tres illi dicuntur expositionem petiisse legatorum, quo verisimile fit, cum solis illis apud Imperatorem egisse legatos, praesertim cum legati illi propositum sibi non haberent contra Catholicos agere, sed contra haereticos et haereticae formulae auctores. Ideo variis locis testatur Hilarius, coactos esse haereticos damnare quae ipsi fecerant, tres jam memoratos insinuans (nn. 3, 27, 63). Postea sermonem dirigens ad legatos Ancyrani concilii n. 79 docet, non esse fidendum Arianis qui subscripserunt. *Fallunt enim,* inquit, *quantum et vereor et mihi videtur, fratres carissimi, fallunt, quia semper fefellerunt, et illa ipsa praesens nunc subscriptio non caret falsitate. . . . Non queror admodum de venia quam dedistis; religiosum est, Deo sua reservare et ignorationis error humanus est. Sed ignoscant jam mihi duo episcopi Valens et Ursacius, quod eos pro aetate atque exercitatione sua ignorasse non credo. Et difficillimum est ne mentiri existimentur, qui se in alio negotio non possunt nisi mendacio purgare.* — Non jungit hic Germinium, quod junior esset et sic magis errori obnoxius et necdum convictus de mendaciis, ut convicti erant Valens et Ursacius de mendaciis contra S. Athanasium sparsis"[2]).

83. Haec omnia evincunt, unice in illo conventu Sirmiensi actum fuisse contra auctores impiae formulae secundae Sirmiensis, nec ibi tractatam et definitam fuisse controversiam inter Catholicos et Semiarianos. Etenim si ibi tres illi legati, sicuti Arianos episcopos oppugnarunt et ad damnationem anterioris doctrinae compulerunt, ita etiam Liberium et quatuor alios episcopos adduxissent, ut subscriptione libelli alicujus a formula *consubstantialis* plane recederent: res tanti momenti certe non latuisset Hilarium, Quae Sirmii gesta.

[1]) Qualis sit illa epistola non constat. Non videtur agi de epistola synodali synodi Ancyranae, in qua de expositione illarum vocum haud agitur. Fortasse ea est quae apud Epiphanium Haer. 78 n. 12 invenitur inscripta *Basilii ac Georgii et caeterorum professio*. Quidquid sit de hac re, vides, S. Hilarium accurate novisse quae Sirmii acciderant.

[2]) Stilting, l. c. §. X. n. 177.

neque de ea tacuisset, quum in libro *de Synodis* maxime insistat, conservandam esse illam formulam Nicaenam. Praeterea jam vidimus, quam multa sint in narratione Sozomeni erronea atque inepta. Etiam subsequentes scriptores Graeci, uti Theodoretus et posteriori tempore Nicephorus Callistus, Sozomeni narrationem hac de re non sunt secuti.

84. Probabile igitur est, Liberium Sirmii nullatenus fuisse quando legati concilii Ancyrani eo venerunt, sed eo tempore jam Romam esse reversum. Plerique autem scriptores non aliam allegant remissi Liberii causam, quam preces et turbas Romanorum reditum Liberii enixe flagitantium. Forte etiam legatione aliqua initio anni 358 denuo postulata sua Constantio significarunt. Neque hic dicat aliquis, verisimile non esse, remissum fuisse a Constantio Liberium antequam consentiret. Nam minorem ob causam postea S. Hilarius ad ecclesiam suam remissus est. Uterque in exilium missus est ob recusatam S. Athanasii condemnationem, non ob detrectatam subscriptionem alicujus formulae. Fervor autem ille Arianorum damnationem S. Athanasii omnium subscriptione firmare cupientium, videtur remisisse, postquam ille circa Pascha a. 356 Alexandria profugerat et latebras captabat. Hinc minime mirandum est, Constantium hominem versatilem tandem acquievisse precibus Romanorum et in reditum Liberii consensisse[1]).

Explicatio aliqua probabilis.

85. Sed si quis existimet narrationi Sozomeni aliquid veri subesse, Liberium simul cum legatis orientalibus Sirmii fuisse et aliquid negotii inter eos fuisse peractum, haud ita difficile est narrationem illius auctoris sic interpretari ut veritati haud derogetur, Pontifici autem nihil in culpam verti possit. — Animadvertendum igitur est, in Semiarianos Patres qui fidem Nicaenam propugnabant, uti SS. Athanasius et Hilarius, magna moderatione et caritate usos esse. Vidimus jam illa S. Athanasii quoad eos: *Veluti fratres cum fratribus disceptamus, ut cum qui-*

---

[1]) V. Stilting, l. c. § X. n. 181.

bus nobis eadem sit sententia, controversia autem de verbis[1]). Atque Basilium Ancyranum eo loco speciatim commemorat. S. Hilarius Basilium et socios ejus habet ut *sanctos viros* et *carissimos fratres, quos fidei calor in tantis tenebris haereticae noctis accendit. Quantam,* inquit, *spem revocandae verae fidei attulistis, constanter audacis perfidiae impetum retundendo*[2])*!* Persuadendo eos studet eo adducere, ut verbum *homousion* admittant, tanquam aptissimum contra Arianos et sancitum a Patribus Nicaenis. Attamen advertit (loquens ad fideles Galliae), per se abusum fieri posse quoad hoc verbum, et *per se* illud vocabulum ad veram fidem non requiri. *Multi ex nobis,* scribit, *ita unam substantiam Patris et Filii praedicant, ut videri possint non magis id pie quam impie praedicare* (n. 67). *Dicturus unam Catholicus substantiam Patris et Filii, non inde incipiat, neque hoc quasi maximum teneat, tanquam sine hoc vera fides nulla sit* (n. 69). *Potest una substantia pie dici et pie taceri* (n. 71). Displicuit quidem quibusdam ardentioribus, uti Lucifero Calaritano, ejusmodi benignitas; attamen merito censuerunt S. Athanasius et Hilarius, hac ratione cum Semiarianis agi posse.

86. Liberium eadem sensisse, colligitur ex modo quo postea egit cum iis qui in concilio Ariminensi defecerant vel ab Arianis decepti erant. Hinc si Pontifex ille Sirmii fuit, quum ibidem Basilius et socii ejus sua legatione fungerentur: quid mirum, si in illos viros magna moderatione, comitate et caritate usus est, quando ipsi proposuerunt suas objectiones et haesitationes quoad admissionem vocis *homousios,* ac tria illa symbola verbis orthodoxa protulerunt. Sicuti Hilarius, ita et Liberius eos non habuit ut heterodoxos, quumque eo tempore ipsi omnes vires contra Arianismum intenderent, forte opportunum non censuit Pontifex, ut urgeret eos ad professionem verbi homousios. Ex altera autem parte Valens, Ursacius et Germinius illis episcopis cesserant, adeoque Arianismo saltem externa professione renuntiaverant. — Ut calumniam quam Liberii moderatio.

---

[1]) De Synodis n. 41. [2]) V. De Synodis nn. 77, 78.

sparserant jam antea Ariani contra ipsum repelleret, Liberius deinde documentum edidit contra Anomoeos. Eo tamen haud continebatur prolixior professio fidei, sed damnatio Anomoeorum; et forte ob considerationem Basilii et sociorum, ea Liberius forma usus est, ut eos qui Filium Patri secundum essentiam et secundum omnia similem esse negarent, damnaret et excommunicaret, quin verbum *homousios* expresse urgeret. Nullatenus tamen Liberius ab hac voce recessit.

Conciliatio quaedam cum Semiarianis.

87. Fieri igitur potuit quum Pontifex prudenti moderatione uteretur, ut quamvis non plenus consensus, conciliatio tamen aliqua cum Semiarianis Sirmii praesentibus interveniret. Nec Sozomenus narrat, Sirmii concilium proprie dictum fuisse, vel Liberium *subscripsisse* alicui formulae, sed tantum eum *consensisse* (*συναινέσαι*) in eam fidem quae variis formulis jam citatis continebatur. Id potest explicari, quatenus Pontifex admittebat, ut etiam Hilarius, verba formularum per se esse orthodoxa; et quatenus homousii disertam professionem pro tempore non urgebat. Nec tamen expresse refert Sozomenus, communionem ecclesiasticam cum illis episcopis Liberium coluisse. Censemus id non esse factum, quum Hilarius ea de re nihil referat, quumque Sozomenus multis enarret (VI. 6), quomodo Semiariani postea ab Arianis vehementer insectati sub Valente Imp. communionem ecclesiasticam cum Liberio enixe sollicitaverint, atque per expressam et absolutam receptionem synodi Nicaenae obtinuerint. Caeterum etiamsi Liberius Sirmii communionem ecclesiasticam coluisset cum illis episcopis quos fidei catholicae addictos invenerat, nulla sane a fide apostasia ejusmodi facto contineretur, sed ea tantum discuti posset quaestio, utrum talis oeconomia practica opportuna fuerit.

88. Itaque si res se habuit uti modo exposuimus, facile intelligitur, quare tam multi scriptores sileant de istis quae Liberius Sirmii egerit. Videlicet Liberii benignitas et comitas in legatos Ancyranos, si nullas eis concessiones fecit nec eorum formulis subscripsit, haud erat res tanti momenti, ut fusius ista de re fuisset referendum, eo vel

magis quod Semiariani isti brevi post suum in Constantium influxum perdiderunt, quodque hic etiam sine consilio illorum legatorum ob motus populi Romani Liberium dimisisset. — Nec difficilius explicatur, quomodo opinio de consensu Liberii in errores Arii oriri et propagari potuerit. Arianorum maxime intererat, ut Pontificem sibi vindicarent, idque factionis illius homines sparsis rumoribus, suppositis litteris, audaci affirmatione efficere studuerunt. Ex benignitate Liberii ejusque moderatione jam per se fama crescente fieri poterat, ut opinio aliqua de ejus consensu et subscriptione in formulas Arianas oriretur, quam opinionem dein artificiis suis Ariani auxerunt et firmare studuerunt. Imo jam antea ab Eudoxio Antiocheno et aliis Anomoeis rumores sparsi erant, *Liberium consubstantialis vocabulum condemnasse, et Filium Patri dissimilem confiteri.* (Sozom. IV. 15; vide supra n. 59). — Ex altera parte postquam Liberius episcopos Arimini lapsos in communionem susceperat, exiit ex Catholicis schismatica factio Luciferianorum, qui rigore superbo moderationem illam sapientem damnabant, *pacem quae populum perfidiae labe contaminat*[1]) respuebant, viros catholicos atque ipsos Pontifices calumniis et conviciis lacerabant. Exemplum habetur in citato *Libello precum Fausti et Marcellini,* quem hi presbyteri schismatici Luciferiani a. 384 Theodosio Imperatori transmiserunt. In eo Damasum Pont. multis calumniantur, de Liberio dicunt, *manus perfidiae dedit,* et caeca quadam audacia horrendas fabulas narrant vindictae divinae in adversarios catholicos.

89. Sed jam eo pervenimus, ut *examen instituamus criticum testimoniorum,* quibus Liberii lapsus adstruitur. — Argumentum praecipuum lapsus Liberii constituitur quatuor epistolis ipsi Pontifici attributis, quae inveniuntur in collectione edita sub titulo *„Fragmenta ex opere historico S. Hilarii."* Prima epistola incipit *Studens paci,* eaque Liberius episcopis orientalibus nuntiat, se cum ipsis et cum universa Ecclesia communionem servare, ex ea vero ex- Examen criticum testimoniorum.

[1]) Libellus precum Faustini et Marcellini.

Epistolae Liberii.

clusisse Athanasium. — Reliquis epistolis (Frag. VI) haec, uti videtur ab auctore operis, praemittuntur: *Post haec omnia quae vel gesserat vel promiserat Liberius, missus in exilium universa in irritum deduxit, scribens praevaricatoribus Arianis, qui in sanctum Athanasium orthodoxum episcopum tulerant sententiam.* — Sequitur dein secunda epistola *Pro deifico timore* pariter ad episcopos orientales data. In eadem Liberius iterum scribit, se ipsis communicare, exclusisse vero Athanasium; praeterea nuntiat, se subscripsisse formulae Sirmii confectae. Adjectae sunt ab alio imprecationes in Liberium. *Amoto Athanasio,* dicitur in epistola, *a communione omnium nostrum, cujus nec epistolia a me suscipienda sunt, dico me cum omnibus vobis et cum universis episcopis orientalibus seu per universas provincias pacem et unitatem habere. Nam ut verius sciatis, me vera fide per hanc epistolam ea loqui, Dominus et frater meus communis Demophilus, qui dignatus est pro sua benevolentia fidem vestram et catholicam exponere, quae Sirmii a pluribus fratribus et coëpiscopis nostris tractata, exposita et suscepta est („Haec est perfidia Ariana. Hoc ego notavi, non apostata. Liberius sequentia") ab omnibus qui in praesenti fuerunt; hanc ego libenti animo suscepi, („Anathema tibi a me dictum, Liberi, et sociis tuis") in nullo contradixi, consensum accomodavi, hanc sequor, haec a me tenetur. („Iterum tibi anathema et tertio, praevaricator Liberi"). Sane petendam credidi sanctitatem vestram, quia jam pervidetis in omnibus me vobis consentaneum esse, dignemini communi consilio ac studio laborare, quatenus de exilio jam dimittar, et ad sedem quae mihi divinitus credita est revertar.* Dein prosequitur auctor: *Perfidiam autem apud Sirmium descriptam quam dicit Liberius catholicam, a Demophilo sibi positam, hi sunt qui conscripserunt: Narcissus, Theodorus, Basilius, Eudoxius, Demophilus, Cecropius, Silvanus, Ursacius, Valens, Evagrius, Hyrenius, Exuperantius, Terentianus, Bassus, Gaudentius, Macedonius, Marthus, Acticus, Julius, Surinus, Simplicius et Junior (requirendum), omnes haeretici.* — Tertia epistola dirigitur *ad Ursacium, Valentem et Germinium,* quibus etiam nuntiat Liberius, se cum omnibus

communionem habere, ex ea autem Athanasium esse exclusum; se vero misisse Fortunatianum ad Imperatorem ad obtinendum reditum ex exilio. Epistolae adjungitur: *Praevaricatori anathema una cum Arianis a me dictum.* Quarta epistola est *ad Vincentium* (Capuanum). Liberius conqueritur de exilii aerumnis. *Dilectissimus filius meus Urbicus diaconus,* scribit, *quem videbar habere solatium, a me per Venerium agentem in rebus sublatus est.* Ei nuntiat, se recessisse a defensione Athanasii et communionem tenere cum episcopis Orientis, ac rogat, ut ipse cum reliquis coëpiscopis Campaniae scribat hac de re ad Imperatorem, *quo possim et ego de tristitia magna liberari.* Adjicitur: *Manu ipsius paginae perscriptae: Cum omnibus episcopis Orientalibus pacem habemus et vobiscum ego. Me ad Deum absolvi, vos videritis me in exilio deficere, erit Deus judex inter me et vos.*

Fragmenta Hilarii.

90. Profecto si ejusmodi epistolae Liberii genuinae sunt, nullum dubium de ejus praevaricatione remanet; ac revera Baronius aliique Pontificis lapsum negari non posse existimaverunt, eo quod illas epistolas saltem ex parte genuinas esse supponerent. — At vero non solum nullatenus probari potest, ejusmodi litteras a Liberio scriptas esse, sed etiam peremptoria adsunt argumenta, quibus evincitur eas opus esse falsarii. — Itaque haec animadvertenda occurrunt. 1° Scripsit quidem S. Hilarius quoddam opus historicum, quod a S. Hieronymo *Catal. scriptor.* n. 100 Hilario tribuitur his verbis: *Et liber adversus Valentem et Ursacium historiam Ariminensis et Seleuciensis synodi continens.* Sed nullatenus constat, illa *Fragmenta* ejusmodi operis esse, imo maxima parte a criticis Hilario abjudicantur. Coustantius in praefatione ad editionem operum S. Hilarii (edit. Maur.), quamvis ipse fragmenta ex opere Hilariano desumpta esse contendat, tamen fatetur, id ex manuscriptis codicibus non erui posse. Erat in codicibus ait, *monstruosa quaedam rerum facies et inordinata confusaque variarum epistolarum congeries.* Plane vitiata esse plura in illis fragmentis omnes critici sani admittunt, et Stilting fusius probat ex iis quae documentis adduntur, fragmenta

illa maxima parte haud esse S. Hilarii. Caeterum per se potuisset etiam S. Hilarius operi suo historico quasdam suppositas ab Arianis epistolas inserere, ut eorum malitiam ostenderet.

Epistola prima supposita.

91. 2⁰ Primam epistolam *Studens paci* non esse Liberii, omnes critici inde a Baronio fatentur, etiam ii qui alias epistolas ut genuinas habent. Tantummodo Tillemont conjecturis quibusdam ejus genuinitatem conatus est tueri, et Reinkens nostra aetate contendit, optime hanc genuinitatem posse defendi[1]). Sed revera evidens est, epistolam opus falsarii esse. Narrat enim Pseudo-Liberius ea de modo suo agendi quoad Athanasium, quae plane pugnant cum iis quae revera a Liberio facta esse constat. Scribit Pseudo-Liberius: *Studens paci et concordiae ecclesiarum, posteaquam litteras Caritatis vestrae de nomine Athanasii et caeterorum factas ad nomen Julii bonae memoriae Episcopi accepi, secutus traditionem majorum presbyteros urbis Romae, Lucium, Paulum et Helianum a latere meo ad Alexandriam ad supradictum Athanasium direxi, ut ad urbem Romam veniret, ut in praesenti id quod Ecclesiae disciplina exstitit, in eum statueretur. Litteras etiam ad eumdem per supradictos presbyteros dedi, quibus continebatur, quodsi non veniret, sciret se alienum esse ab ecclesiae Romanae communione. Reversi ergo presbyteri nuntiaverunt, eum venire noluisse. Secutus denique litteras Caritatis vestrae, quas de nomine supradicti Athanasii ad nos dedistis, sciatis his litteris, quas ad unanimitatem vestram dedi, me cum omnibus vobis et cum universis episcopis Ecclesiae catholicae pacem habere, supradictum autem Athanasium alienum esse a communione mea sive ecclesiae Romanae et consortio litterarum ecclesiasticarum.* — Haec omnino pugnare cum iis quae Liberius reapse in causa S. Athanasii fecit, ex iis quae superius narravimus facile colliges.

Reliquae pariter.

92. Ad reliquas epistolas quod attinet, 3⁰ post Stiltingum plerique critici et historici temporis nostri qui rem

---

[1]) Hilarius von Poitiers S. 219.

examinarunt, uti Hefele, Palma, Viehhäuser[1]), Reinerding, Schneemann, solidis argumentis probarunt, eas pariter supposititias esse, ita ut haec sententia certa haberi possit. Quodsi Döllinger, et post ipsum Reinkens[2]), et Le Page Renouf Anglus[3]) nostris diebus iterum eas litteras habent ut genuinas, id nullatenus vi rationum, sed infenso eorum in RR. Pontifices animo tribuendum est. — Cl. Hefele invicte ostendit variis argumentis, epistolas illas esse confictas. Videlicet a) ex similitudine harum epistolarum cum prima certe conficta. — Ratio loquendi, stylus barbarus et hispidus, conceptus satis inepti et parum digni, repetita ejusdem rei inculcatio, *(pax cum omnibus, Athanasii damnatio),* ostendunt, eumdem falsarium omnia composuisse[4]). — b) Plane inepta sunt plura in istis epistolis tradita. Ita Fortunatianus mittitur a Liberio cum litteris ad Constantium; atqui Fortunatianus Aquileiae erat in Italia, dum Constantius Sirmii et haud ita procul Liberius Beroeae degeret. — Liberius, quamquam jam Athanasium damnavit et cum Arianis communicat, exhibetur ut in exilio detentus, cui permissio reditus nondum data est, etc. — c) Plura alia in his litteris habentur omnino insulsa, et flebilis illa lamentatio Pontificis quae his scriptis continetur, plane aliena est a charactere, stilo, scribendi ratione Liberii, uti ex genuinis ejus epistolis noscitur. — Merito igitur statuimus, confictas esse illas Liberii epistolas.

93. Sed neque S. Hilarii esse possunt illa additamenta et imprecationes in Liberium, ita ut aliquis opponere possit, saltem ab Hilario Liberium ut praevaricatorem Additamenta non sunt Hilarii.

---

[1]) Hilarius Pictaviensis S. 47.

[2]) Hilarius von Poitiers C. X.

[3]) The condemnation of Pope Honorius, n. 44.

[4]) Jaffé (Judaeus) qui *Regesta Pontificum* edidit, in Praefatione p. IX. merito hunc canonem statuit: „Quum falsarii existiment, repetitis mendaciis alicujus rei confictae veritatem suaderi posse, haud raro varia supposuerunt de eadem re Pontificibus diplomata et documenta. Itaque si in aliqua serie documentorum quae eamdem rem spectant quaedam indicia manifesta fictionis prae se ferunt, haec vero aliis desunt, tamen omnia sine haesitatione rejicienda sunt.“ — Haec nostrae quaestioni facile applicabis.

notari. Etenim non solum nullatenus constat, Fragmenta illa generatim revera ex opere historico S. Hilarii esse, sed etiam rationes speciales vetant, ne additamenta illa et imprecationes in Liberium S. Hilario tribuantur. — Imprecationes illae tanto viro sunt indignae; imo quum opus suum historicum post synodos Seleuciae et Arimini habitas S. Hilarius confecerit, nullo modo supponi potest, eum hac ratione Liberium diris devovisse. Tunc enim Liberius cum fervore magno orthodoxiam tuebatur, et ab omnibus habebatur ut legitimus ac dignissimus Pontifex, cui etiam ipse S. Hilarius communione jungebatur. Quomodo ipse quum in Libro *de Synodis,* (brevi post illos eventus suppositos), ne uno quidem verbo Liberium sugillet, postea quum Pontifex praeclare et constanter fidem tueretur, talia in ipsum effutierit?

Errores 94. Etiam ex nominibus episcoporum, quibus adscribitur formula a Liberio signata, eruitur argumentum, Hilarium non esse auctorem illorum addimentorum. Certe si vehementiam imprecationum spectas, censeres agi de secunda formula Sirmiensi. Atqui Hilarius certe eam non tribuisset Basilio Ancyrano, quem optime noverat (Lib. *de Synodis*), fuisse ardentem hujus formulae adversarium. Sciebat etiam Hilarius, secundam formulam Sirmiensem a quibusdam episcopis occidentalibus esse confectam, hoc loco vero recensentur praecipue episcopi orientales. — Neque primam formulam Sirmiensem (a. 351) Hilarius potuit designare. Etenim hanc formulam ipse in Libro *de Synodis* maxima cum moderatione ac sensu orthodoxo explicat, hinc certe non est Hilarius qui in fragmentis istis eam dicit *perfidiam Arianam,* et *anathema* pronuntiat in *apostatam* qui ei subscripsit. — Nec potest hic agi de libello illo Sirmii compilato secundum Sozomenum, varias formulas continente, cui Liberium consensisse Sozomenus refert. Etenim in fragmentis exhibetur Liberius subscripsisse *Beroeae formulae alicui a Demophilo oblatae,* antequam Romam rediturus Sirmii consisteret. Praeterea Theodorus episcopus Heracleae, qui inter auctores formulae recensetur, tempore illius conventus (a. 358), imo et anno praecedente

jam mortuus erat. Inepte etiam ille libellus Eudoxio tribueretur, quum Basilius ejusque socii in illo conventu omnem lapidem moverent, ut Eudoxii Antiocheni conatus ad stabiliendum errorem Anomoeorum eliderent. — Vides igitur, peremptorie demonstrari, illa quae in fragmentis addita sunt respectu Liberii, non posse attribui S. Hilario.[1])

95. Si quis quaerat, quo tempore confictae videantur epistolae illae fictitiae Liberii, facile cederem in sententiam cui suffragatur Reinerding[2]), Liberio adhuc in exilio versante a. 357, post confectam formulam secundam Sirmiensem, illas epistolas ab Arianis suppositas esse; tunc enim ab iis rumores spargebantur, Liberium in ipsorum sententiam consensisse. (Sozom. IV. 15.) Etiam ante reditum Liberii Catholicus quidam ardentioris animi videtur additamenta illa epistolis ab ipso collectis junxisse. Minus bene enim imprecationes illae explicantur post Liberii reditum, quum fidem orthodoxam cum fervore tueretur. Nisi velis supponere, posteriore tempore a Luciferiano aliquo fanatico illa additamenta facta fuisse, quum epistolae illae confictae in manus ejus pervenissent. Certe auctor fuit homo parum gnarus eventuum illius temporis.

Epistolae quando confictae.

96. Sed jam veniamus ad ea quae de Liberii lapsu in *Opusculis S. Athanasii* inveniuntur. Duplex habetur locus qui ad rem pertinet. In *Apologia contra Arianos* haec habentur nn. 89, 90: *Idcirco recte et juxta ecclesiasticas leges beati comministri nostri, cum nonnulli dubias esse res nostras affirmarent, niterenturque judicia pro nobis lata abrogare, aerumnas quaslibet sustinere in exiliumque pelli maluerunt, quam tot tantorumque episcoporum judicia abrogata cernere. Si itaque veri episcopi* (οἱ ἀληθῶς ἐπίσκοποι) *nostris insidiatoribus, qui ea quae pro nobis gesta essent subvertere conabantur, verborum tantum tenus obstitissent: aut si vulgares fuissent homines et non eximiarum*

S. Athanasii textus.

---

[1]) Audacter Renouf asserit, omnes criticos insigniores, excepto cl. Hefele, consentire, illa additamenta esse Hilarii. Id sane falsum est. Etenim Stilting, Natalis Alexander, Zaccaria, Ballerini. multique critici nostri temporis conveniunt additamenta illa non esse Hilarii.

[2]) Beiträge S. 41.

urbium episcopi et capita tantarum ecclesiarum: suspicandum sane foret, ne gratia quadam aut favore ducti nostra causa jam contenderent. Cum autem non solum verbis mihi patrocinati fuerint, sed etiam exilium sustinuerint, ex eorumque numero sit Liberius Romae episcopus: nam etsi exilii aerumnas ad finem usque non toleraverit, attamen quod conflatam in nos conspirationem probe nosset, biennio in exilii loco est commoratus; cum etiam ex eorum numero sit magnus ille Hosius cum episcopis Italiae, Galliarum, et aliis ex Hispaniis, ex Aegypto et ex Libya omnibusque Pentapoleos episcopis: nam licet ille ad breve tempus Constantii minis perterritus iis obsistere non videretur, attamen ingens illa vis atque tyrannica Constantii potestas, necnon plurimae illae contumeliae et plagae palam faciunt, eum non quod reos nos existimaret, sed quod propter senectutis infirmitatem plagas non ferret, ad tempus illis cessisse; aequum sane fuerit, omnes utpote rei certiores factos injustitiam illam et vim nobis illatam magis ac magis odisse ac perhorrescere: ideo maxime quod planissimum sit, nos nulla alia de causa quam propter Arianam impietatem hujusmodi mala esse perpessos. — Si quis igitur quae nos spectant simulque Eusebianorum sycophantiam ediscere cupiat, is quae nostri gratia scripta sunt legat, testesque accipiat non unum aut duos vel tres, sed tantam episcoporum multitudinem: testes iterum sumat Liberium et Hosium eorumque socios, qui cum adversum nos gesta facinora conspicerent, extrema pati maluerunt, quam aut veritatem aut judicium nostri gratia datum prodere: idque ex bono et sancto consilio egerunt; mala enim quae isti perpessi sunt, quam vim alii quoque episcopi pertulerint indicant. Sunt autem ea ipsa monumenta et cippi contra Arianam haeresim et contra syncophantarum malitiam erecta; sunt etiam forma et exemplar posteris nostris, ut pro veritate usque ad mortem decertent, Arianamque haeresim Christo inimicam et Antichristi prodromum perhorrescant, neque illis adversum nos loquentibus fidem habeant. Apologia enim suffragiumque tot ac talium episcoporum pro fide digno sufficientique innocentiae nostrae testimonio habenda sunt.

97. Altero loco in *Historia Arianorum ad Monachos,*

narrato Liberii vigore contra Imperatorem ejusque exilio, et legatorum ejus Luciferi, Pancratii et Hilarii descripta constantia in concilio Mediolanensi, ita habetur n. 41: *Sic itaque a principio ipsam Romanam ecclesiam labefactare conati sunt. Porro Liberius extorris factus post biennium denique fractus est, minisque mortis perterritus subscripsit. Verum ea ipsa re comprobatur cum violentia eorum, tum Liberii in haeresim illam odium, ejusque pro Athanasio suffragium, quamdiu scilicet libere arbitrioque suo agere licuit. Nam quae tormentorum vi praeter priorem sententiam eliciuntur, ea non reformidantium, sed vexantium sunt placita. Nihil itaque haeresis gratia non aggressi sunt. Populi vero per singulas ecclesias quam didicere fidem retinentes, magistros exspectant suos, ac Christo adversariam haeresim quam coacti recepere, omnes veluti serpentem adversantur.*

98. Ut de his sententiam formare possimus haec animadvertenda sunt: 1° Indubium est, idque jam nostro tempore videtur a criticis universim admitti, textus qui Liberii et Hosii lapsum spectant, haud inde ab initio a S. Athanasio in citatis libellis scriptos fuisse, sed eos postea additos esse. Utrumque enim opusculum confectum est ante illud tempus, cui Liberii Hosiive lapsus adsignatur. — Quod spectat ad Apologiam contra Arianos, eadem certe finita erat circiter anno 352, videlicet antequam Valens et Ursacius, qui resipuerant, iterum ad Arianos transirent. Ad tempora priora enim omnia quae narrantur pertinent, et concluditur Apologia n. 88 illis verbis: *Quis compertis hujusmodi rebus, non fateatur, Valentem et Ursacium jure sese reos declarasse, ac resipiscentes ejusmodi litteras adversum se conscripsisse, quod mallent aliquantisper pudore suffundi, quam aeternum sycophantarum supplicium luere.* — Historia Arianorum ad monachos etiam ante tempus suppositi Liberii lapsus scripta est. In eadem enim passim S. Athanasius loquitur de Leontio episcopo Antiocheno, et n. 4 clare eum *viventem* indicat his verbis: *Ex quorum numero est Leontius castratus, qui nunc Antiochiae episcopus est.* Jamvero Leontium istum primis men- Critice expenduntur.

sibus a. 357 mortuum esse, ex Socrate II. 37 colligitur; caeterum quae in illa historia narrantur non se extendunt ultra tempus quadragesimale a. 357[1]).

99. Itaque 2° ea jam prodit quaestio, utrum quae Liberii lapsum spectant, ab ipso Athanasio, an postea ab alio inserta vel adjecta sint. Contendit cl. Hefele, ea ab Athanasio adjectae sse, quum dubium non sit, etiam posteriori tempore eadem opuscula in manibus Athanasii fuisse. Sed Stilting et post ipsum Reinerding et Schneemann graves rationes afferunt, ob quas existimant, illa diu post ab alio adjecta fuisse. Et re quidem vera, si ab ipso Athanasio illa adjecta sunt, imprimis valde mirum est, quod Socrates et Theodoretus, qui illis Athanasii libris passim utuntur et integros ex iis desumunt passus, non afferunt ista de Liberii lapsu, quem plane ignorasse videntur. Hinc fere certum videtur, eorum aetate ista nondum inserta fuisse. Etiam Sozomenus nullo modo in sua historia ad haec respicit. — Gravissimum profecto est hoc argumentum.

Videntur pestea adjecti.

100. Sunt dein 3° etiam argumenta quaedam interna quae suadent, haud ab Athanasio illa quae Liberii et Hosii lapsum spectant esse inserta. Integer ille passus Apologiae (nn. 89, 90) quem citavimus, cum reliqua Apologia parum cohaeret, et argumentatio in eo satis inepta est, ita ut cum prudentia et ingenio Athanasii conciliari vix possit, laciniam istam ab eo esse adjectam. Quum enim a. 352 urgere posset consensum innumerorum Praesulum, tamen versus a. 360, quo ista ab eo addita esse supponi posset, de constantia multorum episcoporum gloriari non poterat. Valde infirmam etiam esse argumentationem ex Liberii et Hosii actis, quum ipsi succubuerint, nemo est qui non sentiat. „Quocumque cogitationem verto, ait Stiltingus, nequeo S. Athanasio attribuere addimenta illa de

---

[1]) Opinio quam exprimit P. Gams (K. G. Spaniens, II. S. 269) Athanasium incepisse libellum istum a. 356, sed finivisse a. 358, minus probabilis videtur. Historia enim illa aliaque ejusmodi opuscula potius festinanter ad petitionem aliorum ab Athanasio conscripta sunt.

lapsu Liberii et Hosii, sed totum potius istud fragmentum posterius existimo esse hominis indocti, qui nec linguam graecam perfecte noverat, et minus etiam artem ratiocinandi. Nam et particulis, quibus orationis partes conjunguntur, subinde male abutitur; et dictio ipsius aliquot locis haeret impedita; ratiocinia vero format plane misera. Quod si quis illa orationis vitia maxime orta credit ex parenthesibus de lapsu Liberii et Hosii postea adjectis, non contendam vehementer, modo fateatur, magis inepte insertas esse, quam ut attribuenda sint S. Athanasio" [1]. — Etiam in loco *Historiae Arianorum* n. 42, quae de Liberii lapsu inserta sunt, minus cum toto contextu congruunt, et argumentatio iterum admodum infirma est atque S. Athanasio parum digna. Praeterea si postea Athanasius quaedam in opus inseruit, quomodo id nunquam indicat? vel quare non mutavit dictionem in iis, quae de Leontio tanquam vivente scribit? Id tamen facere solent scriptores, si quaedam addunt scriptis antea editis. — Hisce igitur confirmatur sententia, additamenta de Liberio et Hosio non esse facta ab ipso Athanasio.

101. Si quis 4° nihilominus censet, textus citatos S. Athanasii esse, et ab ipso suis opusculis jam confectis insertos, merito supponendum est, Athanasium rumoribus falsis, forte etiam suppositis illis epistolis, deceptum fuisse. Id illis temporibus facile fieri potuit. Nonne e. g. communis eruditorum opinio est, S. Hilarium deceptum esse, dum credidit Hosium esse auctorem secundae formulae Sirmiensis? Facilius autem fieri potuit, ut Athanasius in eremo per plures annos latitans, Arianorum fraudibus falsa de Liberio audiret et crederet. Sane minus accurate dic- **Forte S. Athanas deceptus.**

---

[1]) L. c. §. VIII. n. 125. — Tillemontius tenet, Apologiam nonnisi a. 356 confectam, et etiam nn. 80, 90 tunc ab Athanasio conscriptos, sed postea ab eo parentheses de lapsu Liberii et Hosii insertas esse. Revera dictio tota multo elegantius fluit praecisis illis parenthesibus. Attamen reliqui critici indubium habent, jam circiter anno 352 Apologiam scriptam esse, et duos ultimos numeros postea adjectos. Forte tamen, uti innuit hic Stiltingus, impeditae illae parentheses de lapsu Liberii et Hosii alio etiam tempore insertae sunt.

tum est, *post biennium* ex exilio Liberium rediisse; ipsumque *metu mortis* defecisse incredibile est, quum minae mortis a Constantio episcopis exulibus haud solerent intentari. — Certe posteriores scriptores, Sulpitius Severus, Socrates, Sozomenus, Theodoretus, Athanasii relationem non sequuntur. Aut igitur haec, quod probabilissimum est, eorum aetate non adfuit, aut censuerunt eam non esse satis vero conformem.

S. Hieronymi textus.

102. Jam veniamus ad ea quae in operibus *S. Hieronymi* de lapsu Liberii habentur. In Chronico (confecto circa a. 380) legitur: *Olympiade CCLXXXII Romanae ecclesiae Episcopus XXXIV ordinatus est Liberius, quo in exilium ob fidem truso omnes clerici juraverunt, ut nullum alium susciperent. Verum cum Felix ab Arianis fuisset in sacerdotium substitutus, plurimi perjuraverunt, et post annum cum Felice ejecti sunt, quia Liberius taedio victus exilii et in haereticam pravitatem subscribens Romam quasi victor intraverat.* — In *Catalogo* autem *Scriptorum* c. 97 de Fortunatiano ista habentur: *Fortunatianus, natione Afer, Aquilejensis episcopus, imperante Constantio in evangelia titulis ordinatis brevi et rustico sermone scripsit commentarios. Et in hoc habetur detestabilis, quod Liberium Romanae Urbis episcopum pro fide ad exilium pergentem primus sollicitavit ac fregit et ad subscriptionem haereseos compulit.*

Expenduntur.

103. Praemonemus, in rebus historicis S. Hieronymi assertiones, dum aliquos incusant, haud semper posse haberi ut plane fundatas. Passim enim suo in haereticos odio, passim etiam vehementi animi indole Hieronymus aliquantisper abripitur, ut praepropere judicet vel in exaggerationem quamdam incidat[1]). Fieri igitur potuit, ut quum in Oriente degens opuscula illa scriberet, etiam sparsos de Liberii lapsu rumores crederet, praesertim si in ejus manus supposita documenta Arianorum inciderant. Majoris autem momenti est, testimonia citata inveniri in

---

[1]) Sic e. g. etiam culpae cleri Romani adscribit Tertulliani defectionem et Origenis condemnationem.

opusculis, quae constat passim interpolata esse, eosdemque textus characteres interpolationis prae se ferre.

104. Ad *Chronicum* quod spectat, non est operose probandum, ait Stiltingus, Chronicon S. Hieronymi in libris manuscriptis et editis corruptissimum fuisse multis additionibus et interpolationibus. Tale fuisse agnoscunt ipsi editores Pontaeus et Scaliger et cum illis Tillemontius[1]). — Graves vero adsunt rationes, ut censeamus, textum illum de Liberii lapsu interpolatum esse. Advertendum est, illa de perjurio cleri Romani et Liberii lapsu inveniri in *Praefatione libelli precum Faustini et Marcellini* et inde desumpta videri. Quae rem nostram spectant sunt haec: *Hi ergo* (Liberius, Hilarius, Lucifer,) *mittuntur in exilium pro fide servanda. Cum Liberio Damasus diaconus ejus se simulat proficisci, unde fugiens de itinere Romam rediit ambitione corruptus. Sed eo die quo Liberius ad exilium proficiscebatur, clerus omnis, id est presbyteri et archidiaconus Felix, et ipse Damasus diaconus, et cuncta Ecclesiae officia, omnes pariter praesente populo Romano sub jurejurando firmaverunt, se vivente Liberio Pontificem alterum nullatenus habituros. Sed clerus contra fas, quod minime decebat, cum summo perjurii scelere Felicem archidiaconum ordinatum in locum Liberii susceperunt. Quod factum universo populo displicuit, et se ab ejus processione suspendit. Post annos duos venit Ramam Constantius, pro Liberio rogatur a populo, qui mox annuens ait: Habetis Liberium, qui qualis a vobis profectus est, melior revertetur. Hoc autem de consensu ejus quo manus perfidiae dederat, indicabat. Tertio anno redit Liberius, cui obvians cum gaudio populus Romanus exivit. Felix notatus a senatu vel populo de Urbe propellitur,* etc. — Merito ea quae de Damaso ac de perjurio ejus clerique Romani hic dicuntur,

Chronicum interpolatum.

---

[1]) L c. n. 151. — Tillemont inter alia scribit T. XII. S. Jerôme, Art. 20: „Scaliger assure qu'il n' y a point de livres, dont les exemplaires et manuscrits et imprimés soient plus pleins de fautes Et il est aisé de le juger par la nature même de l'ouvrage. Les dernières éditions, qui passent pour les meilleures, font voir qu'on en avait ajouté beaucoup de choses dans les anciennes.“

habemus ut calumnias Luciferianorum et schismaticorum, qui Damaso etiam adulterium affingere studuerunt[1]). Nec probabile est, S. Hieronymum talia sive de Liberio sive de Damaso credidisse, suoque inseruisse Chronico, eo vel magis, quod illo tempore (380) jam scripsisset celebres suas ad Damasum de quaestionibus fidei litteras, in quibus Romanorum Pontificum auctoritatem fidemque inviolatam mire evehit, et a Damaso difficultatum solutionem postulat. Brevi post Damaso intima junctus est amicitia. — Caeterum ipsa dictio in Chronico *post annum cum Felice ejecti sunt,* valde confusa est. Facile fieri potuit, quum postea *libellus precum* cum Praefatione vulgaretur, ut illa Chronico S. Hieronymi adderentur[2]). Restat animadvertere, in antiquissimo codice Vaticano Chronici Hieronymi, illa de lapsu Liberii non inveniri[3]), et in codice Lucensi locum mancum esse, lacunam vero relictam haud sufficere ad illa verba recipienda, quae in editione communi quoad praevaricationem Liberii dicuntur[4]).

Textus suspectus vel corruptus.

105. Ea quae dicuntur *De viris illustribus* in elogio Fortunatiani, pariter valde suspecta sunt. Si verba sensu obvio sumuntur: *Fortunatianus Liberium ad exilium pergentem primus sollicitavit ac fregit,* manifeste sunt falsa.

---

[1]) Si conferas haec cum iis, quae habet de profectione Liberii Ammianus Marcellinus, facile videbis ineptam esse narrationem Praefationis libelli.

[2]) In Chronico S. Prosperi Aquitani (a. 455) ad Consules Philippum et Saliam, qui sunt anni 348, legitur: *Romanae Ecclesiae XXXIV ordinatur Liberius, quo in exilium nono episcopatus sui anno ob fidem truso, omnes clerici juraverunt, quod nullum alium susciperent. Verum cum Felix ab Arianis fuisset in sacerdotio substitutus, plurimi perjuraverunt, et post annum reverso in Urbem Liberio, cum Felice ejecti sunt.* — Forte jam Prosper interpolatum habuit S. Hieronymi Chronicon; attamen dum assignat exilium *nono* episcopatus anno, certe non sequitur S. Hieronymum, qui talem errorem non commisisset. Nihil habet de Liberii lapsu, quem si invenisset in suo exemplari Chronici Hieronymi haud tacuisset. Sed forte etiam hoc Chronicon Prosperi postea interpolatum est.

[3]) Zaccaria, Dissertationi di Storia eccles. Roma 1840; II. 317.

[4]) Vide Natal. Alex. In saec. IV. Diss. XXXII. a. 1. Nota Mansii.

Conveniunt enim omnes auctores illius aetatis, Liberium summa constantia in exilium profectum esse, et qui ejus lapsum commemorant, uti et ipsum Hieronymi Chronicum, eum fractum opinantur per aerumnas exilii. De sollicitatione Fortunatiani nemo loquitur, et quamvis supponere possimus, Liberium Mediolano Beroeam proficiscentem transiisse per Aquilejam et ibi a Fortunatiano fuisse tentatum, nullatenus probabile est, eum jam inde ab initio vacillasse. Sed quae de Fortunatiano hic narrantur apprime cohaerent cum iis, quae in suppositis Liberii epistolis de eodem dicuntur; magnae enim partes etiam in iisdem Fortunatiano quoad praevaricationem Liberii tribuuntur. Fieri igitur facile potuit, ut elogio Fortunatiani in opere *De viris illustribus*, juxta opinionem rumoresque de ipso sparsos aliquis illam adderet animadversionem. — Juvabit hoc loco ea quoque afferre, quae de reditu Liberii habet Rufinus S. Hieronymo coaevus. *Liberius,* ait, *urbis Romae episcopus Constantio vivente regressus est. — Sed hoc, utrum acquieverit voluntati suae* (Imperatoris) *ad subscribendum, an ad populi Romani gratiam, a quo proficiscens fuerat exoratus* (Imperator) *indulserit, pro certo compertum non habeo.*[1]). Animadvertendum vero, Rufinum diu Aquilejae vixisse; adeoque sane incredibile esset, eum nihil certi de lapsu Liberii comperiri potuisse, si tales in hac re fuissent partes Fortunatiani, qui paulo ante Aquilejae episcopus fuerat. Imo si Liberius revera lapsus esset, hic lapsus certe brevi plane notorius factus fuisset. Praevaricatio enim ejus supposita accidit praesentibus Imperatore, legatis Orientis et Occidentis Africaeque episcopis. Tale factum non potuisset latere vel dubium remanere, et Rufinus de eo facile certitudinem acquisivisset. Ex eo igitur quod de hac re, quamvis inquireret, non potuerit certior fieri, colligitur, nonnisi vanos rumores ab Arianis de Pontificis lapsu propagatos fuisse[2]).

Rufinus.

[1]) Hist. eccl. L. X. c. 27.

[2]) Cassiodorus vir eruditissimus suam Historiam tripartitam compilavit ex Socrate, Sozomeno et Theodoreto; Hieronymi quoque Chroni-

S. Hilarii textus.

106. De *S. Hilario* quae dicenda occurrunt, maxima parte jam iis quae superius disputavimus continentur. Sed affertur ex ejus *Contra Constantium* libello certe genuino textus, quo Liberii lapsum commemorari varii auctores existimant. Imperatorem alloquens: *Vertisti deinde,* inquit, *usque ad Romam bellum tuum, eripuisti illinc Episcopum; et o te miserum, qui nescio utrum majore impietate relegaveris, quam remiseris*[1])! Cl. Hefele statuit, Hilarium ibidem hoc emphatico loquendi modo ad *factum notissimum* lapsus Liberii alludere. Secundum opinionem, cui Hefele suffragatur, hic lapsus Liberii in eo consistit, quod libello plurium formularum Sirmii a Basilio Ancyrano et sociis ejus confecto, impellente Imperatore, subscripserit. At quomodo potuisset S. Hilarius ob hoc factum vehementer in Imperatoris impietatem invehere, dum Basilium et socios ejus, uti vidimus, habet ut carissimos fratres et sanctissimos viros qui Sirmii nihil proposuerint quod suspicionem relinquat? Ista profecto non cohaerent. — Invehit S. Hilarius in impietatem Constantii, quod reditum permittens Liberio jusserit duos, ipsum et Felicem, Romae esse episcopos, et ita turbas et scissionem in Ecclesia promoverit. Etiam concilium Ariminense in sua ad Constantium epistola scribit: *Magis turbatio cunctis regionibus et praecipue ecclesiae Romanae immissa est.*[1]) Videlicet post reditum Liberii haud statim pax et concordia restitutae sunt, sed illud impium Imperatoris jussum, ut simul Felix et Liberius ecclesiam administrarent, turbationem fecit perdurare. — Stilting l. c. n. 156 impietatem a S. Hilario notatam eam esse putat, quod pessimi de Liberio rumores et calumniae ab Imperatore et Arianis sparsi sint, ac si ipse Arianorum doctrinis consenserit. Haec explicatio, quamvis etiam sit apta, minus tamen obvia videtur.[2])

---

cum aliaque opera certe noverat, et commendat librum de *Viris illustribus.* Quae vero Liberium spectant secundum Theodoretum narrat, nihilque habet de ejus lapsu. Valde probabile est, eum in S. Hieronymo nihil ea de re invenisse.

[1]) N. XII. [2]) Sozom. H. E. l. IV c. 18.

[3]) Scripsit S. Hilarius libellum *Contra Constantium* a. 359 vel

107. Vix operae pretium est, ut commemoremus accusationem superius citatam in Liberium, quae continetur in *Praefatione libelli precum Faustini et Marcellini.* Quam inepta sint ea quae ibidem habentur vel ex eo colliges, quod Liberius jam lapsus perhibetur antequam Constantius Romam venisset. Caeterum asseclae factionis schismaticae Luciferianorum universim episcopos catholicos impetebant ut contaminatos communione cum Arianis, veritatem parum curabant, et ipsum quoque S. Hilarium arguunt, dum de scriptis ejus loquentes addunt: *Licet postea vero interruperit favens praevaricatoribus, ut non dicamus interim quia (ubi) et haereticis, in quos eloquentiae suae viribus peroraverat*[1]). Caeterum dum dicitur ab illis *Liberius dedisse manus perfidiae,* per se nondum significatur, eum adhaesisse haereticis vel formulae subscripsisse, sed quamcumque in Semiarianos moderationem rigoristae illi tali modo significare potuerunt. Libellus precum.

108. Restat *Philostorgius* scriptor Arianus; ejus opus historicum deperditum est, sed epitome eorum quae refert Philostorgius.

---

360 quum adhuc in exilio esset, uti videtur Constantinopoli, (cf. Reinkens, Hilar. v. Poitiers S. 234). Per se fieri potuisset, ut tunc Hilarius aliquid tribuisset calumniis Arianorum de Liberii lapsu, ac deceptus fuisset, vel anceps haesisset. Censemus tamen, ejus verba sensu quem diximus intelligenda esse. — De Felicis pontificatu admodum diversa sunt eruditorum judicia. Tillemont, Natalis Alexander, Orsi, Palma censent, eum inter legitimos Pontifices censeri non posse. Ab Arianis enim fuit ordinatus, fideles Romani ejus communionem fugerunt, adeoque ut Liberii vicarius haberi nequit. SS. Augustinus et Optatus Milevitanus RR. Pontificum seriem recensentes hujus Felicis mentionem haud faciunt. — Baronius tamen, Bellarminus, Sollerius Bollandista aliique arbitrantur, Felicem legitimis Pontificibus adnumerandum esse. Variis suppositionibus rem explicant. Sed quamvis Felix a doctrina orthodoxa non recesserit, aegre intelligitur, quomodo legitimus Pontifex esse potuerit. Advertit Em. Hergenröther (K G. III. p 106), hanc ultimam sententiam magis invaluisse, quando medio aevo opinio de lapsu Liberii propagata fuit Nec ei favet multum, quod a. 1523 Romae corpus inventum fuerit et inscriptio lapidi sepulchrali insculpta: *Corpus S. Felicis Papae et Mart. qui condemnarit Constantium.* Potuit enim nomen antiquioris martyris cum nomine hujus Felicis confundi. V. Hergenröther l. c.; Wouters, H. e. tom. I. p. 214.

[1]) Lib. precum Faustini et Marcellini; ed. Sirm. p. 141.

exhibet Photius. Is L. IV. n. 3 scribit: *Ipse vero* (Constantius) *Sirmium profectus illic consedit. Quo quidem tempore etiam Liberium episcopum urbis Romae, quem Romani summo studio flagitabant, ab exilio revocatum suis civibus reddidit. Tunc etiam eumdem Liberium et una cum illo Hosium episcopum contra consubstantialis vocabulum et contra Athanasium subscripsisse, ait Philostorgius; cum synodus quaedam illic collecta esset et supramemoratos in sententiam suam pertraxisset. Postquam vero subscripsissent, Hosium quidem ad sedem suam, Cordubam scilicet Hispaniae, reversum ecclesiam ejus loci gubernasse, Liberium vero Romanae ecclesiae praefuisse.* Manifestum est, falsum rumorem, quem sparserunt Ariani dum lapsus supponitur Hosius, de consensu Liberii in eamdem haeresim, hic narrari a Philostorgio calumniatore Ariano pro vera historia. Falsitas ex eo luculenter patet, quod utrumque simul lapsum ac simul ad ecclesiam suam remissum asserat, cum constet Hosium (si reversus est), rediisse anno 357, Liberium anno 358[1]).

Conclusio. 109. Omnibus igitur perpensis statuimus, lapsum Liberii Pontificis esse fictitium, Liberium nec in haereticam incidisse pravitatem, nec perfidiae haereticorum manus dedisse; Pontificem hunc revera nulli formulae Sirmiensi subscripsisse nec alii documento, quo a professione vocis homousios per Nicaenos Patres sancita recederet; nec eum S. Athanasium damnasse vel cum Arianis communionem iniisse.

Caeterum, etiamsi Athanasium Liberius condemnasset et cum Arianis communionem iniisset, propterea tamen nullatenus a fide defecisset. Quamvis enim, quod Athanasium attinet, omnes Arianorum irae in ipsum ex eo orirentur, quod strenuus fidei Nicaenae propugnator erat, hi tamen eum non fidei Nicaenae, sed criminum nomine accusabant, et hinc subscriptio in ejus condemnationem actus merae injustitiae fuisset. — Nec communione cum

---

[1]) Non est, cur ea commemoremus quae de Liberii praevaricatione in *Catalogo Feliciano*, in *Libro Pontificali*, et in *Actis S. Eusebii* habentur. Omnes enim conveniunt, haec documenta, in iis quae ad Liberii tempora pertinent, fabulosa non pauca continere.

Arianis Liberius a fide defecisset. Nam cum inter eos qui universim Ariani vel Eusebiani dicebantur, complures essent quorum fides integra videbatur, et qui potius de formulis litigabant, communicatio cum iis non jam communicatio erat cum hominibus manifeste haereticis, nec proinde approbatio haeresis. — Si Liberius autem subscripsisset formulae Sirmiensi primae, vel formulis contentis in libello a Sozomeno commemorato, nulli tamen haeresi subscripsisset, quum formulae eam non continerent, *non fidem* Nicaenam, sed *vocabulum* tantum a Synodo Nicaena jure adoptatum deseruisset. Si vero Liberius minis adactus, professioni fidei vere haereticae, uti erat formula Sirmiensis secunda, subscripsisset et cum Arianis manifestis communionem iniisset, hac in re non e cathedra docuisset, atque haud in fide docenda sed confitenda defecisset. Etenim privata metu ac vi extorta Pontificis subscriptio in aliquem errorem, non eos praesefert characteres, qui ad decisionem fidei ex cathedra datam requiruntur. — Caeterum omnia haec nullatenus accidisse, Dissertatione nostra probatum esse censemus.

Dissertatio septima.

De Arianismi decrementis, ac de Concilio Constantinopolitano I.

Dissertationis indoles.

1. Ad ea pervenimus tempora, quibus paulatim Arianorum haeresis decrevit ac demum fere exstincta est, donec medio aevo iterum quaedam ejus vestigia apparuere. Quum vero ea imprimis paucis exponenda sint, quae in concilio Ariminensi acciderunt, animadvertere juvabit, specietenus quidem illis eventibus Arianismum ad fastigium dominationis suae pervenisse. Attamen quum Praesules ibidem nonnisi fraudibus decepti et violentia adacti manus victas dare visi sint, victoria ejusmodi Arianismi plane illusoria erat, imo in se ipsa continebat rationem, cur aedificium illud haereticae perfidiae brevi collaberetur. Unde quae ad concilium Ariminense pertinent haud incongrue adjicere potuimus huic Dissertationi, in qua *de Arianismi decrementis* agitur. Nec minus ad hoc permoti sumus ea externa ratione, quod praecedenti Dissertationi haec non bene adnecti possent, quum eadem, tractata quaestione de Liberii lapsu, in se esset satis definita atque completa.

2. Agemus in hac Dissertatione simul de *Concilio CPtano primo* (oecumenico secundo), in quo Macedonii haeresis Spiritus Sancti divinitatem negans condemnata fuit. Quamvis enim Macedonianismus ab Arianismo distinctus sit, tamen haeresis illa intime cum Arianorum erroribus cohaeret, ad historiam pertinet Arianismi, et ejus veluti evolutio fuit. Unde ad exstinctionem haeresis Arianae

decreta Concilii oecumenici secundi plurimum contulerunt; eaque Synodus sua definitione de divinitate Spiritus Sancti catholicam de Sanctissima Trinitate doctrinam, ab Arianis turbatam et impetitam, egregie declaravit et vindicavit.

Conferri possunt de his quaestionibus: Natalis Alexander, *H. E. Saec. IV. Dissert. XXXIII et XLIII;* Corgne, *Dissert. crit.-theol. de Concilio Arimin.;* Tillemont, *Mem. t. VII.;* Palma, *Praelect. histor., Tom. I. P. II. cc. XIII sqq.* Möhler, *Athanasius der Grosse, B. II.* et *K. Gesch. B. I. Zweite Periode, K. II. §§. 5, 6, 7*; Baronii *Annales;* historici antiqui *Socrates, Sozomenus, Theodoretus;* Hefele, *C. G., B. I. §. 86 sqq., B. II. §. 95 sqq.;* Hergenröther, *K. G. B. I. C. II. nn. 65 sqq. et B. III. nn. 65 sqq.;* auctores ibidem commemorati, aliique quos decursu Dissertationis citabimus.

I.

De Arianismi decrementis.

3. Concilium Ariminense. Jam vidimus, Constantium Imperatorem ad componenda dissidia et stabiliendam ubique doctrinam Semiarianorum anno 359 jussisse, episcopos orientales Seleuciam in Isauria, occidentales Ariminium in Aemilia convenire. Hac de re concinne Sulpitius Severus: *Igitur apud Ariminium urbem Italiae* (Imperator) *synodum congregari jubet, idque Tauro praefecto imperat, ut collectos in unum non ante dimitteret, quam in unam fidem consentirent, promisso eidem consulatu, si rem effectui tradidisset. Ita missis per Illyricum, Italiam, Africam, Hispaniam, Galliasque magistris officialibus, acciti aut nacti quadringenti et aliquanto amplius occidentales episcopi Ariminium convenere, quibus omnibus annonam et cellaria dare Imperator praeceperat. Sed id nostris, id est Aquitanis, Gallis ac Britannis, indecens visum est; repudiatis fiscalibus propriis sumptibus vivere maluerunt. Tres tantum ex Britannia inopia proprii, publico usi sunt, cum oblatam a caeteris collationem respuissent, sanctius putantes fiscum*

Concilii congregatio.

gravare quam singulos. Hoc ego Gavidium episcopum nostrum quasi obtrectantem referre solitum audivi, sed longe aliter senserim, laudique attribuo episcopis tam pauperes fuisse, ut nihil proprii haberent, neque ab aliis potius quam fisco sumerent, ubi neminem gravabant; ita in utrisque egregium exemplum. De reliquis nihil memoria dignum traditur; sed redeo ad ordinem[1]).

Praesulum fides orthodoxa.

4. Ex episcopis congregatis, secundum Sulpitium Severum octoginta Ariani erant. Imprimis Ariani, uti vidimus, postularunt, ut abrogatis cunctis fidei formulis ante editis, reciperetur formula Sirmiensis tertia a Constantio approbata, in qua Filius Patri per omnia similis dicebatur. Verum cum in hac formula voces *substantia* et *consubstantialis* essent diserte suppressae, episcopi catholici illam accipere noluerunt, sed Nicaenum fidei symbolum confirmantes, Arianam haeresim ejusque sectatores iterum damnarunt. His absolutis ad Imperatorem legatos miserunt qui ei de rebus in concilio gestis renuntiarent, et episcopis redeundi ad ecclesias suas facultatem ab eodem peterent.

Legatio ad Imperat.

5. Quae evenerunt, compendio Sulpitius Severus ita enarrat: „Ad postremum placuit decem legatos mitti ad Imperatorem, ut quae esset partium fides et sententia cognosceret, sciretque pacem cum haereticis esse non posse. Idem Ariani faciunt, mittuntque numero pari legatos, qui adversum nostros coram Imperatore confligerent. Sed ex parte nostrorum leguntur homines adolescentes, parum docti et parum cauti; ab Arianis autem missi senes, callidi, et ingenio valentes, veterno perfidiae imbuti, qui apud regem facile superiores exstiterunt. Sed nostris mandatum, ne quo modo cum Arianis communionem inirent, omniaque integra synodo reservarent. . . .“

6. „Interea legatos Ariminensis concilii ex parte nostrorum compellit Imperator, uniri haereticorum communioni, eisdemque conscriptam ab improbis fidem tradit, verbis fallentibus involutam, quae catholicam disciplinam perfidia latente loqueretur. Namque *Usiae* verbum tanquam

---

[1]) Hist. sacr. l. II.

ambiguum et temere a Patribus usurpatum, neque ex auctoritate Scripturarum profectum, sub specie falsae rationis abolebat, ne unius cum Patre substantiae Filius crederetur. Eadem fides similem Patri Filium fatebatur. Sed interius aderat fraus parata, ut esset similis, non esset aequalis. Ita dimissis legatis praefecto mandatum, ut synodum non ante laxaret, quam conscriptae fidei consentire se omnes subscriptionibus faterentur. Ac si qui pertinacius obsisterent, dummodo is numerus intra quindecim esset, in exilium pellerentur.“

7. „Sed regressis legatis, licet vim regiam deprecantibus, negata communio. Enimvero compertis quae decreta erant, major rerum et consiliorum perturbatio; dein paulatim plerique nostrorum partim imbecillitate ingenii, partim taedio peregrinationis evicti dedere se adversariis, jam post reditum legatorum superioribus, et ecclesiam, nostris inde detrusis, obtinentibus, factaque semel inclinatione animorum catervatim in alteram partem concessum, donec ad viginti usque nostrorum numerus imminutus est. Sed hi quanto pauciores, tanto validiores erant. Constantissimusque inter eos habebatur noster Faegadius (Phoebadius) et Servatio Tungrorum episcopus; hos quia minis et terriculis non cesserant, Taurus precibus aggreditur, ac lacrymans obtestatur, mitiora uti consulerent. Causas intra unam urbem episcopos jam septimum mensem agere, injuria hiemis et inopia confectis nullam spem reversionis dari; quis tandem esset finis?[1]) Sequerentur plurium exemplum, auctoritatem ex numero sumerent. Et enimvero Foegadius paratum se exilio atque ad omne supplicium Praesulum vexae.

[1]) Ex hoc loco patet, orientales scriptores rerum occidentalium satis rudes fuisse. Graeci quippe Socrates et Sozomenus tradunt, cum Constantius episcopis Ariminensibus respondere non dignaretur, singulos ad suas ipsorum civitates reversos esse (Socr. II. 29 — Sozom. IV. 18). Quod falsissimum commentum plenissima et accurata Sulpitii relatio confutat, quam ab ipsis qui interfuerunt Aquitaniae episcopis haud dubie hausit. Igitur non alii quoad res hujus concilii fides habenda est. Et fatetur Sozomenus, nihil certi de exitu Ariminensis concilii se proferre posse.

in quod deposceretur, profiteri, se ab Arianis conceptam fidem non recepturum."

Arianorum fraudes.

8. „Ita in hoc certamine aliquot dies tracti, ubi parum ad pacem proficiebant, paulatim et ipse infractior, ad extremum proposita conditione evincitur. Namque Valens et Ursacius affirmantes, praesentem fidem catholica ratione conceptam, ab orientalibus Imperatore auctore prolatam, cum piaculo repudiari, ut quis discordiarum finis foret, si quae orientalibus placuisset, occidentalibus displiceret? Postremo si quid minus plene praesenti fide editum videretur, ipsi adderent quae addenda putarent, praebituros se in his quae essent adjecta consensum. Favorabilis professio pronis omnium animis excepta; nec ultra nostri repugnare ausi, jam quoquo modo finem rebus imponere cupientes. Dein conceptae a Foegadio et Servatione professiones edi coepere; in queîs primum Arius totaque ejus perfidia damnatur, caeterum non etiam Patri aequalis, et sine initio, sine tempore Dei filius pronuntiatur. Tum Valens tanquam nostros adjuvans subjecit sententiam, cui inerat occultus dolus, Filium Dei non esse creaturam sicut caeteras creaturas, fefellitque audientes fraus professionis. Etenim his verbis quibus similis esse caeteris creaturis Filius negabatur, creatura tamen potior tantum caeteris pronuntiabatur. Ita neutra pars vicisse se penitus aut victam putare poterat; quia fides ipsa pro Arianis, professiones vero postea adjectae pro nostris erant, praeter illam quam Valens subjunxerat, quae tum non intellecta, sero demum animadversa est. Hoc vero modo concilium dimissum, bono initio, foedo exitu est consummatum"[1]).

Formula acceptata.

9. Formula quae a Patribus suscepta fuit eadem fere est, ac Sirmiensis tertia, quam Arimini inde ab initio Valens et Ursacius proposuerant. Vox substantiae removetur; *imo,* addunt, *nec hypostasis de Patre et Filio et Spiritu Sancto nominari debet. Similem autem dicimus Patri Filium, ut loquuntur et docent divinae Scripturae.* — His vel ipsa formula Sirmiensis tertia attenuatur, quum in ea

---

[1]) L. c.

Patri Filius *secundum omnia similis* dicatur. Additamenta autem orthodoxorum Patrum videntur contineri illis anathematismis quos S. Hieronymus dicit a Valente, ut securos redderet orthodoxos, prolatos fuisse: *Si quis negat, Christum Deum, Dei Filium ante saecula genitum, anathema sit. Ab universis consonatum est: anathema sit. Si quis negat, Filium similem Patri secundum Scripturas, anathema sit. Omnes responderunt: anathema sit. Si quis Filium Dei non dixerit aeternum cum Patre, anathema sit. Ab universis conclamatum est: anathema sit. Si quis dixerit creaturam Filium Dei, ut sunt creaturae caeterae, anathema sit. Similiter dictum est: anathema sit. Si quis dixerit de nullis exstantibus Filium, et non de Deo Patre, anathema sit. Omnes conclamaverunt: anathema sit. Si quis dixerit, erat tempus quando non erat Filius, anathema sit.*[1]).

An Patres in haeresim lapsi.

10. Si haec quae Arimini acciderunt consideras, facile videbis, Patres Ariminenses neque a catholica fide defecisse, neque in Arianam haeresim lapsos esse. Verba enim formulae per se orthodoxa erant; saltem catholicam expositionem patiebantur. Nam Filius profecto sensu catholico dici potest *Patri similis,* modo intelligatur similitudo substantialis, quae promanet a participatione ejusdem cum Patre substantiae seu naturae divinae. Consenserunt quidem Patres Ariminenses in suppressionem vocum *substantia* et *consubstantialis;* at id minime fecerunt mente Ariana vel in sensu Arianorum; sed horum fraudibus decepti vexisque lacessiti, existimabant, fidem aliunde in tuto esse, voces istas ad conservandam fidem non esse absolute necessarias, et propterea non esse differendam orientalis cum occidentali Ecclesia unionem. Quum igitur opinarentur, fidem additis praesertim illis declarationibus orthodoxis in tuto positam esse, cesserunt adversariis. Qua in re quidem improvide egerunt, negligentes formulam Nicaenam catholicam, seseque infirmiores praebuerunt, quum propter notas Arianorum fraudes timor fundatus remaneret, ne haereticae pravitati, admissa illa formula, aditus pandere-

[1]) Dialog. adv. Lucifer.

tur. Sed in haeresim Arianam illi Patres nullatenus lapsi sunt. — Citantur interdum verba S. Hieronymi, in *Dialogo contra Luciferianos* de concilio Ariminensi dicentis: *Tunc Usiae nomen abolitum est, Nicaenae fidei damnatio conclamata est; ingemuit totus orbis et Arianum se esse miratus est.* Sed Hieronymum haec dixisse hyperbolico et emphatico loquendi modo, manifestum est, quum in Dialogo illo contra Luciferianos totus in eo sit, ut Patres Ariminenses a praevaricatione defendat. Itaque illis verbis consectaria potius prae oculis habet admisssionis illius formulae, et discrimen in quod fides vocata sit propter sensum, quem Ariani ei attribuebant; ingemuisse dicit figura rhetorica totum orbem et *miratum esse,* quod *nolens* improviso Arianismo se constrictum videret. — Dum vero aliqui Patres de Praesulibus Ariminensibus loquuntur, ac si causam fidei prodidissent, etiam ipsi vehementiori loquendi modo utuntur ob tristem rerum exitum. Attamen revera illi Praesulibus Ariminensibus non crimini dant, quod a fide catholica ad Arianam haeresim defecerint, sed quod non ea qua par erat constantia causam fidei defenderint, a fraudibus Arianorum non satis sibi caverint, cum iis communionem inierint, et omnes Catholicos haereticorum conviciis et malis artibus exposuerint.

Concilium Seleuciense

11. Eodem tempore quo concilium Arimini habebatur, Seleuciam jussu Constantini convenerant orientales episcopi centum et sexaginta. Ex his plerique (106) erant Semiariani, inter quos etiam S. Cyrillus Hierosolymitanus; Ariani ex S. Hilario[1]) decem et novem, juxta alios triginta vel quadraginta; pauci, videlicet Aegypti Praesules, Athanasii amici, orthodoxi erant. Adfuit etiam S. Hilarius, qui adhuc in Oriente exul degebat. Mox vero inter diversas Arianorum factiones tanta acritudine disceptatum est, ut Leonas comes concilii praefectus illud dissolutione finierit. — Tunc dissensiones inter partes Arianas auctae sunt. Semiariani Acacium Caesariensem, Eudoxium Antiochenum, Georgium Alexandrinum aliosque vocabulum

---

[1]) Contra Const. n. 12.

homoeousion reprobantes, deposuerunt et excommunicarunt. Acacius vero aliique convenientes Constantinopolim Macedonium CPtanum, Basilium Ancyranum aliosque Semiarianos deposuerunt, proscriptis vocibus *substantia* et *subsistentia* Ariminensem formulam confirmarunt, atque juvante Constantio, a multis episcopis orientalibus obtinuerunt, ut huic formulae adhaererent. Eudoxius, deturbato Macedonio, invasit sedem Constantinopolitanam, Antiochenam accepit Meletius, quo brevi post ob catholicae fidei professionem ejecto, eam invasit Euzoius Arianus. Quum hac ratione tum Occidentis tum Orientis plurimi episcopi in formulam Ariminensem consensissent, Arianismus a. 360 ad fastigium suae dominationis pervenisse videbatur.

12. Sed anno 361 die 3 Novembris *mortuus est Constantius* Imperator, ejusque obitu sectae Arianorum acerbum vulnus inflictum. Nam ejus successor *Julianus* nec Arianos nec Catholicos in suam tutelam recepit; imo exules omnes episcopos redire jussit, ut rem Christianorum domesticis litibus pessumdaret. Ita factum est, ut tot ecclesiae viduatae praesertim in Occidente suos reciperent pastores, ac plurimi Arianorum metu lapsi reverterentur ad castra Catholicorum; qui nihil magis curarunt, quam ut allatis malis mederentur, et eos quos Arianorum vis vel fallaciae ad tempus seduxerant, cum Ecclesia reconciliarent. S. Athanasius Alexandriam redux a. 362 episcoporum viginti synodum coëgit, in qua constitutum est, ut lapsis in haeresim Arii, si erroris aut impietatis cujuspiam artifices auctoresque fuissent, venia quidem rogantibus concederetur, sed ab officiis deturbati ipsi inter laicos computarentur; sin decepti et vim passi eo prolapsi essent, ut cum haereticis communionem et societatem haberent, veniam et locum pristinum in clero esse concedendum, ea tamen lege admittendos esse censuerunt, ut haeresim Arianam damnarent. Eadem ratione etiam in Occidente actum est. Liberii hac in re maximas partes fuisse ex variis documentis colligitur; ei autem subsidio fuerunt praecipue S. Eusebius Vercellensis et S. Hilarius, qui legatione Apostolicae Sedis functi esse videntur.

Julianus Imp.

Liberii epistola.

13. In epistola Liberii ad orientales episcopos Semiarianos a. 365 data (de qua inferius sermo recurret) Pontifex scribit: *Fides in hypostasi et in consubstantialis vocabulo comprehensa, tanquam firmum et inexpugnabile monumentum impetus omnes et machinas Arianae dementiae reprimit ac repellit. Quocirca quum omnes occidentalium partium episcopi Ariminum convenissent, quo illos Arianorum improbitas convocaverat, eo consilio ut blanda persuasione seu, quod verius est, saecularis potentiae auctoritate coacti, id quod in fide cautissime positum fuerat tollerent aut oblique negarent: nihil profecit illorum versutia. Etenim omnes propemodum illi, qui tunc apud Ariminum collecti partim illecebris partim dolo decepti fuerant, nunc ad sanam mentem reversi, formulam fidei ab Ariminensi concilio editam anathemate damnarunt, et catholicae atque apostolicae fidei olim apud Nicaeam promulgatae subscripserunt. . . Significamus autem vobis ne sitis nescii, omnes Ariminensis concilii blasphemias ab illis ipsis qui tunc per fraudem decepti esse videntur, anathemate damnatas esse, et universos in Nicaenam fidem conspirantibus animis consensisse.*[1]) Ita igitur fides catholica in Oriente et Occidente brevi tempore firmata fuit.

Schisma Antiochenum.

14. Juvabit hoc loco paucis tangere *schisma Antiochenum* ac *schisma Luciferianorum,* quum Arianorum occasione ista schismata orta sint. Quum anno 360 Eudoxius episcopus Antiochenus Arianus sedem CPtanam obtinuisset, Meletius episcopus Sebastenus communi plurium, sed non omnium, orthodoxorum et Arianorum consensu ecclesiae Antiochenae Praesul electus est. Sed paulo post ipse propter catholicae doctrinae professionem in exilium missus est; Ariani vero ei suffecerunt Euzoium Arii disci-

---

[1]) Socrat. H. E. l. IV. c. 12. — Exstat etiam Liberii epistola ad episcopos Italiae, quae si genuina, circa a. 363 scripta est. In ea ille modus reconciliationis determinatur qui et in concilio Alexandrino definitus fuit. Sed valde dubium est, utrum haec epistola sit Liberii. Stilus enim satis barbarus et hispidus valde diversus est ab illo, qui in genuinis Liberii epistolis invenitur, conformis autem stilo epistolarum suppositarum.

pulum. Hoc pacto ecclesia Antiochena in tres factiones scissa est, videlicet Arianorum qui Euzoium sequebantur; Meletianorum, qui licet catholici Meletii partes tuiti sunt; et Eustathianorum, qui inde a depositione Eustathii fideles in orthodoxia remanserant atque Meletium quoque respuebant, quia in ejus electionem etiam Ariani votum dederant.

15. Exasperavit hoc malum post mortem Constantii praeceps fervor Luciferi Calaritani, qui a. 362 Antiochiam veniens Paulinum presbyterum e factione Eustathianorum intempestive ordinavit episcopum, invitis caeteris qui Meletio adhaerebant. Sopitum denique fuit ad tempus ecclesiae hujus schisma mutua Meletii et Paulini conventione, ut uterque suam regeret partem, defuncto autem alterutro superstes omnium esset episcopus. Sed quum Meletius a. 381 Constantinopoli mortuus esset, Meletiani ordinaverunt Flavianum in successorem Meletii, atque ita, quamvis in doctrina fidei omnes essent concordes, scissio perduravit. Anno 388 Paulinus antequam moreretur Evagrium sibi successorem ordinavit. Episcopi orientales passim communicabant cum Flaviano, quemadmodum cum Meletio fecerant; Pontifex vero et Occidentales cum Evagrio, sicut cum ejus decessore Paulino; catholica tamen communio inter eos rupta non erat, neque ulla pars alteram ab ea absciderat. Cum vero ex ejusmodi divisione mala graviora et schismata sequi potuissent, de ea actum est a. 389 in synodo Capuana, quae causae illius cognitionem delegavit Theophilo patriarchae Alexandrino, tum quod dignioris in Oriente sedis esset episcopus, tum quod neutri parti addictus una cum Aegypti episcopis dissidia facilius componere posset. Siricius papa de eadem re interpellavit Theodosium Imperatorem. Verumtamen divisio non fuit composita. Anno 392 defuncto Evagrio solus Flavianus permansit episcopus, sed Antiocheni qui Evagrio adhaeserant, privatim conveniebant, et cum Flaviano non communicabant. Hic a. 398 legatos misit ad Apostolicam Sedem, et Anastasius, qui eo anno Siricio successerat, Flaviani ordinationem ratam habuit eique com-

munionis litteras concessit; unde concordia inter episcopos restituta fuit. Demum Alexander, qui anno 413 patriarcha Antiochenus creatus est, omnes Eustathianos blanda persuasione ad unam eamdemque cum aliis communionem perduxit.

Schisma Luciferianorum. 16. Quod ad *schisma Luciferianorum* attinet, nomen quidem habet a Lucifero Calaritano episcopo, viro optime de fide catholica merito, sed animi vehementioris ac rigidioris. Quum a. 362 Paulinum ordinasset Antiochiae episcopum, id displicuit Eusebio Vercellensi qui paulo post Antiochiam venit, atque ita aliqua dissensio inter hos fidei orthodoxae defensores exorta est[1]). Praeconceptam animi acerbitatem Luciferi, Alexandrinae synodi decreta de recipiendis in pristinos gradus episcopis qui Arianis consensissent, ita auxerunt, ut cum his episcopis nollet communicare. Utrum vero etiam a catholica unitate recesserit, valde dubium est; imo probabilius esse censemus, eum haud eousque progressum esse, quamvis etiam episcopis catholicis, qui in recipiendis lapsis consenserunt, se infensum ostenderet[2]). Sed asseclae ejus, qui praesertim in Hispania, necnon in Italia, Gallia et in Oriente dispersi erant, post mortem Luciferi (circa a. 370), ejus nomine et auctoritate abusi schisma confecerunt. Haeresim etiam adjunxerunt, contendentes baptizatos et ordinatos ab haereticis esse iterum baptizandos et ordinandos. Usque ad saec. V factio illa Luciferianorum perduravit. — Sed jam ad ordinem eventuum redeamus.

Jovianus Imp. 17. Quum mense Junio anni 363 *Julianus* Apostata interiisset, imperium delatum est *Joviano,* viro pietate et studio religionis christanae insigni. Sub ipso totus propemodum Occidens et Orientis haud exigua pars decreta Concilii Nicaeni suscepit. Acacius Caesariensis et qui cum eo sentiebant, metuentes, ne sicuti ipsi Catholicis fecerant,

---

[1]) Dixeris, Eusebium et Luciferum in Oriente legatione Sedis Apostolicae functos esse, tali enim cum auctoritate res disposuerunt, ut non videantur tantum caritatis officia explevisse.

[2]) Cfr. Socrat., H. E. III. 9. Sozom. V. 13. Rufinum X. 30. Sulpitium Severum II. 46. Hieron. Dialog. adv. Luciferianos.

ab ecclesiis suis ejicerentur, eo tempore a Meletio patriarcha Antiocheno, quem ab Imperatore in urbe ista agente summo in pretio haberi noverant, synodum postularunt. In ea Acacius et alii vigintiquinque episcopi ejus sequaces una cum Meletio synodi praeside, voce *consubstantialis* et Nicaena fide admissis, unionem cum Catholicis inierunt.

18. Sed brevi post Joviano praematura morte exstincto, Imperium divisum fuit, et *Valentinianus* in Occidente Mediolani, *Valens* ejus frater in Oriente Constantinopoli regnarunt. Valentinianus catholicae fidei professione claruit, pacifica tamen aliorum cultuum exercitia toleravit. Quum sub ipso defensio fidei orthodoxae ab omnibus vexis libera esset, in Occidente Arianismus paene exstinctus est. Sed in Oriente Valens a conjuge sua Ariana et ab Eudoxio episcopo CPtano circumventus, ab initio favit Arianis, et quidem Anomoeis, aliter vero sentientes graviter persecutus est. Nihilominus sub ipso Semiariani complures secuti sunt exemplum Acacii et sociorum ejus, ac vocem *consubstantialis* et Nicaenam fidem receperunt. Quum videlicet ipsi ab Arianis premerentur, ac Valens Imperator eos ad communicandum cum Anomoeis compelleret eorumque ecclesias his traderet; illi sic vexati per singulas civitates legatos inter se miserunt, variisque etiam locis concilia celebrarunt. Postremo in hanc convenerunt sententiam (Socrat. IV. 12), *necessario confugiendum esse tum ad fratrem Imperatoris* (Valentinianum), *tum ad Liberium Romanae Urbis Episcopum, eorumque fidem amplectendam potius, quam ut cum Eudoxio* (Ariano) *communicarent. Mittunt igitur Eustathium Sebastae episcopum, . . . Silvanum Tarsi Ciliciae, et Theophilum Castabulorum, quae etiam Ciliciae urbs est, mandantque, ne in fide dissentiant a Liberio, sed cum ecclesia Romana communionem ineant, fidemque consubstantialis suo consensu confirment. . . . Hi ergo Romam venerunt. Et Imperatorem quidem ipsum adire eis non licuit, quippe qui bello contra Sarmatas districtus in Galliis teneretur. Liberio vero litteras suas porrexerunt. Ille initio quidem eos admittere recusabat, Arianarum partium eas esse dicens, nec ab Ecclesia suscipi posse,*

Valentinianus et Valens.

Semiarianorum reconciliatio.

utpote qui Nicaenam fidem abrogassent. At illi se dudum resipuisse et veritatem agnovisse responderunt, et Anomoeorum quidem doctrinam ejurasse jam pridem, Filium vero Patri per omnia similem confessos esse, nec ullatenus differre consubstantialem a simili. — Nimirum, si utraque vox recte exponatur, ut exponitur utraque a S. Hilario in libro *de Synodis.* At illa ratio legatos non juvisset apud Liberium, nisi formulam Nicaenam cum voce *consubstantialis* admisissent. — *Quae cum dixissent,* pergit Socrates, *sententiae suae professionem scripto comprehensam Liberius ab eis exegit. Illi ergo libellum ei obtulerunt, in quo verba etiam fidei Nicaenae erant adscripta. . . Hoc libello quum legatos quasi cautione quadam Liberius obligavisset, eos in communionem suscepit, datisque litteris dimisit.*

19. Istae litterae in inscriptione habent sexaginta et quatuor episcopos orientales, maxima parte ignotos. Hisce, dicitur, *et universis per Orientem orthodoxis episcopis, Liberius episcopus Italiae et omnes Occidentis episcopi in Domino salutem.* Existimat Baronius, Liberium hac in causa Romae concilium habuisse; probabilis admodum est ea opinio, eique favet inscriptio epistolae. — Omnes illi sexaginta quatuor episcopi non videntur fuisse Semiariani, sed inter eos orthodoxi, qui cum reliquis Semiarianis communicabant. Verisimile etiam est, non omnes eadem sinceritate catholicam fidei professionem fuisse amplexos, cum nonnulli postea resilierint et plures in Macedonianum dogma contra Spiritum Sanctum fuerint lapsi. Haud tamen censendum est, omnes subdole egisse, cum Silvanus unus e tribus legatis post mortem a S. Basilio beatus vocetur. Certe illa Semiarianorum cum Ecclesia conciliatio eventus fuit summi momenti, atque Arianismi robur maxime labefactavit.

Ariani praevalent in Oriente.

20. Attamen per plures annos adhuc Ariani in Oriente omnino praevaluerunt. Etenim Valens Imperator huic haeresi addictus Catholicos vehementer persecutus est, secundum jusjurandum quod a. 367, quum ante bellum baptismatis lavacrum susciperet, coram Eudoxio CPtano fecerat. Hic enim in ipso baptismo Imperatorem juramento

obstrinxerat, ut in Ariana doctrina perseveraret, et contra sentientes omnibus locis expelleret. Valens igitur eodem anno provinciarum praefectis praecepit, ut episcopos qui Constantii temporibus depositi regnante Juliano sedes suas recuperarant, ecclesiis expellerent, atque omnibus praesidibus eorumque officialibus et decurionibus poenas intentavit, nisi imperata fecissent. Hujus jussionis effectum mox expertus est S. Athanasius; sed cum populus Alexandrinus ad seditionem usque peteret Pastoris sui qui clam se subduxerat restitutionem, rescripsit Imperator, ut Athanasius ad ecclesiam suam secure rediret. — Anno 370 e vivis sublato Eudoxio, Ariani sedem Constantinopolitanam detulerunt Demophilo Beroeae episcopo. Catholici vero sibi delegerunt et ordinandum curarunt Evagrium. Ariani ad seditionem commoti Evagrium persequi coeperunt. Valens electionem Demophili ratam habuit, Evagrium vero et Eustathium, qui eum ordinaverat, in exilium ejecit. Quare Ariani audaciores facti, Catholicos multo acerbius vexarunt, omnia malorum genera eis inferentes; et status ecclesiae Constantinopolitanae maxime turbatus est. — Antiochia pariter Valens a. 372 ejecit Meletium; Paulino quidem vitae ejus sanctitatem veritus pepercit, sed omnes qui cum intruso Euzoio communicare recusabant atrociter persecutus est. — Alexandriae a. 373 obiit S. Athanasius, et tunc etiam haec ecclesia tristem in modum divexata fuit. Petrus II episcopus, qui cleri et populi votis S. Athanasio in patriarchatu Alexandrino fuerat suffectus, Valentis jussu ejectus est, inque ejus locum militari manu intrusus Lucius. Fideles vero Alexandriae et per omnem Aegyptum diram perecutionem perpessi sunt.

21. Tristissimus itaque fuit sub Valente orientalis ecclesiae status. De istis malis eloquenter ad Occidentales scribit S. Basilius, ab iis sperans et petens subsidium. Ita epistola 90ª scripta a. 372: *Notae calamitates nostrae vel nobis tacentibus, siquidem per totum terrarum orbem personuerunt. Contemnuntur Patrum dogmata; nullo numero habentur apostolicae traditiones; novatorum inventa regnant in Ecclesia; de caetero homines |verborum artifices sunt, non*

S. Basilii epistolae.

theologi; primas tenet enuntiandi sapientia expulsa crucis gloriatione. Abactis pastoribus introducuntur lupi graves, qui Christi gregem discerpunt. Desertae domus orationis, nec quisquam in eis congregatur; solitudines lamentantibus refertae. Seniores lugent, dum antiqua comparant cum praesentibus; juniores miserabiliores sunt, qualibus privati sint ignorantes. Atque haec quidem apta ad eorum commiserationem commovendam qui Christi dilectionem edocti sunt, sed comparatus cum rerum veritate sermo longe ab ipsarum magnitudine abest. — Similia habet in epistola 92[a], ita quidem ut appareat ea aetate, quamvis finis Arianismi in Oriente proximus esset, sanctos viros existimasse, fere ad fastigium potestatis haeresim pervenisse. *Ferme a finibus Illyrici,* scribit, *usque ad Thebaidem haeresis malum depascitur. Cujus prava semina prius quidem infamis Arius jecit; altis autem radicibus firmata a pluribus qui Arium inter et nostram aetatem interjecti impietatem studiose excoluere, nunc exitiosos fructus protulerunt. Nam pietatis eversa sunt dogmata, confusae Ecclesiae leges, hominum Dominum non timentium ambitio in praefecturas insilit, jamque aperte praemium impietatis principatus praepositus est, ita ut qui graviores blasphemias ructatus est, dignior habeatur qui populo episcopus praesit. Periit gravitas sacerdotalis; defecere qui gregem Domini cum scientia pascant, ambitiosis pauperum pecunias in proprios usus et in munerum largitiones semper insumentibus. Evanuit accurata canonum disciplina, peccandi multa libertas. Nam qui hominum studiis ad principatum devenerunt, in hoc ipso studii gratiam rependunt, quod omnia ad voluptatem indulgent peccantibus.* — Excitavit Deus eo tempore in Oriente eximios viros et ecclesiae illustres doctores, qui orthodoxam fidem contra Arianos tuiti sunt. Praeter S. Basilium, SS. Gregorius Nazianzenus et Gregorius Nyssenus S. Basilii frater praecipui fuerunt.

Gothi Ariani. 22. Funestum fuit, quod eo tempore Arianismus inter Gothos propagaretur; unde factum est ut, posteaquam jam in Imperio Romano haeresis haec exstirpata esset, apud nationes potentissimas ex stirpe Gothorum remaneret. Colligitur autem ex scriptoribus, quamvis eventus singulos

minus accurate describant, ope Ulphilae celeberrimi Gothorum episcopi et influxu Valentis praesertim factum fuisse, ut ista natio errores Arianorum reciperet. Conversionem Gothorum Socrates ita describit: *Barbari trans Danubium incolentes qui Gothi appellantur, intestino bello inter ipsos orto duas in partes dirempti sunt, quarum alteri Fritigernus, alteri praeerat Athanaricus. Porro cum Athanaricus praevaluisset, Fritigernus ad Romanos confugiens eorum auxilium petiit. Quod ubi Valenti Augusto nuntiatum est, jussit, ut milites qui praesidium agebant in Thracia barbaris contra barbaros militantibus auxilium ferrent. Horum igitur subsidio Gothi trans Danubium victoriam de Athanarico retulerunt, copiis ejus in fugam conversis. Ob hanc causam multi ex barbaris christianam religionem amplexi sunt. Nam Fritigernus ut ob acceptum beneficium Imperatori gratiam referret, tum ipse Imperatoris religionem amplexus est, tum suos ad idem faciendum incitavit. Atque idcirco plerique Gothorum Arianae sectae sunt dediti, utpote qui eo tempore Imperatoris gratia ad eam sectam se contulerint. Eodem etiam tempore Ulphilas Gothorum episcopus Gothicas litteras excogitavit, et sacris Scripturis in Gothorum sermonem conversis effecit, ut barbari divina eloquia perdiscerent*[1]).

23. Jam antea tamen inter Gothos multi erant Christiani, eorumque episcopus Ulphilas a. 360 concilio Arianorum Constantinopoli habito adfuit. Atque ipse in Arianismum propendens videtur magna ex parte contribuisse ut in ista gente haeresis reciperetur. Ad rem Sozomenus audiendus est. Postquam narravit quomodo Gothi, ut Valenti gratiam referrent, Arianismum adoptaverint, scribit: *Neque tamen id solum opinor in causa fuit, ut universa Gothorum gens ad hoc usque tempus Arianorum dogmati perpetuo adhaeserit. Nam Ulphilas qui tunc apud ipsos erat episcopus, initio quidem nulla in parte dissensit ab Ecclesia catholica. Cumque regnante Constantio imprudenter, ut opinor, una cum Eudoxio et Acacio CPtanae synodo interfuisset, cum Episcopis Nicaenorum Patrum decreta sectantibus communicare perseveravit. Sed cum venisset CPolim et Arianae* Ulphilas.

[1]) H. E., l. IV. c. 33.

sectae Antistites de religione cum eo disseruissent, eique polliciti essent, se legationem illius adjuturos esse apud Imperatorem, modo idem cum ipsis sentire vellet, necessitate compulsus, vel quod eam de divinitate sententiam potiorem existimaret, cum Arianis communicasse dicitur, seque et universam gentem ab Ecclesia catholica abrupisse. Gothi enim in iis quae ad religionem pertinent ejus magisterio eruditi et ad mansuetiorem cultum per eum traducti, cunctis in rebus ei facile obtemperabant; pro certo habentes, nihil eorum quae ab illo aut dicerentur aut fierent improbum esse, sed cuncta ad utilitatem eorum qui zelo Dei ducerentur spectare. Quin et virtutis suae multiplex experimentum dedit. Quippe qui pro Christi fide innumera subierit pericula, dum barbari adhuc gentilium ritu simulacra colerent. Primusque apud eos inventor exstitit litterarum, et sacros libros in sermonem patrium convertit. Et haec quidem causa fuit, cur plerique ex barbaris, qui ad Istrum habitant, opinionem Arii sectantur[1]). Postea a Gothis haeresis Ariana transmissa fuit ad Vandalos et Suevos.

Mors Valentis.

24. Caeterum Gothi, quos Valens in Thraciam receperat, paulo post Romani jugi propter ducum duritiem pertaesi seditionem excitarunt, et Romanas copias e Thracia ejecerunt. Valens inito cum iis apud Adrianopolim certamine, sagitta confossus, et in tugurio in quod confugerat combustus est a. 378. Ex quo tempore felicius sidus Ecclesiae illuxit. Jam hoc ipso quod Gothi Imperii hostes Ariani essent, haeresis haec exosa facta, moxque episcoporum orthodoxorum studio et Imperatorum auxilio repressa est. — Ab anno 375 in Occidente post obitum Valentiniani imperabat Gratianus ejus filius cum juniore Valentiniano fratre suo. Post interitum Valentis patrui sui etiam Imperio orientali potitus, confestim omnibus qui ab illo religionis causa fuerant relegati reditum concessit; cunctis liberum religionis exercitium indulsit, exceptis Manichaeis, Photinianis et Anomoeis, horumque ecclesias tradi jussit iis qui cum Damaso Pontifice communicarent.

---

[1]) H. E., L. VI. c. 37.

25. Anno 379 Gratianus Theodosium nobilem Hispanum in Imperii consortium pro Oriente selegit, isque legibus suis Arianismnm omnino evertere studuit. Ea de re Sozomenus L. VII. c. 4: *Theodosius bellum cum barbaris Ostrum accolentibus feliciter confecit. Quorum alios cum praelio devicisset, alios Romanorum amicitiam postulantes acceptis obsidibus suscepisset, Thessalonicam venit. Ibi in morbum delapsus, ab Ascholio ejus urbis episcopo rudimentis fidei perceptis baptizatus convaluit. Nam cum majoribus ortus esset christianis qui Nicaenae fidei doctrinam sequebantur, Ascholio valde tum delectatus est, quippe qui ejusdem sententiae esset, viro tum sermone tum operibus eximio et, ut summatim dicam, cunctis sacerdotalis officii dotibus exornato. Delectatus est etiam Illyriis, eo quod nullus eorum Ariani dogmatis labe infectus esset. Percontatus autem de reliquis provinciis, comperit, usque ad Macedoniam quidem omnes inter se ecclesias consentire, cunctosque Deum Verbum et Spiritum Sanctum ex aequo venerari, ab hinc vero reliquas Orientem versus provincias tumultuari, ita ut populi in varias sectas divisi essent ac praecipue Constantinopoli. Cum igitur apud se reputasset, satius esse ut suam de divinitate sententiam ipse subditis suis palam praedicaret, ne vim inferre videretur repente invitis quid colendum esset praecipiendo, Thessalonicae positus legem dedit (Cunctos Populos) ad populum urbis CPtanae. Perpendebat enim animo fore, ut illinc tanquam ex arce totius Imperii, rescriptum suum reliquis quoque civitatibus brevi innotesceret. Significabat autem eo rescripto, velle se ut omnes subditi sui eam religionem sequerentur, quam Petrus Apostolorum princeps Romanis ab initio tradidisset, et quam eo tempore Damasus Romanae urbis Episcopus ac Petrus Alexandrinus servarent, utque eorum dumtaxat ecclesia qui divinam Trinitatem aequali honore colerent, catholica nominaretur, qui vero aliter sentirent haeretici dicerentur, infamesque essent, seque scirent supplicio afficiendos.* — Eodem anno cum venisset Constantinopolim, Demophilum obstinatum Arianae sectae episcopum ejusque sequaces ejecit, et eorum ecclesias tradidit Catholicis. Etiam subsequentes Imperatores,

Theodosius

Edictum.

ac maxime Theodosius II et Justinianus, Arianam sectam proscripserunt legibus suis, atque ita multum contribuerunt, ut magis magisque in Imperio Romano ea concideret. Viguit autem haeresis haec adhuc aliquanto tempore inter populos barbaros, nimirum Suevos, Burigundiones, Gothos, Vandalos et Longobardos, qui saeculo VI et VII fidem catholicam amplexi sunt. Sub exitum vero saeculi VII Ariani peculiarem sectam jam amplius non costituebant.

Leges contra haereticos.

26. Quamvis de legibus contra haereticos latis, et de repressione haeresum per Ecclesiam et gubernia temporalia christiana, alias accuratius agendum sit, opportunum tamen videtur hoc loco quaedam principia innuere, secundum quae ratio agendi Ecclesiae et principum dijudicari debet. Adversarii Ecclesiae maxime invehunt in eam, quod contra haereticos ipsa etiam brachii saecularis auxilio usa sit, principumque christianorum leges et punitiones vel provocaverit, vel permiserit et comprobaverit; nec defuerunt inter catholicos, qui minus convenientem nec Evangelii regulae satis consentaneam illam agendi rationem existimaverunt. Sed jus Ecclesiae hac in re indubium est, meritoque ipsa eodem utebatur. Jam breviter quaedam principia proponamus, quae in hac quaestione prae oculis habenda sunt.

Principia.

27. 1° Omnino falsa est imprimis ea opinio, reges debere tantum curare pacem publicam, de religione autem non esse sollicitos. Bellarminus hac de re, postquam refutavit eos qui nimium tribuunt magistratibus: *Secundus,* inquit, *error est aliorum, qui ad alterum extremum deflectentes docent, reges debere curare rem publicam suam et pacem publicam, de religione autem non curare, sed permittere singulis, ut sentiant prout voluerint et vivant ut voluerint, modo non perturbent pacem publicam. In hoc errore fuerunt omnes ethnici, qui omnes religiones approbabant et omnium philosophorum sectas admittebant. . . . At hic error perniciosissimus est, et sine dubio tenentur principes christiani non permittere subditis suis libertatem credendi, sed*

dare operam, ut ea fides servetur, quam episcopi catholici et praecipue summus Pontifex docent esse tenendam[1]).

28. 2° Ratio praecipua hujus officii principum in eo sita est, quod vita bona et beata hac in terra subordinata est vitae futurae beatae assequendae, adeoque etiam princeps ita procurare debet vitam bonam hujus temporis, ut congrua sit illi fini. *Cuicumque,* ait S. Thomas (vel auctor operis *De Regimine Principum), incumbit aliquid perficere quod ordinatur in aliud sicut in finem, hoc debet attendere, ut suum opus sit congruum fini, sicut faber facit gladium, ut pugnae conveniat, et aedificator sic debet domum disponere, ut ad habitandum sit apta. Quia igitur vitae qua in praesenti bene vivitur finis est beatitudo coelestis, ad regis officium pertinet ea ratione vitam multitudinis bonam procurare, secundum quod congruit ad coelestem beatitudinem consequendam, ut scilicet ea praecipiat quae ad coelestem beatitudinem ducant, et eorum contraria, secundum quod fuerit possibile, interdicat. Quae autem sit ad veram beatitudinem via et quae sint impedimenta ejus, ex lege divina cognoscitur, cujus doctrina pertinet ad sacerdotum officium . . . Rex legem igitur divinam edoctus ad hoc praecipuum studium debet intendere, qualiter multitudo sibi subdita bene vivat, quod quidem studium in tria dividitur, ut primo quidem in subjecta multitudine bonam vitam instituat, secundo ut constitutam conservet, tertio ut conservatam ad meliora promoveat*[2]). — Hisce omnino conformia sunt ea principia, quae in Gregorii XVI Encyclica *Mirari,* enuntiantur. *Caeterum,* inquit Pontifex, *communibus hisce votis, pro rei et sacrae et publicae incolumitate, carissimi in Christo filii nostri viri Principes sua faveant ope et auctoritate, quam sibi collatam considerent non solum ad mundi regimen, sed maxime ad Ecclesiae praesidium. Animadvertant sedulo, pro illorum imperio et quiete geri, quidquid pro Ecclesiae salute laboratur; imo pluris sibi suadeant fidei causam esse debere, quam regni; magnumque sibi esse perpendant, (dicemus cum Leone Pon-*

---

[1]) De Laicis, L. III. c. 18.
[2]) De Reg. Princ. L. I. c. 15.

tifice), si ipsorum diademati de manu Domini etiam fidei addatur corona. Positi quasi parentes et tutores populorum, veram, constantem, opulentam iis quietem parient et tranquillitatem, si in eam potissimum curam incumbant, ut incolumis sit religio et pietas in Deum, qui habet scriptum in femore: Rex regum et Dominus dominantium.

29. Si igitur munus principum hac ratione uti convenit concipitur, 3° facile patet ipsorum maxime esse, ut contra haereticos Ecclesiam protegant, crimen haeresis evellant, et haereticis etiam poenas infligant. Haeresis enim merito ut permagnum crimen in Deum, Ecclesiae et societati maxime perniciosum, adeoque poena dignum considerabatur. Unde illa codicum principia: *Quod in religionem divinam committitur, in omnium fertur injuriam*[1]); *longe gravius aeternam, quam temporalem majestatem offendere*[2]).

S. Augustini sententia.

30. Principia haec quae eo tempore praevalere inceperunt, pluribus locis exponuntur a. S. Augustino, cujus doctrina magnum nacta est influxum. S. Augustinus prius quidem haereticos et schismaticos vi coërcendos non esse censuit, sed gravibus rationibus motus suam mutavit sententiam. Hinc *Retractactionum L. II. c. 5* scribit: *Et vere tunc mihi non placebat, quia nondum expertus fueram, vel quantum mali eorum* (schismaticorum) *auderet impunitas, vel quantum eis in melius mutandis conferre posset diligentia disciplinae.* Et *ad Vincent.* ep. 93 (al. 48) n. 17: *Mea primitus sententia non erat, nisi neminem ad unitatem Christi esse cogendum, verbo esse agendum, disputatione pugnandum, ratione vincendum, ne fictos catholicos haberemus, quos apertos haereticos noveramus. Sed haec opinio mea non contradicentium verbis, sed demonstrantium superabatur exemplis. Nam primo mihi opponebatur civitas mea, quae cum tota esset in parte Donati, ad unitatem catholicam timore legum imperialium conversa est. Ita aliae multae, quae mihi nominatim commemorabantur.* Moverunt ad suam sententiam S. Augustinum: a) Necessitas vivendi in sinu Ecclesiae, et bonum

[1]) Theodos. II. L. IV. Cod. Justin. I 5 de haeres.

[2]) Authent. de statu et censura. C. 10 de haer. V. 7.

illud, quod saltem liberi parentum perversorum in vera fide educari possint. — b) Ea consideratio, praeter exhortationem etiam severitatem, praeter caritatem etiam timorem recte adhiberi in obstinatos. — c) Haereticorum et schismaticorum violentia et fraus merito erant poenis coërcendae et propellendae. — d) A potestate civili jure homicidium, adulterium, et alia crimina puniuntur, adeoque gubernium christianum etiam crimina majora in Deum punire et coërcere debet. — Nec censebat S. Augustinus propterea illa remedia severa negligenda esse, quia quorumdam morbus insanabilis est. *At enim*, inquit, *quibusdam ista non prosunt. Numquid ideo negligenda est disciplina, quia nonnullorum insanabilis est pestilentia?* (Ep. 93 n. 3.) Eadem fuit multorum SS. Patrum sententia. Ita S. Leo ep. 15 ad Turribium Praefectum: *Profuit diu ista distinctio ecclesiasticae lenitati, quae etsi sacerdotali contenta judicio cruentas refugit ultiones, severis tamen christianorum principum constitutionibus adjuvatur, dum ad spirituale nonnunquam recurrunt remedium, qui timent corporale supplicium.*

31. Qui vero adducuntur Patres, ac si alia principia habuerint, uti S. Martinus, S. Ambrosius, S. Joannes Chrysostomus, revera non inveniuntur dissentientes quoad doctrinam in se consideratam, videlicet haereticos severitate posse coërceri. Sed in quibusdam casibus peculiaribus id reprehendebant, quod causae fidei ad tribunal saeculare deferrentur; vel quod episcopi seposita mansuetudine ipsorum statui convenienti, usque ad sanguinis effusionem quosdam haereticos insectarentur; vel, uti S. Chrysostomus, haereticorum coetus numerosos haud necandos edicunt, ne bellis et pugnis respublica turbetur. — Ad S. Martinum quod spectat, ipse utique indignatus est, quod Idacius et Ithacius episcopi Priscillianum ejusque sequaces ad tribunal Maximi Imperatoris deferrent, atque ultimas etiam supplicii poenas in eos provocarent; sed ex Sulpitii Severi narratione colligitur, iis quas diximus rationibus S. Martinum hac in re motum fuisse. Difficultates. S. Martinus.

Priscilliani causa.

32. Quum eventus in ea de quibus agimus tempora incidat, et quaestioni explicandae inserviat, quaedam ex Sulpitio Severo citare juvabit. Postquam is narravit, quomodo versus finem saeculi quarti Priscillianus in Hispania infames Gnosticorum superstitiones instauraverit, varios sequaces ad se attraxerit, nec synodorum et variorum episcoporum conatibus compesci potuerit, jam exponit, quomodo Idacius et Ithacius episcopi, qui acrius haereticis illis obsistebant, rem ad Maximum Imperatorem detulerint. *Ita,* scribit, *Ithacius statuit, licet rebus dubiis, novi Imperatoris adventum exspectare, interim sibi nihil agitandum. Igitur ubi Maximus oppidum Treverorum victor ingressus est, ingerit preces plenas in Priscillianum ac socios ejus invidiae atque criminum. Quibus permotus Imperator, datis ad praefectum Galliarum atque ad vicarium Hispaniarum litteris, omnes omnino quos labes illa involverat, deduci ad synodum Burdigalensem jubet. Ita deducti Instantius et Priscillianus; quorum Instantius prior jussus causam dicere, postquam se parum expurgabat, indignus esse episcopatu pronuntiatus est. Priscillianus vero, ne ab episcopis audiretur, ad principem provocavit, permissumque id nostrorum inconstantia, quia aut sententiam in refragantem ferre debuerant, aut si hi ipsi suspecti habebantur, aliis episcopis sententiam reservare, non causam Imperatori de tam manifestis criminibus permittere.* — Vides, a Sulpitio id reprehendi, quod episcopi judices passi sint, ut causa ecclesiastica ad tribunal Imperatoris deferretur. Praeterea aestum Ithacii episcopi minus digni carpit. — *Ita,* pergit, *omnes quos causa involverat, ad regem deducti. Secuti etiam accusatores Idacius et Ithacius episcopi, quorum studium in expugnandis haereticis non reprehenderem, si non studio vincendi plus quam oportuit certassent. Ac mea quidem sententia est, mihi tam reos quam accusatores displicere. Certe Ithacium nihil pensi, nihil sancti habuisse definio; fuit enim audax, loquax, impudens, sumptuosus, ventri et gulae plurimum impertiens. Hic stultitiae eousque processerat, ut omnes etiam sanctos viros, quibus aut studium inerat lectionis, aut propositum erat certare jejuniis, tanquam Priscilliani socios aut disci-*

pulos in crimen arcesseret. Ausus enim miser est, ea tempestate Martino episcopo, viro plane Apostolis conferendo, palam objectare haeresis infamiam. Namque tum Martinus apud Treveros constitutus non desinebat increpare Ithacium, ut ab accusatione desisteret; Maximum orare, ut sanguine infelicium abstineret; satis superque sufficere, ut episcopali sententia haeretici judicati ecclesiis pellerentur; novum esse et inauditum nefas, ut causam Ecclesiae judex saeculi judicaret. — Liquet igitur, etiam S. Martino maxime displicuisse, quod causa ecclesiastica ad tribunal civile deferretur, ac praeterea ipsum reprehendisse aestum Ithacii et existimasse, satis hoc in casu provideri posse per poenas ecclesiasticas, adeoque sanguinis effusionem non convenire. — *Denique quoadusque Martinus Treveris fuit, dilata cognitio est, et mox discessurus, egregia auctoritate a Maximo elicuit sponsionem, nihil cruentum in reos constituendum. Sed postea Imperator per Magnum et Rufum episcopos depravatus, et a mitioribus consiliis deflexus, causam praefecto Evodio permisit, viro acri et severo. . . . Gestis ad palatium delatis censuit Imperator, Priscillianum sociosque ejus capitis damnari oportere. Caeterum Ithacius videns, quam invidiosum sibi apud episcopos foret, si accusator etiam postremis rerum capitalium judiciis adstitisset, (etenim iterari judicium necesse erat), subtrahit se cognitioni. . . At tum per Maximum accusator apponitur Patricius quidam fisci patronus. Ita eo insistente Priscillianus capitis damnatus est, unaque cum eo Felicissimus et Armenus, qui nuper a Catholicis clerici Priscillianum secuti desciverant etc.*[1]).

33. Itaque in illa Priscilliani causa S. Martinus et Sulpitius Severus haud inficiati sunt illud principium de haereticis merito etiam per poenas temporales coërcendis et reprimendis, sed alias ob rationes quae gesta sunt reprehenderunt. Videlicet displicuit ipsis, quod imprudenter et contra jus causa ecclesiastica ad principis tribunal deferretur, quod episcopi mansuetudinis muneri sacro convenientis obliti, vindictam cruentam de Priscilliano et sociis

---

[1]) Hist. sacra L. II. ad finem.

sumendam postularent, quum alia via ad haeresim compescendam sufficere videretur. — Ob easdem fere rationes similis fuit in hoc casu sententia S. Ambrosii, qui quum eo tempore pro Valentiniano legatione ad Maximum fungeretur se abstinuit ab episcopis, *qui aliquos, devios licet a fide, ad necem petebant*[1]). Eorum agendi modum a se haberi ut minus congruum mansuetudini iis convenienti, satis significat in epistola ad Irenaeum scribens: *Ac semper quidem decantata quaestio, et celebris fuit absolutio mulieris ejus, quae in libro Evangelii quod secundum Joannem scribitur, adulterii rea oblata est Christo. . . Sed vehementior facta est, posteaquam episcopi reos criminum gravissimorum in publicis judiciis accusare, alii et urgere usque ad gladium supremamque mortem, alii accusationes hujusmodi, et cruentos sacerdotum triumphos probare coeperunt. Quid enim aliud isti dicunt, quam dicebant Judaei, reos criminum legibus publicis esse puniendos, et ideo accusari etiam a sacerdotibus in publicis judiciis oportuisse, quos asserunt secundum leges oportuisse puniri*[2]). — Vides, S. Ambrosio displicuisse quidem ardorem aliquot episcoporum, qui haereticorum punitionem tanquam accusatores *usque ad gladium supremamque mortem* urgebant; sed ab eo haud negari illud principium, haeresim etiam poenis temporalibus merito reprimi posse utpote crimen[3]).

S. Ambrosius.

34. S. Chrysostomus pariter docet, reprimi posse haereticos, sed occidi non vult multitudines haereticorum ob magna mala quae inde consequerentur. Quaestionem agitat in exponenda parabola de zizaniis, quibus haereticos significari statuit. Scribit videlicet: *Quum pullulavit, inquit, herba et fructum tulit, tunc apparuerunt et zizania; quod et ipsi faciunt. Initio namque se occultant; postquam vero majorem accepere fiduciam, et aliquam existimationem nacti sunt, tunc virus effundunt. Cur autem servos inducit,*

S. Chrysostomus.

---

[1]) Epist. ad Valentinianum Imperatorem, 24 n. 12.

[2]) Epist. 26. n. 2. 3.

[3]) Haeresis indolem funestam describit S. Ambrosius *De Fide* ad Valentinianum, L. I. c. 6.

quae accidere narrantes? Ut hinc ansam arripiat dicendi, non occidendos illos esse. . . Quid igitur Dominus? Id vetat dicens: „Ne forte eradicetis simul et triticum." Hoc porro dicebat, ut bella caedesque prohiberet. Neque enim haereticum occidere oportet; nam sic irreconciliabile bellum in orbem introduceretur. — His autem duobus ratiociniis movetur ad illos cohibendos, primo, quod frumentum non laederent; secundo, quod illi incurabili morbo laborantes, supplicium luituri essent. Quapropter si vis illos puniri sine frumenti noxa, exspecta tempus opportunum. Quid autem aliud sibi vult cum dicit: „Ne eradicetis simul et triticum", quam hoc quod dicimus? Si arma moveatis ut haereticos occidatis, multos etiam sanctorum una occidi necesse est; vel etiam multi ex istis zizaniis, ut verisimile est, convertentur in frumentum. Si ergo prius illos eradicetis, frumento etiam venturo nocebitis, si illos qui mutati et boni effici possunt, eradicetis. Non igitur prohibet haereticos reprimere, illorum ora obstruere, libertatem loquendi coërcere, coetus eorum solvere, pacta respuere, sed occidere vetat. Tu vero illius mansuetudinem perpende, quomodo scilicet non sententiam solum efferat et jubeat, sed etiam rationem exponat[1]. — Principium igitur, reprimendos et coërcendos esse haereticos etiam poenis externis, universim omnes admittebant. Liquet autem, quoad applicationem principii, et quoad quaestionem utrum usque ad ultima supplicia procedendum sit, maxime pro variis temporum et personarum adjunctis, varias potuisse esse sententias.

35. Generatim etiam aliter agendum esse quoad gentiles docent Patres, aliter quoad haereticos. Illos, docent, non cogendos esse ad fidem; in haereticos vero, qui vi baptismi Ecclesiae sunt subjecti, sed rebelles sunt, coërcitione agi posse. — Haereticos porro, praesertim tempore nascentium haeresum, non supponendos esse in bona fide, facile patet. Nemo enim sine peccato gravi a vera deficit fide; et historia Arianismi manifeste ostendit, Praesules Haeretici et gentiles.

[1]) In Matthaeum, Homil. 46. n. 2.

Arianos ambitione ductos suas *opiniones* propugnasse, et fraude ac violentia suos sparsisse errores[1]).

II.

De Concilio Constantinopolitano I.

Scopus Synodi.

36. Theodosius Imperator Orientis, ut ecclesiarum pacem et orthodoxae fidei restitutionem promoveret, a. 381 episcopos orientales in Concilium convocavit. Scopus Synodi congregandae erat, ut ecclesiae Constantinopolitanae, quam invaseret Maximus Cynicus, episcopus daretur, contra Arianorum tentamina fides Nicaena firmaretur, Semiariani Macedoniani, qui divinitatem Spiritus Sancti negabant, si fieri posset Ecclesiae reconciliarentur, sin minus eorum haeresis reprimeretur. De his Semiarianis pneumatomachis pauca advertamus.

Macedoniani.

37. Divinitatem Spiritus Sancti etiam Ariani rigidiores negabant, quum id ex tota Arii doctrina necessario consequeretur; in lucta contra eos tamen quaestio de Spiritu Sancto minus agitata fuit, quum directe ab his haereticis Filii divinitas impeteretur. Sed ex Semiarianis Macedonius post annum 360 disertius divinitatem Spiritus Sancti inficiatus est. Macedonius inde ab a. 350 episcopus CPtanus, ab Arianis a. 360 e sede detrusus fuit, quum ad Semiarianos accessisset. Profitebatur autem ipse cum multis Semiarianis qui ei sociati sunt, Filium quidem esse ex Patre genitum et ideo esse Deum de Deo ac similem Patri secundum substantiam; Spiritum Sanctum vero negabat esse ex Patre processione substantiali, et ideo negabat esse Deum; sed principium Spiritus Sancti docebat esse Filium productione creatrice. Inter Semiarianos, qui a. 366 a Liberio admissa formula Nicaena ad communionem ecclesiasticam recepti sunt, fuerunt quidem etiam Macedoniani, sed in Occidente tunc non videtur notum fuisse, illos ejusmodi errori inhaerere. Caeterum vero dam-

---

[1]) Cfr. Hergenröther, *Katholische Kirche und christlicher Staat*, XI.

natus fuit error Pneumatomachorum jam a. 362 in synodo Alexandrino, pariterque in concilio Illyriciani habito anno circiter 372, et in synodo quae paulo post a Damaso Pontifice Romae celebrata est, etiam haeresis ista rejecta et fides de divinitate Spiritus Sancti declarata fuit. Demum hac de quaestione in Concilio CPtano I actum est.

38. Ad statum ecclesiae CPtanae quod attinet, sedes haec per quadraginta annos in potestate Arianorum fuerat, atque omnia urbis templa Catholicis erant erepta. Quum anno 370 catholici Evagrium sibi in episcopum ordinare conarentur, is a Valente statim ejectus fuit. Pest mortem Valentis tandem a. 379 Constantinopolim venit S. Gregorius Nazianzenus, isque Catholicis praefuit, domum alicujus ex propinquis suis in ecclesiam convertit, atque in hac ecclesia, quam *Anastasiam* (ecclesiam resurrectionis) appellavit, conventus Catholicorum celebravit. Quamvis Gregorius episcopali dignitate insignitus esset, tamen haud constitutus erat in episcopum CPtanum, sed veluti administrator pro tempore Catholicorum gessit curam. Venit autem pariter Constantinopolim ab Alexandria Maximus philosophus cynicus, dumque fucatae amicitiae signis Gregorium circumveniret, episcopatum civitatis sibi vindicare studuit: qua in re etiam Petri patriarchae Alexandrini favore nitebatur. Ordinationem episcopalem revera suscepit, attamen a populo adactus est, ut civitatem relinqueret. Gregorius vero quamvis ob Maximi fraudes animo dejectus esset, civium supplicatione tamen compulsus est, ut administrationem rei catholicae retineret, donec novus episcopus constitueretur. Etiam istud negotium a Concilio ordinandum erat.

Ecclesia CPtana.

39. Convenerunt porro mense maio anni 381 ad hoc Concilium episcopi centum octoginta sex, inter quos centum quinquaginta catholici et triginta sex Macedoniani. Inter catholicos eminebant Gregorius Nazianzenus, Meletius Antiochenus, Timotheus Alexandrinus, Cyrillus Hierosolymitanus, Ascholius Thessalonicensis, Diodorus Tarsensis aliique plures sanctitate et doctrina conspicui. Macedonianos vero episcopos Imperator, uti diximus, ad Concilium invitaverat,

Concilii congregatio.

quia sperabat fore ut orthodoxae fidei consentirent. — Quis praesederit huic Concilio haud certo constat. Multi censent primo praesedisse Meletium; post ejus mortem praesedisse Gregorium Nazianzenum qui interea solemniter episcopus CPtanus constitutus erat; dein vero quum Gregorius paulo post sedi huic renuntiasset, praesedisse ejus successorem Nectarium. Sunt etiam qui existimant, post Gregorium praesedisse Timotheum Alexandrinum, uti refert Sozomenus (VII. 7), et Nectarium tantum praesedisse post eum, vel aliquot congregationibus habitis Synodo jam dimissa. Attamen Concilium canone 3° Patriarchae CPtano privilegium honoris post Pontificem Romanum concessit, adeoque valde probabile est, post Gregorium praesedisse Concilio ejus successorem Nectarium.

S. Gregorius Nazianz.

40. Prima Synodi sollicitudo fuit, ut sedi CPtanae episcopus catholicus constitueretur. Maximi Cynici ordinatio irrita declarata est; dein vero enixe omnes flagitaverunt a S. Gregorio Nazianzeno, ut ipse episcopatum illius civitatis acciperet. Gregorius post haesitationem longiorem cessit precibus Patrum, maxime ductus ea spe, fore ut schisma Antiochenum ad finem adducere posset. — Paucos post dies CPoli mortuus est Meletius Antiochenus, eique ut viro sancto ultimos honores magnis cum encomiis Patres perfecerunt. Insistebat porro Gregorius, qui tunc Synodo praesidebat, ut in locum Meletii haud novus eligeretur episcopus, sed, ut pars Meletii jam Paulinum agnosceret. At episcopi juniores Concilii restiterunt, ne Occidentalibus, qui cum Paulino communicaverant, cedere viderentur. Mox etiam alios Concilii Patres ad suam opinionem pertraxerunt, atque ita ab episcopis dioecesis Antiochenae et Asiae Flavianus presbyter in successorem Meletii electus ac schisma illud continuatum est. Maxime hac de re doluit S. Gregorius Nazianzenus, jamque exinde consilium cepit abdicandi sedem CPtanam. Quum vero praeterea episcopi Aegypti CPolim advenientes difficultates moverent contra ejus elevationem ob rationes canonicas, brevi post coram Synodo episcopatui CPtano renuntiavit.

37. In ejus locum tunc suffragantibus episcopis ab Imperatore destinatus est *Nectarius*. Erat hic Nectarius Tarso Ciliciae oriundus, vir senatorii ordinis dignitate in urbe CPoli perfunctus. Anno 381 jam in patriam reversurus visitavit Diodorum episcopum Tarsensem. Is canitiem viri, vultumque sacerdotio dignum et morum gravitatem reveritus, eum sedi CPtanae praeficiendum censuit, ac proinde effecit, ut inter elegendorum nomina Imperatori offerenda, ejus quoque nomen omnium quidem postremum in charta scriberetur. Perlecto indiculo in Nectario substitit Imperator eumque elegit. *Tum vero,* ait Sozomenus, *admiratio omnes invasit, quaerebantque quis et unde esset Nectarius ille et quod vitae genus sectaretur. Cumque didicissent ne sacro quidem lavacro illum initiatum esse, inopinatum principis judicium eo amplius mirabantur. Ignorabat autem istud, ut opinor, etiam Diodorus. Neque enim, si id sciisset, ausus esset unquam viro nondum initiato sacerdotii suffragium dare. Sed ut verisimile est, virum jam canum pridem baptizatum esse existimabant. . . Imperator postquam eum baptismi expertem intellexisset, in eadem sententia permansit, multis licet episcopis refragantibus. Postquam vero universi cesserunt, baptizatus est; et adhuc neophyti vestem indutus communi totius Concilii calculo episcopus Constantinopolis renuntiatur*[1]). Nectarius.

38. Quantum ad *fidei causam* spectat, Macedoniani interpellati ab Imperatore pluribusque episcopis, ne fidem quam coram Liberio (a. 366) per legatos suos professi erant subverterent, tamen in erroribus suis perseverarunt, et a Concilio discesserunt. Episcopi vero orthodoxi, damnatis Arianorum, Macedonianorum et Apollinaristarum aliorumque haereticorum erroribus, Nicaenum Symbolum confirmarunt additis nonnullis verbis, quae catholicam de Spiritus Sancti deitate doctrinam explicarent, et Macedonianorum haeresim everterent. Professionem videlicet Symboli Nicaeni: *Credimus . . . . et in Spiritum Sanctum,* Synodus haec declaravit hac altera formula: *Credimus in* Definitio.

[1]) H. E., l. VII. c. 8.

Spiritum Sanctum, Dominum et vivificantem, qui ex Patre procedit, qui cum Patre et Filio simul adoratur et conglorificatur, qui locutus est per prophetas; vel in versione Dionysii Exigui magis litterali: *Credimus . . . et in Spiritum Sanctum, Dominum et vivificantem, ex Patre procedentem, cum Patre et Filio adorandum et glorificandum, qui locutus est per sanctos prophetas*[1]).

Schismaticorum argumentatio.

39. Notissimum est, Graecos schismaticos suum errorem de processione Spiritus Sancti ex solo Patre maxime inde fulcire, quod in Symbolo CPtano illa habeantur *qui ex Patre procedit,* atque eos in catholicos invehere vehementer, quod vocem *Filioque* Symbolo addidere. Tum doctrinam veram hac additione esse corruptam, tum Symbolum contra mandata Conciliorum illicito modo interpolatum esse, contendunt. Illicitam fuisse insertionem vocis *Filioque,* perperam nostra aetate Neoprotestantes apostatae Orientalibus concesserunt; sed de hac quaestione alio loco agendum est. Pauca vero hoc loco notare juvabit, ut appareat, nullatenus a Concilio processionem Spiritus Sancti a Filio excludi, sed eam ut doctrinam extra controversiam sitam supponi.

Recentiorum argutiae.

40. Sylvester Archimandrita et Professor in Academia ecclesiastica Kiewensi a. 1875 opusculum scripsit, quo respondit iis, quae a Neoprotestantibus in suo conventu eodem anno Bonnae habito, asserta sunt de processione Spiritus Sancti, ut unionem cum Orientalibus schismaticis promoverent[2]). In hoc libello maxime insistit verbis Symboli CPtani, iisque quaestionem jam definitam contendit.

---

[1]) *Πιστεύομεν καὶ εἰς τὸ πνεῦμα τὸ ἅγιον, τὸ κύριον, τὸ ζωόποιον τὸ ἐκ τοῦ πατρὸς ἐκπορευόμενον, τὸ σὺν πατρὶ καὶ υἱῷ συμπροσκυνούμενον καὶ συνδοξαζόμενον, τὸ λάλησαν διὰ τῶν προφήτων.* — Plures viri eruditi uti Petavius, Tillemont, Hefele, existimant, Symbolum CPtanum jam antea in usu fuisse. S. Epiphanius videlicet exhibet hoc Symbolum paucis mutatis, in suo Ancorato, quem scripsit a. 373 vel 374. Attamen, uti advertit Em. Franzelin, res dubia est. Potuit enim S. Epiphanius, qui vixit usque ad a. 403, appendicem Symbolorum suo Ancorato addere postquam Concilium CPtanum jam celebratum erat.

[2]) Antwort auf die im altkatholischen Schema enthaltene Bemerkung vom h. Geiste. St. Petersburg, Röttger et Schneider, 1875.

In recensione critica, quam unus ex Neoprotestantibus, Langen Professor Bonnensis, hoc de opusculo edidit[1]), vir iste concedit, illegalem fuisse insertionem posteriorem vocis *Filioque.* Asserit porro, admittendum esse, Concilium CPtanum, quum declaret qui *ex Patre* procedit, qui *cum Patre et Filio* simul adoratur et conglorificatur, certe non cognovisse doctrinam, Spiritum Sanctum *pari modo uti ex Patre, ita et ex Filio procedere.* Secus enim haud nominassent in primo inciso Patrem solum, in altero vero Patrem et Filium[2]). Praeterea agnoscendum est, inquit deinde, illud *ex Patre Filioque* formulam esse obviam falsae interpretationi dogmaticae, aptamque, ut eum inducat conceptum, Patrem et Filium tanquam duo principia generantia producere Spiritum Sanctum. — In opusculo brevi post edito[3]) idem auctor etiam fusius exponere nititur, ex Patrum complurium et Concilii CPtani sententia haud aequalem esse processionem Spiritus Sancti a Filio atque a Patre. Discrimen inducit inter processionem *a Filio* et *per Filium.* Explicat autem formulam Patrum orientalium *per Filium* ita, ut tantummodo *aliqua participatio* Filii in processione Spiritus Sancti significetur, in eo consistens, quod Spiritus procedendo ex Patre *transeat per Filium,* et *alia* Patris, *alia* Filii sit relatio ad Spiritum Sanctum.[4]) Doctrinam quidem catholicam de processione Spiritus Sancti fusius exponere et vindicare hoc loco non vacat, J. Langen.

---

[1]) Theol. Literaturblatt, 10. Oct. 1875.

[2]) Ferner muss man zugestehen, dass das Conzil von Constantinopel, da es erklärte: „Der *vom Vater* ausgeht, der *mit dem Vater und dem Sohne* zugleich angebetet und verherrlicht wird", jedenfalls die Lehre von dem Ausgange des hl. Geistes *in gleicher Weise wie vom Vater so auch vom Sohne* nicht kannte. Sonst hätte es nicht in dem ersten Satze den Vater allein, in dem zweiten aber den Vater und den Sohn genannt. L. c. S. 477.

[3]) Die trinitarische Lehrdifferenz zwischen der abendländischen und der morgenländischen Kirche. Bonn 1876.

[4]) Errores Langenii egregie refutavit Em. Card. Franzelin in opere: Examen doctrinae Macarii Bulgakow Episcopi Russi schismatici et Josephi Langen Neoprotestantis Bonnensis de processione Spiritus Sancti. Romae 1876. — Ibi quae innuimus accuratius tractata invenies.

idque theologi praestant in Tractatu de Sma Trinitate. Sed quae Concilium CPtanum hac in re fecit aliquanto accuratius exponere convenit, ut quae gesta sunt intelligantur et sycophantarum argutiae dilui possint.

Refutatio. 41. In doctrina igitur Pneumatomachorum plura capita merito distingui possunt. Imprimis contendebant, *Spiritum Sanctum non esse Deum,* et hac in re plane cum rigidis Arianis conveniebant; ipsi enim apertis verbis dicebant, *Ingeniti creaturam Filium, Unigeniti creaturam Spiritum Sanctum*[1]). — Macedoniani autem 2° propterea statuebant Spiritum Sanctum non esse Deum, quia *ipse non est ex Patre* sicuti Filius. Ita jam ante Macedonianos scripserat Eusebius Caesareensis vir dubiae fidei: *Solus quidem ipse unus Deus et Pater Domini Nostri Jesu Christi dici queat; Filius vero unigenitus Deus, qui est in sinu Patris. Paracletus autem Spiritus neque Deus neque Filius, quoniam non aeque ac Filius ex Patre genesim accepit, sed est unum aliquod eorum quae per Filium facta sunt, quoniam omnia per ipsum facta sunt et sine ipso factum est nihil*[2]). — Porro 3° Spiritum Sanctum ex Filio vel per Filium esse, Macedoniani assumebant ex Scripturis ut clarum, sed hoc ut congrueret suae haeresi exponebant de *processione Spiritus Sancti a Filio per creationem.* Haec igitur varia errorum capita etiam Patres respiciunt in sua Macedonianismi oppugnatione, quamvis haud ex ordine ea refutare soleant.

Patres. 42. Praecipue spectant ipsi demonstrationem et assertionem *divinitatis* Spiritus Sancti, istud enim est dogma praecipuum; simul vero etiam processionem Spiritus Sancti ex substantia Patris urgent, quia in haeresi Macedonianorum negatio hujus processionis ex Patris substantia cum negatione deitatis Spiritus Sancti cohaerebat. Dum vero de hac processione loquuntur, nullatenus negant processionem ex Filio, imo eam ut communem doctrinam supponunt; ex hoc ipso passim ostendunt, Spiritum etiam ex Patre esse, ac diserte quoque asserunt, Spiritum Sanctum esse ex

---

[1]) Ita Eunominus ap. Basilium, L. II. n 33.

[2]) De eccles. theol., L. III. c. 6.

Patre et Filio. Simul autem, Spiritum Sanctum ex Filio esse non per creationem, sed per processionem seu communicationem naturae, inde ostendunt, quod ex Scripturis idem sit *ordo* Spiritus Sancti ad Filium, qui est Filii ad Patrem. Jamvero Filium ex Patre esse non per creationem sed per communicationem naturae, Macedoniani concedebant. Unde inferunt Patres, ipsis etiam concedendum esse, Spiritum Sanctum esse ex Filio, per communicationem naturae[1]).

43. Quum in tota controversia maxime ageretur de divinitate Spiritus Sancti, Patres in Concilio CPtano imprimis solliciti fuerunt, ut adjicerent Symbolo aliqua quae exprimunt plures proprietates Spiritus Sancti in Scripturis assertas, quibus divinitas ejus peculiari modo exhibetur. In his autem ut rejiciant simul errorem illum, Spiritum Sanctum haud ex Patre procedere, eum quoque Scripturae ponunt textum, quo Spiritus *ex Patre procedere* dicitur. — Epitheta illa varia adjecta esse, ut Spiritus Sancti majestas et divinitas ob oculos ponatur, etiam bene elucet ex textu graeco, quo ista attributa addito articulo enuntiantur per adjectiva et participia. Haeretici dicebant, Spiritum esse creaturam, famulum a Filio creatione productum. Concilium dicit ipsum Spiritum *Sanctum* (*Πνεῦμα τὸ ἅγιον*), Dominum seu dominantem (*τὸ κύριον*), vivificantem (*τὸ ζωοποιόν*), ex Patre procedentem (*τὸ ἐκ τοῦ Πατρὸς πορευόμενον*), cum Patre et Filio simul adoratum et conglorificatum, (*τὸ σὺν Πατρὶ καὶ Υἱῷ συμπροσκυνούμενον καὶ συνδοξαζόμενον*), locutum per prophetas (*τὸ λάλησαν διὰ τῶν προφήτων*). Ex Scripturis desumptas esse has locutiones, nemo est qui non videat. Verba Spiritus *Sanctus*, Spiritus *Domini* frequenter occurrunt, *Spiritus est qui vivificat* (Jo. 6.64), *ex Patre procedit* (Jo. 15.26), *bene Spiritus Sanctus locutus est per Isaiam prophetam* (Act. 28.25). *Adoratio* et *glorificatio* etiam sunt voces, quibus divinus honor Patri et Filio in Scripturis passim vindicatur.

Concilium CPtanum.

---

[1]) Vide haec ulterius evoluta et probata ap. Franzelin, De Deo trino, p. 505 sqq.

Vindicatur definitio.

44. Non addiderunt Patres expresse Spiritum Sanctum ex Filio procedere, quia hac de re non erat controversia, sed admittebant id haeretici. Errorem vero eorum, hanc processionem ex Filio esse per creationem, satis removerunt Patres variis illis locutionibus, quibus Spiritus divinam majestatem exprimunt. Formulum *τὸ ἐκ τοῦ Πατρὸς πορευόμενον* adoptarunt uti in Evangelio occurrit, ut aptissimam ad errorem haereticorum refellendum; addere, Spiritum etiam ex Filio procedere non erat necessarium, quia Macedoniani universim hoc non negabant; id vero quod in eorum doctrina erroneum erat, aliis incisis corrigebatur. Scopus Patrum non erat, ut fusius et complete rationem processionis Spiritus Sancti exponerent, sed ut doctrinam catholicam vindicarent, *respectu errorum qui ab haereticis tenebantur*[1]).

45. Plane immerito dicit igitur Langen l. c., concedendum esse, Patres CPtanos non cognovisse eam doctrinam, Spiritum Sanctum pariter procedere ex Patre et Filio. Imo haec doctrina iis explorata erat, atque apud Patres illius temporis multiplicia hac de re testimonia occurrunt. Ita e. g. S. Gregorius Nyssenus claris verbis dicit: *Spiritus Sanctus et ex Patre dicitur, et ex Filio esse attestatione confirmatur; si quis enim Spiritum Christi non habet, hic non est ejus; igitur Spiritus ex Deo et Dei Spiritus est*[2]). S. Cyrillus Hierosolymitanus: *Sicut proprius est Filii Spiritus, naturaliter et in ipso existens et per ipsum*

---

[1]) Breviter rationem qua Synodus egit, declarat Beccus Patriarcha CPtanus. „Interrogatio schismaticorum erat: cur SS Patres secundi Concilii sacrum Symbolum explicantes divinitatem quidem Spiritus Sancti expresse posuerunt, de processione vero ejus dixerunt consona Evangelio: qui ex Patre procedit, et non addiderunt etiam illud *ex Filio?* Respondet Beccus post alia plura: Verissima causa cur SS. Patres in processione Spiritus S. non addiderunt Filium, illa est, quod quidem haeretici aiebant et sentiebant, Spiritum Sanctum ex solo Filio procedere. . . Igitur haeretici asserebant Spiritum ex Filio et non ex Patre. Sancti vero id quod negabant haeretici, explicite praedicarunt in Symbolo, dicentes: qui ex Patre procedit; nam procedere ex Filio, haeretici concedebant, nec erat in hoc cum ipsis controversia." (Becc. in *Dictis Sanctorum* inter opuscula aurea p. 155 sq. Vide Franzelin, l. c. p. 510.)

[2]) Sermo III. in Orat dominic.

procedens, ita et Patris[1]). S. Epiphanius affert symbolum quod, ut ait, praesertim a catechumenis profitendum exigebatur, et in eo fidem de Spiritu Sancto hisce exhibet: *Et in Spiritum Sanctum credimus, qui locutus est in lege, et praedicavit in prophetis, et descendit ad Jordanem, loquitur in Apostolis, habitat in Sanctis. Ita vero in ipsum credimus, quod scilicet est Spiritus Sanctus, Spiritus Dei, Spiritus perfectus, Spiritus Paracletus, increatus, qui ex Patre procedit, et accipit et esse creditur ex Filio* (*καὶ ἐκ τοῦ Υἱοῦ λαμβανόμενον καὶ πιστευόμενον*)[2]). Quo sensu Spiritus dicatur accipere ex Filio (Jo. 16.14), declarat alterum incisum: *ex Filio esse creditur.* „Hic igitur, ait merito Franzelin, in Symbolo quod saec. IV in Oriente institutioni catechumenorum et confirmationi fidelium adversus artes haereticorum destinatum erat et in multis ecclesiis usurpatum, habemus expressam declarationem: Spiritus procedit ex Patre et ex Filio esse creditur. Insuper professio haec est in Symbolo, quod exhibetur ab ipso S. Epiphanio velut uberior et sine controversiis recepta explanatio formulae simplicioris *qui ex Patre procedit;* in hac ergo ipsa tam Pastores quam fideles processionem ex Filio non exclusam, sed inclusam intelligebant et diserte profitebantur“[3]).

46. Ex his igitur vides, omnino immerito scriptorem illum (Langen) asserere, concedendum esse Orientalibus schismaticis, Patres CPtanos haud cognovisse *parem* Spiritus Sancti ex Patre et Filio processionem. Studuerunt quidem schismatici Patrum locutiones, quibus Spiritus Sanctus ex Filio esse diserte asseritur, exponere de donis, de missione, de effectibus Spiritus Sancti ad extra; at haec interpretatio saltem exclusive sumpta omnino arbitraria est, inepta et falsa. — Neque admitti debet, formu-

---

[1]) In Joann. p. 910.

[2]) Ancorat. n. 120.

[3]) L. c. p. 511. — Cfr. etiam ejusdem auctoris opus citatum *De processione Spiritus Sancti,* p. 269, nota 1., ubi ostenditur, illa symboli verba *ἐκ τοῦ Υἱοῦ . . . πιστευόμενον* significare, qui (Spiritus Sanctus) ex Filio *esse* creditur.

Formula apta. Iam *qui ex Patre Filioque procedit,* minus aptam esse, eo quod insinuet duo principia generantia Spiritum Sanctum. Breves Symbolorum professiones semper *harmonice* intelligendae sunt cum aliis fidei capitibus, haud vero ex eo quod verba grammatice falso exponi possent, debent dici minus apta et falsae interpretationi obvia. Istis verbis *ex Patre Filioque* clare exprimitur ea veritas quae custodienda erat, videlicet Spiritum Sanctum uti ex Patre ita etiam ex Filio procedere. Sed Patrem et Filium *unum* esse principium spirans, exploratum est ex illa fidei doctrina, qua omnia communia esse tenemus tribus personis, exceptis proprietatibus personalibus. Etiam altera formula *Spiritus ex Patre per Filium procedit* a Latinis merito admittitur; veram enim doctrinam exhibet, si harmonice cum reliquis fidei capitibus intelligitur. Sed facilius quam prior formula videtur sensui falso obvia esse, quatenus locutio intelligi posset, ac si spiratio Patris et processio Spiritus Sancti ex eo non immediatae essent, sed Filio intermedio locum haberent.

Canones Concilii. 47. Concilium CPtanum etiam aliquot *canones* condidit; modo quidem numerantur septem, sed tres ultimi postea additi esse videntur. Primo canone condemnatio haeresum continetur, quarto vero irrita declarantur Maximi Cynici ordinatio ejusque actus. Secundo autem et tertio de episcoporum auctoritate et honore agitur, illique celebriores sunt eo, quod tertio canone Patres veluti fundamenta posuerint privilegiorum episcopi CPtani. — Secundo canone statuitur: *Qui sunt super dioecesim episcopi nequaquam ad ecclesias quae sunt extra praefixos sibi terminos accedant, nec eas hac praesumptione confundant; sed juxta canones Alexandrinus Antistes quae sunt in Aegypto regat solummodo, et Orientis episcopi Orientem tantum gubernent, servatis privilegiis quae Nicaenis canonibus ecclesiae Antiochenae tributa sunt. Asianae quoque ecclesiae episcopi ea solum quae sunt in Asiana dioecesi dispensent; necnon et Ponti episcopi ea tantum quae sunt in Ponto, et Thraciarum quae in Thraciis sunt gubernent. Non vocati autem episcopi ultra suam dioecesim non accedant propter ordina-*

tiones faciendas vel propter alias dispensationes ecclesiasticas. Servata vero quae scripta est de gubernationibus regula, manifestum est, quod illa quae sunt per unamquamque provinciam, ipsius provinciae synodus dispenset, sicut Nicaeno constat decretum esse Concilio. Ecclesias autem Dei in barbaricis gentibus constitutas gubernari convenit juxta consuetudinem quae est a Patribus observata. — Canon tertius ita habet: *Constantinopolis episcopus habeat honoris primatum post Romanum episcopum, eo quod sit ipsa nova Roma.* (*Τὸν μέντοι Κονσταντινοπόλεως ἐπίσκοπον ἔχειν τὰ πρεσβεῖα τῆς τίμης, διὰ τὸ εἶναι αὐτὴν νέαν Ῥώμην*).

48. Jam vidimus, canone sexto Concilii Nicaeni provisum fuisse, ut ecclesiis patriarchalibus aliisque prae caeteris eminentibus sua jura vindicarentur et firmarentur. Constitutio hierarchica in Ecclesia ea erat saeculo quarto, ut tres essent patriarchae, Romanus, Alexandrinus et Antiochenus. Romanus episcopus ut dioecesim patriarchalem habebat totum Occidentem; Alexandrinus Aegyptum cum provinciis adjacentibus, multique (circiter centum) sub ipso metropolitae et episcopi constituti erant; simili ratione Antiochena dioecesis sese habebat. Praeterea habebant similia privilegia et jura similesque dioeceses, majores metropolitae seu exarchae Caesareae in Cappadocia, Ephesi in Asia minori, et Heracleae in Thracia, atque primas Carthaginiensis in Africa. Romanus autem Pontifex etiam totius Ecclesiae caput erat et ab omnibus ut tale agnoscebatur, suamque jurisdictionem in universam Ecclesiam exercebat. Quamvis vero jure divino Romanus Pontifex in universos et singulos fideles jurisdictione praeditus sit, ea aetate quoad Orientem eam exercebat immediate in Patriarchas, minus vero cum singulis episcopis agere solebat. — Decursu saeculi quarti episcopus Hierosolymitanus, quamvis constitutus esset sub metropolita Caesareae in Palaestina, tamen honoris privilegia varia obtinuerat. Jam in Concilio Nicaeno statuitur canone VII⁰: *Quia consuetudo obtinuit et antiqua traditio, ut Aeliae episcopus honoretur, habeat honoris consequentiam* (*ἐχέτω τὴν ἀκολουθίαν τῆς τίμης*) *salva metropolis propria dignitate.* Subsequente

Canon tertius.

tempore episcopi Hierosolymarum ob dignitatem illius sedis majorem etiam auctoritatem ac dignitatem amplioresque honores obtinuerunt; et S. Cyrillus contra Acacium Caesariensem exemptionem a juribus metropolitanis et praeeminentiam prae ipso sibi vindicare tentavit, illo vehementer resistente. In Concilio CPtano I S. Cyrillus eximium habuit locum, et subscripsit ante Gelasium Caesareae episcopum atque ipsius nepotem.

49. In canone secundo Concilii CPtani generatim jura et privilegia sedium juxta antiquos canones confirmantur; sed maxime eo tendit hic canon, ut episcopis interdicatur, quominus non vocati sese misceant negotiis alterius regionis ac dioecesis. Occasionem tali decreto dederat Petrus patriarcha Alexandrinus, qui influxu suo atque favore effecerat, ut Maximus Cynicus in episcopum CPtanum ordinaretur. Sedes CPtana eousque secundum canones adhuc nulla acquisiverat privilegia, et Heracleae tanquam metropoli Thraciae suberat. Sed de facto magnam dignitatem atque splendorem ista sedes obtinuerat; ipsa enim eminentia urbis regiae, Imperatorisque praesentia id secum ferebant, ut civitatis episcopus influxum auctoritatemque insignem acquireret. Id vel inde apparet, quod post episcopatum Antiochenum Eudoxius a. 360 sedem CPtanam acciperet. Episcopus CPtanus quidem de jure subjectus erat metropolitae Heracleensi, atque etiam adhuc posteriori tempore ab ipso ordinari solebat; caeterum de facto illa dependentia jam tempore vigentis Arianismi admodum diminuta erat. Videbatur autem conveniens et exoptandum eo tempore, ut etiam decreto solemni praerogativae quaedam episcopo CPtano concederentur; atque viri quoque sanctitate eximii, uti erant multi Synodi Patres, id opportunum esse censere poterant, ne civitas in ordine civili tam eminens, despecta haberetur in hierarchia ecclesiastica. Hinc factum est, ut conderetur ille canon tertius, quo episcopo CPtano post Romanum concedebatur primatus honoris.

Sedes CPtana.

50. Adjuncta ulteriora hujus constitutionis haud nota sunt, sed ipsae temporis circumstantiae sat opportunae

erant, ut ejusmodi dispositio admitteretur. Patrum enim animi infensi erant in episcopum Alexandrinum, ob ordinationem Maximi, cui etiam Timotheus Petri successor et frater adhuc favebat. In ecclesia Antiochena schisma Meletianum vigebat, atque Flavianus vix in episcopum electus aegre sese isti dispositioni opponere poterat[1]), neque videbatur periculosum Nectario, viro pluribus aliis Patribus Concilii multo inferiori, talem praerogativam honoris concedere. Pericula vero quae pro tempore futuro exoriri poterant, ut fieri solet, non perpendebantur. — Caeterum ille canon per se jura Romani Pontificis non impetebat, quum nonnisi *post ipsum* honoris praerogativae episcopo CPtano decernerentur. Sed directe imminuebat privilegia episcoporum Alexandrini et Antiocheni et metropolitanorum insignium, quum saltem in *ordine honoris* omnibus his episcopus CPtanus praeficeretur. Attamen illa verba, *propterea quod urbs ipsa sit nova Roma,* etiam falsum conceptum de Romani Pontificis praerogativis ingerere poterant, quum occasionem praebere possent suppositionis erroneae, ex dignitate politica Urbis privilegia Sedis derivari. Hoc vero principium ab Ecclesia alienum erat.

Expenditur canon tertius.

51. De natura, sensu et amplitudine verborum canonis tertii disceptatum est. Nonnulli cum Natali Alexandro existimant, praefato canone etiam collatam esse episcopo CPtano dignitatem et potestatem patriarchicam in dioeceses Thracicam, Ponticam et Asiaticam. Merito id alii negant; jurisdictionis enim potestas verbis illius canonis non amplificatur. Sed vaga illa expressione ac parum determinata, *habeat honoris primatum,* veluti per se excitabatur episcopus CPtanus, ut extenderet suam auctoritatem et large sua privilegia interpretaretur. Quum praeeminentia honoris ei concessa esset, eo fundamento nitens facile etiam praeeminentiam potestatis acquisivit. Paulatim enim variis rerum adjunctis factum est, ut Thraciae et Asiae minoris sedes dependentes fierent a sede CPtana;

---

[1]) Patres probabiliter istum canonem condiderunt post alias res absolutas, adeoque post mortem Meletii, ordinationem Flaviani, Gregorii Nazianzeni abdicationem et electionem Nectarii.

et hujus civitatis episcopi gradatim, partim ex industria et explicito animi proposito, partim ex natura rei ut necessitatibus ecclesiarum subvenirent, adlaborarunt, ut istas regiones suae sedi submitterent. Bene Thomassinus: *Emicat autem prorsus ex historiae serie et ex regiae hujus urbis episcoporum deinceps gestis, canonis hujus verba eos in rem suam ita interpretatos esse, ut eorum obtentu vel cupiditati suae et amplificationi velificari possent, vel ecclesiarum necessitatibus ex caritate servire. Quamquam enim nihil magis adversetur caritati quam cupiditas, . . utriusque tamen agendi ratio in speciem simillima est. Ergo non ad solam honoris et consessus praerogativam canone iste nitebantur CPtani episcopi, ipsam plerumque jurisdictionem latius propagabant, non solum ultra Metropolitanis, sed etiam ultra Exarchis praescriptos limites, tum illis tum his infra se depressis, et causis judiciisque eorum propriis ad se revocatis*[1]).

Aegre admittitur canon.

52. Innovationem illam tertio canone introductam Flavianus quidem Antiochenus tacite accepisse videtur, sed Alexandrini Patriarchae et Pontifex Romanus diu eam noluerunt agnoscere. Ad Alexandrinos quod spectat, Timothei successores Theophilus, Cyrillus et Dioscorus illam Concilii dispositionem perhorrescebant, quamvis interdum necessitate quadam adacti indirecte praerogativas episcopi Byzantini sua ratione agendi agnoverint. Imo absentibus Timotheo et Aegyptiis decreta illa condita dixeris. Timotheus etiam haud videtur approbasse ordinationem Nectarii, sed Maximi ordinationem tuitus esse eaque de re Romam scripsisse. Ibidem haesitaverunt in agnoscendo Nectario, donec Theodosius missa legatione confirmationem ejus electionis obtinuerit[2]). Canonem vero tertium Concilii Romana Sedes nunquam accepit, imo haud videtur

---

[1]) Vetus disciplina P. I. C. 10. n. 3.

[2]) Bonifacius I ad episcopos Macedoniae scribit: „Clementissimae recordationis princeps Theodosius Nectarii ordinationem, propterea quia in nostra notione non esset, habere non existimans firmitatem, missis e latere suo aulicis cum episcopis formatam huic a Sede Romana dirigi regulariter depoposcit, quae ejus sacerdotium roboraret."

Romam iste canon missus esse. Scribit enim Leo I ad Anatolium CPtanum episcopum: *Persuasioni tuae in nullo penitus suffragatur quorumdam episcoporum ante sexaginta, ut jactas, annos facta conscriptio, nunquam a praedecessoribus tuis ad Apostolicae Sedis transmissa notitiam, cui ab initio sui caducae dudumque collapsae sera nunc et inutilia subjicere fulcimenta voluisti, eliciendo a fratribus speciem consensionis, quam sibi in suam injuriam verecundia fatigata praeberet*[1]). Simili ratione etiam S. Gregorius M. scribit: *Romana autem ecclesia eosdem canones sive gesta Synodi illius hactenus non habet nec accepit; in hoc autem eamdem Synodum accepit, quod est per eam contra Macedonium definitum*[2]). Sub Innocentio III tantummodo in Concilio Lateranensi IV a. 1215 habito Apostolicae Sedis auctoritate primum canon editus est, quo CPtano Patriarchae secundus post Romanum Pontificem locus tribuitur[3]).

53. Concilii Patres de iis quae constituerant epistolam synodicam dederunt ad Theodosium Imperatorem, qui ea ipsa ut ab omnibus servarentur, auctoritate sua (die 30 Julii) munivit. Modo vero convenit paucis exponere ea, quae ad relationes hujus Concilii cum Occidentalibus spectant; non modica enim confusio hac in re apud plures auctores invenitur. — Scribit Theodoretus H. E. L. V. c. 8: *Conditis aliquot regulis de ecclesiastica disciplina, et fide quae Nicaeae exposita fuerat denuo confirmata, ad suas quisque urbes reversi sunt. Sequenti vero aestate cum plerique eorum ad eamdem urbem venissent: ecclesiastica enim negotia eos rursus illuc evocaverant: occidentalium episcoporum synodicam epistolam acceperunt, quae ipsos hortabatur, ut Romam ad maximam synodum, quae illic parabatur, se conferrent. Verum profectionum quidem, ut quae nihil emolumenti esset habitura, suscipere recusarunt* (παρῃτήσαντο); *scripserunt tamen ad illos litteras, quibus et tempestatem quae adversus ecclesias excitata fuerat significabant, et illo-* Eventus post Synodum.

[1]) Ep. 106 (al. 80) c. 5. [2]) L. VII. Ep. 34.

[3]) De canone illo Concilii CPtani I, ac de iis quae amplificationem potestatis episcoporum Constantinopolis inde ortam spectant, v. Hergenröther, *Photius*, B. I. C. 2.

rum praeteritam negligentiam subobscure innuebant. Apostolicam quoque doctrinam brevi compendio iisdem litteris inseruerunt. — Inde vides, non statim a Concilio CPtano litteras synodicas Romam missas esse, sed altero tantum anno cum invitarentur, ut Romam ad generale Concilium venirent. Videlicet Concilium CPtanum I per se *convocatione non erat oecumenicum,* sed invitante Theodosio convenerunt praecipui episcopi orientales orthodoxi et Macedoniani, ut perturbationi quae quantum ad fidem et disciplinam vigebat in Oriente mederentur. Quum ista negotia non spectarent directe Occidentem, haud convocati fuerunt episcopi Occidentis, excepto Ascholio Thessalonicensi, qui Theodosio amicissimus erat. Atque ista in re facile crederem aliquid intervenisse infirmitatis et simultatis humanae. Orientales scilicet negligentiores habuerunt Occidentales, quod persecutione fervente illis non cum majori festinatione succurrerint, et pace jam restituta ad res suas componendas eos non vocarunt. In re fidei examen et discussiones non requirebantur, quum Occidentis fides Nicaeno Concilio conformis indubia esset, atque etiam Orientis episcopi orthodoxi inter se quoad doctrinam de SSma Trinitate conformes essent. Perturbationi vero quae in sedibus episcopalibus CPtana et Antiochena obtinebat mederi studuerunt sine concursu Occidentalium, quamvis conveniens fuisset, ut hi quoque partes haberent in rebus apte componendis. — Haec ex variis documentis satis colliguntur.

Concilium Aquileiense.

54. Videlicet a. 381 mense Augusto Aquileiae, Gratiano Imp. curante, concilium habitum est, praeside Sancto Ambrosio ac praesentibus triginta duobus episcopis ex variis regionibus Occidentis, scilicet ex Italia, Gallia, Pannonia, Africa, quorum aliqui integras provincias repraesentabant. In hac synodo damnati sunt Palladius et Secundianus episcopi Illyrici, et Attalus presbyter, Ariani. Pluribus litteris de rebus gestis episcopi referunt ad Imperatores Theodosium, Gratianum et Valentinianum, atque in una ex his epistolis (ap. Ambrosium ep. 12[a]) etiam agunt de discordiis inter Catholicos Orientis, ac de causa

Paulini Antiocheni et Timothei Alexandrini, contra quem factio quaedam surrexerat, et petunt, ut ad turbas sedandas et pacem servandam Alexandriae synodus magna convocetur. *Ideo,* scribunt, *petimus vos clementissimi et christiani principes, ut et Alexandriae sacerdotum catholicorum omnium concilium fieri censeatis, qui inter se plenius tractent atque definiant, quibus impertienda communio quibusque servanda sit.* Interea in Italiam pervenit nuntius de synodo ab Orientalibus Constantinopoli habita, ac de Flaviani in sedem Antiochenam, et de Nectarii in sedem Constantinopolitanam ordinatione. Tunc Ambrosius Italiaeque episcopi aliam epistolam ista de re ad Theodosium scripserunt[1]). In ea epistola vehementius conqueruntur: *At nunc Meletio defuncto, Paulino superstite, quem in communione nostra mansisse consortia, quae a majoribus inoffense ducta, testantur, contra fas atque ecclesiasticam ordinem alius in locum Meletii non tam subrogatus quam superpositus asseritur. Atque hoc factum allegatur consensione et consilio Nectarii, cujus ordinationem quem ordinem habuerit non videmus.* — Dein animadvertunt, se censuisse ratam ordinationem et episcopatum Maximi (Cynici) qui *nuper in concilio*[2]) causam suam ipsis exposuerat, ipsisque visum esse, Gregorii Nazianzeni episcopatum haud esse legitimum. Se quidem in illa synodo noluisse hac de re decernere; sed quum omnibus etiam Orientalibus, quamvis non convocarentur ut deberent venire, tamen litteris Impe- Epistola ad Imperat.

---

[1]) Hanc epistolam post synodum Aquileiensem scriptam esse, variis indiciis manifestum est. Probabile est, Ambrosium aliquot episcopos Mediolanum convocasse, et cum iis ibi synodum egisse. In omnibus his certe egit consensu sedis Romanae; Damasus autem Romae detinebatur ob difficultates ex parte Ursini adversarii ipsius.

[2]) Videtur Ambrosius indicare ipsum concilium Aquileiense, ad quod Maximus, jam ante Constantinopoli ejectus, se contulerat. In subscriptionibus concilii Aquileiensis praeter Maximum episcopum Emonensem, invenitur alius Maximus sine addito, penultimo loco ante *Chromatium presbyterum* Aquileiensem, qui ultimus subscripsit. Valde probabile est, indicari Maximum illum, qui sibi episcopatum CPtanum vindicabat.

ratoris Gratiani facultas data fuisset ad synodum Aquileiensem accedendi, conveniens fuisse, ut illuc episcopi venirent, cum comperirentur a Maximo causam suam ad synodum deferri. At eo tempore illos episcopos *generale concilium declinantes* synodum Constantinopoli egisse, et pro arbitrio res novas constituisse. Sed eos debuisse hac in re etiam Occidentalium praestolari sententiam. *Non praerogativam,* inquiunt, *vindicamus examinis, sed consortium tamen debuit esse communis arbitrii. . . Nec quaedam nos angit de domestico studio et ambitione contentio, sed communio soluta et dissociata perturbat. Nec videmus eam posse aliter convenire, nisi aut is reddatur Constantinopoli qui prior est ordinatus, aut certe super duorum ordinatione sit in urbe Roma nostrum Orientaliumque concilium. Neque enim indignum videtur, Auguste, ut Romanae ecclesiae Antistitis finitimorumque et Italorum episcoporum debeant subire tractatum, qui unius Ascholii episcopi ita exspectandum putaverunt judicium, ut de occidentalibus partibus Constantinopolim evocandum putarent. Si quid uni huic reservatum est, quanto magis pluribus reservandum est? Nos autem a beatissimo principe fratre tuae pietatis admoniti, ut tuae clementiae scriberemus imperio, postulamus, ut ubi una communio est, commune velit esse judicium concordantemque consensum*[1]).

Theodosii gesta.

55. Theodosius igitur accepit varias illas epistolas, atque denuo episcopos ad synodum convocavit Constantinopolim; in rescriptis vero non indicavit, ut Romam dein ad concilium proficiscerentur. Etiam Ambrosio scripsit Imperator ob petitionem concilii Romae celebrandi epistolam animo minus pacato confectam, uti colligitur ex Ambrosii responsione, qua petitionem uti omnino aequam et in Orientales nullatenus injuriosam defendit.[2]) — Quum ea occasione Theodosius per Procopium secretarium vel urbis praefectum etiam Gregorium Nazianzenum enixius ad synodum invitaret, is se propter aegrum corporis statum excusavit et venire declinavit. Simul propter ea

---

[1]) Ambros. ep. 13. [2]) Ambros. ep. 14.

quae perpessus erat, parum se in synodorum celebrationem propendere, parumque boni ex ea se exspectare ostendit. Scribit videlicet: *Ego, si vera scribere oportet, hoc animo sum, ut omnem episcoporum conventum fugiam, quoniam nullius concilii finem laetum et faustum vidi, nec quod depulsionem malorum potius quam accessionem et incrementum habuerit. Semper enim sunt contentiones et dominandi cupiditates, ac, ne me quaeso gravem ac molestum existimes haec scribentem, nec ullis quibus verbis explicari queant; citiusque aliquis improbitatis arguetur, dum aliis se judicem praebet, quam illorum improbitatem comprimat.*[1]) Quoad severiora haec verba aliquid quidem tribuendum est aegro Sancti Gregorii animo; apparet tamen Praesulum synodis etiam ea aetate suas fuisse difficultates.

56. Quando episcopi Constantinopolim pervenerunt, ibi illos Imperator certiores reddidit de synodo Romae celebranda, et quaestio tractata est de accessu ad illam synodum. Satius visum est mittere tres episcopos legatos cum litteris synodicis, quibus excusant quod non veniant, res superiori anno gestas referunt, et suum exprimunt desiderium ut iis consentiant episcopi occidentales. *Quoniam*, scribunt, *fraternam erga nos caritatem declarantes, ad synodum quam Dei nutu ac voluntate Romae congregatis nos quoque velut membra propria piissimi Imperatoris litteris evocastis, eo consilio, ut quia tunc soli ad perferendas aerumnas damnati sumus, nunc concordantibus in causa pietatis Imperatoribus, vos non soli regnetis, sed juxta Apostolicam sententiam nos quoque vobiscum regnemus: nobis quidem in votis erat, ut si fieri posset, universi simul relictis ecclesiis desiderio seu potius necessitati obsequeremur. Quis enim det nobis pennas sicut columbae, ut volemus et requiescamus apud vos? Sed quoniam ea res prorsus nudaret ecclesias quae nunc primum incipiunt renovari, et plerique nostrum id facere nullo modo possent: conveneramus enim Constantinopolim, juxta litteras reverentiae vestrae, superiore anno post Aquileiense concilium ad piissimum Imperatorem*

Episcoporum epistola.

[1]) Ep. 130 (al. 56) ad Procopium. Cfr. etiam epp. sequentes.

Theodosium missas, ad hanc solam profectionem instructi Constantinopolim usque, et de hac tantum synodo episcoporum qui in provinciis remanserant consensum adferentes: de longioris autem profectionis necessitate nihil suspicati eramus, nec omnino quidquam audieramus priusquam Constantinopoli convenissemus; cum praeterea constituti temporis angustia nec ad longioris itineris apparatum, nec ad omnes communionis nostrae episcopos qui in diversis provinciis sunt commonendos et consensus ab iisdem accipiendos, sufficeret: quoniam haec et alia insuper plurima multos venire prohibebant, quod reliquum erat (ὃ δεύτερον ἦν) *tum ad res restituendas tum ad nostram erga vos caritatem declarandam, id fecimus, reverendissimos et carissimos fratres et comministros nostros Cyriacum, Eusebium et Priscianum deprecati, ut ad vos alacri animo proficiscerentur* — Commemorant dein diras persecutiones, quas sub Valente perpessi sunt ob fidem orthodoxam, atque hanc breviter exhibent. *Zelum,* scribunt, *quem pro recta fide habemus, vobis declaramus. Nos enim sive persecutiones, sive vexationes, sive imperiales minas, sive crudelitatem praesidum, sive aliam quamcumque tentationem ab haereticis pertulimus, et pro evangelica fide quae Nicaeae in Bithynia a trecentis et octodecim Patribus confirmata est, sustinuimus. Hanc enim et vobis et nobis et omnibus, qui verae fidei sermonem non pervertunt probari decet, quam nos vix tandem* (μόλις, *aegre, cum labore*) *retinemus et servamus, quippe quae antiquissima sit et baptismo consentanea, docens nos credere in nomen Patris et Filii et Spiritus Sancti, unam scilicet deitatem et potentiam ac substantiam Patris Filiique et Spiritus Sancti credentes; aequalem item dignitatem et coaeternum imperium in tribus perfectis hypostasibus sive in tribus perfectis personis. Ita ut nec Sabellii morbus locum habeat confundendo hypostases et tollendo proprietates, nec Eunomianorum et Arianorum ac Pneumatomachorum blasphemia vim ullam obtineat, substantiam et naturam ac deitatem dividens, et increatae et consubstantiali ac coaeternae Trinitati recentiorem quamdam aut creatam aut alterius substantiae Trinitatem superinducens. Incarnationis quoque Domini nostri doctrinam in-*

corruptam servamus. . . . Et fides quidem quae constanter (ἀνυποστόλως, sine metu, intrepide) a nobis praedicatur, in summa sic se habet (τὰ μὲν οὖν κατὰ τὴν πίστιν τὴν παρ' ἡμῶν ἀνυποστόλως κηρυττομένην ὡς ἐν κεφαλαίῳ τοιαῦτα). Ex qua majorem adhuc voluptatem vobis capere licebit, si et libellum Antiochiae conditum a synodo quae illic celebrata est legere dignemini, et illum qui superiore anno est Constantinopoli ab oecumenica Synodo. — Libellus hic videtur fuisse expositio accurata fidei, cujus pars praecipua erat ipsum Symbolum. — Dein suas vindicant dispositiones quoad administrationem ecclesiarum, studentque ex aliquo canone Nicaeno et ex disciplina vigente ostendere, omnia canonice peracta fuisse. *Quibus,* scribunt, *tanquam canonice ac legitime apud nos constitutis, vestram quoque reverentiam gratulari hortamur, intercedente spirituali caritate, et Domini timore omnem quidem humanum affectum comprimente, ecclesiarum autem aedificationem privatae erga singulos benevolentiae et gratiae proponere*[1]).

57. Manifestum est, episcopos ea quae fidem spectant habuisse ut indubie consona cum fide orthodoxa. Atque hac in re nihil aliud ipsi fecerant, nisi tueri fidem Nicaenam et rejicere Pneumatomachorum haeresim, quae etiam a Damaso Pontifice jam rejecta erat. Quum igitur communem fidem professi essent, de damnatione Macedonianorum per Damasum Pont. jam constaret, et ipsi ista in re Damaso conformes essent, haud videntur inde ab initio in animo habuisse, ut confirmationem Romani Pontificis peterent. Nec Synodum stricto sensu habuerunt ut oecumenicam, quia talis manifeste non erat; sed dum in epistola ita eam apellant, illa vox *oecumenica* latiori sensu adhibetur, uti etiam in Occidente magna Concilia, e. g. Africae, *plenaria* et *generalia* dici solebant. — In iis quae pro administratione ecclesiarum statuerant, secundum strictam disciplinam debuissent Occidentalium consortes habere sententias, sed ex turbato rerum statu et humana quadam simultate facile intelligitur, quod suo Marte res

Expenditur epistola.

[1]) Ap. Labbeum Coll. Conc. T. II. col. 960 sqq.

disposuerint. Atque animadvertendum est, praecipue respectu illarum dispositionum orientales episcopos ad Romanam synodum invitatos fuisse.

Gallicanorum argumentatio. 58. Hoc loco autem tangere convenit argumenta, quae a recentioribus Gallicanis desumpta sunt ex Concilii Cptani I gestis, ut suam confirmarent sententiam qua statuebant, Romanum Pontificem non esse supremum fidei judicem, sed supremum in Ecclesia tribunal complexu Pontificis et episcoporum componi. Etsi enim post decreta Concilii Vaticani ejusmodi sententia erronea derelicta esse videatur, nostri tamen muneris est ostendere, haud solida fuisse argumenta, quibus eadem firmabatur. Praeterea errores consopiti passim recrudescere solent, et quae aliquando ad eos tuendos prolata sunt scriptisque consignata, labente tempore identidem repetuntur.

Ill. Maret. 59. Itaque Illmus Maret episcopus Suranus in opere ante Concilium Vaticanum edito *Du Concile général et de la paix religeuse*[1], quo eam quam diximus doctrinam stabilire nisus est, inter alia etiam affert argumenta ex iis deprompta, quae occasione Concilii Cptani I acciderunt. Insistit vero Illmus auctor, praesertim iis quae ab episcopis orientalibus in epistola synodica ad Damasum data dicuntur. — „Ils invitent le Pontife, scribit, et ses Evêques à lire le symbole qu' ils ont rédigé et l'écrit touchant la foi qui avait été publié au synode d'Antioche. Après avoir fait, disent-ils *librement* et *sincèrement* ces déclarations sur la foi, nous en avons dressé un abrégé. Vous l'approuverez avec une entière satisfaction, si vous voulez bien le comparer avec l'édit du concile d' Antioche touchant la foi et avec celui qui fut composé l'année dernière à Constantinople.“ Ea etiam affert epistolae verba: *„Car la foi ayant été ainsi consolidée par le consentement commun,* et la charité chrétienne ayant été raffermie, nous ne répèterons plus les paroles condamnées

[1]) Du Concile général et de la paix religieuse. Mémoire soumis au prochain Concile du Vatican par Mgr. H. L. C. Maret, Evêque de Sura. Chanoine-Evêque de Saint-Denis, Doyen de la Faculté de Théologie de Paris. 2 Vol. Paris, Henri Plon. 1869.

par l'Apôtre: Moi je suis à Paul, moi je suis à Apollon, . . . mais nous dirons tous que nous sommes à Jésus-Christ.“ — Deinde auctor argumentatur: „En lisant cette lettre mémorable, il est impossible de n'être pas frappé de la chrétienne et sainte liberté dont elle témoigne. La question qui agitait alors l'Eglise avait été décidée deux fois par le pape saint Damase et son concile. Cependant les Pères de Constantinople ne se bornent pas à reproduire simplement la sentence qui avait précédé la leur. Ils examinent, jugent et décident *librement* et *par eux mêmes* la question controversée: *ista de fide a nobis libere ingenueque praedicata,* et ils font reposer la force de la décision *sur le consentement commun: fide communi consensu stabilita.* — Les Pères de Constantinople se croyaient donc de vrais juges de la foi avec le Pape et après le Pape. Ils ne pensaient pas que, dans les circonstances où se trouvait alors l'Eglise, la sentence romaine eût entièrement terminé la question. . . . L'adhésion des évêques italiens et orientaux au décret pontifical ne pouvait pas équivaloir à celle de l'Eglise universelle, ni donner à ce décret le caractère définitif. Du moins les évêques de Constantinople ne le crurent pas, puisqu' ils se conduisirent en vrais juges d'une question déjà jugée par le Souverain Pontife“ [1]).

60. Haec quidem ab illustrissimo viro concinne scripta sunt et eloquenter; sed si istiusmodi rerum expositio comparatur cum iis quae revera facta sunt, colligitur, argumentationem infirmam esse, et erroneis niti suppositionibus et explicationibus. — Theodosius Imp. igitur Concilium episcoporum Constantinopolim convocaverat praecipue, ut provideretur sedi CPtanae, dein ut confirmaretur fides Nicaena; quumque speraret fore ut Macedoniani ad fidem Ecclesiae redirent, eos quoque ad synodum invitaverat. Nullatenus vero error eorum de Spiritu Sancto considerabatur ut controversia nondum definita et veluti sub judice pendens. Inde ab initio illorum haereticorum Refutatio.

---

[1]) L. II. ch. III.

de Spiritu Sancto doctrina tum a conciliis particularibus, tum a Damaso ejusque synodo rejecta et damnata fuit ut haeresis fidei Nicaenae contraria. Episcopi CPtani etiam habuerunt hanc doctrinam ut errorem manifestum et jam damnatum; atque damnationem confirmarunt, sicuti confirmarunt fidem Nicaenam, videlicet, haud ac si controversiam pendentem dirimerent, aut ac si adhuc libertas esset ista in re, sed ut orthodoxam suam fidem profiterentur, et etiam in professione fidei aperte exprimerent doctrinam de divinitate Spiritus Sancti, quo fideles ab omni errore retinerentur. Jam in usu hoc erat in conciliis etiam particularibus, ut formulas fidei ederent quibus ipsa fides Nicaena explicabatur, atque etiam in ecclesiis variae formulae praesertim pro catechumenis adhibebantur. Caeterum nullae discussiones cum episcopis Macedonianis in ipso Concilio habitae videntur. Sed cum ipsis egerunt Theodosius et aliquot episcopi orthodoxi; et Macedoniani quum nollent suae doctrinae renuntiare, mox CPolim reliquerunt.

61. Haud acurate vero sensum verborum assecutus est Ill. Maret, dum probationem suam maxime deducit ex illa sententia: „Ista de fide a nobis *libere ingenueque* praedicata“ etc. Argumentatur auctor, ac si illis verbis exprimeretur jus discussionis, examinis, judicii episcoporum, quamvis jam praecesserit definitio Damasi. Sed virum eruditum effugit, illud *ἀνυποστόλως*, quod vertit *libere et ingenue*, referri ad *fidem episcoporum*, quam non obstante periculis et persecutione *constanter* et *intrepide* praedicaverant et praedicant[1]). Episcopi videlicet, postquam brevi compendio doctrinam in Smam Trinitatem et in Incarnationem, uti in Ecclesia explorata erat, indicarunt, dicunt, hanc esse fidem *ἀνυποστόλως* ab ipsis praedicatam. Dein tantummodo loquuntur de expositione in Synodo facta, quam perlegentem sperant Damasum adhuc majorem delectationem hausurum.

---

[1]) Valesius versione Theodoreti reddit illud *ἀνυποστόλως* verbo *constanter*. Maret usus est versione quae habetur in Collect. Conciliorum Labbaei, sed ad verbum Graecum et contextum minus attendit.

62. Insistit Illm. Maret etiam illis verbis: *Fide communi consensu stabilita,* ut ostendat, episcopos nondum definitivo modo eousque controversiam censuisse terminatam per Romani Pontificis decretum, sed eos exprimere, se suis decretis jam quae reliqua erant ad stabiliendam fidem conferre, ut ita duplici veluti auctoritate interveniente controversia terminata sit. Sed etiam haec argumentatio haud solida est, uti ex textu graeco facile ostenditur. Postquam episcopi quae in re fidei professi sunt, et quae in constituendis sedium episcopis fecere, indicarunt, suam exprimunt spem, seposita privata in aliquos benevolentia ista secundum canones peracta Occidentalibus accepta fore. Haec certe pertinent ad dispositiones de episcopatu CPtano et Antiocheno factas; hac de re enim querelas emiserant Occidentales. Dein pergunt: *Οὕτω γε τοῦ τε τῆς πίστεως συμφωνηθέντος λόγου, καὶ τῆς χριστιανικῆς κυρωθείσης ἐν ἡμῖν ἀγάπης*, i. e. *ita consonante fidei sermone et dominante in nobis christiana caritate, desinemus dicere quod ab Apostolo condemnatum est: Ego quidem sum Pauli, ego vero Apollo* etc. Episcopi nullatenus dicunt, per ipsorum decreta nunc reddi fidem consonam, sed supponunt, Pontificem visurum esse, eorum fidem cum sua plane concordare, sperantque, etiam in rebus illis disciplinae perfectam caritatem regnaturam esse. — Vides igitur, argumentationem auctoris revera non posse admitti..

63. Restat, ut pauca dicamus de quaestione, qua ratione Concilium CPtanum I *oecumenicum* sit. Ex dictis satis colligitur, Concilium per se nec convocatione nec celebratione oecumenicum fuisse: sed dignitatem Synodi oecumenicae obtinuit postea, respectu eorum quae in re dogmatis facta sunt, quia ista a Romano Pontifice comprobata atque in universa Ecclesia ut fidei valde proficua sunt recepta. Haud dubium est, ea quae fidem spectabant ac Synodi symbolum, jam a S. Damaso omnino comprobata fuisse, quum plene haec consentirent iis, quae antea in variis Conciliis, atque a Pontifice ipso ac Romana synodo, ad divinitatem Spiritus Sancti tuendam declarata erant. Epistola synodica, quam Patres a. 382 Romam mi- **Concilium oecumenicum.**

serunt, haud eum quidem scopum videtur habuisse, ut, quemadmodum posteriori tempore fieri solebat, solemnis confirmatio Synodi peteretur. Attamen eo tendebat, ut Romano Pontifici et episcopis occidentalibus ea exponerentur, quae in Concilio facta erant, ad dissipandas suspiciones et concordiam et consensum eorum obtinenda. Photius scribit, brevi post Synodum a Damaso approbatam fuisse, idque certe merito supponitur, quatenus Pontifici Symbolum fideique professio acceptissima fuere, et quatenus ordinationi Nectarii acquievit. Ista confirmatio tamen non se extendebat ad canones, neque ad approbationem ordinationis Flaviani in episcopum Antiochenum, nam Latini continuaverunt communicare cum Paulino.

Romae agnitum.

64. Usque ad Concilium Chalcedonense etiam apud Orientales Synodus CPtana nondum Concilii universalis fruebatur dignitate, sed in Concilio Chalcedonensi symbolum CPtanum cum Nicaeno solemniter recitatum et comprobatum est, et exinde Orientales Concilium CPtanum I ut oecumenicum in magna veneratione habuerunt. Sed in Occidente tales honores isti Synodo concedere haesitarunt ob canones conditos, quamvis ejus decreta fidei acceptissima essent. Leo M.[1]) eam dignitatem synodo illi nullatenus tribuit; synodus Romana sub Felice III a. 485 in epistola ad clericos et monachos orientales[2]) tantum tres Synodos oecumenicas, Nicaenam, Ephesinam, Chalcedonensem, recenset; nec Gelasius (492—496) in suo decreto *de libris recipiendis* hujus Concilii mentionem facit. Sed saeculo sexto etiam Occidentales *quoad fidei decreta* Synodo CPtanae I titulum et dignitatem Concilii oecumenici concessere. Ut tale recensetur a Pontificibus Vigilio et Pelagio II, ac S. Gregorius illa habet notissima: *Sicut sancti Evangelii quatuor libros, sic quatuor Concilia suscipere et venerari me fateor. Nicaenum scilicet, in quo perversum Arii dogma destruitur; Constantinopolitanum quoque, in quo Eunomii et Macedonii error convincitur; Ephesinum etiam primum, in quo Nestorii impietas judicatur; Chalcedonense vero, in quo Eutychetii Dioscorique pravitas reprobatur.*[3])

---

[1]) Ep. 105 ad Pulcheriam. [2]) Harduin, T. II. p. 854.
[3]) L. I. ep. 25. — Cfr. Hefele, C. G. l. c.

Dissertatio octava.

De abolito per Nectarium officio Presbyteri poenitentiarii.

---

1. *Nullus est locus in Historia ecclesiastica,* scribit Valesius in suis ad Socratem notis, *qui doctorum hominum ingenia magis exercuerit, quam iste de Presbytero poenitentiario Constantinopoli sublato*[1]. Narrant videlicet tum Socrates tum Sozomenus[2], a Nectario sublatum fuisse Constantinopoli munus Presbyteri poenitentiarii ob scandalum quoddam in ista ecclesia exortum. Hujus muneris abrogatione porro abusi sunt Calvinus, et post eum passim protestantes, ut sacramentalis confessionis nececessitatem et institutionem divinam impugnarent. — Doctrinam catholicam de confessione Concilium Tridentinum sess. XIV. c. 5 hisce declarat: *Ex institutione Sacramenti poenitentiae jam explicata, universa Ecclesia semper intellexit institutam etiam a Domino integram peccatorum confessionem, et omnibus post baptismum lapsis jure divino necessariam existere.* Praeterea subdit: *Cum a sanctissimis et antiquissimis Patribus magno unanimique consensu secreta confessio sacramentalis, qua ab initio Ecclesia sancta usa est et modo etiam utitur, fuerit semper commendata, manifeste refellitur inanis eorum calumnia, qui eam a divino mandato alienam et inventum humanum esse,.. docere non verentur.* — Verum qui Nectarii factum poenitentiarii Presbyteri munus abrogantis objecerunt, ea Dissertationis indoles.

---

[1] Socrat. H. E. V, 19 nota. [2] H. E. VII, 16

ratione moti sunt, ut illud de confessione explicantes quam ad peccatorum veniam consequendam Ecclesia catholica necessariam esse docet, ostendere se posse praetenderent: confessionem istam humanam quamdam seu ecclesiasticam institutionem, uti auctoritate humana usurpari coeptam, ita etiam humano decreto tum fuisse abrogatam.

2. Paucissimi quidam catholici auctores, uti Thomas Waldensis[1]) et Melchior Canus[2]), opinati sunt, revera a Nectario, at perperam, confessionem abrogatam fuisse; Baronius autem existimavit, id quidem colligi ex Socratis naratione, sed ei non esse fidem adhibendam utpote homini Novatiano et passim mendaci. Plerique vero catholici auctores conveniunt, in narratione illa Socratis et Sozomeni nullatenus agi de abrogatione confessionis sacramentalis; sed dum varia hujus narrationis capita exponunt, multum inter sese dissentiunt. Maxime igitur opportunum esse videtur, hanc quaestionem aliquanto uberius pertractare et quantum fieri potest elucidare. Quod ut accuratius possit praestari, necessarium erit varia intermiscere de disciplina poenitentiali priorum saeculorum ac speciatim de confessione. Ex hisce enim illustrabuntur ea, quae de facto Nectarii enarranda occurrunt.

Conferri possunt de his quaestionibus imprimis Frank, *Die Bussdisciplin der Kirche von der Apostelzeit bis zum siebenten Jahrhundert,* Mainz, Kirchheim 1867. Idem, *Die verhängnissvolle Beicht zu Constantinopel unter Patriarch Nectarius;* Theol. Quartalschr. 1867. — Zaccaria, *De poenitentia CPoli sublata a Nectario.* Thesaur. theol. tom. XI. p. 290. — (Scheffmacher) *Lettres d'un docteur allemand de l'Université catholique de Strasbourg à un gentilhomme protestant,* deuxième partie, Lettre IV. Strasbourg 1730. — Morinus, *De administratione Sacramenti poenitentiae,* L. II. c. L. V. c. 8. — Bellarminus, *De poenitentia,* L. III. c. 14. — Tillemont, *Mém., Tom. X. St. Ambroise,* Art. LXVII; — Baronius, *Annales, a. 390.* — Klee, *Die Beicht,*

---

[1]) Doctrina fidei Tom. III. c. 141.

[2]) Relect. de Poenitentiae Sacr. P. 2.

Frankfurt 1828; — Natalis Alexander, *Dissert. in saec. III. Diss. VI—X, in saec. XIII;* Diss. XIV. — Valesius in notis ad Socratis H. E. V. 19. — Palma, *Dissertationes,* Tom. I. P. II. C. XVI. — J. Schwane, *Dogmengeschichte* B. II. §§. 102. 103. — F. X. Kraus, *Real-Encyclopedie der christlichen Alterthümer, Art. Busse.* — Wouters, *Dissertationes,* Tom. I. Dis. XLIX et L, aliique auctores, quos inferius citabimus.

I.

Enarratio et explicatio facti.

3. Imprimis integram narrationem tum ex Socrate tum ex Sozomeno afferre opportunum erit; quum enim non aliunde nisi ex iis eventum illum de quo agimus cognoscamus, summi momenti est, ut quae ipsi scribunt ex integro ob oculos ponantur. Socrates H. E. L. V. c. 18 enarrat, quomodo Imperator Theodosius Romae degens varia in utilitatem urbis disposuerit, et quibusdam legibus bono publico prospexerit. Ejusmodi iter Romanum et commoratio Theodosii in ista civitate, incidit in annos 390 et 391, adeoque hac indicatione determinatur tempus quo ea acciderunt, quae deinde Socrates refert. Videlicet capite 19⁰ ipse pergit:

4. „Sub idem tempus presbyteros ecclesiarum qui poenitentiae praeerant (*τοὺς ἐπὶ τῆς μετανοίας . . . πρεσβυτέρους τῶν ἐκκλησιῶν*) placuit aboleri, idque ob hujusmodi causam. Postquam Novatiani se ab Ecclesia sejunxissent, eo quod cum illis qui persecutione Daciana lapsi fuerant communicare noluissent, ex illo tempore episcopi poenitentiarium presbyterum albo ecclesiastico adjecrunt (*οἱ ἐπίσκοποι τῷ ἐκκλησιαστικῷ κάνονι τὸν πρεσβύτερον τὸν ἐπὶ τῆς μετανοίας προσέθεσαν*), ut qui post baptismum lapsi essent coram presbytero ad eam rem constituto delicta sua confiterentur. Soli vero Homousiani (*οἱ τοῦ ὁμοουσίου φρονήματος*), et qui cum illis in fide consentiunt Novatiani presbyterum poenitentiae propositum rejecerunt,

Socratis narratio.

Nam Novatiani ne initio quidem supplementum hoc admiserunt. Homousiani vero qui nunc ecclesias obtinent (*οἱ δὲ νῦν τῶν ἐκκλησιῶν κρατοῦντες*), cum hoc institutum diu retinuissent, tandem Nectarii episcopi temporibus abrogarunt, ob facinus quoddam quod in ecclesia commissum fuerat."

5. „Mulier quaedam nobilis (*τῶν εὐγενῶν*) ad poenitentiarium presbyterum accedens delicta post baptismum a se perpetrata singillatim confessa erat (*κατὰ μέρος ἐξομολογεῖται*). Presbyter vero praecepit mulieri, ut jejuniis et orationibus continuis vacaret, quo scilicet una cum delictorum confessione opus etiam poenitentiae conveniens ostenderet. Progressu temporis mulier aliud facinus confessa est, ecclesiae videlicet diaconum cum ipsa stupri consuetudinem habuisse. Id cum dixisset, diaconus quidem ecclesia ejectus est, populus vero graviter commoveri coepit[1]). Neque enim solum ob scelus quod patratum fuerat indignabantur, verum etiam eo quod labes haud mediocris atque infamia hoc facto aspersa videbatur Ecclesiae. Cum igitur eam ob causam ecclesiastici homines dicteriis appeterentur, Eudaemon quidam Ecclesiae presbyter Alexandria oriundus, episcopo Nectario suasit, ut poenitentiarium quidem presbyterum expungeret, unumquemque vero pro arbitrio et pro animi sui conscientia ad sacramentorum communionem sineret accedere. Neque enim aliter fieri posse, ut Ecclesia ab omni probro libera esset. Haec ego cum ab ipso Eudaemone acceperim, Historiae huic inserere minime dubitavi. Etenim, ut saepius dixi, omnem curam ac diligentiam eo contuli, ut res gestas ex iis qui eas optime norant condiscerem, easque accurate perscrutarer, ne quid a veritate alienum scriptis mandarem. Et initio quidem Eudaemoni ita dixi: Consilium tuum, o presbyter, utrum Ecclesiae profuerit annon, Deus

---

[1]) *Ἡ δὲ γυνὴ προβαίνουσα καὶ ἄλλο πταῖσμα ἑαυτῆς κατηγόρει. Ἔλεγε γὰρ ὡς εἴη συγκαθευδήσας αὐτῇ τῆς ἐκκλησίας διάκονος. Τοῦτο λεχθὲν τὸν μὲν διάκονον τῆς ἐκκλησίας ἐκπεσεῖν παρεσκεύασε· ταραχὴ δέ κατέσχε τὰ πλήθη.*

viderit. Caeterum ansam ex eo singulis datam esse video, ut delicta sua invicem amplius non coarguant, nec observent praeceptum illud Apostoli quod ita se habet: Nolite communicare operibus infructuosis tenebrarum, sed potius redarguite. Verum de his satis.“

6. Modo jam videamus, quomodo Sozomenus eumdem referat eventum; plura quidem videtur mutuasse ex Socrate, nonnulla tamen addit quae novisse convenit. „Per idem tempus, scribit, Nectarius CPtanus episcopus presbyterum illum qui praepositus erat poenitentibus, primus ex ecclesia sustulit. Cujus exemplum omnes fere episcopi postea sunt secuti. Quid autem hoc sit, et unde originem sumpserit, et quam ob causam sublatum sit, alii quidem aliter fortasse narrant. Ego vero ea dicam quae sentio. Cum in nullo penitus peccare divinioris cujusdam naturae sit et humana praestantioris, poenitentibus vero etiamsi saepius deliquerint veniam dare Deus praeceperit; cumque in petenda venia peccatum necessario confiteri oporteat; grave ac molestum ab initio jure merito visum est sacerdotibus, tanquam in theatro, circumstante totius Ecclesiae multitudine, crimina sua evulgare. Itaque ex presbyteris aliquem qui vitae integritate spectatissimus esset, et taciturnitate ac prudentia polleret, huic officio praefecerunt[1]); ad quem accedentes ii qui deliquerant

Sozomeni narratio.

---

[1]) Textus graecus habet: *Ἐπεὶ γὰρ τὸ μὴ παντελῶς ἁμαρτεῖν θεωτέρας ἢ κατὰ ἄνθρωπον ἐδεῖτο φύσεως. μεταμελουμένοις δὲ καὶ πολλάκις ἁμαρτάνουσι συγγνώμην νέμειν ὁ θεὸς παρεκελεύσατο, ἐν τῷ παραιτεῖσθαι συνομολογεῖν τὴν ἁμαρτίαν χρεὼν φορτικὸν ὡς εἰκὸς ἐξ ἀρχῆς τοῖς ἱερεῦσιν ἔδοξεν, ὡς ἐν θεάτρῳ ὑπὸ μάρτυρι τῷ πλήθει τῆς ἐκκλησίας τὰς ἁμαρτίας ἐξαγγέλλειν· πρεσβύτερον δὲ τῶν ἄριστα πολιτευομένων ἐχέμυθόν τε καί ἔμφρον ἐπὶ τοῦτο τετάχασιν* etc. — Epiphanius Scholasticus et Cassiodorus (Hist. tripart. L. 9. c. 35) verba Sozomeni ita reddiderunt: „Quoniam omnino non peccare divinum, et ultra humanam naturam esse cognoscitur, peccantibus autem et poenitentiam agentibus veniam Deus dari praecepit, qui vero confiteri refugiunt majus peccatorum onus acquirunt: propterea visum est antiquis pontificibus, ut velut in theatro sub testimonio ecclesiastici populi delicta pandantur, et ad hanc rem presbyterum bonae conversationis servantemque secretum ac sapientem virum statuerunt, ad quem accedentes ii qui de-

actus suos confitebantur (*τὰ βεβιωμένα ὡμολόγουν*). Ille vero pro cujusque delicto, quid aut facere singulos aut luere oporteret, poenae loco indicens, absolvebat poenitentes, a se ipsis poenas criminum exacturos. Verum Novatianis quidem, qui nullam habent rationem poenitentiae, nihil hac re opus fuit. Apud reliquas autem sectas hic mos etiam nunc perseverat. Et in occidentalibus ecclesiis, ac praecipue in ecclesia Romana studiose observatur. Illic enim in propatulo est poenitentium locus, in quo illi stant moesti ac veluti lugentes. Peractisque jam missarum solemnibus exclusi a communione sanctorum quae initiatis praeberi mos est, cum gemitu ac lamentis pronos se in terram abjiciunt. Tum episcopus cum lacrymis ex adverso occurrens pariter ipse humi provolvitur, et universa ecclesiae multitudo simul confitens lacrymis perfunditur. Post haec primus exsurgit episcopus ac prostratos erigit, factaque ut decet precatione pro peccatoribus poenitentiam agentibus, eos dimittit. Privatim autem unusquisque sua sponte se macerans, aut jejuniis, aut illuvie, aut ciborum abstinentia, vel aliis quibus jussus est modis, tempus quantumcumque ipsi ab episcopo constitutum est exspectat. Ubi vero praestitutus dies advenit, tanquam debito quodam persoluto a poena commissi sceleris liberatur, et reliquo Ecclesiae populo sociatur. Haec episcopi urbis Romae inde ab ultima vetustate ad nostram usque aetatem custodiunt."

7. „In CPtana autem ecclesia certus presbyter constitutus erat qui poenitentibus praeesset. Donec matrona quaedam nobilis ob peccata quae confessa fuerat jussa ab hoc presbytero jejunare ac Deum suppliciter orare, dum hujus rei causa in ecclesia moraretur a diacono se stupratam esse prodidit (*κατεμήνυσεν*). Quo cognito plebs omnis vehementer succensuit, eo quod contumelia illata esset

---

liquerant delicta propria fatebantur." Hanc versionem secutus est Bellarminus (De Poenit. L. III c. 14), eamque vindicare studet. Attamen contextui et menti Sozomeni potius ea congruit versio communiter recepta, quam ex Valesio superius dedimus. Cfr. notas Valesii in Sozomeni textum.

ecclesiae: nec mediocri probro expositi erant sacri ordinis viri. Nectarius vero cum diu multumque dubitasset, quidnam in hoc negotio agendum esset, eum qui stuprnm admiserat diaconatu exuit. Cumque nonnulli consilium ei dedissent, ut unicuique prout sibi conscius esset ac fiduciam sui haberet ad sacrorum mysteriorum communionem accedendi liberam faceret potestatem, presbyterum qui agendae poenitentiae praepositus erat abolevit. Atque ex eo tempore id firmum ac stabile permansit, vetustate eique adjuncta gravitate jam tum ut opinor in laxam ac dissolutam vivendi rationem paulatim delapsa. Nam antea, ut equidem existimo, minora erant peccata, tum ob verecundiam eorum qui sua delicta enuntiabant (ἐξαγγελλόντων), tum ob severitatem judicum qui ad id erant constituti."

8. Quum hanc narrationem expendere aggredimur, imprimis sese offert quaestio, an forte cum Baronio saltem ea quae spectant abolitionem presbyteri poenitentiarii fabulis adscribere possimus, eo quod Socrates Novatianus fuerit atque historicus fallax. Sed etiamsi Socrates Novatianus fuisset, non apparet tamen, exinde posse ipsi fidem in hoc eventu enarrando negari[1]). Praeterea vero ex hac ipsa narratione potius colligitur, eum non fuisse Novatianum; ostendit enim sibi displicere, quod munus poenitentiarii abolitum fuerit, adeoque non consentiebat Novatianis qui poenitentiam pro criminibus ex rigore admittere nolebant[2]). Et quamvis saepius erret Socrates in iis quae narrat, tamen An fabula.

[1]) Baronius hac de re agit ad a. 56 et ad a. 390.

[2]) Plura alia argumenta e quibus colligitur, Socratem quidem rigidiorem fuisse et Novatianorum rigori nimis favisse, attamen huic sectae non fuisse addictum, affert Valesius in Vita Socratis et Sozomeni quae praevia est ad ejus versionem et editionem illorum auctorum. Sed hoc valde mirum est, alibi eumdem Valesium in notis, sibi non cohaerentem, asserere Socratem Novatianum fuisse. Socrates videlicet L. VI. c. 21 reprehendit illa verba in aliqua concione a. S. Joanne Chrysostomo dicta: „Licet millies poenitentiam egeris, accede." Ad quae Valesius: „Caeterum, inquit. ex hoc loco certius quam ex ullo alio colligi potest, Socratem Novatianum fuisse. Nam et Chrysostomi sententiam perperam interpretatur, et Sisinnio Novatianae partis episcopo palam favet adversus Joannem Chrysostomum."

quum suppar fuerit illi eventui et ex ore Eudaemonis se rem audivisse significet, quoad substantiam facti ejus relationi fides denegari haud potest. Opportune hoc loco ea veniunt quae habet eruditissimus Tillemont: „Pour les conséquences qu' on en peut tirer (de cette histoire), il faut considérer que Socrate qui en est la source, était un avocat de Constantinople, tres mal instruit de l'esprit et de la discipline de l'Eglise, d'où vient qu'il loue également les Catholiques et les hérétiques, où il trouvait des choses qui lui paraissaient louables. Il était de plus fort crédule et usait de peu de discernement dans le choix des pièces et des personnes sur l'autorité desquelles il fait son histoire, ce qui fait qu' elle est trés pleine de fautes et que dans les choses les plus véritables il y mêle des circonstances fabuleuses, qui n'avaient point apparemment d'autre autorité que le bruit commun. Néanmoins je ne crois pas qu' on puisse dire qu' il ait eu dessein d'abuser ses lecteurs, quoique cela ne soit pas extraordinaire aux Grecs, ni d'avancer rien qu' il ne sût être faux. Il s' est souvent laissé tromper, mais je ne crois pas qu' il trompe volontairement. C'est ce me semble l' idée la plus véritable qu' on puisse avoir tant de Socrate que de Sozomène, qui l' a copié en cet endroit et en beaucoup d'autres. Ainsi l'on doit recevoir ce qu' ils rapportent dans les choses où il paraît qu'ils n' ont pu être trompés, et pour tout le reste, et surtout en ce qui regarde l'Eglise on ne saurait manquer de les avoir pour suspects. — Suivant cette idée je ne crois pas qu' on puisse douter, que Nectaire et les autres Evêques d'Orient n'aient ôté le prêtre pénitencier de leurs églises. Pour la raison, on voit par Sozomène qu' on n' en convenait pas. Néanmoins il y a peu d' apparence de rejeter ce que Socrate dit avoir appris d' original de la bouche d'un prêtre, que l' on ne doit pas présumer l' avoir voulu tromper; j' entends pour le fonds, . . . car pour les circonstances il peut n' avoir pas été exact"[1]).

---

[1]) Tillemont, Mèm. t. X. S. Ambroise a. LXVII.

9. His praemissis, jam ad examen eorum quae a Socrate et Sozomeno referuntur accedamus. — Tria sunt potissimum observanda et examinanda in ea quaestione, quam prae manibus habemus. Primum est *de presbytero poenitentiario* ipsiusque muneribus. Secundum est *de matrona illa* quae sua crimina presbytero confessa dicitur, et de manifestatione peccati ipsius cum ecclesiae diacono peracti. Tertium est *de facto Nectarii,* quid videlicet ipse in disciplina poenitentiae sustulerit aut immutaverit. Examen facti.

10. Quod imprimis ad *constitutionem presbyteri poenitentiarii* attinet, eruditi plures uti Bellarminus, Zaccaria, aliique, Socratis narrationem sequentes existimant, eum revera occasione Novatianorum institutum fuisse. Exinde videlicet, ut Ecclesia contra Novatianorum calumnias justam suam severitatem ostenderet et illis occasionem adimeret, ut laxioris indulgentiae eam insimularent, solemnem poenitentiam publicam cum magna sollicitudine dispositam fuisse, presbyterumque destinatum qui toti negotio praeesset. Alii tamen uti Binterim et Frank existimant, jam anteriori tempore ejusmodi munus institutum fuisse, seseque ex disciplina poenitentiae Orientis sponte evolvisse[1]). Ac revera non inveniuntur documenta sufficientia quae ostendant, ob Novatianismi errorem peculiares mutationes in poenitentia factas fuisse. Caeterum quaestio haec de tempore instituti illius muneris, minoris momenti est. Indoles autem muneris illi presbytero commissi facile intelligitur, si quaedam quae disciplinam poenitentiae priorum saeculorum spectant prae oculis habentur. Presbyter poenitentiarius.

11. Primis igitur saeculis obtinuit, ut qui graviorum criminum rei evasissent passim poenitentiam publicam peragere deberent, antequam Ecclesiae integram communionem consequerentur et ad sacram synaxim admitterentur. Tres autem erant species graviorum criminum, scilicet *idololatria, homicidium* et *luxuria;* postea etiam alia quaedam peccata adjecta sunt, praecipue talia quae illis magis affinia essent. Diversis vero temporibus, diversisque in

[1]) V. Frank, Die Bussdisciplin etc. S. 153 ff.

Ratio poenitentiae.

regionibus varius fuit poenitentiae rigor; multum hoc in re disputant eruditi, nec pro tempore vacat accuratius singula examinare[1]). Poenitentia publica et canonica maxime imponebatur peccatis publicis, ac necesse erat, ut de peccatis constaret vel per spontaneam rei confessionem vel per juridicam sententiam. *Nos vero,* ait S. Augustinus Serm. 351, *a communione prohibere quemquam non possumus, nisi aut sponte confessum, aut in aliquo sive saeculari sive ecclesiastico judicio convictum.* Pariter S. Cyprianus variis epistolis quibus de iis scribit qui in persecutione Decii lapsi erant, atque epistola 72[a] in qua agitur de virginibus Deo dicatis quae cum viris familiaritatem habuerant, clare ostendit, dum de poenitentia publica imponenda agebatur, aut confessionem voluntariam, aut juridicum examen et criminis probationem praecessisse.

Poenitentia publica.

12. Difficilis autem ea est quaestio, utrum etiam pro peccatis canonicis secreto peractis, quando in confessione aperiebantur, poenitentia publica imposita fuerit. Jam satis convenit inter eruditos, id factum fuisse cum moderatione quadam, quoad peccata canonica, quae licet non delata et juridice probata, aliqua tamen ratione erant publica; identidem etiam suadente confessario aut proprio motu poenitentiam publicam susceptam fuisse. Praeterea vero in aliquibus ecclesiis ea praxis adfuisse videtur, ut poenitentiam publicam quidem imponerent, sed ita ut famae delinquentium parceretur. In S. Basilii epistola II canonica ad Amphilochium (ep. 199) canone XXXIV dicitur: *Mu-*

---

[1]) Morinus L. IV. c. 21. n. 7 statuit, „poenas criminibus impositas ante Novatum breves admodum fuisse, et nonnunquam sceleratissimis hominibus pacem et communionem certis de causis nulla imperata exteriore poenitentia statim esse redditam.“ Attamen si ea attendis quae apud Tertullianum, Cyprianum, et Auctorem Philosophoumenon habentur, inde colliges, jam eo tempore publicam poenitentiam floruisse. Certe saeculo III° et IV° praesertim in Oriente magis evoluta et ordinata fuit, canonesque poenitentiales severi constituti sunt. Fortasse id inde evenit, quod tanta gentilium multitudo ad ecclesiam accederet, multi autem a vitiis non abstinerent. Hinc Patres ut saltem atrociora crimina a religione christiana arcerent, severitate utendum esse existimarunt.

lieres adulterio pollutas et ob pietatem confitentes aut quoquo modo convictas publicari patres nostri noluerunt, ne causam mortis praebeamus convictis; consistere autem illas sine communione jusserunt, donec impleatur tempus poenitentiae[1]). Praescribitur videlicet, talibus mulieribus quidem imponendam esse poenitentiam convenientem, haud vero adigendas per quatuor diversas stationes eam persolvere, sed statuitur, ut in ultima statione *consistentium* esse toto tempore possint. Si videlicet quatuor stationes percurrissent, gravis criminis eas reas esse patefactum fuisset, et suspicio saltem vehemens adulterii in eas incidisset. Sed in ultima statione *consistentium* inveniebantur qui peracta jam poenitentia, tantummodo nondum ad communionem accedere poterant; vel qui ob leviora peccata poenitentiam agebant et a communione abstinebant. Imo videntur omnes, qui intra Missarum solemnia non accedebant ad oblationem et communionem, in *consistentium* numero fuisse. Sic peccatum illarum mulierum latere poterat, praesertim si ad tempus brevius earum poenitentia limitabatur.

Stationes poenitentium.

13. Constitutio illa stationum vel graduum poenitentiae praesertim in Oriente post medium saeculum tertium usque ad finem saeculi quarti invenitur; in Occidente accurata illa divisio minus propagata fuisse videtur. Prima statio erat *flentium* (προςκλαίοντες), qui sacco induti stabant in porticu extra ecclesiam, peccata sua deflentes et ingredientium preces implorantes. — Secunda statio erat *audientium* (ἀκροώμενοι), qui intra fores ecclesiae stabant in loco qui narthex seu propylaeum vocabatur, ubi lectionem Scripturarum et concionem audiebant post decantatum Evangelium; deinde exibant antequam inchoaretur Missa Catechumenorum. — Tertia statio erat *substratorum* (ὑποπίπτοντες), qui stabant intra ecclesiae ambitum usque ad ambonem, ubi prostrati et genuflexi manuum impositionem cum certis precibus accipiebant. Cum catechumenis

---

[1]) Epistolae illae canonicae tres ad Amphilochium communiter S. Basilio tribuuntur easque genuinas esse plerique tenent; sunt tamen qui genuinitatem non plane indubiam esse existimant.

exibant, atque illud spatium temporis quo in hac statione detinebantur erat praecipue poenitentiae durioris tempus, quo jejuniis, precibus, durisque ac laboriosis operibus exercebantur. — Quarta statio erat *consistentium* (*σύσταντες*), qui ab ambone usque ad sanctuarium collocati post egressum catechumenorum et substratorum cum fidelibus permanebant, precibus et sacrificio assistebant, non tamen offerebant, neque corpori et sanguini Christi participabant. — Istae quatuor stationes inde ab altero medio saeculi tertii in documentis occurrunt, et per canones determinatum erat, quamdiu quis in quavis statione versari deberet. Ita e. g. S. Basilius l. c. canone XXII: *Est autem in quatuor annis praefinita fornicantibus poena. Oportet eos anno primo a precibus expelli et flere ad fores ecclesiae, secundo ad auditionem admittti, tertio ad poenitentiam, quarto ad standum una cum populo abstinentes ab oblatione, deinde eis permitti boni communionem.*

Poenitentiae mitigatio.

14. Illud autem utile est observare, in disciplina poenitentiae *summum jus* quidem per canones constitutum fuisse, sed tum consuetudine varia eos mitigatos esse, tum in episcoporum fuisse arbitrio, ut poenitentiae spatium restringerent. Id vel in severissimis S. Basilii canonibus animadvertitur. Ita e. g. in Can. III postquam indicavit poenas diaconi fornicantis scribit: *Atque haec quidem sunt quae ex constitutionibus habentur. In omnibus autem verior medicina est recessus a peccato. Quare qui propter carnis voluptatem gratiam abjecit, is si carnem conterendo et in omnem secundum continentiae praescripta servitutem redigendo secedat a voluptatibus a quibus victus et prostratus est, plenum nobis suae curationis specimen dabit. Itaque scire nos utraque oportet, et quae sunt summi juris et quae sunt consuetudinis: sequi autem in iis quae summum jus non admittunt formam traditam*[1]). — Et canone LXXXIV ait: *Haec autem omnia scribimus, ut fructus probentur poenitentiae. Non enim omnino tempore dijudicamus res ejusmodi, sed ad modum poenitentiae attendimus*[2]). — Meritoque etiam

---

[1]) Ep. can. I. (ep. 188). [2]) Ep. can. III. (ep. 217).

animadvertitur, judicio eorum qui poenitentiae praeerant, opera difficillima poenitentibus imposita mitigari potuisse, ut faciliori modo persolverentur. Imo jure fere asseri possit, severa illa quae a poenitentibus ea aetate postulabantur, passim potius *consilia* fuisse poenitentibus data. Plerumque poenitentes non urgebantur, ut ad amussim omnia perficerent[1]).

15. Ex dictis manifestum est, jam inde a primis saeculis administrationem disciplinae poenitentialis magni momenti fuisse et non mediocrem sollicitudinem exegisse. Toti autem negotio praeerat *episcopus;* ipsum vero adjuvabat collegium sacerdotum, ex quibus sacrum poenitentiae tribunal compositum erat. Imo passim, quando agebatur de reconciliatione lapsorum et de poenitentia iis imponenda, etiam alii in consilium vocabantur. Id colligitur ex S. Cypriani epistolis quae lapsorum reconciliationem spectant. Sic e. g. ep. 19: *Hoc enim,* scribit, *et verecundiae et disciplinae et vitae ipsi omnium nostrum convenit, ut praepositi cum clero convenientes, praesente etiam stantium plebe, quibus et ipsis pro fide et timore suo honor habendus est, disponere omnia consilii communis religione possimus.* — Et Clerus Romanus ep. 30 scribit: *Quamquam nobis in tam ingenti negotio placeat, quod et tu ipse tractasti prius, ecclesiae pacem sustinendam; deinde sic collatione consiliorum cum episcopis, presbyteris, diaconis, confessoribus ac pariter stantibus laicis facta, lapsorum tractare rationem.* — In Concilio autem Eliberitano can. 74 dicitur: *Falsus testis prout est crimen abstinebitur; si tamen non fuerit mortale quod objecit, et probaverit, quod non tacuerit, biennii tempore abstinebitur; si autem non probaverit convento clero* (in conventu clericorum), *placuit per quinquennium abstinere.* — Hic nomine *conventus clerus* designatur tribunal ecclesiasticum, quod examinabat crimina ob quae poenitentia imponenda erat. Tribunal poenitentiae.

16. In variis porro ecclesiis, praesertim in Oriente, *Presbyter poenitentiarius* toti negotio poenitentiae praepositus

[1]) Cfr. Frank, l. c. p. 683.

fuit, ut hac ratione omnia rite et legitime disponerentur. Crescente videlicet multitudine fidelium difficilius fuit, ut episcopus hujus rei curam peculiarem haberet, sed ipse delegavit presbyterum cui illud munus contulit, ut quae poenitentiam spectabant administraret. Fideles igitur, qui sibi conscii erant quod crimina graviora canonica commiserant, eum adibant, atque ipsius erat judicare, quae poenitentia illis imponenda esset. Confitebantur ei peccata sua, et prouti ipse censebat, poenitentiam vel privatam vel publicam imponebat; si res id exigebat, etiam ad episcopum et consilium clericorum eam deferendam statuebat; qua ratione scandalum resarciendum esset determinabat, publicamque poenitentiam dirigebat. Multi existimant, uti jam diximus, hanc institutionem, quemadmodum Socrates narrat, post Decii persecutionem tempore Novatiani factam esse; alii vero censent, eam ob commodum inde proveniens majoremque facilitatem jam antea in variis ecclesiis, praecipue Orientis, introductam fuisse[1]). — Censemus porro, praeter illum presbyterum poenitentiarium, apud quem crimina canonica, *reservata* dixeris, aperienda erant, etiam alios fuisse presbyteros confessarios, quibus fideles pro arbitrio minora peccata confitebantur.

Confessio mulieris.

17. Modo procedamus ad explicanda ea quae *mulierem ejusque confessionem* spectant, qua in re Socratis et Sozomeni narrationem simul prae oculis habebimus. Matrona igitur nobilis criminum graviorum, uti videtur, conscia, accedit ad presbyterum poenitentiarium, eique *κατὰ μέρος* sua peccata confitetur. Poenitentiarius ei imponit jejunia et alia opera poenitentiae. Ex Sozomeno, propter ista opera perficienda mulier in ecclesia diutius versabatur; unde merito inferre possumus, poenitentiam publicam ei impositam fuisse, eamque etiam extra tempora sacrificii ex pietate diutius in ecclesia esse moratam. Occasione igitur hujus poenitentiae factum est, ut a diacono seduceretur, cum eoque peccaret. Sed quomodo hoc crimen manifestatum est? Si modus loquendi apud Socratem atten-

---

[1]) Cfr. F. X. Kraus, Realencyclopädie d. chr. Alterth. Art. Busse.

ditur, sensus obvius est, ex aliqua confessione ad notitiam multitudinis pervenisse. Sicut enim dixit, mulierem confessam esse κατὰ μέρος peccata post baptismum commissa, ita pariter scribit, eam *προβαίνουσαν etiam* aliud peccatum aperuisse. „*Dixit* enim (ἔλεγεν γὰρ), ecclesiae diaconum cum ipsa stupri consuetudinem habuissse". — Iste modus loquendi aegre sinit, ut censeamus a muliere profana quadam loquacitate apud amicas et cognatas suum peccatum imprudenter evulgatum fuisse, sed haec accusatio *coordinatur* ita praecedenti accusationi, ut pariter quaedam confessio fuisse censenda sit, quae tamen ad notitiam vulgi pervenit.

18. Auctores plures censent id factum esse, quia poenitentiarius, quum mulier secunda confessione secreta hoc crimen ei aperuisset, rem deferendam censuit ad tribunal episcopi, et denuntiandum diaconum, ut ille amoveretur, illudque flagitium ita ad notitiam vulgi pervenisse. *Hic oritur difficultas,* scribit Valesius, *quonam modo hoc facinus ad notitiam vulgi venire potuerit, si secreta fuit mulieris confessio. Quomodo item episcopus id rescire potuit, qui diaconum ob hoc flagitium a gradu suo removit. Equidem existimo, poenitentiarium presbyterum cui mulier hoc flagitium confessa fuerat, primum quidem accersivisse diaconum et eum coram muliere arguisse, et ad fatendum crimen suum compulisse: deinde vero rem omnem retulisse ad Nectarium episcopum, a quo praepositus fuerat poenitentibus, et cujus vices gerebat in eo munere. Nam poenitentiarius confessiones dumtaxat audiebat poenasque injungebat, idque ex mandato episcopi. Episcopus vero ipse poenitentes reconciliabat. Nec est quod quis objiciat confessionis arcana reserari, si hoc admittimus quod dixi. Nego id consequi. Solum enim diaconi flagitium presbyter indicavit episcopo, matronae vero nomen reticuit. Caeterum depositio diaconi plane confirmat id quod dixi. Neque enim Nectarius episcopus deponere illum potuit, nisi admonitus fuisset a poenitentiario, qui diaconum convicerat de stupro*[1]).

Valesii explicatio.

19. Haec expositio quidem per se nihil habet quod

[1]) Nota 58 ad Socr. H. E. V. 19.

repugnet, attamen incommodis non caret, rem non satis explanat, nec satis videtur nobis cohaerere cum narratione Socratis et Sozomeni. In Valesii explicatione non bene intelligitur, quomodo totus iste eventus scandali plenus ad notitiam multitudinis pervenerit. Imo si illorum historicorum relatio obvio sensu sumitur, dixeris, matronam illam et quae ipsi acciderint notissima fuisse, et inde, instigantibus forte illius propinquis, permagnam exasperationem ortam fuisse.

Zaccaria. 20. *Zaccaria* l. c. censet, secundam illam mulieris declarationem non fuisse confessionem, sed denuntiationem diaconi a muliere factam coram tribunali ecclesiastico praesentibus laicis, ut diaconus puniretur; ac hac ratione crimen illud ad notitiam publicam pervenisse. Animadvertit in confirmationem suae sententiae, ad designandam confessionem a Socrate adhiberi vocem *ἐξομολογεῖται*, ad exprimendam alteram declarationem verbum *κατηγόρει*. — Sed minus probabile videtur, feminam nobilem adactam fuisse a confessario ad ejusmodi complicis denuntiationem, qua ipsa maxime infamabatur et scandalum publicum oriebatur. Verum quidem est, verba technica ad significandam confessionem esse *ὁμολογεῖσθαι*, quo communicatio peccatorum aliis facta in poenitentiae disciplina designatur, et *ἐξαγορεύεσθαι*, qua voce singulorum criminum enumeratio insinuatur. Sed sunt praeterea plura verba generica, quae tum pro manifestatione profana criminum, tum pro confessione eorum in disciplina poenitentiae apud Patres et antiquos scriptores adhibentur, uti *φανερόω*, *δηλόω*, *ἐκφαίνω*, *ἐξαγγέλλω*, *ἐκλάλω*, *κατηγορέω*, etc. Verbum *κατηγορεῖν* accusationem exprimit, atque ipsa verba Socratis etiam aliud peccatum *accusavit,* uti jam animadvertimus, innuunt manifestationem similem ei quam in prima confessione fecerat.

Binterim. 21. *Binterim* plebis exasperationem congrue inde exponit, quod crimen in ecclesia commissum fuerit, negatque illud per culpam presbyteri poenitentiarii ad vulgûs notitiam pervenisse, sed qua ratione evulgatio provenerit non explicat[1]). — *Natalis Alexander* statuit, duplicem a mu-

[1]) Denkwürdigkeiten, V. 2. p. 435.

liere illa nobili confessionem secretam apud presbyterum poenitentiarium factam esse. In prima quidem de peccatis poenitentiae canonicae obnoxiis actum non esse, ac presbyterum mulieri non publicam, sed privatam poenitentiam orationum et jejuniorum imposuisse. In secunda confessione eam aperuisse crimen cum diacono interim commissum; ac tunc deposito diacono ea evenisse, quae abrogationi a Nectario decernendae locum dederunt[1]). Sed plurima hac in expositione omnino obscura relinquuntur, neque intelligitur ratio, cur in istis circumstanstiis Nectarius presbyternm poenitentiarium abrogaverit.

22. *Petavius* in *Diatriba de poenitentiae vetere in Ecclesia ratione* §. 3 de Nectarii facto agit. Propugnat ipse in hac Diatriba eam sententiam, nunquam in Ecclesia publicam peccatorum confessionem fuisse receptam, ac de isto eventu ita scribit: „Cum in obeunda poenitentia, in oratione, jejunio, frequentanda ecclesia longius procederet, alterum nefas interim commisit et subinde declaravit; non utique propalam nec in publico conventu, sed privatim et coram poenitentiario sacerdote, apud quem identidem peccata deponeret, aut etiam citra sacramentum cum eo aut alio colloquens. Quidquid denique potius, quam ut publicam ad confessionem adactam dixerimus aut mulierem istam, aut ullum omnino mortalium. Hoc igitur a sacerdote, ab antistite, a paucis denique flagitio comperto, depositus est ille diaconus, ex quo paulatim percrebescente fama, rem subodoratus est populus.“ Sed haec expositio, considerata narratione Socratis et Sozomeni, parum obvia est, illorum relationem non satis respicit, nec totum eventum elucidat. — Recens auctor protestans *Zezschwitz* simplici ratione rem explicari censet, unica secreta confessione mulieris admissa. Videlicet mulier presbytero poenitentiario peccata sua *κατὰ μέρος* i. e. ex parte confitetur, ac presbyter ei modicam imponit poenitentiam. Tunc mulier ex presbyteri benignitate fiduciam haurit, et *progrediens* in sua confessione (*προβαίνουσα*) etiam majus Petavius.

[1]) In saec. XIII. Diss XIV. §. 28.

quod commiserat crimen cum diacono ei adaperit. — Hucusque explicatio bene habet. Sed unde manifestatio criminis et exasperatio populi? Auctor ista videtur attribuere denuntiationi a poenitentiario factae, et depositioni diaconi subsecutae. Sed haec explicatio iterum nimis arbitraria est, eo vel magis, quod ab historicis nec presbytero poenitentiario nec Nectario episcopo in illo eventu ejusque manifestatione aliqua culpa tribuitur[1]).

Bickell. 23. Cl. Bickell demum fere sicuti Valesius, sed accuratius ita rem exponere nisus est. Post primam confessionem apud poenitentiarium factam, mulier illa, dum poenitentiam canonicam persolveret, novum crimen cum diacono commisit. Nova confessione poenitentiario hoc peccatum confessa est (κατηγόρει), isque mulieri imposuit, ut diaconum tribunali ecclesiastico denuntiaret[2]). Diaconus igitur in jus vocatus et examine instituto depositus fuit. Pervenit ex hisce actibus flagitium illud ad multitudinis notitiam, magnumque scandalum exortum est. Quod ut sedaret Nectarius, quum causa scandali maxime ea fuissent quae ratione disciplinae illius publicae poenitentiae evenerant, (videlicet crimen diaconi cum muliere poenitentiam canonicam peragente, denuntiatio diaconi, quae vi canonum poenitentialium a poenitentiario feminae imposita erat, ipsa inquisitio in diaconum ejusque depositio), disciplinam illam publicam poenitentiae et munus presbyteri ponitentiarii abrogavit[3]). — Haec explicatio, uti jam innuimus probabilis est, habet tamen sua incommoda. Aegre enim intelligitur, mulieri imponi potuisse, ut tribunali ecclesiastico ea ratione complicem denuntiaret, ut actione in eum instituta, tum mulier ipsa infamaretur, tum scandalum publicum oriretur. Verum quidem est, quod auctor advertit, ex antiqua disciplina conscios criminum sub

[1]) Erlanger Zeitschrift für Protestantismus, 1860; ap. Frank. l. c. p. 184, sqq.; ibi etiam alias explicationes variorum auctorum quas proposuimus invenies.

[2]) Ad hanc denuntiationem apte refertur verbum κατεμήνυσεν a Sozomeno adhibitum.

[3]) Bickell, Zur Geschichte der Beicht im Orient während der ersten vier Jahrhunderte. Innsbrucker theol. Zeitschrift I. S. 410.

poena canonica adactos fuisse ut denuntiarent flagitiosos[1]). Sed aegre mihi persuadere possum, vi hujus regulae mulieri illi a poenitentiario impositum fuisse, quum in confessione secreta peccatum manifestasset, ut ad tribunal ecclesiasticam rem deferret, et diaconum complicem denuntiaret ac se infamaret. Posset quidem supponi, fuisse intentionem poenitentiarii, ut secrete res ageretur nec mulier diaconum denuntians se ipsam proderet: imprudentia vero feminae vel judicum flagitium percrebuisse. Sed aliquod hujus suppositionis indicium non occurrit, neque positivum totius explicationis fundamentum ex Socrate et Sozomeno hauriri potest.

24. Jam exponamus eam sententiam de confessione illius matronae ac de ejus consectariis quae communior est, nobisque probabilior videtur. Haec autem praemittere juvabit. — 1° Certitudo hac in re aegre obtineri potest, quum narratio Socratis et Sozomeni non satis clara sit; adeoque variae explicationes dari possunt quae sua probabilitate non carent. — 2° In eventu tamen isto dijudicando prae oculis habendum est, illam expositionem merito praeferri, qua melius explicatur ratio, cur ea occasione presbyter poenitentiarius ejusque munus quo poenitentiae canonicae praeerat abrogati sint. — 3° Socrates et Sozomenus manifeste in quibusdam quae ll. cc. enarrant, uti e. g. in modo quo a Sozomeno poenitentia publica Romae peracta describitur, minus accurate res referunt. Praeterea haud sine ratione supponitur, istos historicos, quorum tempore poenitentia illa canonica et publica Constantinopoli jam abrogata erat, singula, quae ad eam pertinebant, haud ad amussim novisse, ita ut varia in eorum narratione aliunde supplenda sint vel corrigenda. Attamen quum isto de eventu inquisierint, quae ab utroque auctore

Sententia communior.

---

[1]) S. Basilius epist. can. III. can. 71: „Qui uniuscujusque praedictorum peccatorum (contra castitatem) conscius est, nec confessus, sed convictus est, tanto tempore, quanto malorum auctor punitus est, ipse quoque punietur." Utrum huc etiam pertineat Conc. Eliberitani can. 74, dubium est.

indicantur sunt attendenda, nec pro libito rejicienda, sed quantum fieri potest concilianda et apto modo interpretanda.

Explicatio eventus.

25. Sequimur itaque quoad substantiam illam rei explicationem, cui Bellarminus, Morinus et Thomassinus[1]) favent, quamque inter recentiores Frank accuratius proponit, videlicet, duplicem mulieris confessionem distinguendam esse, alteram secretam apud presbyterum poenitentiarium peractam, alteram publicam, in qua imprudenter illud crimen cum diacono commissum manifestavit. — Mulier illa nobilis igitur accedit ad presbyterum poenitentiarium eique confitetur peccata post baptismum commissa. Forte conscia erat graviorum peccatorum, ac propterea illi presbytero poenitentiario confessionem fecit, et non alii, (si cum Bellarmino supponendum est, alios quoque confessarios in magna illa urbe fuisse). Presbyter vero praecepit mulieri jejunia et orationes persolvere, quo scilicet una cum confessione opus etiam poenitentiae dignum ostenderet (*ἵνα σὺν τῇ ὁμολογίᾳ καὶ ἔργον τι δεικνύειν ἔχῃ τῆς μετανοίας ἄξιον*). Mulier haud admissa fuit ad sacram eucharistiam, eamque censerem poenitentiae publicae addictam fuisse; simul autem videtur poenitentiarius ei suasisse publicam aliquot peccatorum confessionem. Forte mulier ista satis ob peccata nota vel suspecta erat; eam enim ad tantum cum diacono scelus nonnisi post alia peccata gravia jam commissa pervenisse, ex iis quae communiter contingunt supponi potest. Atque fidelium multitudini aedificationi esse potuit, ut illa femina vel modo generali, vel quoad aliqua peccata selecta se ream publice confiteretur. Bellarminus, Morinus et Frank publicam illam confessionem designari putant illis verbis „quo scilicet *una cum confessione* etiam opus poenitentiae dignum ostendere posset"; sed clare id non colligitur ex verbis auctoris.

26. Sozomenus dein expresse narrat, flagitium cum diacono accidisse, cum mulier diutius in ecclesia versa-

---

[1]) Vet. et nov. discipl. L. II. c. 7. n. 13 sqq.

retur ad opera poenitentiae peragenda. Id pro genio suo auctorem excogitasse arbitrarie supponitur, neque obstat, publice poenitentes breviori spatio in ecclesia fuisse, eamque reliquisse antequam sacrum finiretur. Potuit enim matrona illa esse inter *consistentes* qui integro sacro aderant, et alio quoque tempore potuit ad ecclesiam ut poenitentiae causa oraret accedere[1]). Quum vero diaconi externam disciplinam poenitentiae regerent, huic expositioni plane congruit, ut cum ecclesiae diacono hac occasione consuetudinem haberet, et vel in ipsa ecclesia vel in iis quae ecclesiis junctae esse solebant aedibus, crimen committeret. — In narratione Socratis porro habetur: *Ἡ δὲ γύνη προβαίνουσα καὶ ἄλλο πταῖσμα ἑαυτῆς κατηγόρει.* Illud *προβαίνουσα* Bellarminus, Morinus aliique cum Christophorsono vertendum existimant: *Mulier longius in confitendo progressa.* Valesius autem aliique contendunt, hanc significationem ob genium linguae Graecae admitti non posse, sed vocem *προβαίνουσα* idem significare ac *προϊοῦσα*, ac vertendum esse *progressu temporis;* atque haec expositio praeferenda videtur. Zezschwitz exponit *progrediens in confessione* sua, quam unicam fuisse secreto factam apud poenitentiarium existimat; sed post primam confessionem, dum mulier poenitentiam canonicam peragebat, novum flagitium accidisse, ex collatis narrationibus Socratis et Sozomeni colligitur.

27. Quidquid hac de re sit, censemus hisce agi de secunda confessione publica, in qua ex consilio presbyteri poenitentiarii mulier vel generali modo se ream fateretur, vel aliquot peccatorum ad aedificationem fidelium se accu- Confessio publica.

---

[1]) Christianos pios saepius etiam per diem ad ecclesiam accessisse, vel ex iis colliges, quae S. Augustinus de matre sua Monica, Confess. L. V. c. 9 refert. „An vero tu, inquit, Deus misericordiarum sperneres cor contritum et humiliatum viduae castae ac sobriae, frequentantis eleemosynas, obsequentis atque servientis sanctis tuis, nullum diem praetermittentis oblationem ad altare tuum, *bis in die, mane et vespere ad ecclesiam tuam sine ulla intermissione venientis,* non ad vanas fabulas et aniles loquacitates, sed ut te audiret in tuis sermonibus, et tu illam in suis orationibus.“

saret. Sed praeter intentionem presbyteri poenitentiarii, et imprudenter tunc manifestavit crimen interim cum diacono commissum. Id potuit fieri vel ex dolore magno ista de re, et ex animi perturbatione quae in mulieribus haud rara est, vel etiam ex indignatione, si forte a diacono insidiis vel violentia sibi injuriam factam esse censuit. Fortasse Socrates non accurate scivit qua ratione manifestatio criminis acciderit, sed verba ejus omnino congruunt ejusmodi publicae confessioni, et describendae expulsioni diaconi et commotioni multitudinis, quae consectaria talis manifestationis fuerunt. „Etiam aliud, inquit, ipsius peccatum accusavit (*κατηγόρει*). . . . Hoc dictum paravit diacono quidem suam ejectionem ex ecclesia (*τοῦτο λεχθὲν τὸν μὲν διάκονον τῆς Εκκλησίας ἐκπέσειν παρεσκέυασε*). Commotio autem tenuit multitudinem (*ταράχη δὲ κατέσχη τὰ πλήθη*".) Tota dictio insinuat, non paulatim, sed ex inopinato atque subito magnae multitudini crimen manifestatum fuisse, et statim perturbatione et commotione eam fuisse perculsam. Uti in ejusmodi factis scandalo plenis fieri assolet, dein finita collecta multitudo ecclesiam relinquens, nonnisi de isto eventu collocuta est, ac statim res in tota civitate divulgata. Inde irritatio in clerum et magnae difficultates exortae sunt[1]). — Habes igitur duplicem eventus explicationem; neutra quidem continet quid in se repugnans, secunda tamen expositio nobis probabilior videtur.

Quid suppressum

28. Restat elucidanda tertia quaestio, de *facto Nectarii*, quid videlicet ipse in disciplina poenitentiali sustulerit vel immutaverit. Conveniunt quidem omnes auctores, a Nectario presbyterum poenitentiarium ejusque munus abolitum esse, quum id ex Socratis et Sozomeni narratione clare colligatur. Sed dum accuratius exponunt quae a Nectario abrogata sint, haud consentiunt. Protestantes et quidam catholici opinati sunt, cum presbytero poenitentiario etiam confessionem a Nectario abrogatam fuisse; alii, uti Valesius, censent tantum ipsum presbyterum abolitum fuisse, poenitentiam vero publicam fuisse conservatam sub imme-

---

[1]) Cfr. Frank l. c. p. 186.

diata episcopi directione. Sed certe non remansit ex ea aetate poenitentia publica stationibus variis ordinata. Id ex Sozomeno clare patet, qui dum quae Romae fiebant describit, ostendit stationum morem in Oriente jam desiisse.

29. Breviter et recte, uti censemus, Bellarminus: „Abrogavit Nectarius omnium consensu *presbyterum poenitentiarium;* id enim omnes historici communiter tradunt. Abrogavit etiam *poenitentiam publicam;* nam ex occasione ejus acciderat flagitium diaconi cum muliere et inde tumultus contra clerum exortus fuerat. Abrogavit denique *confessionem publicam;* tum quia pars erat poenitentiae publicae, tum quia ex ea cognitum fuerat sacrilegium diaconi et mulieris; utrumque enim populo displicebat, et tantum scelus in ecclesia perpetratum, ut scribit Sozomenus, et ex ejus publicatione magnam infamiae notam ordini sacerdotali inustam, ut tradit Socrates. Non autem abrogavit nec abrogare potuit confessionem et poenitentiam privatam. — Quare quod scribunt Socrates et Sozomenus, permissum esse a Nectario, ut unusquisque secundum conscientiam suam ad sacra mysteria participanda ageret, non significat, permissum esse fidelibus, ut sine confessione et judicio sacerdotis sacrae mensae participes fierent, sed ut non cogerentur adire publicum Ecclesiae tribunal, verum ipsi conscientiae suae rationem haberent, et si quidem sine peccato mortali essent, ad communicationem divinorum mysteriorum tuto accederent, sin autem, unum ex presbyteris eligerent, cui privatim peccata sua confiterentur“[1]).

30. Dum statuimus, poenitentiam publicam Nectarii decreto abolitam esse, id tamen haud ita intelligendum est, ac si exinde in ecclesia orientali plane cessaverit usus poenitentiae publicae. Abrogatam esse censemus illud institutum, quo per varias stationes accurate totum negotium poenitentiae publicae sub directione presbyteri poenitentiarii et diaconorum disponebatur. Inde ex eo tempore enim apud scriptores mentio hujus instituti qua talis, ut

Poenitentia publica posteriori.

[1]) De Poenit. L. III. c. 15.

subsistentis, jam non occurrit. Sed certe neque Nectarius neque alii episcopi juri suo renuntiarunt, quo peccatores notoriis criminibus inquinatos ad convenientem poenitentiam et satisfactionem publicam adigerent, vel iis communionem sacrorum mysteriorum per aliquod tempus interdicerent. Ita Synesius episcopus Ptolemaidis (a. 400) ep. 67 scribit de poenitentia Lamponionis: *Ille convictionem confessione praeveniens poenas luit, ab ecclesiasticis conventibus separatus est, quamquam ex animi poenitentia illacrymavit, et supplex populus condonari eum sibi petiit; sed ego in iis quae semel decreveram perseverari, solvendi autem jus atque auctoritatem ad pontificiam sedem rejeci.* Ex Theodoro Studita (saec. IX) colligitur, Constantinopoli lapsis passim communionem *orationis et conventus et sacri commercii* per unum vel plures annos negatam fuisse, ac generatim poenitentia aliqua publica, quamvis minus accurate disposita, etiam post saeculum quartum in ecclesia orientali saepius occurrit[1]).

Difficultas. 31. Difficultatem hic facere videntur verba, quibus Socrates et Sozomenus narrationem suam concludunt, eaque a Protestantibus urgentur, ut confessionem omnem a Nectario abrogatam esse evincant. Scribit videlicet Socrates: *Eudaemon . . . episcopo Nectario suasit, ut poenitentiarium quidem presbyterum expungeret, unumquemque vero pro arbitrio et pro animi sui conscientia ad sacramentorum communionem sineret accedere. . . . Et initio quidem Eudaemoni dixi: Consilium tuum, o presbyter, utrum Ecclesiae profuerit annon, Deus viderit. Caeterum ansam ex eo singulis datam esse video, ut delicta sua invicem amplius non coarguant, nec observent praeceptum illud Apostoli, quod ita se habet: Nolite communicare operibus infructuosis tenebrarum, sed potius redarguite.* Sed haec omnia plane convenienter cum Bellarmino intelliguntur de abolito tribunali presbyteri poenitentiarii specialis, ac de poenitentia publica. Videlicet qui graviorum rei erant criminum quae canonibus designabantur, se huic presbytero sistere dedebant,

---

[1]) V. Frank, l. c. pp. 193 sqq.

vel etiam ab aliis ei denuntiabantur. Juxta ejus arbitrium ab Eucharistia abstinebantur, et agere debebant poenitentiam, quae, si peccata, uti saepe accidit, nota erant, etiam publice, sub directione diaconorum peragebatur. Passim etiam fieri poterat, ut ex judicio poenitentiarii actio quaedam criminalis a tribunali ecclesiastico in flagitiosos institueretur. Tum delatio ad presbyterum poenitentiarium, tum poenitentia illa publica et alia quae cum integra hac disciplina cohaerebant, a Socrate attenduntur iis verbis, ut *fideles delicta sua invicem arguerent, et alienis peccatis non communicarent.* Simul etiam hac ratione fiebat, ut qui noti erant uti peccatores non accederent ad communionem, nisi visa eorum poenitentia, post satisfactionem a presbytero poenitentiario determinatam aliisque fidelibus cognitam, ac post reconciliationem publice factam. Severior itaque disciplina hisce constituebatur, morumque integritati magis videbatur esse provisum.

32. Abolito autem illo instituto uniuscujusque conscientiae relinquebatur judicio, 1⁰ utrum peccati gravis esset reus, vel non. Si judicabat se peccati mortiferi reum non esse, accedebat sine confessione ad Eucharistiam, confessionemque ea aetate minus frequentem fuisse inferius videbimus. Sin autem 2⁰ peccati mortiferi conscius erat, certe ad confessionem accedebat, sed confitebatur peccatum cui volebat sacerdoti. Quumque poenitentia publica jam non subsisteret, suscepta ac forte nondum peracta privata poenitentia accedebat ad sacram synaxim. Atque ita fieri poterat, ut etiam tales qui noscebantur ut peccatores ad communionem venirent, quamvis eorum poenitentia non nota esset. Major libertas.

33. Fere eadem dicenda veniunt de verbis Sozomeni. Is videlicet scribit: *Cum nonnulli ei* (Nectario) *consilium dedissent, ut unicuique prout sibi conscius esset ac fiduciam sui haberet ad sacram mysteriorum communionem accedendi liberam faceret potestatem, presbyterum qui agendae poenitentiae praepositus erat abolevit. Atque ex eo tempore id firmum ac stabile permansit, vetustate eique adjuncta gravitate jam tum, ut opinor, in laxam ac dissolutam vivendi ra-*

tionem paulatim delapsa. Nam antea, ut equidem existimo, minora erant peccata, tum ob verecundiam eorum qui sua delicta enuntiabant, tum ob severitatem judicum qui ad id erant constituti. — Haec pariter pertinent ad abolitionem tribunalis presbyteri poenitentiarii et poenitentiae publicae. Ratione illius duplicis institutionis, certe major erat difficultas, ut illi qui in graviora delicta inciderant absolutionem obtinerent et ad sacra mysteria admitterentur. Multo magis apparebat aliquem esse peccatorem, atque peccator tum verbis tum actibus satisfactoriis delicta sua pluribus manifestabat. In toto negotio poenitentiae major erat culpae et doloris ostensio publica; hinc, uti censet Sozomenus, major verecundia delicti et major severitas judicum. Ista autem post Nectarii decretum cessabant, et quamvis obligatio confessionis secretae alicui presbytero factae remaneret, tamen *relative* et *comparative* merito dici poterat, unumquemque, prout sibi conscius esset ac fiduciam sui haberet, ad sacrorum mysteriorum communionem accedendi liberam habere potestatem.

Abrogatio utilis.

34. Quod tamen spectat ad abrogationem illam presbyteri poenitentiarii et poenitentiae publicae per Nectarium factam, non est cur Nectarius reprehendatur; decretum ipsius prudens fuisse existimamus. Jam ea enim erant temporum adjuncta, ut ista in re immutatio aliqua opportuna esset; scandalum quod acciderat abrogationis occasio potius fuit, quam ultima ratio. Priorum saeculorum disciplina severior salutaris erat, quamdiu fideles eadem efficacius a committendis peccatis deterrebantur. Sed post Constantini tempora multitudo admodum creverat Christianorum, qui parum fervidi benignitate et persuasione potius quam rigore alliciendi erant, ut fidei ac religionis praecepta implerent. Ecclesia quidem exigere debebat, ut ejusmodi fideles praestarent quod ad vitam christianam gerendam et ad peccata expianda absolute necessarium erat; sed severitate rigida illi Christiani tepidi potius ab Ecclesia penitus abalienati fuissent. Hinc ut omnium saluti procurandae Ecclesia amore materno quantum posset inserviret, merito visum est opportunum, mitigare disciplinam

antiquam severiorem. Mitigatio autem illa non ubique eodem tempore, sed variis in regionibus tardius priusve accidit, prouti Praesules censebant, adhuc salutari antiquitatis severitati insistendum, vel ob temporum adjuncta disciplinae immutationem esse opportunam[1]). — Modo ut etiam uberius demonstretur, ex facto Nectarii nihil posse deduci quo efficiatur, confessionem esse institutionem mere ecclesiasticam eamque a Nectario abolitam fuisse, paulo accuratius de agnita necessitate et de usu confessionis priscis Ecclesiae saeculis disseramus.

II.

De usu confessionis primis Ecclesiae saeculis.

35. „Si confessionis privatae existentia in Ecclesia antiqua, scribit Steitz auctor protestans, ante constitutionem presbyteri poenitentiarii probari nequit, sed confessionis institutio tantum in illo munere creando suum motivum habuit intimumque cum hoc munere nexum, manifestum est, abolitione unius etiam alterius abolitionem includi"[2]). Dein plura urget argumenta ex Socratis et Sozomeni narratione collecta, ut evincat revera confessionem omnem a Nectario abrogatam fuisse. Ostendimus, argumenta illa facile dilui, et illorum auctorum verba aptissime exponi de poenitentia publica abrogata. Plenior tamen rei solutio ut habeatur, utque appareat, confessionis institutionem et necessitatem haud pendere ab institutione vel abolitione illius muneris presbyteri poenitentiarii, jam breviter ostendamus, semper in Ecclesia agnitam fuisse ab- Argumentatio Protestantium.

[1]) Cfr. Bickell l. c. S. 439.

[2]) „Wenn sich eine Privatbeichte in der älteren Kirche vor der Aufstellung des Busspriesters nicht nachweisen lässt, vielmehr jene Einrichtung mit diesem Amte erst begründet und eng verbunden ward, so ist es klar, dass die Aufhebung des Einen die Abschaffung des Andern in sich schliesst." Das römische Busssacrament: p. 86; ap. Frank, l. c. p. 200.

solutam confessionis necessitatem, qualisque fuerit confessionis usus aliquantisper illustremus.

36. Ad remissionem peccatorum igitur confessionem necessariam plane esse, luculenter antiqui Patres docent, et quia eadem habebatur ut pars in poenitentia praeeminens, factum est, ut *exomologesis* (confessionis) nomen etiam toti poenitendi negotio passim imponeretur. Non solum autem de publica graviorum criminum confessione et poenitentia Patres testantur, sed etiam ex iis colligitur, privatam quoque fuisse peccatorum coram sacerdote confessionem, in qua dein determinabatur, utrum peccatori publica confessio facienda esset. Praeclare, si *Origenis* varia testimonia colliguntur, apparet, qualis fuerit saeculo secundo et tertio de confessione doctrina, ac propterea ex hoc scriptore prae caeteris hanc rem elucidare convenit.

Doctrina Patrum.

37. In Leviticum Homilia 2[da] n. 3, loquens de expiatione veteris Foederis et de remissione peccatorum in Lege nova, Origenes scribit: *Audisti, quanta sint in lege sacrificia pro peccatis; audi nunc, quantae sint remissiones peccatorum in Evangeliis. Est ista prima remissio qua baptizantur in remissionem peccatorum. Secunda remissio est in passione martyrii. Tertia est quae pro eleemosyna datur. Quarta nobis fit remissio peccatorum per hoc, quod et nos remittimus peccata fratribus nostris. . . . Quinta peccatorum remissio est, cum converterit peccatorem ab errore viae suae. . . . Sexta quoque fit remissio per abundantiam caritatis. . . Est adhuc et septima licet dura et laboriosa per poenitentiam remissio peccatorum, cum lavat peccator in lacrymis stratum suum, et fiunt ei lacrymae suae panes die ac nocte, et cum non erubescit sacerdoti Domini indicare peccatum suum et quaerere medicinam, secundum eum qui ait: Dixi, pronuntiabo adversum me injustitiam meam Domino, et tu remisisti impietatem cordis mei.* — Adverte autem, hoc loco ea remissionis media ab Origene indicari, quae ex institutione divina constituta in Scripturis sacris inveniuntur. Atque sex illa priora remissionis media non indicantur, ac si poenitentia et confessio septimo loco posita haud necessaria esset. Sed sex illa media respiciunt peccata ante baptismum

Origenes.

commissa, transgressiones leviores, vel extra casum necessitatis supponuntur confessioni jungenda.

36. Confessionem vero etiam *ad peccata interna et occulta* se extendere debere, clare docet Origenes in Leviticum Hom. 3ª n. 4 scribens: *Si peccaverit, inquit* (*Lev.* 5,5) *unum aliquid de istis, pronuntiet peccatum quod peccavit. Est aliquod in hoc mirabile secretum, quod jubet pronuntiare peccatum. Etenim omni genere pronuntianda sunt, et in publicum proferenda cuncta quae gerimus. Si quid in occulto gerimus, si quid sermone solo, vel etiam intra cogitationum secreta commisimus, cuncta necesse est publicari, cuncta proferri: proferri autem ab illo, qui et accusator peccati est et incentor (diabolus). Ipse enim nunc nos ut peccemus instigat, ipse etiam cum peccaverimus incusat. Si ergo in vita praeveniamus eum, et ipsi nostri accusatores simus, nequitiam diaboli inimici nostri et accusatoris effugimus. Sic enim et alibi propheta dicit: Dic tu iniquitates prior, ut justificeris.* — Omnino patet, Origenem hic docere, vere poenitentem non erubescere debere omnia peccata sua etiam occulta, non solum Deo sed etiam sacerdoti indicare, et medicinam ab eo quaerere. Confessio peccatorum internorum

38. Fusius adhuc de poenitentia et confessione agit Origenes Homilia 2ª in Psalm. 37, ubi tum necessitatem confessionis, tum rationem confessionis privatae et publicae exponit. Ad verba: „Quoniam iniquitatem meam pronuntio", *pronuntiationem iniquitatis,* scribit, *id est confessionem peccati frequentius diximus. Vide ergo, quid edocet nos Scriptura, quia oportet peccatum non celare intrinsecus. Fortassis enim sicut ii qui habent intus inclusam escam indigestam, aut humoris vel phlegmatis stomacho graviter et moleste immanentis abundantiam, si vomuerint, relevantur: ita etiam hi qui peccaverunt, si quidem occultant et retinent intra se peccatum intrinsecus, urgentur et propemodum suffocantur a phlegmate vel humore peccati. Si autem ipse sui accusator fiat, dum accusat semetipsum et confitetur, simul evomit et delictum atque omnem morbi digerit causam. Tantummodo circumspice diligentius, cui debeas confiteri peccatum tuum. Proba prius medicum, cui debeas causam languoris exponere,* Privata et publica.

qui sciat infirmare cum infirmante, flere cum flente, qui condolendi et patiendi noverit disciplinam; ut ita demum si quid ille dixerit, qui se prius et eruditum medicum ostenderit et misericordem, si quid consilii dederit, facias et sequaris; si intellexerit et praeviderit talem esse languorem tuum, qui in conventu totius ecclesiae exponi debeat et curari, ex quo fortassis et caeteri aedificari poterunt et tu ipse facile sanari, multa hoc deliberatione et satis perito medici illius consilio procurandum est. — „Quoniam iniquitatem meam ego cognosco, et cogitabo pro peccato meo.“ Quicumque vestrum sibi conscius est in aliquo peccato, et ita securus est quasi nihil mali fecerit, commoveatur ex hoc sermone qui dicit: Cogitabo pro peccato meo. . . Communicare non times corpus Christi accedens ad Eucharistiam, quasi mundus et purus, quasi nihil in te sit indignum, et in his omnibus putas quod effugias judicium Dei?

39. Vides, Origenem hoc loco de confessione fideles ea ratione admonere, qua etiam nostro tempore id fieri solet. Necessitatem confessionis inculcat comparatione allata de cibis indigestis, quibus aeger suffocatur, nisi iisdem liberetur; terret eos qui peccati conscii ad communionem accedunt; monet, ut sedulo quaeratur et eligatur confessarius aptus. Inde etiam intelligitur, plures fuisse sacerdotes quibus fideles sua peccata confiteri poterant, nec solius episcopi fuisse ut confessiones audiret. Confessoris porro consilio relinquendum esse statuit, utrum conveniat publicam etiam peccati confessionem in ecclesia facere.

40. De ejusmodi publica confessione, ac de magnanimitate qua convicia et incommoda inde orta a peccatore ferenda sint, in eadem homilia n. 1 et sequentibus fusius loquitur. Exponens verba: *Amici mei et proximi mei* etc. scribit: *Qui pro peccatis suis confitetur Deo et animo dolet, dum poenitet sciens post exitum vitae quae poena immineat peccatori, haec dicit, exponens quanta pati necesse sit eum, qui se ad poenitentiam emendationemque convertit, quomodo derelinquant eum amici et proximi sui et longe efficiantur, pro eo quod ipse se ad exomologesim peccati sui moerorem-*

que convertit. Dicit ergo: „Amici mei et proximi mei adversum me appropinquaverunt et steterunt.“ Intellige mihi fidelem quidem hominem, sed tamen infirmum, qui etiam vinci ab aliquo peccato potuit, et propter hoc mugientem pro delictis suis, et omni modo curam vulneris sui sanitatemque requirentem, licet praeventus sit et lapsus, volentem tamen medelam et salutem reparare. Si ergo hujusmodi homo memor delicti sui confiteatur quae commisit, et humana confusione parvipendat eos qui exprobrant eum confitentem et notant vel irrident: ille autem intelligens per hoc veniam sibi dari, et in die resurrectionis pro his quibus nunc confunditur coram hominibus, tunc ante angelos Dei confusionem atque opprobria evasurum, ut nolit tegere et occultare maculam suam, sed pronunciet delictum suum, nec velit esse sepulchrum dealbatum, quod deforis quidem appareat hominibus speciosum, id est, ut videntibus se quasi justus appareat, intus autem sit repletus omni immunditia et ossibus mortuorum. Si ergo sit aliquis ita fidelis, ut si quid conscius sit sibi procedat in medium, et ipse sui accusator existat: hi autem qui futurum Dei judicium non metuunt haec audientes cum infirmantibus quidem non infirmentur, cum scandalizantibus non urantur, cum lapsis non jaceant, sed dicant: Longe te fac a me neque accedas ad me, quoniam mundus sum: et detestari incipiant eum quem ante admirabantur, et ab amicitiis recedant ejus qui delictum suum noluit occultare, super his ergo consequenter dicit, qui exomologesim id est confessionem facit: Amici mei et proximi mei adversum me appropinquaverunt et steterunt, et proximi mei delonge steterunt. Sed haec non oportet formidare eum qui post delictum salvari cupit, neque notam eorum pertimescere, qui sua quidem peccata non cogitant, nec memores sunt Scripturae divinae dicentis: Noli improperare homini convertenti se a peccato, sed memor esto, quoniam omnes sumus in culpis[1]).“

41. Manifestum igitur est, falso asseri, confessionem secretorum peccatorum vel confessionem privatam nonnisi posteriori tempore in Ecclesia constitutam fuisse. Neces-

---

[1]) Eccles. VIII. 6.

sitas confessionis semper agnita fuit; an vero confessio secreta vel publica esse deberet, sapienti praepositorum judicio disponebatur. Quod ad usum et necessitatem confessionis generatim spectat, multa alia testimonia exstant eorum Patrum qui Origeni priores, fere coaevi vel suppares sunt; at longius est nec hujus loci haec fusius persequi[1]). Sed pauca quaedam opportunum erit notare quoad Patres, qui fere eo tempore, quo Nectarius, vixerunt, quo forte aliquanto accuratius determinare possimus, qua ratione confessio, a quibus et quando peracta fuerit.

S. Ambrosius. 42. Narrat Paulinus diaconus, qui *S. Ambrosii* amanuensis fuit, in vita hujus sancti Doctoris ab ipso conscripta: *Erat etiam gaudens cum gaudentibus et flens cum flentibus, si quidem quotiescumque illi aliquis ob percipiendam poenitentiam lapsus suos confessus esset, ita flebat, ut et illum flere compelleret; videbatur enim sibi cum jacente jacere. Causas autem criminum quae illi confitebantur, nulli, nisi Domino soli apud quem intercedebat, loquebatur, bonum relinquens exemplum posteris sacerdotibus, ut intercessores apud Deum magis sint quam accusatores apud homines. Nam et secundum Apostolum circa hujusmodi hominem confirmanda caritas est, quia ipse sui accusator est, nec exspectat accusatorem sed praevenit, ut confitendo suum allevet ipse delictum, ne habeat quod adversarius criminetur*[2]). Ex his apparet, S. Ambrosium ipsum confessiones peccatorum audivisse, nec dubium est, eum uti opportunum videbatur, vel poenitentiam publicam vel privatam eis constituisse. Certe confessio eo tempore non erat tam frequens quam nostris diebus, attamen permultos peccata mortalia committere et aliquando in vita sua post baptismum debere (canonicam) poenitentiam agere, innuit S. Ambrosius scribens *De poenit.* L. II. c. 11. n. 98: *Bona ergo poenitentia, quae si non esset, omnes ad senectutem differrent ablutionis gratiam. Quibus satis responsi est, quia melius est*

[1]) Vide ex. gr. Irenaeum Contra Haer. L. I. c. 6. n. 3, c. 13. nn. 5, 7. — Tertullianum, De Poenit., cc. 9, 10. — Cyprian. De lapsis, n. 20. — Cfr. Bickell, l. c. p. 419 sqq.; Frank, l. c. p. 208 sqq.

[2]) C. 9.

ut habeam quod sarciam, quam non habeam quod vestiar; sed sicut semel assuta redintegrantur, ita frequenter suta solvuntur.

43. *S. Hieronymus* in Matth. 16 disserens de sacerdotibus leviticis discernentibus inter lepram et lepram, ait: *Sic et hic* (in N. T.) *alligat vel solvit episcopus et presbyter non eos qui insontes vel noxii, sed pro officio suo cum peccatorum audierit varietates, scit qui ligandus quive solvendus.* Notatu dignum est commemorari a S. Hieronymo non solos episcopos, sed etiam presbyteros qui audiunt peccatorum varietates ac solvunt vel ligant. — Necessitatem confessionis sacerdotibus faciendae urget pariter Commentario in Ecclesiasten ad illa verba Eccles. 10, 11: „Si momorderit serpens in occulto." *Si quem serpens diabolus*, scribit, *occulte momorderit, et nullo conscio eum peccati veneno infecerit: si tacuerit qui percussus est et non egerit poenitentiam, nec vulnus suum fratri et magistro voluerit confiteri, magister qui linguam habet ad curandum, facile ei prodesse non poterit. Si enim erubescat aegrotus vulnus medico confiteri, quod ignorat medicina, non curat*[1]. S. Hieronymus.

44. In operibus S. Basilii multa occurrunt, quae confessionis necessitatem spectant, et confessionis usum illustrant. Homilia in Ps. XXXII n. 3 ad illa verba: „Diligit misericordiam et judicium Dominus", Basilius scribit: *Vult tui misereri judex, teque miserationum suarum facere participem, si modo post peccatum reperit te humilem, contritum, prava opera multum deplorantem, ac ea quae clam facta sunt evulgantem citra pudorem, rogantem fratres, tibi ut sint adjumento ad accipiendam medelam.* — Pluries porro in regulis pro monachis et monialibus de confessione agi- S. Basilius.

[1] Magistrum illum qui linguam habet ad curandum S. Hieronymo esse sacerdotem, nullum dubium est. Magistri nomen enim ipse alibi (in II Reg 20) sic interpretatur: „Ira autem Jairites erat sacerdos David, id est magister; sicuti alibi scriptum est: Filii autem David erant sacerdotes, id est magistri fratrum suorum." Advertit autem merito Frank, apprime S. Hieronymum usum loquendi Orientalium novisse, atque etiamnum apud sectas orientales presbyterum speciatim uti confessarius est magistrum appellari. V. Frank l. c. p. 232.

tur. Ita in regulis brevius tractatis, Interrogatione 229ª
S. Basilii Regulae. quaeritur. *An oporteat vetitas actiones citra verecundiam omnibus detegere, aut aliquibus dumtaxat, et quinam hi sint?* Respondetur: *Servanda est ratio eadem in peccatorum confessione, quae in detegendis corporis morbis adhibetur. Quemadmodum igitur corporis morbos non omnibus patefaciunt homines neque quibusvis, sed iis qui curandorum horum periti sunt: ita fieri quoque debet peccatorum confessio coram iis, qui curare haec possint, prout scriptum est: „Vos qui fortes estis, infirmitates debilium portate"; hoc est cura et diligentia vestra tollite.* — Et Interrogatione 110ª quaeritur: *An sorore seniori confitente, adesse oporteat etiam ipsam seniorem?* Respondetur: *Honestius cautiusque coram ipsa seniore fiat confessio seniori, qui scite ac prudenter poenitentiae atque correctionis modum possit suggerere.* — Ex verbis colligitur, hisce locis agi de confessione sacramentali. Praefectam autem confessioni sororis interesse conveniens dicitur, non quatenus soror confiteatur ita ut illa audiat accusationem, sed quatenus adsit honestatis gratia in loco in quo confessio peragitur.

45. Sacerdotibus confitendum esse, *S. Basilius* aperte etiam docet in Regula 288, in qua Interrogatio est: *Qui confiteri vult peccata sua, debetne confiteri omnibus et quibuslibet, aut quibus?* — In Responsione dicitur: *Quoniam conversionis modus debet peccato congruere, ac etiam opus est dignis fructibus poenitentiae, . . . peccata iis confiteri necesse est, quibus mysteriorum Dei concredita dispensatio est.* — Hoc loco autem non agi de criminibus poenitentiae canonicae subjectis, colligitur ex Regula subsequente 289, in qua Interrogatio est: *Quem poenituit peccati et rursus in idem peccatum labitur, quid faciet?* In Responsione dicitur: *Si quis acta semel poenitentia rursus idem peccatum admittat, liquet primam illius peccati causam non fuisse expurgatam, a qua veluti a quadam radice similia necesse est nasci. . . Si quis igitur, ubi se ipse semel condemnaverit invidiae aut dissidii, in eadem rursus vitia incidat, noverit, in intimis se laborare ex primaria illa invidiae aut altercationis causa; ipso videlicet gloriae studio. Et quidem*

oportet eum ex diverso per humilitatis exercitia, (exercitium autem humilitatis est, in vilioribus negotiis occupari), id vitium amoris gloriae curare, . . . et in singulis ejusmodi peccatis similiter. — Satis patet ex regulis istis Sancti Basilii, multitudini illi permagnae virorum ac mulierum, qui in monasteriis vel in eremo asceticam vitam ducebant, facile redditum fuisse, ut apud sacerdotes confessiones peccatorum suorum peragerent. Inde autem inferre licet, iis quoque qui in saeculo vivebant consuetum fuisse, ut si conscientiam peccatis gravibus oneratam haberent, non solum episcopo, sed etiam aliis presbyteris confiteri peccata possent[1]).

46. Haud ita raram inter laicos quoque fuisse confessionem et poenitentiam, etiam eruitur ex Vita S. Hilarii Arelatensis, scripta a Honorato Massiliensi ejus coaevo. S. Hilarius. *Quotiescumque,* scribit, *poenitentiam dedit, saepe die Dominico ad eum turba varia confluebat. Ad ejus castigationem quicumque adesse voluisset lacrymarum se imbribus eluebat, coelestibus judicii terroribus promissisque succensus. Tanti gemitus, tanti fletus adstantibus nascebantur, ut vitae praesentis horrerent habitaculam. Quis ita futuri judicii monstravit examen? Quis ita tenebrosum terribiliter intimavit incendium? Quis ita fluvii exurentis pariter et rapientis cruciatus expressit? Admonitione completa cum lacrymis supplicationum sumebat exordia, ut poenitentiae fructum quem monendo contulerat, orando firmaret. Nam mulier quaedam dum manus ejus impositione benedicitur, visum se recepisse proclamat, (aestimo quod antea interiori homini praestitit, quod exteriori postmodum impetravit*[2]). Agitur hic de peccatorum confessione et reconciliatione, quam passim diebus Dominicis magno cum concursu factam esse, auctor refert. Neque haec spectare dixeris peccatores, qui diuturno tem-

---

[1]) Addi his possunt alia multa testimonia Patrum orientalium et Syrorum, uti SS. Ephremi et Aphraatis. Cfr. ea quae habet Bickell in Dissertatione jam laudata.

[2]) Ap. Bolland. ad d. V. Maii; Vita C. III. n. 17.

pore poenitentiam publicam exsolvebant, sed agi videtur de peccatoribus communibus, qui ad poenitentiae sacramentum accedebant.

S. Augustinus.

47. Qua ratione in *Ecclesia Africana* saeculo quarto et ineunte quinto disciplina poenitentiae se habuerit, ex scriptis S. Augustini apte colligitur. Frequenter is ad poenitentiam pro peccatis gravibus suscipiendam monet; poenitentiae autem includitur confessio sacerdoti facta, et pro ejus consilio etiam manifestatio peccatorum coram fidelibus. Peccata levia et quotidiana, poenitentia et cordis dolore delentur; quoad haec peccata confessio haud videtur fuisse in usu. In sermone I de poenitentia (serm. 351) S. Augustinus ait: *Tres sunt autem actiones poenitentiae, quas mecum vestra eruditio recognoscit. Sunt enim usitatae in Ecclesia Dei, et diligenter attendentibus notae. Una est quae novum hominem parturit, donec per baptismum salutare omnium prateritorum fiat ablutio peccatorum* (n. 2). *Altera vero poenitentia est, cujus actio per totam istam vitam qua in carne mortali degimus perpetua supplicationis humilitate subeunda est* (n. 3). Subeunda videlicet est pro peccatis levioribus, *in quantum ex occasione carnalis infirmitatis, quia nondum morte resoluta, nondum resurrectione mutata est, motus reprehensibiles improbique subrepunt* (n. 6). — *Tertia actio est poenitentiae, quae pro illis peccatis subeunda est, quae Legis Decalogus continet, et de quibus Apostolus ait: Quoniam qui talia agunt regnum Dei non possidebunt. In hac ergo poenitentia majorem quisque in se severitatem debet exercere, ut a se ipso judicatus non judicetur a Domino. . . Atque ita constituto in corde judicio, adsit accusatrix cogitatio, testis conscientia, carnifex timor. Inde quidem sanguis animi confitentis per lacrymas profluat. Postremo ab ipsa mente talis sententia proferatur, ut se indignum homo judicet participatione corporis et sanguinis Domini, ut qui separari a regno coelorum timet per ultimam sententiam summi judicis, per ecclesiasticam disciplinam a sacramento coelestis panis interim separetur. . . Et cum ipse in se protulerit severissimae medicinae, sed tamen medicinae senten-*

tiam, veniat ad antistites, per quos illi in Ecclesia claves ministrantur: et tanquam bonus jam incipiens esse filius, maternorum membrorum ordine custodito a praepositis sacramentorum accipiat satisfactionis suae modum, ut in offerendo sacrificio cordis contribulati devotus et supplex id tamen agat, quod non solum ipsi prosit ad recipiendam salutem, sed etiam caeteris ad exemplum. Ut si peccatum ejus non solum in gravi ejus malo, sed etiam in tanto scandalo aliorum est, atque hoc expedire utilitati Ecclesiae videtur antistiti, in notitia multorum vel etiam totius plebis agere poenitentiam non recuset, non resistat, non lethali et mortiferae plagae per pudorem addat tumorem (n. 9).

48. Colligitur ex hisce S. Augustini verbis, eos qui gravia peccata admiserant, debuisse adire *praepositos sacramentorum*, ut per claves Ecclesiae remissionem obtinerent. Si peccatum erat ignotum aliisque nullum paraverat scandalum, poenitentia erat privata, secus vero pro arbitrio episcopi satisfactio et poenitentia publica coram pluribus vel coram tota fidelium ecclesia. Quum ista S. Doctor tantum summatim hoc loco referat, difficile est accurate singula determinare, sed ex modo loquendi concludi posse videtur, ordinaria peccata gravia, e. g. interna, non solum ab episcopo sed etiam ab aliis presbyteris, imposita poenitentia privata potuisse remitti, in iis vero casibus, quibus agebatur de poenitentia publica, rem ad episcopum fuisse deferendam. — Ad *indolem poenitentiae* intelligendam conferunt etiam ea quae n. 10 ait: *Nemo arbitretur, fratres, propterea se consilium salutiferae hujus poenitentiae debere contemnere, quia multos forte advertit et novit ad sacramenta altaris accedere, quorum talia crimina non ignorat. . . Plerique boni Christiani propterea tacent et sufferunt aliorum peccata quae noverunt, quia documentis saepe deseruntur, et ea quae ipsi sciunt, judicibus ecclesiasticis probare non possunt. Quamvis enim vera sint quaedam, non tamen judici facile credenda sunt, nisi certis indiciis demonstrentur. Nos vero a communione prohibere quemquam non possumus, (quamvis haec prohibitio nondum sit mortalis, sed medicinalis),*

Poenitentiae indoles.

nisi aut sponte confessum, aut in aliquo sive saeculari sive ecclesiastico judicio nominatum atque convictum[1]).

Poenitentia omnibus consulenda.

49. S. Possidius in Vita S. Augustini hujus beatum exitum enarrans scribit: *Dicere autem nobis inter familiaria consueverat, post perceptum baptismum etiam laudatos Christianos et sacerdotes absque digna et competenti poenitentia exire de corpore non debere*[2]). Si ea confers quae superius de *quotidiana* poenitentia a S. Augustino dicta citavimus, inde colliges, hisce verbis a Possidio allatis a S. Doctore designatam fuisse tertiam illam poenitentiam peculiarem pro peccatis post baptismum commissis, eumque asseruisse, omnibus, etiam bonis Christianis convenire ut ante mortem peculiarem poenitentiam oratione, operibus satisfactoriis, confessione et reconciliatione agant, quo plane securi esse possint. Etiam confessionem et absolutionem includi in poenitentia illa ab Augustino commendata, inde colligimus, quod ista ut elementum praecipuum ad tertium illud poenitentiae genus pertinerent.

50. Possidius l. c. pergit: *Quod et ipse fecit ultima qua defunctus est aegritudine: nam sibi jusserat psalmos Davidicos qui sunt paucissimi de poenitentia scribi, ipsosque quaterniones jacens in lecto contra parietem positos diebus suae infirmitatis intuebatur et legebat, et jugiter ac ubertim flebat: et ne intentio ejus a quoquam impediretur, ante dies ferme decem quam exiret de corpore, a nobis postulavit praesentibus, ne quis ad eum ingrederetur, nisi iis tantum horis, quibus medici ad inspiciendum intrarent, vel cum ei refectio inferretur. Et ita observatum ac factum est, et omni illo tempore orationi vacabat.* — Non refert quidem auctor, Augustinum etiam confessionem fecisse dum ita poenitentiam ante mortem ageret, sed inde nihil inferri potest. Quum enim certe non nisi venialia peccata sanctus vir commisisset, venialiumque peccatorum confessio minus in

[1]) Insignia de confessione ejusque necessitate testimonia etiam habentur, *Sermone ad conjugatos* (392), et *Sermone de poenitentia* (393), sed quum isti *Sermonibus dubiis* accenseantur, eos textus modo praetermittimus.

[2]) Vita S. Augustini, c. 31.

usu esset, per se poenitentiae illi non erat jungenda confessio. Quodsi tamen S. Augustinus peccata ista venialia confiteri voluit, ejusmodi confessio haud tanti forte visa est Possidio, ut eam peculiari modo commemoraret, eo vel minus, quod non singula describeret quae in fine vitae B. Augustini acciderunt. Nam neque S. Eucharistiae Viatico eum refectum fuisse narrat. Haud dubium tamen est id factum fuisse, quum in more Ecclesiae positum esset, ut morientes sanctum Domini Corpus reciperent[1]).

51. Protestantes objectiones urgere solent ex *S. Joanne Chrysostomo* successore Nectarii, eo quod passim ita loquitur, ac si a poenitente *tantum ea confessio quae Deo soli fit* requiratur. Ita e. g. Hom. V de Incomprehensibili n. 7: *Quamobrem etiam atque etiam hortor, rogo et oro, ut frequenter Deo confiteamini. Non te in theatrum conservorum tuorum duco, neque hominibus peccata revelare cogo; conscientiam tuam expande coram Deo, ostende ipsi vulnera et ab eo medicamenta postula, ostende non exprobranti sed curanti; licet enim taceas, ipse novit omnia. Dic igitur ut id lucro tibi sit, dic, ut illis hic depositis illo abeas purus et vacuus, et ab intoleranda promulgatione illa libereris.* S. Joannes Chrysostomus.

52. Ad solutionem hujus difficultatis tum quoad Chrysostomum tum quoad unum alterumve alium Patrem, opportune haec notari possunt: 1° Illa effata accipi nequeunt ita, ut secum pugnaret Chrysostomus, quod fieret si excluderetur iisdem necessitas confessionis. Apud ipsum enim inveniuntur haec principia: a) Necessarium esse fidelibus sua peccata confiteri sacerdotibus. b) Non posse peccata remitti, nisi medicina recepta ab iis, quibus dictum Principia.

---

[1]) Id v. g. apparet in Vita S. Ambrosii a Paulino scripta: „Honoratus etiam, scribit, sacerdos ecclesiae Vercellis cum in superioribus domus se ad quiescendum composuisset, tertio vocem vocantis se audivit dicentisque sibi: Surge, festina, quia modo est recessurus. Qui descendens obtulit sanctum Domini corpus, quo accepto ubi glutivit, emisit spiritum, bonum viaticum secum ferens ut in virtute escae anima refectior angelorum nunc consortio quorum vita vixit in terris, et Eliae societate laetetur, quia ut Elias nunquam regibus vel ullis potestatibus, ita nec iste pro Dei timore loqui veritus est.“ C. 10.

est: Quorum remiseritis peccata etc. c) Voluisse Christum remittere peccata, sed mediantibus iis, quibus dixit: Sicut misit me Pater, et ego mitto vos.

Textus ex S. Jo. Chrysostomo.

53. Jam aliqua S. Chrysostomi afferamus effata. De Sacerdotio L. II. c. 3: *Multa pastori,* scribit, *opus est prudentia ac sexcentis oculis, ut undique statum animae circumspiciat. Quemadmodum enim multi in arrogantiam extolluntur, et in salutis suae desperationem incidunt, quod acerbiora remedia pati nequeant: ita sunt et alii, qui quod pares peccatis suis poenas luere nolint, in neglectum vertuntur, multo deteriores evadunt, majoremque peccandi licentiam usurpant. Nihil itaque horum sine examine relinquendum est, sed omnibus rite exploratis episcopus congruenter quae ad se pertinent proferat oportet.* — In Jo. hom. XXXIV (de muliere Samaritana): *Hanc ergo mulierem et nos imitemur: et in confitendis peccatis nostris ne vereamur homines, sed Deum ut par est timeamus, qui et nunc facinora nostra videt, et tunc puniturus est eos, qui nunc poenitentiam non agunt.* — Contra Judaeos Orat. III. n. 4: *Multi quondam temere ac sine judicio, praecipue vero hoc tempore quo Christus ea tradidit, ad sacra mysteria accedebant. Cum igitur intelligerent Patres, quantum ex temerario accessu detrimenti caperetur, convenienter quadraginta dies jejunii, precum, auditionis verbi et conventuum designarunt, ut in his diebus omnes per preces, per eleemosynam, per jejunium, per vigilias, per lacrymas, per confessionem, et per caetera omnia diligenter expurgati, ita pro captu nostro cum conscientia pura accedamus.* — De Davide et Saul hom. III: *Equidem arbitror, multos ex iis qui nuper nos deseruerunt et ad iniquitatis spectacula discesserunt, hodie praesentes esse. Optarim autem istos qui sint palam nosse, ut eos a sacris vestibulis arceam, non ut perpetuo foris maneant, sed ut correcti denuo redeant. . . Qui corrupte vivens hujus sacrae congregationis particeps est, etiamsi corpore hic adstiterit, rejectus est, veriusque submotus quam ii qui foris exclusi sunt, quibus nondum licet sacrae mensae participes esse. . . . Qui non liberi sunt ab adulterii crimine* (sc. desideriis commisso), *quomodo poterunt absque poenitentia ad haec sacra vestibula*

accedere, hujusque praeclari conventus esse participes. Quapropter equidem hortor rogoque, ut prius confessione ac poenitentia aliisque remediis omnibus sese a peccato ex theatricis spectaculis contracto perpurgent, atque ita divinos audiant sermones. — Cfr. etiam De cruce et latrone hom. III. n. 3: *Seipsum quasi corrigens* (latro) *adjecit: Nos quidem juste, nam digna factis recipimus. Vides confessionem perfectam in cruce, vides quomodo his verbis peccata eluerit, vides quomodo propheticum illud monitum impleverit: Dic prius tuas iniquitates, ut justificeris; nemo illum coëgit, nemo accusavit, nemo institit; ipse sui ipsius fit accusator, qua de causa in posterum omni accusatore caruit. Antevertens enim partes accusatoris sibi sumpsit, et seipsum quis esset publice prodidit his verbis: Nos juste, nam digna factis recipimus; hic vero nihil mali egit. Vides reverentiam longe lateque diffusam. Quando seipsum accusarat, quando arcana pectoris sui exprompserat, quando pro Domino defensionem instituerat: nos quidem juste, hic vero nihil mali egit; tunc et supplicationem offerre ausus fuit his verbis: Memento mei, Domine, cum veneris in regnum tuum. Non ausus fuit prius dicere: Memento mei, quoadusque per confessionem sese a sordibus peccatorum expurgavit, quoadusque se ipsum condemnans, justum et innocentem effecit, quoadusque per accusationem scelera deposuit. Vides, quantum possit confessio etiam in ipsa cruce? Haec audiens, carissime, ne desperes teipsum, sed infinitam divinae benignitatis magnitudinem tecum reputans properes ad emendationem peccatorum. Si enim latronem in cruce tanto honore dignatus est, multo magis nos insita sua benignitate dignabitur, si voluerimus peccatorum confessionem instituere. Ut igitur et nos benignitate ejus perfruamur, peccata propria confiteri ne erubescamus. Magna enim confessionis vis est et multa potentia.* — Addamus postremo ea quae dicit Chrysostomus in homiliis in epistolam ad Hebraeos, quas a. 392 Constantinopoli habuit. Hom. IX. n. 4 ait: *Quid ergo, inquit, non est poenitentia? est poenitentia quidem, at vero non est secundum baptisma. . . Cujusmodi ergo est medicamentum poenitentiae, et quomodo conficitur? Primum est ex suorum peccatorum condemnatione*

et ex confessione. Delictum, inquit, meum cognitum tibi feci, et peccatum meum non abscondi. . . Secundo ex multa humilitate. Est enim veluti quaedam catena aurea, et si initium acceperit, sequuntur omnia: Nam si peccatum fueris confessus ut oportet confiteri, fit humilis anima: eam enim versans et agitans conscientia, efficit ut sit contracta.

54. Animadvertendum igitur est, tum in sermonibus Antiochiae habitis, tum in sermonibus Constantinopoli recitatis S. Doctorem confessionem commendare. Si passim minus clare singula prosequitur, id tum inde provenire potuit, quod catechumenis et infidelibus praesentibus ea quae sacramenta spectant antiqui non tam distincte exponere solerent, tum in sermonibus Constantinopoli factis propter ipsos eventus qui brevi ante sub Nectario acciderant. Caeterum ipsum S. Joannem Chrysostomum magna cum benignitate reconciliationi peccatorum per poenitentiam et confessionem praefuisse, colligi potest ex illa accusatione quam adversarii ejus in conciliabulo ad Quercum contra eum protulerunt. Isaacius episcopus videlicet in libello accusationum inter alias etiam hanc posuit, *quod licentiam peccantibus praebeat, sic docens: si iterum peccasti poeniteat iterum: et quoties peccaveris, veni ad me, ego te sanabo*[1]). — Invitabat certe S. Chrysostomus peccatores, ut ad se venirent, et peccata cum dolore confessi absolutionem acciperent[2]).

Caeteris concors.

55. Fas non est 2° effata S. Chrysostomi quae objiciuntur ita accipere, ut Chrysostomus dissonus sit ab aliis Ecclesiae Doctoribus. Applicare hic possumus quod alia

---

[1]) V. Labbé Coll. Conc. t. II. p. 1328.

[2]) De eadem re loquitur etiam Socrates H. E. L. VI. c. 21, et immerito benignitatem S. Chrystomi erga peccatores sugillat. „Cum a synodo episcoporum, scribit, semel dumtaxat iis qui post baptismum peccassent concessa fuisset poenitentia, ipse pronuntiare non dubitavit: Licet millies poenitentiam egeris, accede. Ob quam doctrinam tum a familiaribus suis reprehensus est, tum etiam a Sisinnio Novatianorum episcopo.“ Socrates quod de unica *publica* et solemni poenitentia forte statutum erat, hic falso applicat poenitentiae generatim. Apparet autem, abolita per Nectarium publica poenitentia, facilius potuisse peccatores ad reconciliationem allici eamque leviori negotio obtinere.

in re de ipso S. Augustinus: „Absit, ait, absit hoc malum de tanto viro credere aut dicere. Absit, . . . ut Constantinopolitanus Joannes tot ac tantis coëpiscopis suis resistat."

56. Itaque 3° effata S. Joannis Chrysostomi, quibus Deo confitendum esse dicit, *non absolute et exclusive*, sed *relative et comparative* accipienda sunt. Illa expressio *Deo confitendum est,* valde generalis est et vaga, sensus vero ex contextu et analogia doctrinae tum illius Patris tum totius traditionis determinandus. Confessio Deo facta comparari potest cum confessione criminum ad quam quis a judice saeculari cogitur, ut puniatur; eo autem sensu includere potest integram peccatoris poenitentiam, et confessionem privatam vel etiam publicam. Sic Origenes in Ps. XXXIII, Hom. II n. 1 loquitur de eo *qui Deo confitetur peccata sua,* dein vero indolem poenitentiae et confessionis privatae et publicae exponit. — Potest porro illa expressio adhiberi, dum agitur de examine conscientiae quotidiano, quo peccata venialia et quotidiana Deo confitemur. Vel dum generatim peccatorum aliquando commissorum quamvis jam remissorum memores, ea Deo confitemur in amaritudine cordis, et indulgentiam ejus invocamus, quamvis illa peccata vel jam remissa sint, vel pro tempore quis non se praeparet ad suscipiendum poenitentiae sacramentum. Dein ea ratione etiam Patres passim loquuntur, dum privatam confessionem factam sacerdoti, qui Dei vices gerit[1]), designant, ut confessionem Deo factam ejusque facilitatem commendent, quatenus advertunt, non hominibus ut in aliquo tribunali publico vel in theatro peccata enarrari, sed Deo ea quae jam novit proponi. Varia haec etiam S. Chrysostomo aliisque Patribus in mente versari poterant, dum de confessione Deo facienda loquuntur, et si difficile esset quoad unum aliumve textum accurate sensum determinare, inde tamen nullatenus inferri posset, eos necessitatem confessionis sacerdoti factae non agnovisse.

Quomodo Deo confitendum.

---

[1]) „Confitere Christo per sacerdotem peccata tua", ait Anastasius Sinaita. De sacra synaxi.

Textus difficilior.

57. Quod attinet 4° ad textum difficiliorem, quem ex Chrysostomo superius citavimus, auctores passim advertunt, dum Chrysostomus dicit: *Non te in theatrum conservorum tuorum duco,* eum alludere ut successorem Nectarii ad abrogatam poenitentiam publicam, adeoque confessionem Deo faciendam ipsi esse eam, quae privatim sacerdoti fit[1]). Sed non video, observationem illam de Nectarii facto hic ad rem esse. Etenim Homiliam V *de Incomprehensibili* Chrysostomus certo habuit ut presbyter Antiochiae, eamque in fine anni 386 habitam esse Montfauconius ostendit[2]), adeoque eo tempore, quo nec ille Nectario successerat, neque hic poenitentiam publicam abrogaverat. Sed ex hoc ipso, quod poenitentia publica tunc adhuc in usu esset, jam inferes, nullatenus Chrysostomum verbis objectis edicere, semper ad remissionem peccatorum sufficere, illa interius Deo confiteri.

Explicatur.

58. Animadvertendum porro est, Chrysostomum l. c. non agere ex professo de poenitentia, neque eum enarrare quae ex ordine facienda sint, ut remissio peccatorum obtineatur. Generatim in suis homiliis quum adessent etiam catechumeni, non solet accurate describere ea quae ad susceptionem sacramentorum pertinent. Agit eo loco ipse de vi orationis et respondet iis qui dicunt, se non audere cum fiducia orare, eo quod peccatores sint. Vides, ejusmodi diffidentiam spectare omnes universim, quum etiam Christiani timorati et ii quibus peccata jam remissa

---

[1]) Cfr. e. gr. Scheffmacher l. c. — Etiam Bellarminus existimavit. (De Poenit. L. IV. c 14), S. Chrysostomum quum dicit, „non te in theatrum conservorum tuorum duco", adludere ad abrogatam per Nectarium poenitentiam publicam.

[2]) Ex ipsis Homiliis haud difficulter quaedam indicia temporis colliguntur. Ita in Hom. VI de Incomprehensibili seu de B. Philogonio, Chrysostomus dicit n. 3, se alia de B. Philogonio dicenda relinquere communi patri Beatique Philogonii sectatori, sc. Flaviano Antiochiae episcopo. In Hom. III de Incomprehensibili n. 7 dicit: „Ante hos decem annos quidam tyrannidem affectantes deprehensi captique sunt, quod vos non ignoratis." Loquitur autem de Theodoro, qui a. 371 tyrannidem affectarat. De ipso etiam agit in Hom. ad Viduam juniorem n. 14. De quo Ammian. Marcellin. L. XXIX.

sunt, tali affectu saepe turbentur. Ostendit dein, magna cum humilitate et corde contrito esse orandum, atque in medium adducit exemplum publicani in Evangelio, qui fatetur se esse peccatorem, et tamen humiliter et cum fiducia orat et effectum obtinet. Sic monet fideles, ut etiam dum orant, magna cum humilitate ac fiducia Deo omnes miserias suas atque peccata exponant, illamque confessionem magnae efficaciae esse asserit. Utque eam commendet facilitatemque ostendat, jam advertit, se non postulare confessionem uti in theatro, et aliis hominibus factam. Haec videtur commemorare, quia paulo ante de publicano et pharisaeo in templo orantibus locutus fuerat. Quae autem hisce Chrysostomus dicit, ad omnes suos auditores dirigit, ac facile vides, dum ejusmodi confessionem in oratione commendat, eum nullatenus excludere, pro iis quibus ea necessaria esset, sacramentalem confessionem.

59. Nemo porro est qui ignorat, oratores eloquentes in suis sermonibus haud raro dum aliquam veritatem amplificant, vel aliquem virtutis actum commendant, ita istis insistere, ac si omnia iis continerentur; nec talia effata urgenda esse, sed harmonice cum aliis doctrinis intelligenda; secus enim falsum sensum haberent. — Deinde quemadmodum etiam justi et justificati saepissime in orationibus suis veluti praescindunt a sua justitia, seseque humiliter exhibent Deo ut onustos peccatis, ac peccatorum veniam enixe petunt, ita quoque in illa homilia praescinditur a quaestione, an auditoribus peccata jam remissa sint, illaque humiliatio et confessio miseriae in oratione Deo facta proponitur ut medium, quo obtineatur orationis efficacia et peccati venia. Veniam scilicet peccati obtinemus, tum quando primum peccatum remittitur, tum quando haec remissio confirmatur, poena justa peccati magis magisque imminuitur, et majori abundantia gratia divina nobis conceditur.

60. Concludamus ea quae ad necessitatem confessionis peccatorum gravium pertinent, notis verbis *S. Leonis* in epistola ad episcopos Campaniae data (80), qua pro- S. Leo.

hibet, quominus omnium peccatorum publica confessio exigatur, privatam vero confessionem ut necessariam et sufficientem exhibet. *Illam,* inquit, *contra Apostolicam regulam praesumptionem, quam nuper agnovi a quibusdam illicita usurpatione committi, mediis omnibus constituo submoveri: ne videlicet de singulorum peccatorum genere libello scripta pro fessio publicetur; cum reatus conscientiarum sufficiat solis sacerdotibus indicari confessione secreta. Quamvis enim plenitudo fidei videatur esse laudabilis, quae propter Dei timorem apud homines erubescere non veretur, tamen quia non omnium hujusmodi sunt peccata, ut ea qui poenitentiam poscunt non timeant publicari, removeatur tam improbabilis consuetudo, ne multi a poenitentiae remediis arceantur, dum aut erubescunt, aut metuunt, inimicis suis sua facta reserari, quibus possint legum constitutione percelli. Sufficit enim illa confessio, quae primum Deo offertur tum etiam sacerdoti, qui pro delictis poenitentium precator accedit. Tunc enim demum plures ad poenitentiam poterunt provocari, si populi auribus non publicetur conscientia confitentis.* — Atque in epistola ad Theodorum Forojuliensem data (82) necessitatem confessionis ex jure divino S. Leo diserte asserit scribens: *Multiplex misericordia Dei ita lapsibus subvenit humanis, ut non solum per baptismi gratiam, sed etiam per poenitentiae medicinam spes vitae reparetur aeternae, ut qui regenerationis dona violassent, proprio se judicio condemnantes, ad remissionem criminum pervenirent; sic divinae bonitatis praesidiis ordinatis, ut indulgentia Dei, nisi supplicationibus sacerdotum nequeat obtineri. Mediator enim Dei et hominum, homo Christus Jesus, hanc praepositis Ecclesiae tradidit potestatem, ut et confitentibus actionem poenitentiae darent, et eosdem salubri satisfactione purgatos, ad communionem sacramentorum per januam reconciliationis admitterent.*

Confessio venialium.

61. Opportunum erit quaedam hic addere *de confessione peccatorum venialium,* antiquis Ecclesiae saeculis minus frequente vel fere insolita. Quae vero hac de re scitu digna sunt, breviter exponuntur apud Bollandistas

in Vita B. Joannis Boni[1]). „Notum est, scribit Auctor hujus Vitae, confessionem peccatorum quae venialia dicimus, paulatim inter monachos maxime usurpari coepisse, nec primis Ecclesiae saeculis consuevisse fieri, nisi a Montanistis forte, ut contendit Morinus (L. II. c. 3. n. 6), qui absolutionis sacerdotalis efficaciam in gravioribus denegabant, et a Catholicis etiam forte nonnullis qui inter illos vivebant. Intelligimus autem confessionem, quae de solis venialibus fieret. Manifestum est enim, ab iis qui peccata sua confitebantur, gravioribus etiam leviora fuisse adjecta, ea maxime in quibus erat gravioris delicti suspicio, aut dubia haerebat conscientia. Deinde vero quando lapsu temporum certa per annum confessionum tempora induci coeperunt, semel in anno, ter, quater, et sexies etiam pro diversitate aetatum et locorum, iterum multi purioris vitae studiosi accesserint nulla labe lethali maculati."

62. „Verum enim vero id inter saeculares usque ad annum 800 circiter ordinarium minime fuit. . . Quumque temporibus illis, durantibus persecutionibus, fervens esse debuerit Christianorum religio, ratio intelligitur, cur in multis Actis martyrum et Vitis Sanctorum nihil legatur de usu sacramenti poenitentiae. Id ipsum respondet Natalis Alexander contra Dalleum disputans. *Quod autem confessores et martyres,* inquit, *confessiones peccatorum apud sacerdotes edidisse non legantur, quid mirum? Peccatis lethalibus non erant polluti, quae confessione expianda essent. . . Accedit, quod confessio venialium non erat adeo in usu prioribus saeculis. . . Antiquis autem temporibus confessionem edebant solum ubi opus erat, id est cum lethali aliquo peccato pollutos se agnoscebant*"[2]). Confessio rara.

63. „Sed nobis potissimum de monachis sermo est. Confitebantur hi levia sua quotidiana in capitulo, aut coram abbate, aut priore, vel etiam sibi invicem. Sic enim scribit Jonas Aurelianensis episcopus saeculo IX: *Moris*

---

[1]) Acta Sanctorum; Octob. T. IX. Vita S. Joannis Boni, auctore P. E. Carpentier, die 22 Oct. p. 722.

[2]) In saec. XIV. Diss. XIV. §. 26.

est Ecclesiae, de gravioribus peccatis sacerdotibus per quos homines Deo reconciliantur confessionem facere; de quotidianis vero et levibus quibusque, perrari sunt qui invicem confessionem faciant, exceptis monachis qui id quotidie faciunt. — Haec autem confessio, quae fiebat invicem et coaequalibus et illi opponitur quae sacerdotibus fiebat, sacramentalis esse non potuit[1]). . . . Attamen haec venialium confessio a monachis fiebat quandoque solis sacerdotibus, ab iis scilicet, quorum dubia aut valde timorata erat conscientia: noverant enim, absolutione sacerdotis pleniorem quotidianorum istorum fieri remissionem. S. Segolena, quam dicunt saeculo septimo aut octavo floruisse[2]), presbytero monacho *parva minimaque peccata sine quibus esse non possumus, cum gravia deessent, lacrymans confessa est.* Sic venialium confessio sacramentalis ab antiquissimo tempore sensim introduci potuit."

Confessio hebdomadaria.

64. „Confessio sacramentalis saeculo XI, (uti Mabillon ostendit), *ut plurimum* adhuc solis gravioribus reservabatur, prouti de saeculo octavo testatus est Beda, et de nono Jonas Aurelianensis. Scribit vero universim S. Alphonsus de Ligorio post alios[3]), usum confitendi venialia non exstitisse ante saeculum octavum. . . A saeculo autem XI et deinceps confessio singularum hebdomadarum, quae fiebat multis in monasteriis, in capitulo nempe, multo frequentius sacramentalis esse coepit. Attamen dum erat sacramentalis, usque ad saeculum minimum XIII plerumque fiebat ad libitum. Sanctus enim Franciscus in regulis Fratrum nullum tempus praescribit, eam suadens solum in necessitate. In Regula Monialium S. Clarae singulis mensibus instituendam esse dicit, et sexies in anno sacram communionem; in Regula denique Tertiariorum seu pio-

---

[1]) His tamen conferenda sunt ea quae ex S. Basilio citavimus, ex quibus inferri posse videtur, illo tempore saltem apud monachos et moniales in usu fuisse, ut peccatorum internorum et occultorum, quamvis venialium, sacerdotibus fieret confessio.

[2]) Acta SS., Julii tom. V. p. 628.

[3]) Sulla materia della communione frequente. Apologie, Tom. II. p. 148. Monza 1832.

rum saecularium confessionem et communionem requirit solum ter in anno. E quibus confirmatur, monachorum confessiones octiduanas usque ad saeculum XIII plerumque non fuisse sacramentales. — Ex eo vero, quod monachi in capitulo suam confessionem dicere consueverunt, factum est, ut locus confessionum ordinarius in monasteriis plura per saecula fuerit ipsum capitulum. Inter saeculares vero novimus ab initio Ecclesiae usque ad extremum paene medium aevum, locum confessionum ordinarium fuisse in vicinia altaris, aut in alia parte eminentiori, in qua tum confessarius tum poenitens ab universis fidelibus conspici poterant. Fiebant etiam in ecclesiarum cubiculis sive oratoriis et sacellis, aut quandoque in alio loco secreto, non tamen confessiones feminarum. Sedium confessionalium genus quod hodiedum in omnibus ecclesiis cernimus, antiquum non est, et vix aut ne vix quidem ultra Synodi Tridentinae aetatem ascendit. Ex iis majorem confessionum facilitatem exstitisse, et hanc ad earumdem frequentiam, quae a tribus maxime saeculis advertitur, multum contulissse, non est ambigendum.“

65. Ut ad dissertationis hujus finem accedamus, jam praecipua quae de poenitentia et de usu confessionis prioribus saeculis notanda sunt, ad aliquot capita redigamus. 1° Semper ea fuit Ecclesiae doctrina, pro peccatis gravibus post baptismum commissis, sive externis sive internis, poenitentiam esse agendam. Neque sufficere *quotidianam* illam poenitentiam, quam cordis dolore, oratione, eleemosynis, bonis operibus, pro levioribus peccatis omnibus diebus vitae mortalis agere oportet, sed eam peculiarem requiri, qua ex Christi instituto peccata gravia potestati clavium Ecclesiae datae subjicienda sunt, et absolutio ac reconciliatio a sacerdote est accipienda. — 2° Ad hanc poenitentiam ut pars quaedam praecipua pertinet *confessio* peccatorum seu exomologesis, ex qua etiam totum poenitentiac negotium exomologesis appellationem hausit. Hanc confessionem juris divini esse, uti ex S. Scripturis probatur, ita etiam ex Patrum sententiis colligitur. Confessio autem erat privata, vel etiam publica ex judicio sacerdotis, qui poeni- Recapitulatio.

tentiam peccatoris disponebat. — 3° Pro criminibus publicis, vel etiam pro criminibus aliis interdum ob peculiares rationes poenitentia publica agenda erat, cum qua passim confessio publica jungebatur. Negotium poenitentiae dirigebat episcopus vel peculiaris presbyter poenitentiarius, quem alii presbyteri et diaconi in hac re adjuvabant. — 4° Episcopus et presbyter poenitentiarius peccatorum confessiones suscipiebant, et ex ratione delictorum modum poenitentiae subeundae determinabant. Erant tamen etiam alii presbyteri, quibus fideles peccata confiteri poterant, maxime quando de peccatis non canonicis seu minus gravibus agebatur. Atque in eo casu poenitentia privata imponebatur, et ab illo sacerdote absolutio dabatur; si vero poenitens gravius aliquod peccatum canonicum declarabat, ad episcopum vel presbyterum poenitentiarium mittebatur. — 5° Haud adeo frsquentes primaevo tempore erant confessiones: ordinarie scilicet tantum ad confessionem accedebant, qui peccatorum gravium rei erant. Primo tempore christianismi ad religionem christianam maxima parte accesserunt adulti, et suppositio normalis erat, post baptismum susceptum peccata gravia evitari. Ea committere ut valde impium ac gratiae divinae injuriosum habebatur. Equidem ob humanae naturae corruptionem et infirmitatem institutio poenitentiae inde ab initio disposita est, lapsosque veniam obtinere posse semper Ecclesia docuit. Sed non omnino talis ut posteriori tempore fuit poenitentiae dispositio, qua videlicet fideles facile, frequenter, et commode peccato commisso per confessionem veniam obtinere possent. Frequens lapsus in peccata mortalia haud supponitur in primitiva disciplinae poenitentialis constitutione. Permulti etiam primis temporibus baptismum usque ad virilem aetatem differebant. — 6° Constabat certe, eaque erat Ecclesiae constans doctrina, peccata gravia etiam interna et occulta, confessione ut venia obtineretur expianda esse, nec dubium est eos, qui in dogmate christiano bene versati ac timorati erant, id fecisse, si in aliquod peccatum lethale inciderant. Sed facilius eo tempore fieri poterat, ut homines rudiores et leviores confessionem et poe-

nitentiam negligerent, quamdiu non aliquod crimen gravissimum et canonicum admiserant. Rudiores facile censent, peccata interna cogitationum non esse peccata mortalia, homines leviores poterant eo venire, ut negligerent confessionem et peccatis onusti ad sacram mensam convenirent, vel ut differrent poenitentiam agendam ad annos subsequentes, interim tamen diebus festis ad sacram communionem accederent[1]). Ex iis quae antiquitus per abusum fieri poterant et ab Ecclesia tamen damnabantur, nihil sane contra Ecclesiae doctrinam deduci potest. — 7° Nectarius quidem abrogatione presbyteri poenitentiarii mutationem produxit in poenitentia publica, et forte in obligatione confitendi peccata saltem canonica destinato ad hoc presbytero, sed nullatenus ab eo confessio ipsa abrogata fuit. Luculentum hujus rei argumentum etiam illud est, quod post Nectarium quoque usque ad tempora nostra, confessio perpetuo apud Orientales etiam schismaticos plerosque invenitur, eamque necessariam esse ipsi omnino fatentur.

66. Operae pretium erit postremo hic commemorare principium, vel si mavis opinionem, cui Orientales (uti ait Frank) adhaerent. — Orientales videlicet annos discretionis quibus obligatio confessionis incipit, non puerili sed adolescenti aetati attribuunt, imo aliqui usque ad trigesimum *Orientalium opinio.*

---

[1]) S. Joannes Chrysostomus, Hom. de baptismo Christi seu in Epiphaniam, quam habuit in die Epiphaniae probabiliter a. 387, haec dicit ad fideles, qui permagna multitudine illo die festo convenerant: „Scio fore, ut quam plurimi apud nos ex festi consuetudine ad sacram hanc mensam accurrant; sane quidem expediret, id quod alias saepe dixi, ut festa nequaquam observarentur, quando communicare opus esset, sed ut conscientia mundaretur, ac tum sanctum istud sacrificium attingeretur. Qui enim piacularis est et immundus, ne in festo quidem aequum est, ut sanctae illius ac tremendae carnis particeps fiat; qui vero mundus est *et accurata poenitentia delicta abstergit*, cum in solemnitate, tum semper dignus fuerit, qui mysteriis divinis communicet, ac Dei donis perfruatur. Sed quoniam hoc, nescio quo pacto, negligitur a quibusdam, multique sexcentis scatentes sceleribus cum adventare festum viderint, tanquam ab ipso die protrusi mysteria sacra contingunt, quae ne oculis quidem cernere sic affectis fas est: eos quidem qui manifesti sunt nobis plane arcebimus, eos vero qui nobis ignoti sunt Deo relinquemus, qui mentis cujusque secreta novit."

annum tempus illud differunt. „Christianos, (ita Denzinger Ritus orient. I. 113), quum ad annos discretionis pervenerint, ad confessionem teneri, nunquam ab Orientalibus negatum est, sed dum determinant quando tempus illud advenerit, non parum quidem inter se differunt. Apud Coptos conqueritur Thomas a Jesu, eum morem invaluisse, ut sacramentum poenitentiae non suscipiant ante vigesimum aetatis annum, etiam si ministri altaris sint, qui sacram communionem sumunt quoties ad altare ministrant. Sollerius quoque testatur, aqud eos pueros atque puellas ad usum sacramenti poenitentiae haud moneri, donec matrimonium ineant, ita quidem ut ad annum aetatis decimum septimum vel decimum octavum perveniant, quin confessionem peregerint. Teste Alphonso Mendez S. J., qui a Pontifice creatus fuit Patriarcha Abyssinorum, hi peccata sua non confitebantur ante annum aetatis vigesimum quintum, qui annus apud ipsos habebatur ut innocentiae limes. Tournefort vero narrat, apud Armenos eam esse consuetudinem, ut adolescentibus quindecim sedecimve annorum eucharistiam sine praecedente confessione concedant." — Hisce consentiunt ea, pergit Frank, quae leguntur in libro poenitentiali, qui Joanni Nesteutae adscribitur. Ex sententia auctoris ignoti hujus libri, facilius et celerius remittuntur peccata, quae ante trigesimum aetatis annum committuntur. Nisi agitur de homicidio vel de incesto, poenitentia ultra tres annos non est extendenda[1]). — Haec citavimus ut appareat, salvo dogmate et salvis principiis consuetudines miras et usus singulares passim in variis regionibus inveniri. Unde etiam ex factis aliquot quae minus cum dogmatibus caeteroquin certis componuntur, aliquid contra ejusmodi dogmata inferri non potest.

[1]) Frank l. c. p. 368.

Dissertatio nona.

De Romanis Pontificibus vertente saeculo quarto ac de Concilio Ephesino.

1. Quemadmodum historiae ecclesiasticae saeculi quarti permagnam partem sibi vindicant Arianismi ortus, damnatio, propagatio, decrementum, eventusque multiplices qui cum fatis Arianorum cohaerent, ita in subsequentium saeculorum historia insignes sane, si non dixeris primas partes sibi vindicant controversiae illae, quae de Domini incarnatione et redemptione exarserunt. Earum occasione habita sunt varia Concilia oecumenica, Romani Pontificis suam auctoritatem in defendenda doctrina catholica et repellendis erroribus multiplici modo exercuerunt, sancti vero episcopi et doctores Ecclesiae dogma catholicum maxime quoad illa capita tuiti sunt, declararunt et evolverunt. Hinc quum non omnia quae in rebus christianis evenerunt majoris momenti fusius discutere possimus, ea tractabimus aliquot Dissertationibus, quae ad illas de Incarnatione haereses spectant; simul tamen commemorabimus eventus praecipuos, quorum notio confert, ut qualis fuerit quovis tempore rerum ecclesicasticarum conditio animo concipiatur. Dissertationis indoles.

2. Opportunum vero videtur hoc loco in mentem breviter revocare haereses istas, quibus pluribus saeculis Ecclesia turbata fuit, necnon Concilia quae eorum occasione habita sunt. — Atque imprimis uno verbo tangamus *Pelagianismum;* nam etiam ista haeresis redemptionis fructus atque effectus omnino pessumdabat. Sed hujus erroris Haereses de Verbo incarn.

historiam non texemus, quum id in tractatu de Gratia soleat fieri. — Notanda porro venit haeresis *Nestorii* episcopi Constantinopolitani, qui de modo unionis quae Verbum inter et humanam naturam obtinet, perversa docuit, dum duas adstruxit esse in Christo Domino personas. Haeresis ista damnata fuit in *Concilio Ephesino,* oecumenico III (a. 431). — Sed brevi post alii errores Ecclesiam perturbarunt. *Eutyches* videlicet, presbyter et archimandrita seu abbas celeberrimi monasterii CPtani, quum Christi unitatem contra Nestorianos defendere vellet, in haeresim oppositam non minus periculosam lapsus est. Docuit, post unionem seu incarnationem unam tantum in Christo esse naturam, unde et *Monophysitismi* nomen hujusmodi errori datum est. Contra hanc haeresim maxime *S. Leo M.* pugnavit, eademque in *Concilio Chalcedonensi* (a. 451) profligata est. — Sed controversiae atque errores de Christi persona ejusque naturis etiam post haec non exiguas turbas et difficultates in Ecclesia excitarunt, celebriorque est quaestio illa de *tribus Capitulis,* ad quam dirimendam *Concilium oecumenicum V* Constantinopoli a 553 habitum est. Quales vero *Vigilii* Pontificis in ista controversia fuerint partes, diligentius expendere oportebit. — Successit dein ineunte saeculo VII haeresis *Monotheletarum,* qui licet verbotenus saltem concederent, duplicem fuisse in Christo naturam, divinam atque humanam, nihilominus unam tantum contendebant fuisse in Domino voluntatem et operationem. Maximi autem momenti hac in re est quaestio celebris de *Honorio R. P.* ejusque agendi ratione quoad Monotheletas, necnon quaestio de *Concilio oecumenico VI,* quo (a. 680) Monotheletarum haeresis cum suis auctoribus et fautoribus proscripta est. — Haereses istae fuerunt praecipuae, quae antiquitus quoad Incarnationem Verbi et conjunctionem duarum naturarum in una persona Christi, exortae sunt. Remanet tamen commemoranda haeresis *Adoptianismi* qui Nestorianismo affinis est. Ejus auctores initio saeculi noni fuerunt Felix episcopus Urgelitanus et Elipandus archiepiscopus Toletanus. Asserebant videlicet ipsi: 1° Christum hominem esse Filium Dei adoptivum.

2o Id ulterius explicabant in hunc sensum: Christus homo non est filius Dei naturalis, sed Filius naturalis est Deus Verbum. Tali sententia implicite duplex persona in Christo inducebatur, ac restaurabatur Nestorianismus. Hae doctrinae damnatae fuerunt variis in conciliis, ex quibus hic commemorare satis sit synodum Francofurdiensem a. 794 habitam, et concilium Romanum anni 799, in quo Leo III haeresim Adoptianorum iterum proscripsit.

3. Iste igitur est complexus errorum de Incarnatione, quibus plura Ecclesiae saecula ita commota fuere, ut praecipui eventus maxima parte hisce haeresibus connexi essent. Modo jam de Nestorianismo et de Concilio Ephesino tractabimus. Sed res et eventus huic Concilio praevios etiam describemus, quo fiat ut accuratius cognoscatur, qualis ea aetate Ecclesiae status fuerit. Recensebimus igitur ex ordine *Romanos Pontifices* qui illo tempori Ecclesiae praefuerunt, hisque nectemus eos eventus qui commemorandi nobis videntur. Conferri possunt Hefele, *K. G. B. II.* — Pagi, *Breviarium Gestorum Pontificum Romanorum T. I.* — Baronii *Annales.* — Tillemont, *Mém. T. VIII sqq.* — Socrates, Sozomenus, Theodoretus, H. E. — Petavius, *De Incarnat.* — Natalis Alex., *Dissert. in saec. V.* — Katerkamp, *K. G. B. 3.* — Reumont, *Gesch. der Stadt Rom. B. I.* — Doucin, *Histoire du Nestorianisme.* — Palma *Praelectiones H. E., T. I. P. II. CC. XVII—XXII.* — Wouters, *Dissertationes, T. I. Dissert. XXII—XXVIII;* aliique auctores quos inferius citabimus.

I.

Ecclesiae status ante Concilium Ephesinum.

4. S. Damasus R. P. (a. 366—384). — S. Damasus, Hispanus, a. 366 Liberio successit, ordinatus, uti ait Anastasius, die 1° Octobris illius anni. Sed Ursicinus diaconus tunc Romanam ecclesiam nefando schismate turbavit; ordinatus enim est episcopus contra Damasum legitimis electum suffragiis, et multos ex clero populoque Ro- S. Damasus.

mano in suas partes pertraxit. Ex quo atrox seditio orta est, magnaeque turbae in urbe Roma, ita quidem ut si Ammiano Marcellino fides habenda, in Basilica Sicinii uno die centum triginta et septem cives occisi sint. S. Damasum autem hisce in rebus omnino culpa vacasse, eximia elogia antiquorum testantur. Quum vero schismatici legitimam Damasi electionem convellere non possent, ad calumnias conversi adulterii accusarunt sanctissimum Pontificem, quem S. Hieronymus *epistola ad Pammachium* virginem, Ecclesiaeque virginis doctorem appellat, et cujus integerrimos mores Historiae ecclesiasticae scriptores Socrates, Sozomenus, Theodoretus, unanimiter agnoscunt. Exstinguendo schismati tum Damasus et concilia ab eo congregata, tum etiam Imperatores adlaborarunt. Attamen toto pontificatu Damasi multae difficultates ex istis schismaticis ortae sunt, imo etiam S. Siricius successor S. Domasi non sine tumultu ab Ursicino excitato, Pontifici defuncto suffectus est.

Origo schismatis.

5. Quaenam fuerit hujus schismatis ultima ratio, haud omnino claret; adjuncta enim temporum profunda quadam caligine involuta sunt[1]. Colligitur tamen ex auctoribus variis, discordias tempore Liberii ac Felicis his quoque turbis occasionem dedisse. Quae in *praefatione libelli precum Marcellini et Faustini* narrantur de fuga Damasi, recedentis a Liberio quum in exilium proficisceretur, ac de perjurio illius, merito ut sectarii calumniae rejiciuntur[2]. Censerem tamen, magnam partem cleri postquam Felix II ordinatus est satius duxisse, ut rem tolerarent et ab ejus communione non recederent. Uti provisorium ejusmodi statum rerum considerare poterant[3].

---

[1]) Cfr. — De Rossi, Roma sotterranea II. 212.

[2]) Cfr. Tillemont, Mém. t. VIII. Art. *S. Damase.*

[3]) Solemne aliquod juramentum a clero Romano factum esse Liberio eo die quo profectus est in exilium, uti dixit auctor praefationis citati libelli, valde dubium videtur. Sectarius enim hic non est veridicus, pluribus decenniis post illos eventus scripsit, satis ostendit se haud accurate nosse adjuncta, et facta pro suo scopo detorquet. Signa venerationis et amoris Liberio a clero exhibita potuerunt postea verti a factiosis in ejusmodi juramentum.

Etiam Damasus videtur communionem cum Felice II servasse, sed post reditum Liberii dissensionis cum ipso nullum apparet vestigium. Et quemadmodum Romanis fidelibus Liberius fuit valde acceptus, ita etiam Damasus apud multitudinem in favore magno fuisse perhibetur. Ursicinus vero, quem dixeris fuisse ex parte cleri qui a communione Felicis penitus abstinuit, quum pontificatum ambiret rigidiorum vel factiosorum abuti potuit aestu, ut contenderet, Damasum qui cum Felice communicaverat ad cathedram apostolicam non esse admittendum[1]). In re obscura advertendum est, a viris sanctis et a synodis culpam turbarum non Damaso, sed Ursicino tribui. Sufficiat hic pauca citare ex epistola concilii Aquileiensis, qua a. 381 ad Gratianum Imperatorem data ab eo petunt, ne Ursicinum sibi patiatur obrepere, sed importunissimi hominis abjectione paci Ecclesiae prospiciat. *Quis nostrum,* scribunt, *ei communionis societate jungetur, cum indebitum sibi gradum usurpare conatus sit, nec jure ad eum potuerit pervenire; et quem importune affectavit, importunissime repetere moliatur? — Turbarum toties damnatus, incedit adhuc quasi praeteritis non perhorrescendus exemplis. Quid quod, plerique sicut in hoc concilio cognovimus et vidimus, cum Arianis copulatus atque conjunctus erat eo tempore, quo turbare Mediolanensem ecclesiam coetu detestabili moliebantur. . . . Ne auditui vestro indigna ingerat, non aliena ab officio et nomine sacerdotis interstrepet, non inverecunda vobis loquatur, quem quum habere oportuerit testimonium etiam ab iis qui foris sunt, quali testimonio et cives proprii prosecuti sint, clementia vestra meminisse dignetur. Pudet enim dicere, inverecundum est recensere, quam turpis fama eum convicio sauciaverit.*[2]).

6. *Damasus* igitur, uti scribit Theodoretus l. V. c. 2, *Episcopus erat Urbis Romae, vir sanctitate vitae conspicuus,* Damasi gesta.

---

[1]) Immerito, quantum videtur, supponit Gröne (Papstgeschichte p. 97), Ursicinum ducem fuisse partis quae Felici adhaesit. — Cfr. de his turbis etiam Reumont, Gesch. der Stadt Rom, I. 672.

[2]) Ap Coustant. Epp. Rom. Pontiff. t. I. col. 551.

et qui pro Apostolica doctrina nihil non dicere atque agere paratus esset. Et re quidem vera, magno cum fervore egit variis synodis habitis, ut tum in Occidente tum in Oriente haeresis Ariana penitus exstingueretur. Atque sub ipso auctoritas S. Sedis valde enituit, quum ad eum etiam Orientales frequenter sese in negotiis suis dirigerent. Ipsum vero Pontificem floruisse doctrina sacra et litteris humanis, magnumque ejus Romae fuisse honorem atque influxum, ex S. Hieronymo aliisque colligitur. S. Hieronymus videlicet ad eum, quum in Oriente versaretur circa a. 380, celebres illas direxit epistolas quibus enixe rogat, ut sibi indicet Pontifex, cum quo episcopo Antiochiae debeat communicare, anque tres hypostases vel una dicendae sint. Dein circa annum 382 Hieronymus Romam venit, et Pontifici amicissimus atque ad manus fuit, tum in studiis biblicis, tum in litteris scribendis et negotiis ecclesiasticis administrandis. Jussu Damasi Hieronymus novum Testamentum graecae fidei reddidit; et quoad negotia ecclesiastica in epistola (123) ad Agerruchiam ipse scribit: *Quum in chartis ecclesiasticis juvarem Damasum Romanae urbis Episcopum, et Orientis Occidentisque synodicis consultationibus responderem.* Ex quo vides, brevi illo tempore quo cum Damaso S. Hieronymus degit, consuluisse Pontificem non solum Romanos vel Italos, sed universim tum Occidentales tum Orientales, non tantum indoctos de plebe, vel episcopos singulares, sed integras synodos. Luculentum sane primatus documentum. — In libro *de Scriptoribus ecclesiasticis c. 103* S. Hieronymus scribit: *Damasus Romanae urbis Episcopus, elegans in versibus componendis ingenium habuit, multaque et brevia opuscula heroico metro edidit, et prope octogenarius sub Theodosio principe mortuus est.*

R. Pontificum splendor.

6. Atque operae pretium est animadvertere, eo tempore Romanorum Pontificum magnum jam fuisse etiam in rebus externis splendorem, ita ut invidiam moverent paganorum, hique infensis animis in eos oblatrarent. Dum vero ea semovemus quae ulcerata mente, uti nunc haeretici, tunc gentiles de Romanis Pontificibus notabant, verum

quemdam conceptum morum illius temporis nobis efformabimus. Scribit igitur Ammianus Marcellinus, dum l. XXVII c. 3. schisma Ursicini commemorat: *Damasus et Ursicinus supra humanum modum ad rapiendam episcopalem sedem ardentes, scissis studiis asperrime conflictabantur, adusque mortis vulnerumque discrimina adjumentis utriusque progressis. Quae nec corrigere sufficiens Juventius* (Urbis praefectus) *nec mollire, vi magna coactus secessit in suburbanum; et in concertatione superaverat Damasus, parte quae ei favebat instante. Constatque, in basilica Sicinini, ubi ritus christiani est conventiculum, uno die centum triginta septem reperta cadavera peremptorum. Neque ego abnuo, ostentationem rerum considerans urbanarum, hujus rei cupidos ob impetrandum quod appetunt omni contentione laterum jurgari debere, cum id adepti futuri sint ita securi, ut ditentur oblationibus matronarum, procedantque vehiculis insidentes circumspecte vestiti, epulas curantes profusas, adeo ut eorum convivia regales superent mensas. Qui esse poterant beati revera, si magnitudine Urbis despecta, quam vitiis opponunt, ad imitationem Antistitum quorumdam provincialium viverent, quos tenuitas edendi potandique parcissime, vilitas etiam indumentorum, et supercilia humum spectantia, perpetuo numini verisque ejus cultoribus ut puros commendant et verecundos.*

7. Ut haec illustrentur moresque Christianorum illius temporis melius noscantur, ea afferimus quae aptissime Baronius disserit citatis Ammiani verbis ad an. 367. „Certe quidem, scribit, adeo Romae his temporibus affulgebat Romanorum christianae religionis Antistitum decor ac splendor, ut non Ammiani tantum vel caeterorum illi similium commoverit animum, sed et clarissimorum virorum imo amplissimorum magistratuum invidiam concitaverit. Unde Praetextatus ille nobilissimus Romanorum, . . . homo sacrilegus et idolorum cultor, solebat ludens beato Damaso dicere: *Facite me Romanae urbis episcopum, et ero protinus Christianus*[1]), ut plane appareat, summo atque Baronii notae.

[1]) Hieron., ep. 61.

regali Ecclesiae sacerdotio regiam quoque magnificentiam fuisse conjunctam. Quae enim ab ethnico scriptore carpuntur, aeque ab haereticis recentioribus canino dente rabiosius corroduntur, isthaecque ab Ammiano scripta, velut e divino oraculo prodita in Romanam Ecclesiam exprobrant, minime considerantes, antiquam esse hanc calumniam ab ethnicis in Christianos omnes illatam, cum, ut ait Tertullianus[1]), *prodigas eorum coenas* sugillarent, quae cum a charitate fuerint agapae denominatae, *quantiscumque,* inquit, *sumptibus constent, lucrum est, pietatis nomine facere sumptus,* siquidem ex eis etiam inopes pascebantur: cum alioquin iidem frequentius jejunare solerent ac Romae potissimum, ubi tribus diebus cujuslibet hebdomadae totius anni, excepto tempore Quinquagesimae, Christianos omnes jejunare consuevisse, S. Augustinus ad Casulanum scribens disertis verbis affirmat."

8. „Sed quod ait Ammianus de profusioribus epulis, considerandum est, causa urgente, interdum sanctissimos viros regias coenas parare solitos. De sancto enim Ambrosio testatus est Vincentius P. Praetorio in Gallis apud sanctum Martinum[2]), ipsum agentem Mediolanensem episcopum consuevisse exhibere convivia praefectis atque consulibus, et absque dubio digno invitatis hominibus sumptu; cum tamen haud ipse Ambrosius voluptuosus esset vel jejunare praetermitteret, de quo Paulinus tradit, quotidiano jejunio corpus attrivisse. *Cui,* inquit, *prandendi nunquam consuetudo fuit, nisi sabbato et dominica, vel cum natilitia celeberrimorum martyrum essent.* Sicque secundum illud Apostoli: *Scio abundare, et scio penuriam pati,* Apostolici quoque viri, ut Ambrosius atque Damasus, ita noverunt vitae institutum attemperare, ut juxta ejusdem Apostoli sententiam sive manducarent, Domino manducarent, sive non manducarent, aeque Domini causa non manducarent, omniaque, caritate jubente, arbitrio spiritus agerent"[3]). — Obiit S. Damasus Pontifex anno 384 tertio Idus

---

[1]) Apolog. n. 134. [2]) Sulpit. Severus Dial. 1.

[3]) Ad mores illius aetatis noscendos etiam conferunt illa, quae in Praefatione libelli Marcellini et Faustini leguntur: „Quos (episcopos

Decembris, quo die natalis ejus inter sanctos adscriptus antiqua memoria perseverat[1]).

9. Siricius R. P. a. 384—398. — Siricius Romanus ex patre Tiburtio, pontificium thronum ascendit die 22da Decembris in die Dominica, postquam sedes dies undecim vacasset. Quae ad nos pervenerunt ejus scripta summum fidei catholicae et ecclesiasticae disciplinae servandae studium spirant. Exstant videlicet hujus Pontificis quatuor epistolae decretales in Jure canonico insignes. — *Prima* celeberrima et disciplinae ecclesiasticae instauratrix est ad *Himerium Tarraconensem* episcopum, in qua vetat Pontifex, ne Ariani rebaptizentur, ne baptismus excepto necessitatis casu extra Pascha et Pentecostem celebretur, ne desponsata uni nubat alteri; sacerdotum et diaconorum continentiam sancit[2]); tertium Concilii Nicaeni canonem de arcendis feminis a clericorum domibus renovat; monachos, quos vitae gravitas et fidei ac vitae institutio sancta commendat, ad clericorum officia admitti optat; interstitia inter ordines sacros, quique ad hos admittendi non sint, explicat. — *Secunda* est *ad episcopos Africanos,* in qua eadem fere decreta inculcat Pontifex, prohibetque insuper, quominus episcopi inconsulto primate aut ab uno tantum episcopo consecrentur; quominus episcopi alienae

Siricii Decretales.

Italiae) quum ad natale suum (Damasus) solemniter invitasset, et nonnulli convenissent ex eis, precibus apud eos molitur et pretio, ut sententiam in sanctum Ursinum proferant. Qui responderunt: Nos ad natale convenimus, non ut inauditum damnemus." — Praefatio ista quidem calumniis scatet, non est tamen, cur falso censeamus relatam illam circumstantiam, quod Damasus Pont. episcopos solemniter ad suum natale invitaverit.

[1]) Damasus ipse vivens sibi scripsit illud epitaphium, quod habetur ap. Baronium ad a. 384:

Qui gradiens pelagi fluctus compressit amaros,
Vivere qui praestat morientia semina terrae,
Solvere qui potuit Lazaro sua vincula, mortis
Post tenebras, fratrem post tertia lumina solis
Ad superos iterum Mariae donare sorori,
Post cineres Damasum faciet quia surgere, credo.

[2]) De coelibatus lege alio loco agetur.

dioeceseos clericum ordinent, aut ab aliis episcopis abjectum admittant. — *Tertia* est *ad episcopos universos,* in qua vetat, ne ignari et neophyti ad ordines sacros, vel indigni ad episcopatum promoveantur. — *Quarta* est *ad Anysium Thessalonicensem* et episcopos Illyrici contra Bonosum haeresiarcham. Bonosus videlicet episcopus Sardicensis in Illyrico cum Ebionitis et Photino divinitatem Christi, et cum Helvidio perpetuam Deiparae virginitatem impugnavit. De eo actum est in synodo Capuana anno 389, ejusque causae cognitio a Synodo demandata fuit Anysio Thessalonicensi caeterisque Illyrici episcopis. Anysius Apostolicae Sedis in Illyrico Vicarius aliique episcopi Illyrici, sententiam Siricii Papae de hac re sciscitati sunt, et acceptis ab eo litteris, in quibus Siricius Bonosi errores perstringebat, et episcopos ut causam ejus cognoscerent monebat, Bonosum haereticum damnarunt.

10. Siricius damnavit etiam a. 390 coacta synodo Jovinianum, qui post vitam monachi ad vitam voluptuosam desciverat. Is negavit virginitatem Mariae in partu et post partum, multosque praeterea errores adstruxit contra vitam continentem et mortificationem christianam. Notum est, contra hunc Epicurum christianum acri stilo scripsisse S. Hieronymum, qui pariter Helvidium et Vigilantium, quum similes errores spargerent, profligavit.

Siricius reprehensus.

11. Quum mentionem faciamus S. Hieronymi, jam animadvertamus, a Baronio carpi Siricium, quod ipse haud satis foverit illum Doctorem, neque ut S. Damasus ejus opera in conscribendis epistolis aliisque negotiis ecclesiasticis usus fuerit. In eo pariter Siricium reprehendit, quod non satis contra Origenis errores sese opposuerit, atque Rufino litteras communionis concesserit, sanctum vero Paulinum Nolanum minus amice tractaverit. Hinc de sanctitate Siricii dubius, eum in Martyrologio Romano non reposuit. Sed vindicias Siricii merito egit Franciscus Pagius in Breviario Pontificum Romanorum[1]); hisque de capitibus pauca dicere convenit.

---

[1]) Sub *Siricio.*

12. Certe negari non posse videtur, Hieronymum a Siricio initio pontificatus non tanti factum; plures quoque Romani clerici, invidia et odio in sanctum Doctorem flagrantes tunc persecutionem in eum moverunt, ac grave aliquod crimen sancto viro imposuerunt. Id enim ex illius epistolis colligitur, et monet Baronius ad a. 385 n. 8. „Nec difficile erat magis magisque clericos in illum irasci, qui palam eos redarguebat dum Romae esset, et in epistolis ad amicos post discessum datis vehementer eos exagitat, dum *pharisaeorum senatum* vocat et apertis verbis inscitiae et pravorum morum arguit.“ Facile autem crederem, S. Hieronymum pro animi et ingenii sui vehementia passim stylum suum nimium acuisse, ejusque agendi rationem etiam viris prudentibus haud in omnibus placuisse. Monet ipse Baronius[1]) loquens de epistolis post discessum scriptis, ea quae Hieronymus dicit de inscitia Romanae ecclesiae ministrorum non sic quidem accipienda esse, ut hyperbolicus sonat sermo, omnes Romanae ecclesiae clericos fuisse doctrina expertes, cum dicit, quod nullus ibi scriba vel fictus, nempe doctor, sed pharisaei omnes, nempe scelesti, cautela vero et hypocrisi scelera contegentes. Sane ex clero Romano fuit S. Simplicianus doctissimus presbyter et S. Ambrosii in sede Mediolanensi successor, S. Arsenius diaconus, qui magna doctrina et sapientia imbutus, missus est Constantinopolim, ut esset Arcadii magister; adfuerunt cum Hieronymus Romae degeret Anastasius et Innocentius, postea Pontifices ab Hieronymo valde laudati. Exaggeratio quaedam S. Hieronymo post discessum merito indignanti est condonanda. Sed etiam quum Romae esset, vehementior aliquando viris prudentibus et integris videri poterat. Accessit, quod sanctus Doctor in Jovinianum acriter calamum stringens, ita virginitatem extulisse visus est, ut matrimonium quodammodo damnare videretur. Quod licet ab ejus mente prorsus abhorreret, illa tamen communis tunc fama fuit. Unde Pammachius senator S. Hieronymo amicissimus et Paulae

Defenditur.

S. Hieronymus.

---

[1]) Ad. a. 385.

gener, pariter coactus est exemplaria opusculorum adversus Jovinianum subtrahere, quod S. Hieronymus epistola 52[a] ad ipsum Pammachium prudenter et amanter factum laudavit[1]). — Quae quum ita sese haberent, vides, fieri potuisse, vel ut Siricius relationibus quibusdam adversus Hieronymum forsitan circumveniretur, vel potius, ut prudentiae esse censeret, ei non exhibere favorem tantum, quantum monstraverat S. Damasus, nec aegre ferret, quod censor iste sanctus sed severus Roma discederet. Dixeris, si litteras Siricii expendis, Siricium in administranda Ecclesia valde peritum fuisse, quamvis forte Damasum non aequaret quoad ingenium atque eruditionem in disciplinis sacris atque profanis. Quemadmodum igitur S. Damasum merito laudamus, quod S. Hieronymo viro doctissimo magnum praestiterit favorem, ita S. Siricium non vituperemus, quod oeconomia quadam prudenti alia agendi usus sit ratione[2]).

Origenistae. 13. Ad Rufinum quod spectat erroresque Origenis, Rufinus quidem Aquileiensis presbyter quum ex Oriente redux a. 397 Romam venisset, Apologiam Origenis ab Eusebio Caesareense graece scriptam ut opus S. Pamphili

---

[1]) „De opusculis meis contra Jovinianum, quod et prudenter et amanter feceris exemplaria subtrahendo, optime novi; sed nihil profuit ista diligentia, cum aliquanti ex urbe venientes. mihi eadem lectitarent, quae se Romae excepisse referebant. . . Audio totius urbis in te (me?) studia concitata, audio Pontificis et populi voluntatem pari mente congruere. Minus est tenere sacerdotium, quam mereri."

[2]) Siricius nullatenus videtur male tractasse S. Hieronymum. nusquam enim tale quid S. Doctor enarrat. Tillemont, Tom. XII. S. Jerôme, art. 40, scribit: „Baronius croit qu'une des causes de la persécution que S. Jérôme souffrit à Rome, fut que Damase étant mort Sirice qui lui succéda à la fin de l' an 384, ne le continua pas dans l' emploi que lui avait donné son prédécesseur, de répondre aux consultations des évêques, et même ne l'honora pas et ne le soutint pas, comme il devait. Je ne crois pas que S. Jérôme se plaigne jamais de ce Pape; ce qui est une assez grande marque qu' il n' en avait pas de sujet, et il défie Rufin de montrer que ni le pape Sirice, ni aucun autre évêque ait rien écrit contre lui sur son séjour à Rome, ou sur son départ." — S. Hieronymus tamen de S. Siricio non ea loquitur veneratione, uti de Damaso, Anastasio, Innocentio.

in latinum sermonem transtulit, versionemque suam librorum *Periarchon* Origenis publicavit. Inde errores Origenis Romae disseminari coeperunt; sed pericula mox notarunt personae fide ferventes, maxime S. Hieronymi amici, inter quos eminebat S. Marcella. In Rufinum ipsum magna efferbuit animorum agitatio, variique eum haereseos arguerunt, ita ut satius haberet Roma discedere. Obtinuit autem a Siricio Pontifice litteras formatas seu communicatorias ut catholicus, quibus postea gloriatus est. *Marcella,* scribit S. Hieronymus, *quae diu se cohibuerat, ne per aemulationem quidquam facere videretur, postquam sensit fidem apostolico ore laudatam in plerisque violari, ita ut sacerdotes quoque et nonnullos monachorum, maximeque saeculi homines in assensum suum traheret ac simplicitati illuderet Episcopi, qui de suo ingenio caeteros aestimabat, publice restitit, malens Deo placere quam hominibus*[1]). Rufinus Siricii litteras postea opposuit litteris Anastasii Papae, quibus ob tentatam Periarchon interpretationem increpabatur; quod ei exprobrat Hieronymus in Apologia secunda: *Siricii jam in Domino dormientis profers epistolam, et viventis Anastasii dicta contemnis.*

14. Baronius igitur carpit Siricium, quod haeresi serpenti non inde ab initio majori vigore restiterit, imo mortem ejus brevi post, a. 398, secutam ut divinam vindictam exhibet. *Caeterum,* inquit, *quod haud velociter Siricius periclitanti occasione Origenis errorum occurrit Ecclesiae, quam citius, nempe anni sequentis exordio ex hac vita sublatus est, erectusque super cathedram Petri acerrimus oppugnator Origenistarum haereticorum, Anastasius Papa. Saepe quidem atque parendis est demonstratum exemplis, ut Pontifices illi qui causam fidei paulo segnius tractaverunt ac remissius curaverunt, a Christo primario omnium pastore fuerint quam celeriter ex hac vita subducti*[2]). Sed haec durius dicta censemus, solidoque fundamento carere. Etenim con-

[1]) Epist. ad Principiam.

[2]) Ad a. 397. — Baronius tamen non ideo praecise sugillat Siricium, uti superius ex Pagio notatum, quod Rufino litteras formatas dedit; convenit enim, has ei denegari non potuisse.

troversia de Origene tunc vix inceperat, et viros etiam pios et doctos dividebat. Unde Sulpitius Severus *Dialogo primo* inducit Postumianum enarrantem, quomodo dum peregrinationem faceret, ob hanc quaestionem magnam turbationem Alexandriae invenerit. *Episcopi,* inquit, *quaedam in libris ipsius insanius scripta memorabant, quae adsertores ejus defendere non ausi, ab haereticis potius fraudulenter inserta dicebant; et ideo non propter illa quae in reprehensionem merito vocarentur, etiam reliqua esse damnanda. Illud me admodum permovebat, quod Hieronymus, vir maxime catholicus et sacrae legis peritissimus, Origenem secutus primo tempore putabatur, quem nunc idem praecipue vel omnia illius scripta damnaret. Nec vero ausus sum de quoquam temere judicare; praestantissimi tamen viri et doctissimi ferebantur in hoc certamine dissidere.* — Notandum est, adhuc nostro tempore controversiam de Origene non esse eliquatam. Quum vero praeterea etiam Rufinus eousque doctrina, amicitia Melaniae insignis feminae, pietate claruisset, vides, Siricio vitio verti non posse, si non statim cum vigore in istis controversiis partes suas egit. Antequam vero res clarior fieret e vivis discessit.

S. Paulinus. 15. Siricium etiam in *S. Paulinum* (postea) episcopum Nolanum minus aequi animi fuisse, deducit Baronius ex ejusdem epistola tertia (al. 5) ad Sulpitium Severum, in qua de zelotypia clericorum Romanorum et de *superba discretione* Episcopi urbici (Siricii) queritur. *Denique,* scribit, *a nobis Romae zelotyporum incendia clericorum longinquitas Urbis exstinguit, et omnis illic iniquitas obstruit os suum. . . Romae quoque pauci, etiam in Clero ipso, (a quo solo videmur scandalizari), morsu invidiae commoventur. . . Sed plenius indicare poterunt conservi nostri pueri tui, quantum nobis gratiae dominicae detrimentum faciat* (ironice haec dicuntur) *Urbici Papae superba discretio, qui paucis ipsis diebus quibus interfuere viderunt, quam assidua nos, quam sedula, sollicita fratrum, monachorum, antistitum, clericorum, atque etiam ipsorum saepe saecularium officia toto illo nostro aegritudinis tempore celebraverint.* Ex his, inquam, Siricium Paulino infensum deducit Baronius, vel quod illum inter

suos clericos computare noluerit, vel aversatus fuerit, quia repente ex laico Paulinus vir consularis et senatorius, in Hispania presbyter, quamvis coactus, evaserit.

16. Et re quidem vera potuerunt Siricio esse motiva valida, cur minus propensum se in Paulinum ostenderet. Ipse videlicet quum ex litteris Himerii episcopi Taraconensis didicisset permagnos abusus, qui in Hispania etiam quoad vitam et honestatem clericorum, ordinationesque eorum invaluerant, praeclaram dedit illam Decretalem ad Himerium, qua disciplinam ecclesiasticam instauravit. In eadem vero n. 12 ait: *Didicimus etiam, licenter ac libere inexploratae vitae homines, quibus etiam fuerint numerosa conjugia, ad praefatas dignitates, prout cuique libuerit, adspirare. . . Omnia* (praescripta apostolica) *a vestrarum regionum despiciuntur episcopis, quasi in contrarium magis fuerint constituta. . . Quid ab universis posthac ecclesiis sequendum sit, quid vitandum, generali pronuntiatione decernimus.* — Dein n. 13 statuit, quomodo paulatim promovendi sint, qui a teneris annis se vitae ecclesiasticae voventi[1]). Sequenti vero n. 14 determinat conditiones ordinationum pro iis, qui jam grandaevi ad ministerium accedunt. *Qui vero,* inquit, *jam aetate grandaevus, melioris propositi conversione provocatus, ex laico ad sacram militiam pervenire festinat, desiderii sui fructum non aliter obtinebit, nisi eo quo baptizatur tempore statim lectorum aut exorcistarum numero societur, si tamen eum unam habuisse vel habere, et hanc virginem accepisse constet uxorem. Qui dum initiatus fuerit expleto biennio, per quinquennium aliud acolythus et subdiaconus fiat, et sic ad diaconium, si per*

Ratio difficultatum.

[1]) „Quicumque igitur se Ecclesiae vovit obsequiis a sua infantia, ante pubertatis annos baptizari et lectorum debet ministerio sociari. Qui accessu adolescentiae, usque ad trigesimum aetatis annum si probabiliter vixerit, una tantum et ea quam virginem communi per sacerdotem benedictione perceperit uxore contentus, acolythus et subdiaconus esse debebit, postque ad diaconi gradum, si se ipse primitus continentia praeeunte dignum probaverit, accedat. Ubi si ultra quinque annos laudabiliter ministrarit, congrue presbyterium consequatur. Exinde post decennium episcopalem cathedram poterit adipisci, si tamen per haec tempora integritas vitae ac fidei ejus fuerit approbata."

haec tempora dignus judicatus fuerit, provehatur. Exinde jam accessu temporum, presbyterium vel episcopatum, si eum cleri ac plebis edecumarit electio, non immerito sortietur.

17. Haec igitur quum paucis ante annis Siricius Hispaniae episcopis scripsisset, in ordinatione S. Paulini Barcinone facta, nullatenus observata fuerant. S. Paulinus Burdigali in Gallia circa a. 353 ex nobili genere ortus, eloquentia et eruditione floruit, ac Romae ad dignitatem consularem evectus est. Ex uxore Therasia filiolum habuit, qui octavo die e vivis decessit. Instante Therasia, Paulinus a. 389 Burdigali per Delphinum episcopum baptismum suscepit, ac dein cum uxore continentem duxit vitam ac piissimam. Maximam ingentium divitiarum partem pauperibus distribuit, atque in parva villa in Hispania sita cum uxore solitarie vixit. Tunc festo Nativitatis Domini a. 393 Barcinone a populo expetitus, invitus in presbyterum ordinatus fuit ab Eulampio episcopo. Anno 394 in Italiam profectus, Mediolani a S. Ambrosio magno in honore habitus est; sed Romae minus acceptus fuisse videtur aliquot viris ex clero, imo etiam Siricio Pontifici. Quod si inde provenit, quia Siricius succensuit, praescripta canonica in Paulini ordinatione non esse servata, haud video inde aliquid contra Pontificem inferri posse. — S. Paulinus Nolam ad sepulchrum S. Felicis secedens, dein ibi sanctissime vixit, anno 409 episcopus Nolanus factus est, et anno 431 ad aeterna gaudia evolavit.

Pagii animadversio.

18. Non incongrue ad rem Pagius addit: „Vere etiam fatendum est, Paulinum ex humana ratione optimum semper non fuisse hominum et eorumdem morum aestimatorem, dum Siricium superbae discretionis insimulat, quem Hieronymus nimiae simplicitatis et innatae bonitatis quodammodo arguit; et quamquam sanctitate morum Paulinus floreret, minus acris ingenii reputari potest, dum de unoquoque bonum praesumens, quemadmodum et Siricius, etiam Rufinum Aquileiensem e Palaestina cum pace et amplexibus Hieronymi discedentem magni fecerit, Vigilantium in longo Hispaniarum itinere non agnoscens laudaverit, et Melaniam Origenistarum errorum antesignanam

sanctam dixerit, et pluribus laudibus cumulaverit, ut animadvertit Baronius a. 397. Cum ergo haec Paulini santitati non obfuerint, ex eodem capite quae Baronius notavit Siricii sanctitati non detrahunt. . . Quibus addo, mirum non videri debere, quod Siricius fidem adhibuerit iis, quae contra S. Paulinum et S. Hieronymum a clericis Romanis dicebantur, vel e contra; cum sanctus Bernardus Claravallensis Abbas, cujus tanta fuit existimatio apud reges et summos Pontifices, innocenter adhaeserit factioni contra S. Gulielmum electum et consecratum episcopum Eboracensem, quem ep. 234 *idolum Eboracense,* et ep. 360 *pestem communem* appellat, quia magni ac piissimi viri falsis relationibus quandoque decipiuntur. Sed sicut criminationes adversus Gulielmum Eboracensem excogitatae non obstitere, quominus Honorius III eum sanctorum catalogo adscriberet, ita dicendum, scripta a sancto Paulino in Siricium ejus sanctitati nequaquam obfuisse.“

Postquam Siricius pro fide et pro eradicandis gentilitatis reliquiis, a Theodosio Magno lege impetrata ut idolorum fana Romae destruerentur, plurimum desudasset, ad Deum transiit (uti videtur) die vigesima sexta mensis Novembris anni 398, ad quem diem pluribus martyrologiis inscribitur[1]).

19. A n a s t a s i u s R. P. a. 398—401. *Succedit in Pontificatum,* scribit S. Hieronymus, *insignis Anastasius, quem diu Roma habere non meruit, ne orbis caput sub tali episcopo truncaretur; imo idcirco raptus atque translatus est, ne semel latam sententiam precibus suis flectere conaretur*[2]). Anastasius.
Sub ipso lites de Origene ejusque libris adhuc magis efferbuere. S. Hieronymus Rufini interpretationem librorum Periarchon in epistola ad Pammachium et Oceanum vehementer coarguit, ac merito quidem, quum Rufinus in praefatione S. Hieronymum ut insignem admiratorem Origenis exhiberet, eaque arte auctoritatem doctrinis Origenis conciliare videretur. Alteram epistolam Hieronymus dedit ad Origenistae.

---

[1]) Ex martyrologio Romano Siricii nomen expunxerat Baronius, sed Benedictus XIV illud ad d. 26 Novembris restituit.

[2]) Epist. 16 ad Principiam.

ipsum Rufinum. Hic vero ira percitus e vestigio libros duos *Invectivarum* scripsit, in quibus non tantum illius epistolam, sed et alia ejus scripta aculeatis censuris perstrinxit.

Rufinus et Hieronymus.

20. Sed Rufini censuras Hieronymus vehementi stylo duabus *Apologiis* dispulit. — In Oriente Joannes Hierosolymarum Antistes Origenis fautor exstitit. Origenis partes pariter acrius propugnabant monachi Nitrienses in Aegypto, qui fatebantur libris Origenis errores inesse, sed Origenem ab ipsis immunem eosque ab haereticis ejus libris insertos esse dicebant. Hinc nullo modo ferebant, ut Origenis libri damnarentur. — Theophilus patriarcha Alexandrinus a. 399 episcoporum Aegypti et Libyae synodum convocavit. In ea Origenes ejusque sectatores damnati sunt, et ad Anastasium Papam omnesque catholici orbis episcopos synodica epistola de re gesta scripta est. Idem Theophilus ab Imperatore Arcadio edictum impetravit, quo monachi, qui Origenem sectabantur et pertinaciter defendebant, Nitriensibus asceteriis expulsi sunt. Eodem anno S. Epiphanius episcopus Salaminae in Cypro episcoporum Cypriorum synodum collegit, quae omnibus Cypri Christianis operum Origenis lectionem prohibuit. — Origenistae monachi ex Aegypto pulsi Constantinopolim ad S. Joannem Chrysostomum confugerunt, multumque questi sunt de injuriis sibi a Theophilo illatis. Cum se calumniam passos esse dicerent, speciemque pietatis prae se ferrent, sanctus Praesul eos humaniter excepit; quod ei apud S. Epiphanium, S. Hieronymum et maxime apud Theophilum invidiam peperit.

21. Quum contentiones ita effervescerent, atque Orientales et Occidentales in diversas partes distraherentur, Anastasius Papa errores Origenis condemnavit, et Rufinum Aquileia ad dicendam causam vocavit. Is variis motivis adductis venire declinavit, sed fidei suae apologiam ad Anastasium misit. Pontifex vero agendi rationem Rufini, factamque ab eo librorum Origenis versionem graviter improbavit, quamvis non ipsum Rufinum praecise ut haereticum condemnaverit, eo quod is semper protestaretur, se non admittere, quidquid in libris Origenis erroneum ha-

beatur, sed fidem tenere catholicam[1]). Plures istis in controversiis epistolas Anastasius praesertim ad episcopos orientales misit. Atque ita Origenistis auctoritate Pontificis repressis, animorum aestus deferbuit, et supervenientibus paulo post Pelagianorum, Nestorianorum et Eutychianorum contentionibus, lites de Origene ejusque scriptis usque ad saeculum sextum sopitae sunt.

S. Anastasius, quem Hieronymus in epistola ad Demetriadem *ditissimae paupertatis et Apostolicae sollicitudinis virum* appellat, in Domino obdormivit versus finem anni 401.

22. Innocentius R. P. a. 402—417. — Hic Pontifex, qui quindecim annis Ecclesiae praefuit, merito inter Pontifices maxime insignes recensetur; magno enim vigore parique sapientia auctoritatem suam tum in Occidentem, tum in Orientem exercuit. Commemorandi veniunt imprimis plures *epistolae decretales* summi momenti, quae veteris disciplinae ecclesiasticae velut promptuaria sunt. *Epistola ad Decentium Eugubinum* agit de conservandis in Occidente Romanae ecclesiae ritibus. *Epistola ad Victricium Rothamagensem* statuit, causas minores ab episcopis provinciae esse cognoscendas, majores vero secundum morem ad Sedem Apostolicam deferendas, inculcatque clericorum continentiam et mores sanctos. *Epistola ad Exuperium Tolosanum* continet indicem Librorum divinorum eumdem, quem ediderunt Patres Tridentini. *Epistola ad Felicem Nucerianum* docet, qui in clerum non sint admittendi. Sed de his fusius disserere hoc loco non vacat. Innocentii Decretales.

23. Insigne porro documentum primatus et auctoritatis Romani Pontificis continetur iis, quae sub Innocentio in *causa S. Joannis Chrysostomi* acta sunt. De hoc sancto Doctore ac de ejus negotio jam praecipua summatim referamus. Quum Nectarius anno 397 (d. 27 Sept.) obiisset, Theophilus Alexandrinus (385—412), vir ambitione Causa S. Chrysostomi.

---

[1]) Cfr. epistolam Anastasii ad Joannem episcopum Hierosolymitanum ap. Coustant, Epp. RR. PP. T. I. c. 723.

plenus et in rebus humanis versatissimus, artibus suis efficere studuit, ut Isidorus presbyter Alexandrinus, qui tunc ejus favore fruebatur, ad sedem CPtanam eveheretur. Sed Arcadius Imperator ei praehabuit S. Joannem Chrysostomum, presbyterum Antiochenum eloquentia et pietate celeberrimum; qua in re Eutropii eunuchi influxu egisse perhibetur. Theophilus quidem ipse S. Chrysostomum in episcopum consecravit, sed mox ejus adversarius vehementissimus cum multis aliis factus est. — Etiam sub Chrysostomo auctoritas episcoporum Constantinopolis aucta est, quamvis ipse ambitioni non inhiaret. Sed accersitus fuit Chrysostomus ut arbiter et judex ab episcopis Asiae contra Antoninum exarcham Ephesi de simonia accusatum. Quum canonibus non interdiceretur, quominus episcopus invitatus et vocatus negotia alterius provinciae ageret, Chrysostomus munus illud non declinavit, suaque auctoritate res illius provinciae disposuit. Hoc tamen exemplo posteriores episcopi CPtani scriptoresque Graeci abusi sunt, ut jus in alias provincias Patriarchae CPtano vindicarent.

Theophilus Alexandrinus.

24. Quum Theophilus Alexandrinus initio Origenistis favisset, dein, uti jam diximus, magno fervore eos insectatus est; hinc Dioscorus, Ammonius, Euthymius et Eusebius fratres, *(ἀδέλφοι μάκροι,* fratres longini), monachi Nitrienses celeberrimi, cum aliis monachis et Isidoro presbytero primum in Palaestinam, dein Constantinopolim confugerunt, et a Chrysostomo bene habiti sunt. Multas nec injustas querelas de Theophilo coram Arcadio Imperatore attulerunt, et obtinuerunt, ut *Theophilus nolens volens exhibitus per magistrum* coram Joanne causam diceret[1]). Ejusmodi Arcadii mandatum juribus sedis Alexandrinae oppositum, certe Theophilum magis in Chrysostomum excitavit, quamvis hic in causa non esset. Theophilo etiam valde displicebat, quod Chrysostomus in profugos monachos se benignum ostenderet, eo vel magis, quod *falso* illi relatum esset, viros ab ipso abstentos a Joanne ad communionem ecclesiasticam esse admissos.

---

[1]) Palladius, Vita S. Jo. Chrys. c. 8.

25. Sagacitate vero sua humana utens, Theophilus diu iter CPtanum distulit, donec adjuncta plane mutata essent. Quum videlicet Chrysostomus intrepide Pastoris partes omnes expleret, summaque eloquentiae vi in depravatos mores inveheret, multorum tum clericorum tum aulicorum ac maxime Eudoxiae Imperatricis, mulieris haud quidem impiae sed levissimae ac vanitate tumentis, invidiam et odium in se excitavit. Res eo devenit praesertim instigatione Eudoxiae, ut Theophilus Alexandrinus jam non ut accusatus, sed tanquam judex adversus sanctum Praesulem CPolim evocaretur. Theophilus igitur anno 403 conciliabulum triginta sex episcoporum Chrysostomo adversantium coëgit ad Quercum in suburbio prope Chalcedonem, atque ibidem vir callidus cum monachis Origenistis se reconciliavit; dein vero sub praesidio Pauli episcopi Heracleae, exarchae Thraciae, causa Chrysostomi agitata est. Is ad synodum citatus se sistere recusavit, quum judices sese aperte jam ut infensos adversarios ejus ostendissent; synodumque majorem congregari postulavit. Accusatorum partes egerunt Joannes diaconus Chrysostomi aliique clerici ipsius inimici, qui de ejus vita, moribus, administratione, insulsas accusationes proposuerunt. Unanimi triginta sex episcoporum consensu Chrysostomus episcopatu CPtano depositus, ac dein ab Arcadio Imperatore exilii poena mulctatus fuit. Sed excitato a populo ob episcopi sui ejectionem gravi tumultu, Arcadius Chrysostomum revocavit.

Conciliabulum ad Quercum.

26. Theophilus mox secreto Alexandriam aufugit, Chrysostomus vero ab episcopis non paucis Constantinopoli praesentibus et ipsi addictis, quum synodus major quam petebat retardaretur, in sedem restitutus est. Sed brevi post iterum Eudoxiae et adversariorum odium in Chrysostomum exarsit. Inimici ejus novam synodum collegerunt, et, Theophilo haud quidem praesente sed suadente, in S. Doctorem applicarunt Concilii Antiocheni (in encaeniis) canones IV et XII, secundum quos episcopus a synodo sive juste sive injuste depositus, et non interveniente alterius synodi sententia dignitatem suam reti-

nens, in perpetuum depositione puniendus erat[1]). Chrysostomus recusavit auctoritatem illius concilii Antiocheni utpote Ariani, et contra adversariorum artes malignas ad Sedem Apostolicam confugit.

Apellatio Chrysostomi. 27. Romam igitur legationem quatuor episcoporum et duorum diaconorum misit cum litteris, quibus Innocentium contra iniquam sententiam appellabat. Theophilus autem et asseclae ejus pariter ad Pontificem miserunt, petentes, ut sententiam in synodo ad Quercum contra Chrysostomum latam confirmaret. Innocentius Chrysostomi appellationem accepit, et (a. 404) postulavit, ut concilium episcoporum occidentalium et orientalium, exclusis amicis et inimicis Chrysostomi, congregaretur; Theophilo vero scripsit, se haud abrupturum esse sine ratione communionem ecclesiasticam cum Chrysostomo, eumque (Theophilum) Romam accersivit. Sententiam synodi ad Quercum irritam declaravit, novumque rei examen Romae instituit, epistola vero missa Chrysostomum ad patientiam hortatus ei auxilium suum promisit.

Ejus exilium. 28. Interea Chrysostomus die 9 Junii a. 404 in exilium vi abductus, atque Arsacius presbyter, Nectarii frater et Chrysostomi adversarius, in sedem CPtanam intrusus est. Sed magna pars fidelium Chrysostomo mansit addicta, pariterque Innocentius recusavit communionem inire

---

[1]) Canon IV.: „Si quis episcopus a synodo depositus, vel presbyter vel diaconus a proprio episcopo, sacrum celebrare ausus fuerit, sive episcopus secundum praecedentem consuetudinem, sive presbyter sive diaconus, nullam amplius spem restaurationis in alia synodo, neque defensionis locum ei habere liceat. Sed et omnes qui ei communicant, ex ecclesia ejiciantur, et maxime, si cum sententiam adversus praedictos prolatam didicerint, eis communicare ausi fuerint.“ Hic canon idem est ac XXVII inter Canones Apostolicos. — Can. XII: „Si quis a proprio episcopo depositus presbyter, vel diaconus, vel episcopus a synodo, ausus fuerit Imperatoris auribus molestiam exhibere, cum oporteat ad majorem synodum converti, et jus, quod se habere putat, ad plures episcopos referre, eorumque examinationem et judicium suscipere: qui itaque his contemptis Imperatori molestus fuerit, is nulla venia dignus neque sui defendendi locum habeat, nec restitutionis futurae spem exspectet.“ Cfr. Can. Apost. XXIX.

cum Arsacio. — Arsacio a. 405 e vivis erepto, intrusus est in sedem episcopalem a. 406 Atticus, qui dein per viginti annos ecclesiae CPtanae praefuit. Innocentius vero causam Chrysostomi tueri non destitit. Epistolam consolatoriam a. 405 misit ad clerum et populum CPtanum Chrysostomo fidelem, in qua etiam declarat, standum esse canonibus Nicaenis (Sardicensibus), rejiciendos vero esse eos quos haeretici addiderunt. Scripsit pariter in favorem Chrysostomi ad Honorium fratrem Arcadii, ad ipsum Arcadium, necnon ad Chrysostomum ut eum consolaretur. Arcadius vero nec litteris fratris sui Honorii, nec monitis Innocentii obsequium praestitit, sed Chrysostomum in exilio detinuit, imo in longinquas regiones deduci fecit, donec sanctissimus Praesul meritis plenus et aerumnis oppressus a. 407 (d. 14 sept.) Comanae ad Pontum Euxinum occubuit.

29. Innocentius Papa, qui praesto fuit Chrysostomo vivo, etiam mortui memoriam vindicavit. Etenim quamvis Atticus pluries legatos Romam mitteret ut pax restitueretur, Pontifex cum ipso aliisque episcopis orientalibus qui Chrysostomi nomen e dyptichis expunxerant, communicare recusavit, donec nomen sancti Praesulis in illis restituerent. Id primum fecerunt Alexander Antiochenus, Acacius Beroeae episcopus aliique; mortuo Theophilo Alexandrino (a. 412) etiam Atticus cessit; diutius restitit Theophili successor S. Cyrillus Alexandrinus, quum Theophili patrui sui memoriae maculam aspergere nollet, canonesque in causa Chrysostomi servatos esse opinaretur. Postremo tamen, insistente maxime S. Isidoro Pelusiota, etiam ipse a. 417 Chrysostomi nomen in dyptichis reposuit. Anno 418 a Theodosio II ossa S. Chrysostomi CPolim translata sunt, et concordia ex integro restituta est.

30. *Pelagii haeresis* etiam illa aetate erupit, pluraque concilia in hoc negotio habita sunt, et tum a Joanne Hierosolymitano, tum ab episcopis qui in conciliis Carthaginensi et Milevitano Pelagii errores damnaverant, tum privatis S. Augustini aliorumque episcoporum litteris, causa ad Innocentium Pontificem delata est. Innocentius causam Pelagius.

examinavit. Rescriptis litteris Apostolicae Sedis dignitatem et auctoritatem commendat, episcopisque gratulatur, quod venerationem in eam observent. Errores vero Pelagii et Coelestii ejus socii damnavit (a. 417), eosque donec resipiscerent communione Ecclesiae exclusit. Scribit videlicet in epistola (XXX) ad Concilium Milevitanum: *Quare Pelagium Coelestiumque, id est inventores vocum novarum, quae sicut dixit Apostolus aedificationis nihil, sed magis vanissimas consueverunt parere quaestiones, ecclesiastica communione privari apostolici vigoris auctoritate censemus, donec resipiscant de diaboli laqueis, a quo captivi tenentur secundum ipsius voluntatem, eosque interim Dominico ovili non recipi, quod ipsi, perversae viae secuti tramitem, deserere voluerunt. Abscidendi sunt enim qui vos perturbant, et volunt convertere evangelium Christi.* — Paulo post Pelagianorum damnationem Innocentius Pontifex ad Deum migravit, die scilicet duodecima Martii anni 417.

Zosimus R. P. 31. Zosimus R. P. a. 417—418. — Jam die decimo octavo Martii Zosimus natione Graecus Innocentio successit. Hujus Papae pontificatus brevis, sed rebus in Pelagii Coelestiique causa gestis satis celebris fuit. Innocentio videlicet mortuo, Coelestius Romam properavit ad Zosimum, eique modis omnibus persuadere conatus est, se et Pelagium esse catholicos; plurimum de accusatoribus ipsius et Pelagii ac de praecipiti Africanorum in se judicio Coelestius. conquestus, et multa ad fidem catholicam sed non ad causam praesentem spectantia professus, addidit, se caeteroquin damnaturum quae Apostolica Sedes damnaret. — Praeterea Zosimo oblatus est libellus Pelagii, in quo fidei professio continebatur, ac necessitatem gratiae (ambiguis utens verbis) ipse videbatur profiteri. Junctae erant litterae commendatitiae Prayli episcopi Hierosolymitani, successoris Joannis. Hisce Pontifex motus congruum censuit, mitius cum Coelestio et Pelagio agere. Nullatenus quidem doctrinam quam reipsa illi haeretici tenebant approbavit, sed errores eorum non perspexit, atque existimavit, eos animo saltem catholicae doctrinae addictos esse, et si quae opiniones eorum falsae essent, eos haud pertinaciter

illis inhaerere. Hinc moram ulteriorem concedendam Coelestio censuit, et datis ad Africanos episcopos litteris eos arguit, quod praecipitanter Pelagium et Coelestium damnassent ob doctrinam, a qua eos errore facti alienos putabat, et Praesules monuit, ut Romam intra duos menses mitterent, qui Pelagium et Coelestium aliter sentire probarent, quam hi litteris et verbis professi essent.

32. Verum Africanorum opera mox fraudes detectae sunt. Illi enim coacta anno 418 Carthagine synodo, litteras ad Zosimum dederunt, quibus totius rei seriem, omnes Pelagii et Coelestii fraudes et cuncta quae in eorum causa egerant Pontifici exposuerunt. Zosimus Africanorum litteris acceptis, confestim Coelestium ad pleniorem audientiam vocavit; sed is jam Roma fugerat. Quapropter Pontifex Pelagium et Coelestium omnemque eorum doctrinam in synodis Africanis et ab Innocentio I proscriptam, damnavit, deditque ea de re ad universos orbis christiani episcopos epistolam quae Tractatoria appellari solet[1]).

33. Quam male ii qui infallibilitatem R. Pontificis Vindiciae Zosimi. ex cathedra definientis negarunt, in sententiae suae argumentum provocent ad Zosimi gesta in causa Pelagii et Coelestii, ex facti expositione colligitur. Id tamen fecerunt varii auctores, uti vel ipse Bossuetus[2]), recenti vero tempore Janus[3]). Accuratius quidem singula non discutiemus, sed sufficiet paucis haec advertere: 1° Ab Innocentio I *quaestio juris* seu *quaestio dogmatica de perversitate doctrinae* quae necessitatem gratiae negabat, definitiva sententia decisa erat, et eo pertinent verba S. Augustini: *Jam de hac causa duo concilia* (Carthaginense et Milevitanum) *missa sunt ad Sedem Apostolicam: inde etiam rescripta venerunt. Causa finita est: utinam aliquando finiatur error*[4]). — Sed 2° haud eadem ratione sententia aliqua doctrinali vel definitiva *quaestionem facti de personali heterodoxia* Coelestii et Pelagii Innocentius diremerat. Eos quidem ob motiva solida, quum doctrinis periculosis Eccle-

---

[1]) Vid. Wouters, H E. tom. I. p. 265.
[2]) Def. Declar. L. IX. c. 35. [3]) Papst und Concil. S. 74.
[4]) Serm. 131 n. 10.

siam turbarent, communione privaverat, donec resipiscerent, sed in hoc *actu administrativo* non continebatur irrevocabilis aliqua sententia de heterodoxia illorum virorum. Hoc vel ex eo patet, quod ipse Innocentius in epistola (XXXI) quam ad Augustinum et quatuor alios episcopos scribit, motiva exhibet, cur merito *dubitet* de Pelagii praetensa purgatione in Oriente, advertitque, si innocens sit Pelagius, eum debuisse statim Romam venire. Hinc illos prudenter reos judicavit, et actu jurisdictionis excommunicavit, non vero sententia doctrinali personalem eorum heterodoxiam definivit. — 3° Epistola prima Zosimi ad episcopos Africanos non continet aliquam definitionem ex cathedra, nec ejusmodi definitio doctrinalis continebatur in eo judicio, quod post examen Coelestii Pontifex formaverat de ejus animo orthodoxo. — 4° In quaestione doctrinali de valore doctrinae quae Pelagio et Coelestio adscribebatur, non dissidebat Zosimus ab Innocentio, sed deceptus a Coelestio Pontifex *errore facti* existimavit, ipsum in plerisque esse orthodoxum, et quoad quasdam opiniones eum paratum esse Ecclesiae judicium sequi, adeoque non pro haeretico esse habendum. — 5° Rem tamen suspensam remansisse, nec Zosimum habuisse illorum virorum causam uti finitam, antequam Afri accusatores argumenta sua proponerent, eruitur ex tertia Zosimi epistola ad Afros (ap. Coustant ep. XII) in qua scribit: *Missae per Marcellinum subdiaconum vestrum epistolae omne volumen volvimus, quo aliquando perlecto, ita totum litterarum comprehendistis textum, quasi nos Coelestio commodaverimus in omnibus fidem, verbisque ejus non discussis, ad omnem ut ita dicam syllabam praebuerimus assensum. Nunquam temere quae sunt diu tractanda sinuntur*[1]*); nec sine magna deliberatione statuendum est, quod summo debet disceptari judicio. Idcirco noverit vestra fraternitas, nihil nos post illas quas superius vel vestras litteras accepimus immutasse, sed in eodem reliquisse statu in quo dudum* (scil. sub Innocentio) *fuerant,*

---

[1]) Id est, quae sunt diu tractanda, nunquam temere tractanda sinuntur.

cum hoc nostris litteris vestrae indicavimus sanctitati, ut illa quae a vobis ad nos missa erat obtestatio servaretur. — Docet ipse Zosimus res in eo statu in quo erant antequam Coelestii et Pelagii causa a se cognosceretur remansisse, adeoque illis communionem ecclesiasticam qua privati fuerant necdum redditam esse, et Afrorum obtestationem Innocentio factam, petitionem videlicet et accusationem in illos latam servari, seu litem adhuc esse pendentem. — 6⁰ Dein examine accuratius instituto Zosimus in Epistola tractatoria haeresim et haereticos proscripsit, eamque Epistolam ad omnes episcopos transmisit.

34. Una hic commemoranda est objectio quae majoris momenti videtur, videlicet Zosimum approbasse libellum Coelestii, quum tamen in eo ille peccatum originale negaret. Dicit videlicet Coelestius: *Infantes debere baptizari in remissionem peccatorum, secundum regulam universalis Ecclesiae et secundum Evangelii sententiam confitemur, quia Dominus statuit, regnum coelorum nonnisi baptizatis posse conferri; quod quia vires naturae non habent, conferri necesse est per gratiae libertatem. In remissionem autem peccatorum baptizandos infantes non idcirco diximus, ut peccatum ex traduce firmare videamur, quod longe a catholico sensu alienum est, quia peccatum non cum homine nascitur, quod postmodum exercetur ab homine, quia non naturae delictum sed voluntatis esse demonstratur. Et illud ergo confiteri congruum, ne diversa baptismatis genera facere videamur, et hoc praemunire necessarium est, ne per mysterii occasionem, ad creatoris injuriam malum antequam fiat ab homine trudi dicatur homini per naturam*[1]). Sed advertatur, verba subdola esse et ambigua, ita ut, controversia adhuc recente, doctrinae virus minus potuerit perspici. Admittebat Coelestius baptismum *in remissionem peccatorum,* negabat explicite tantum peccatum *ex traduce,* mysterium adesse videbatur fateri. Zosimo autem satisfactum fuit libello et *declarationibus Coelestii;* non igitur habita tantum ratione propositionum quae in illo libello continebantur, sed habita simul ratione mentis et affectus suppositi ipsius et decla- Difficultas diluitur.

[1]) Ap. Baron. ad a. 418.

rationum ejus, libellus iste Pontifici acceptus fuit, et Coelestius consideratus ut catholicus. Coelestius in suo ipso libello declarabat, se cuncta submittere Pontificis judicio, neque se sententias suas definitive proferre, sed eas corrigere esse paratum. *Non ego*, inquit, *quasi auctor alicujus dogmatis definita haec auctoritate statui, sed ea quae de prophetarum et apostolorum fonte suscepi, vestri apostolatus offerimus probanda judicio, ut si forte ut hominibus quispiam ignorantiae error obrepserit, vestra sententia corrigatur.* Praeterea affirmaverat, se damnare errores omnes quos Innocentius damnaverat, quosque Apostolica Sedes damnaret. Unde quum Zosimus Coelestii libellum suscepit, illumque simul cum declarationibus ejus ad Afros episcopes transmisit, probavit voluntatem emendationis, non vero falsitatem dogmatis. Ad rem jam Augustinus scripsit: *Quum hoc* (de peccato originali) *Coelestius in suo libello posuisset inter ea dumtaxat de quibus se adhuc dubitare et instrui velle confessus est, in homine acerrimi ingenii, qui profecto si corrigeretur plurimis profuisset, voluntas emendationis, non falsitas dogmatis approbata est. Et propterea libellus ejus catholicus dictus est, quia et hoc catholicae mentis est, si qua aliter sapit quam veritas exigit, non ea certissime definire, sed detecta et demonstrata respuere.* — Testatur dein Augustinus, Zosimum Papam nunquam docuisse errorem de peccato originali. *Quaenam,* inquit, *epistola venerandae memoriae papae Zosimi, quae interlocutio reperitur, ubi praeceperit credi oportere, sine vitio peccati originalis hominem nasci? Nusquam prorsus haec dixit, nusquam omnino conscripsit*[1]). — Zosimus, postquam Sedem Romanam annum unum et menses novem tenuit, obiit a. 418, die XXVI mensis Decembris, quo die colitur in Martyrologio Romano.

---

[1]) C. ep. Pelag. ad Bonif. L. II. c. 3. Plura vide ap. Palma Praelect. T. I. P. II c 18. et Wouters Dissert. Tom II. Dissert. XXIII. — Cfr. etiam Hergenröther, K. G. T. III. p. 113. n. 111. — Caeterum in epistolis Zosimi non invenitur propositio, qua libellum Coelestii *catholicum* appellat et talem esse declarat, sed modo generali de defensione Coelestii oblato libello et de ostensione orthodoxiae ipsius loquitur.

35. Bonifatius R. P. a. 418—422. — Bonifatius[1]) natione Romanus ex Patre Secundo, successit Zosimo die XXIX Decembris ejusdem anni post duorum dierum interpontificium. Vir erat Bonifatius morum integritate et doctrina perspicuus. Attamen minor pars cleri eodem die quo Bonifatius electus est, facto schismate, elegit *Eulalium* archidiaconum contra Bonifatium presbyterum, illeque pariter in Pontificem ordinatus est. Hac de re Symmachus Romae praefectus, qui Eulalio favebat, litteras dedit ad Honorium, Imperatorem qui mox hoc negotium cum auctoritate quadam disponere nisus est. Nec immerito ex hoc Bonifatium inter et Eulalium dissidio factum putat Auctor Criticae Baronianae (Pagius), ut primum Honorius, deinde Italiae reges, alii aliis temporibus, sese Romani Pontificis electioni immiscuerint; quod malum a parvis profectum initiis in grande Romanae ecclesiae dedecus postea degeneravit. — Honorius Imperator mendaci Symmachi relatione circumventus utrumque Ravennam accersiri jussit, donec causa in episcoporum synodo dirimeretur. Sed antequam id factum esset, Eulalius spreto Imperatoris mandato Urbem ingressus est; quapropter Honorius pulso Eulalio Bonifatium Sedi Romanae restitui jussit. Bonifatius R. P.

36. In haec tempora incidit *dissidium inter episcopos Africae et Sedem Apostolicam quoad appellationes* ad Romanos Pontifices; causa haec celebris videlicet sedentibus Zosimo, Bonifatio et Coelestino agitata est. Apiarius Siccensis presbyter ob morum depravationem ab Urbano episcopo, S. Augustini discipulo, depositus, cum contra Africanarum ecclesiarum usum Zosimum Papam appellasset, ab eodem benigne exceptus, communioni et ordini restitutus est. Misit hac in causa Zosimus a. 418 Faustinum Apiarii causa.

[1]) Bonifatius, haud vero Bonifacius esse scribendum, eruditi jam fere conveniunt. Ita enim scripserunt in suis diplomatibus Romani Pontifices omnes qui illud nomen gesserunt, ad Bonifatium IX usque. Derivatur autem hoc nomen a *bono fato* et graeco nomini Εὐτύχης respondet.

Potentiae in Picenis episcopum cum duobus aliis legatis, ut Apiarii causam retractarent. — Mortuo paulo post Zosimo, Apiarii causa in plenaria synodo Africae a. 419 disceptata est. Contendebant Africani, ab ipsis christianae religionis in Africa exordiis consuetudinem obtinuisse, ut presbyteri, diaconi et clerici inferiores in suis quisque provinciis judicarentur, appellatione ad transmarinos judices omnino interdicta. Hac de re etiam anno praecedente (418) decretum emiserant, ob tentatam, ut videtur, Apiarii appellationem.

Dissidium cum Afris.

37. Zosimus in Commonitorio Faustino dato, quo ipsum instruebat quanam ratione res disponendae essent, provocabat *ad canones Nicaenos,* et juxta hos canones definiebat, appellationes episcoporum ad Romanum Pontificem fieri posse ac debere, pariterque causas presbyterorum et diaconorum apud finitimos episcopos agendas esse, si a suis se existiment perperam excommunicatos. Citabat autem tanquam Nicaenos, errore facti, canones Sardicenses V^{um}, quem superius exposuimus, et canonem XIV (al. XVII) in quo ista habentur: *Si Episcopus qui forte iracundus (quod esse non debet) cito et aspere commoveatur adversus presbyterum sive diaconum suum, et exterminare eum de ecclesia voluerit, providendum est, ne innocens damnetur aut perdat communionem. Et ideo habeat potestatem is qui abjectus est, ut Episcopos finitimos interpellet et causa ejus audiatur ac diligentius tractetur, quia non oportet ei negari audientiam roganti* etc. Quum igitur Pontifex illos canones Nicaenos observandos urgeret, et totus in iis niteretur, difficultates exortae sunt. Afri enim in suis exemplaribus Concilii Nicaeni illos canones non inveniebant, adeoque illos admittere haesitabant eo vel magis, quod totum illud negotium ipsis exosum esset, quum Apiarium reum censerent. Miserunt igitur ipsi legatos Constantinopolim, Alexandriam et Antiochiam, ut inde exemplaria genuina Concilii Nicaeni afferrentur et ita dubia solverentur; litteris vero ad Bonifatium I successorem Zosimi datis rem exposuerunt, Apiarium ad communionem admissum esse significarunt, et promiserunt, se juxta illos canones ex voto

Pontificis acturos, donec aliter per authentica exemplaria constitisset.

38. Anno 419 mense Novembri ex Oriente statuta Concilii Nicaeni, *in quibus illi canones non inveniebantur*, adducta sunt, et ex Africa ad Bonifatium missa, ut fidem facit titulus Symboli Nicaeni in Concilio vulgo Africano sub numero CIV: *Exemplaria Concilii Nicaeni directa sub die VI Kal. Decembr. post Consulatum Honorii XII et Theodosii VIII Bonifatio urbis Romae Episcopo*[1]). Sic igitur ista res veluti indecisa pendebat sub Bonifatii pontificatu. Sed quamvis in exemplaribus Nicaenis ex Oriente transmissis Afri illos canones non invenirent, tamen brevi post, versus finem Pontificatus Bonifatii, appellationem Romam direxit Antonius Fussalensis episcopus, qui ob varias accusationes in ordine quidem episcopali relictus, sed administratione dioecesis interdictus fuerat. Exstat videlicet hac in causa epistola S. Augustini initio Pontificatus Coelestini (a. 423) scripta, qua S. Augustinus Coelestino supplicat, ne velit in favorem appellantis sententiam immutare, eo vel magis quod imprudentia ipsius fateatur evenisse, ut indigno episcopatus conferretur[2]). Nihil vero in hac epistola Augustinus habet contra ipsum jus appellationum ad Romanum Pontificem.

39. Aliquanto post (a. 424 vel 425) accidit, ut Apiarius ille novorum criminum reus ab ecclesia Tabracena excommunicatus et depositus fuerit. Rursus Romam confugit et Coelestino ita imposuit, ut Pontifex, Apiarium innoxium credens, eum in Africam remiserit, una cum Faustino episcopo Potentino, qui eum restituendum curaret. Verum Aurelius Carthaginensis et alii episcopi Carthagine convenientes, Apiarium tot criminum a Tabracenis accusatum invenerunt, ut Faustinus, sicut ipsi ad Coelestinum scribunt, eum purgare non posset. Demum Apiarius scelerum suorum conscientia compulsus in synodo se reum confessus est criminum, propter quae fuerat condem- Apiarius reus.

---

[1]) V. Labbé Coll. Conc. T. II. p. 1674.
[2]) V. S. Augustini ep. 209.

natus, et ministerio sacro mansit privatus. Ita rem referunt episcopi in epistola sua synodica ad Coelestinum, quae cum acrimonia quadam, quamvis decenti modo, conscripta est.

Epistola Episcoporum Afrorum.

40. Plura porro proferunt contra appellationes ad Romanum Pontificem, exponunt incommoda quae censent ex iis provenire, et petunt ut negotia in Africa sine interventu legatorum vel executorum Pontificis juxta consuetudinem illius ecclesiae (ab ipsis assertam) terminentur. Inter alia: *Deprecamur,* inquiunt, *ut deinceps ad vestras aures hinc venientes non facilius admittatis, nec a nobis excommunicatos in communionem ultra velitis excipere; quia hoc etiam Nicaeno Concilio definitum facile advertat Venerabilitas tua. Nam etsi de inferioribus clericis vel laicis videtur ibi praecaveri, quanto magis hoc de episcopis voluit observari? ne in sua provincia a communione suspensi a tua Sanctitate praepropere vel indebite videantur communioni restitui. Presbyterorum quoque et sequentium clericorum improba refugia, sicuti te dignum est repellat Sanctitas tua, quia et nulla patrum definitione hoc ecclesiae derogatum est Africanae, et decreta Nicaena sive inferioris gradus clericos, sive ipsos episcopos, suis metropolitanis apertissime commiserunt*[1]). — Nituntur autem in eo, quod illi canones, quos Faustinus ex mandato Zosimi ut Nicaenos allegaverat, in authenticis exemplaribus jam ex Oriente transmissis non inveniantur. — Istas quidem de appellationibus querelas ad Coelestinum episcopi Afri detulerunt: attamen RR. Pontifices deinceps, uti antea, jure primatus sui proprio, recipiendi ex Africa appellationes, usi sunt.

Expenditur.

41. Gallicani auctores, dum sic apellatas libertates ecclesiae Gallicanae vindicarent, argumenta etiam deprompserunt ex hac Apiarii causa et ex epistola episcoporum Afrorum ad Coelestinum[2]); defensores autem jurium Romani Pontificis vario modo explicant sententiam et intentionem illorum episcoporum, ac disputant, utrum ipsi

---

[1]) V. Labbé Coll. Conc. T. II. p. 1674.

[2]) Ex. g. Card. de la Luzerne in Defens. Declar. Cleri Gall.

jus appellationis ad Rom. Pontificem negaverint. Opportune ad rem haec observari possunt: 1° Alia est quaestio *de primatu* R. Pontificis, ac de *jure* huic primatui insito *recipiendi appellationes* tanquam tribunal supremum; aliud est *exercitium, usus* et *applicatio* hujus juris. — 2° Episcopi Africani *non* tangunt atque discutiunt illam *quaestionem principii,* imo impedito suo loquendi modo satis ostendunt, se absolute illud supremum jus in Rom. Pontifice situm non negare. — Sed 3° quoad *exercitium* et *applicationem* hujus juris quantum ad ecclesiam Africanam, multa congerunt, ut difficultates, incommoda, pericula ex distantia regionis orta, et consuetudines ecclesiae Africanae opponant. — 4° Quum Zosimus disponens Afrorum negotia provocasset ad quosdam canones Nicaenos, illi vero canones inter decreta illius Concilii non invenirentur, potuerunt episcopi inde occasionem arripere, ut peterent a Pontifice, ne interveniat ea ratione in negotiis Africanae ecclesiae. Licebat videlicet illis supponere, exercitium juris R. Pontificem velle ea ratione exhibere, sicuti in Conciliis statutum erat, nec agebatur illa quaestio, utrum etiam praeter haec Conciliorum decreta jura sua summa applicare posset et vellet. — Adverte tamen, ipsos praesertim quoad appellationes episcoporum loqui ratione quadam vaga et mitigata, dum petunt ne *facile* ac *praepropere* episcopos appellantes admittat; ac generatim epistolam illam *non esse declarationem,* qua rejiciunt appellationes et interventionem R. Pontificis ut irritum et invalidum conatum, sed esse *deprecationem* ad superiorem, ne faciat quod ipsis videbatur periculosum, incommodum, nec revera documentis a Pontificibus allatis stabilitum. — 5° Aliquid indulgendum est animo commoto Praesulum, quibus Apiarius ille, reapse reus multorum criminum, appellatione ad Romanum Pontificem et fraude qua eum deceperat, incommoda non exigua paraverat. Quod si vero ulterius progressi sint, nec in omnibus quae in eorum epistola habentur Romani Pontificis auctoritatem et jura satis revereri videantur, inde sane nihil contra jura eorumque applicationem inferri potest. Nec ista Sedem Apostolicam

impedierunt, quominus pro necessitate et opportunitate rerum suam in universalem Ecclesiam jurisdictionem exerceret.

Difficultas diluitur.

42. Collegerunt tamen adversarii appellationum ad Romanum Pontificem argumentum etiam ex verbis decreti seu canonis, a. 418 uti diximus in Concilio Carthaginiensi propositi, contendentes ex canonis verbis patere, in Africa etiam episcoporum ad Sedem Apostolicam appellationes prohibitas fuisse. Unde pauca ea de re advertenda videntur. Est igitur ejusmodi ille canon XVII: *Item placuit, ut presbyteri, diaconi vel caeteri inferiores clerici in causis quas habuerint, si de judiciis suorum episcoporum questi fuerint, vicini episcopi eos cum consensu sui episcopi audiant, et inter eos quidquid causae fuerit definiant adhibiti ab eo episcopi. — Quodsi et ab iis provocandum putaverint, non provocent ad transmarina judicia, sed ad primates suarum provinciarum aut ad universale* (nationale) *concilium, sicut et de episcopis saepius constitutum est. Ad transmarina autem qui putaverit appellendum, a nullo intra Africam in communionem suscipiatur.* — En aiunt adversarii, prohibitae dicuntur etiam episcoporum appellationes ad Romanum Pontificem illis verbis: *Sicut et de episcopis constitutum est.* Sed paucis haec difficultas dilui potest.

43. Imprimis nullum vestigium est, aliquando de episcopis tale quid constitutum fuisse, et ex iis quae in Apiarii causa gesta sunt ac superius relata, colligitur, controversiam haud fuisse directe de appellationibus episcoporum, sed clericorum minorum, et appellationes episcoporum ad Sedem Apostolicam a Praesulibus Africae haud ut interdictas fuisse consideratas. — Sed alius est sensus verborum, quae in illo canone occurrunt. Ad rem aptissime Ex. Feye: „Vi canonum Africanorum ante paucos annos conditorum clericis episcopis inferioribus interdictae fuerant appellationes transmarinae, et concessum fuerat, unum tribunal refugii, suae nempe provinciae, si cecidissent causa coram proprio episcopo. Ne autem porro lamentarentur clerici, Patres in citato decreto a. 418 alterum tribunal refugii concesserunt, primates nempe vel concilia

nationalia, *sicut et de episcopis saepius constitutum est.*“ Videlicet saepius constitutum fuerat, ut episcopi post sententiam synodi provincialis, appellare possent ad metropolitam vel ad concilium generale seu nationale. „Conceditur itaque clericis ut tertium tribunal, illud, quod in Africa erat tribunal secundum pro episcopis. Et in posterum sub poena excommunicationis non poterant post secundum tribunal appellare R. Pontificem“[1]). Incauta fuerit haec dispositio Praesulum Africae; sed causas episcoporum ea non attingit. Caeterum ex iis quae exposuimus colligitur, eos etiam quoad causas minorum clericorum non negasse potestatem Pontificiam, sed allegasse quod non expediret, ut ea Pontifex uteretur, idque propter varia incommoda, praesertim petita ex Africanae provinciae distantia a Sede Romana.

44. Bonifatius Pontifex quoad *Pelagianorum errores* institit Tractatoriae S. Zosimi, et contra inimicos gratiae non tantum apostolicis, sed etiam regiis edictis usus est, ut ait S. Prosper in libro contra Collatorem (S. Joannem Cassianum). Magna quoque constantia defendit Apostolicae Sedis jura in *ecclesias Illyrici,* quae ab antiquis temporibus Romano patriarchatui obediebant. Episcopos Illyrici adegit, ut Rufi Thessalonicensis, Vicarii Sedis Apostolicae, auctoritatem agnoscerent et observarent. Quum vero Theodosius II Orientis Imperator quorundam episcoporum Illyrici et Attici Constantinopolitani consilio circumventus, jura quae episcopi Thessalonicenses qua Sedis Apostolicae Vicarii in ecclesias Illyrici habebant, transtulisset ad episcopum CPtanum, eum ad rescindendum edictum suum compulit. — Postquam quatuor fere annis Bonifatius Ecclesiae praefuit, ad Deum migravit mense Septembri anni 422.

---

[1]) Feye, Praelectiones Juris eccles. publici, Lib. II. p. 234. (Autographia). — Caeterum advertit Ill. Hefele illa verba canonis, *aut ad universale concilium, sicut et de episcopis saepe constitutum est,* ortum non habere a synodo a. 418 habita; adeoque alio tempore addita ea dixeris. Cfr. Hefele C. G. B. II. §. 121.

II.

De haeresi Nestoriana ac de Concilio Ephesino.

Errores praevii.

45. De haeresi Nestorii acturi paucis commemorare expedit, quomodo errores varii de Incarnatione ac de unione naturae humanae et divinae in Christo, jam praecedenti tempore serpere coeperint, seminaque haeresis Nestorianae ab aliis magistris jacta sint. Nam et errorum est sua evolutio, quam noscere juvat. — Jam in Arianorum haeresi error funestus de Incarnatione continebatur. Statuebant videlicet, Verbum seu Filium assumpsisse non integram humanam naturam, sed carnem tantum; pro anima autem fuisse ipsum Verbum, ejusque partes in Christo explesse. Arius enim quum Filium Dei Deum esse quidem fateretur sed alterius quam sit Pater substantiae eoque minorem, illum et aspectabilem et passibilem esse dicebat, ut Patre tanto inferior haberetur. Ideo passum illum asserebat in carne, et ut hoc melius persuaderet, animae instar fuisse corpori divinitatem illam Verbi velut secundariam aiebat. Quum SS. Patres responderent, in Christo haud divinam naturam sed humanam esse passam, Ariani reposuerunt, hac conditione haud posse intelligi magnum valorem passionis Christi. Recte SS. Patres universim, hunc valorem ex unione naturarum in una Christi persona repeti, asseruere.

Apollinaris.

46. *Apollinaris* (a. 370) vero episcopus Laodiceae subtilius de illa *unitate* Christi disserens, Arianos ex parte secutus est docens, animam in Christo propria caruisse mente, vel animam quidem sensitivam, non vero rationalem seu pneuma, in Christo fuisse[1]. Hujus autem vices supplevisse divinitatem Verbi, quod Deum verum esse contra Arianos recte tenebat. Suae sententiae propugnandi causam hanc habuit, quod supervacaneum putaret animam rationalem seu mentem Christo tribuere, quem totum di-

---

[1]) Errorem trichotomismi platonici Apollinaris amplexus fuerat.

vinitas, quae mente longe est potior, occuparet; sic quasi lucernam adjungas ad solem. Et ubicumque mens humana statueretur, censebat ibi *τὸ ἁμάρτητον*, id est *peccandi potestatem,* inesse oportere. Praeterea si homo integer in Christo ponatur, idemque Deus, quaternarium numerum in Trinitatem invehi credebat. Verum etiam carnem non ex B. Virgine Verbum assumpsisse, sed ex coelo attulisse, ita ut per Virginem tantum transiret, Apollinaris delirabat; aliosque errores addebat quos enumerare longum est.

47. Errores Apollinaris a variis Patribus et Conciliis rejecti sunt. Sed occasione impugnationis horum errorum haeresis illa formata est, qua duplex statuebatur in Christo persona, divina altera, altera autem humana, intercedente inter utramque morali unione. *Diodorum Tarsensem* eam sententiam excogitasse, S. Cyrillus Alexandrinus tradit; sed forte non satis Diodorus perspexit funestas consequentias talis doctrinae, nec distincto modo eam concepit. Post eum vero ejus discipulus *Theodorus episcopus Mopsuestiae* (a. 392) apertius ejusmodi errores proposuit. Contra Apollinaristas videlicet quum perfectum hominem Christum fuisse vellet asserere, haud aliter illam perfectionem intellexit, nisi ut statueret personam humanam completam, cui protectione et gratia unita esset persona Verbi divina. Accuratius vero hanc sententiam inferius exponemus; quam videlicet Theodorus praeformavit doctrinam, mox Nestorius aperte praedicavit et propagare nisus est.

48. *Nestorius* Germanicia oriundus oppidulo Syriae, variis peragratis provinciis, ut scribit Theodoretus (Haer. L. IV. c. 12), Antiochiae tandem resedit. Qua in urbe liberalibus artibus mediocriter eruditus curandae exercendaeque voci potissimum operam dedit, quae natura suavis et clara illi inerat. Monasticam vitam aliquanto tempore professus, ab hoc instituto ad clerum translatus et presbyter factus est, eique quod sermone promptus et disertus esset, docendi populi munus injunctum. Quod ille sic gessit, ut auditorum utilitate neglecta populi favorem plausumque cupidissime captaret, ad idque dicendi genus et

Nestorii initia.

et posteriori tempore Verbum cum hoc homine conjunctum fuisse. Alii vero theologi ex ipsis Nestorii sententiis et Marii Mercatoris coaevi scriptoris testimonio, meliori, ut videtur, jure, colligunt, Nestorium admisisse hominem Jesum inde ab initio conceptionis et existentiae suae cum Verbo morali unione conjunctum fuisse. Tota autem haec quaestio non est magni momenti. Etenim capitalis haeresis Nestorii, uti diximus, in eo est, quod de *modo unionis* Verbum inter et humanam naturam turpissime erravit; utrum vero moralem illam unionem confictam inde ab initio existentiae Christi adfuisse statuerit, an vero seriori tempore eam incepisse docuerit, non multum interest, quum in utraque sententia haeresis summa eadem maneat.

52. Opportune etiam animadvertitur: 1° In systemate Nestorii necessario hominem cui Verbum extrinseca conjunctione adest, quamvis non tempore, tamen *ratione prius* formatum et perfectum concipi debere, quam unionem Verbi cum ipso. Et sic dici potest Nestorius docuisse, Verbum homini perfecto et formato fuisse unitum. — 2° Moralis illa conjunctio per inhabitationem et operationem gradus admittit et augmenta perfectionis. Etsi igitur Nestorius docuerit, inde ab initio existentiae Verbum homini Jesu adfuisse ut sanctificaretur, fastigium tamen inhabitationis et sanctificationis posteriori tempori adscribebat, ita ut tum demum plene et perfecte Verbum homini conjunctione morali unitum fuerit. — Quae si prae oculis habentur, facile explicantur dicta antiquorum qui referunt, Nestorium tenuisse, Verbum homini Jesu perfecto postea junctum fuisse[1]).

Protestantium sententia.

53. Haec igitur est haeresis Nestorii, sicuti eadem ex ejus sermonibus et effatis atque ex testimoniis Patrum clare colligitur. Nihilominus multi auctores protestantes, e. g. Basnage, Mosheim, Gieseler, Schröchk, praetendunt, totam controversiam Nestorianam ad logomachiam reduci. Nestorium videlicet ad rei caput quod spectat nullatenus dissensisse a doctrina orthodoxa, ejusque doctrinam eam-

[1]) Vide haec in tractatu nostro de Verbo incarnato, nn. 107, 108.

dem fuisse, qualis adversariorum ejus, *verbale* tantum fuisse discrimen. Phrases Nestorii ejusmodi fuisse, ut excluderent monophysitismum, huic autem praelusisse phrases Cyrilli et eorum qui ipsum secuti sunt. Damnationem Nestorii attribuendam esse Cyrilli invidiae et RR. Pontificum tyrannidi. — Suam de Nestorio assertionem firmare student, tum ex testimoniis aliquot coaevorum Nestorii, ut Joannis Antiocheni, Theodoreti et Socratis, tum ex ipsius Nestorii dictis. Ipse Nestorius enim, inquiunt, inficiatus est, Christum esse purum hominem ac duos esse Dei filios, et affirmavit, unicam esse in Christo personam, B. Virginem Deiparam dici posse, eoque dumtaxat sensu a se hanc appellationem repudiari, quo eam Ariani et Apollinaristae probabant.

54. Sed ad testimonia illa externa quod spectat, certe ea nullius sunt ponderis contra Patrum Ephesinorum aliorumque multorum sententiam, a quibus ipse Nestorius ut manifestus haereticus damnatus est, ejusque doctrina simul exponitur et rejicitur. Joannes et Theodoretus, amici Nestorii, initio quidem, quando ipsis ejus perversa mens nondum tam evidens erat, eum excusare, vel errores ipsius negare, vel sententias orthodoxo sensu interpretari conati sunt, sed postea agnoverunt, Nestorii doctrinam haereticam esse, ejusque damnationi subscripserunt. Socrates vero dum L. VII. c. 32 Nestorium *stultae* potius *garrulitatis ac vanitatis* quam haeresis reum judicat, non agit historicum, sed interpretem theologicum, nullamque auctoritatem ei convenire tum ex charactere ejus universim, tum ex ratione qua ibidem disputat, manifestum est. — Quod vero spectat ad illas Nestorii sententias, quae ad probandam ipsius orthodoxiam afferuntur, phrases ejusmodi ambiguae erant et dolose a Nestorio allatae, ut suam haeresim tanquam doctrinam catholicam instillaret. Christum negat esse purum hominem; sed his non affirmat esse *unam* personam divinam. Dicit Christum hominem Dei, vel Deum hominis. — *Unum* dicit Christum non physice, sed moraliter, et vocabulum *personae* (*προσώπου*) etiam sensu morali adhibet. — Quod autem ad verbum *θεότοκος* attinet, licet Refellitur.

illud *utcumque* adhiberi posse convenerit, rem nomine significatam pervertit, quum nonnisi propter moralem conjunctionem Verbi hominisque assumpti improprio modo B. Virginem ita appellari posse concesserit. — Sed jam ad historiam haeresis revertamur.

Nestorii adversarii.

55. Constantinopoli restiterunt Nestorio inde ab initio praecipue Proclus Cyzici, et Eusebius tunc laicus sed postea Dorylaei episcopus. Mox vero magno cum vigore Cyrillus Alexandrinus Nestorium impugnare coepit, quum etiam Alexandriae et inter monachos Aegypti artibus Nestorii ejus haeresis propagaretur. Cyrillus igitur tum sermonibus ad populum (inde a festo Paschatis anni 429), tum epistola doctrinali data ad monachos orthodoxam doctrinam exposuit atque defendit. Quum Nestorius de hisce certior factus vehementius in Cyrillum exardesceret, hic pariter ad ipsum epistolam scripsit, eum commonens de turbis quas in Ecclesia excitabat, ac postulans, ut Deiparam esse B. Virginem jam inde doceret. Paucis verbis ac superbe hisce litteris Nestorius respondit. Variae dein epistolae inter Cyrillum et Nestorium datae sunt, ac Cyrillus etiam ad Theodosium epistolam dedit seu potius librum de recta in Jesum fide[1]); ad Pulcheriam quoque ejus sororem et Eudoxiam Imperatricem, pias feminas, epistolas doctrinales scripsit[2]). Sed Theodosius potius Nestorii partes suscepit, haeresim ejus nondum perspiciens et aegre ferens, quod ad mulieres quoque illas Cyrillus scripsisset, ac si discordiam in ipsa Imperatoris familia excitare vellet.

Coelestinus R. P.

56. Nestorius autem data semel et iterum epistola ad Coelestinum Pontificem, ejus animum praeoccupare studuit. Petiit a Coelestino, ut ipsum instrueret de causa quorumdam episcoporum occidentalium, qui Imperatorem et ipsum querelis fatigabant, se quamvis orthodoxos esse damnatos, eaque occasione refert, se etiam coactum esse Constantinopoli oppugnare haereticos quosdam, qui pravas

---

[1]) Labbé, Coll. Conc. T. III. col. 45.

[2]) *Liber ad Reginas* ibidem col. 105, et *Oratio ad Reginas de recte fide,* ibidem col. 225.

de Christo ejusque matre doctrinas proponerent. — Cyrillus vero metuens, ne Romano Pontifici haeresiarcha imponeret, a. 430 Coelestinum de illius erroribus certiorem reddidit et de iis quae in ipsum hucusque egerat. Epistola inscripta est: *Beatissimo Deoque dilectissimo Patri Coelestino in Domino salutem.* Alexandrinus Antistes videlicet, secundae sedis episcopus, Romanum *Patrem* vocat ob primatus utique reverentiam. Duo praeterea in illa epistola notanda veniunt. Primo, quod testetur Cyrillus, hanc esse ecclesiarum consuetudinem, ut de emergentibus ubique terrarum haeresibus ad Sedem Apostolicam referatur. *Vetus,* inquit, *ecclesiarum consuetudo suadet, ut ejusmodi res Sanctitati tuae communicentur.* Secundo, quod ait, se ausum non fuisse, inconsulto Coelestino et inexspectata Sedis Apostolicae sententia se a Nestorii communione subtrahere. *Non prius autem,* inquit, *illius communionem palam aperteque deserimus, quam haec ipsa pietati tuae indicaremus. Digneris proinde quid hic sentias praescribere; quo liquido nobis constet, communicarene nos cum illo oporteat, an vero libere eidem denuntiare, neminem cum eo communicare qui ejusmodi erroneam doctrinam fovet ac praedicat. Porro tuae integritatis mens et super hac re sententia, piissimis Deoque devotissimis Macedoniae episcopis, necnon totius Orientis Antistitibus perspicue per litteras exponi debet. Nam cupientibus illis ansam dabimus, ut omnes uno animo in sua sententia persistant, rectaeque fidei quae jam impugnatur opem ferant*[1]). Vides, quam necessaria reputaretur ab orientalibus episcopis auctoritas Romani Pontificis in causis fidei. Cuncti contra Nestorium sentiebant, et tamen antequam ab illius communione discederent, exspectabant *praescriptum* Apostolicae Sedis a Coelestino.

57. Coelestinus acceptis his litteris, acceptisque Cyrilli ad Nestorium et Nestorii ad Cyrillum epistolis, aliisque documentis ad causam pertinentibus[2]), synodo Romae mense Coelestini gesta.

[1]) Labbé Coll. Conc. T. III. col. 340. —

[2]) Id patet ex epistola Cyrilli ad Nestorium scripta: „Coelestino religiosissimo Romanae ecclesiae episcopo, scribit, caeterisque piissimis episcopis qui ipsi adfuere inquirentibus, chartulanae illae et exegeses, quae illuc

Augusto 430 habita, cum auctoritate apostolica sententiam de Nestorio ejusque haeresi tulit. Doctrinam ejus damnavit, et excommunicationis depositionisque sententiam in eum pronuntiavit, nisi intra decem a denuntiatione dies errores suos retractaret, et de Incarnationis mysterio praedicaret doctrinam, quam Romana et Alexandrina ecclesia atque universa religio christiana praedicabant. Notanda autem est forma sententiae, quam Coelestinus Nestorio intimavit in epistola ad eum directa[1]) sequentibus verbis:

Sententia. *Aperte igitur hanc nostram scias esse sententiam, ut nisi de Christo Deo nostro praedices, quae Romana et Alexandrina et universalis Ecclesia catholica tenet, sicut et sancta CPtana magnae urbis ecclesia ad te usque optime tenuit, et hanc perfidam novitatem, quae hoc quod venerabilis Scriptura conjungit nititur separare, intra decimum diem a primo innotescentis tibi hujus conventionis die numerandum damnaveris, ab universalis te Ecclesiae catholicae communione dejectum. Quam formam ad te nostri judicii per memoratum filium meum Possidonium diaconum cum omnibus chartis ad sanctum consacerdotem meum memoratae Alexandrinae urbis Antistitem, qui ad nos super hoc plenius retulit, destinavimus, ut agat vice nostra, quatenus statutum nostrum et tibi et universis fratribus innotescat; quia omnes debent nosse quod agitur, quoties omnium causa tractatur.* Agit hic manifeste Coelestinus auctoritate suprema, absoluta, et independente in Nestorium, vi sui primatus et jurisdictionis in universalem Ecclesiam. Nestorii haeresim damnat, eum excommunicat, executorem sententiae constituit Cyrillum Alexandrinum, et suum decretum omnibus episcopis innotescere jubet, non requisita neque exspectata eorum approbatione et consensione[2]). — Illa auctoritas summa non minus apparet in verbis, quibus Cyrillo executio senten-

ad se nescio quomodo perlatae sunt, a tua pietate an vero ab alio quopiam profectae sint. Scribunt enim ut qui gravissime sint offensi." Coll. Conc. l. c. p. 313. — Ex verbis citatis colligitur, Coelestinum etiam aliunde quam a Cyrillo de erroribus Nestorii certiorem factum esse.

[1]) Coll. Conc. l. c. p 353.

[2]) Cfr. Muzzarelli, De auctoritate Rom. Pontificis in Conciliis generalibus. Tom. II. C. VII. De Concilio Ephesino, §. I.

tiae a Coelestino committitur[1]). *Nostrae*, inquit, *Sedis auctoritate adscita, nostraque vice et loco cum potestate usus, ejusmodi non absque exquisita severitate sententiam exequeris, nempe ut nisi decem dierum intervallo ab hujus nostrae admonitionis die numerandorum, nefariam doctrinam suam conceptis verbis anathematizet, eamque de Christi Dei nostri generatione fidem in posterum professurum se spondeat, quam et Romana et tuae sanctitatis ecclesia et universa denique religio christiana praedicat, is vero modis omnibus se a nostro corpore segregatum esse intelligat.* — In eadem synodo Romana in communionem Ecclesiae restituti sunt, qui propter catholicam fidem a Nestorio illa fuerant ejecti. Praeter epistolas ad Nestorium et ad Cyrillum Alexandrinum, Coelestinus Papa alias epistolas scripsit ad clerum CPtanum, ut constans in fide permaneret, ad Joannem Antiochenum, ad Rufum Thessalonicensem, ad Juvenalem Hierosolymitanum, ad Flavianum Philippensem, majorum sedium Orientis episcopos, ut causam fidei strenue agerent.

58. S. Cyrillus ut delegatus a Pontifice ad sententiam exequendam, anno 430 synodum Alexandriae coëgit ex universa Aegypto. Synodus epistolam misit ad Nestorium, quae continebat denuntiationem sententiae a Coelestino Papa contra eum latae, et duodecim anathematismos a S. Cyrillo contra Nestorium editos, quibus is subscriberet; secus sciret se secundum Apostolicae Sedis sententiam plectendum. Appulerunt igitur Constantinopolim quatuor episcopi a synodo missi; consuetudo videlicet erat conveniendi episcopos majorum sedium, si quando vocandi essent in judicium, per tres saltem episcopos. Litteras apostolicas Coelestini et Cyrilli vicarii ejus, solemniter Nestorio die XXX Novembris a. 430 tradiderunt, uti narrat Theopemptus, unus ex legatis, Patribus Ephesinis. *Die dominica*, inquit, *post synaxim peractam in episcopium ascendimus, ibidemque toto praesente Clero, cunctisque fere Illustribus adstantibus, litteras de quibus sermo est Nestorio*

S. Cyrillus.

[1]) L. c. p. 345.

tradidimus; quibus acceptis constituit nobis, ut sequenti die sermonem cum eo haberemus. Abivimus ergo; at postero die reversos non admisit, neque etiam satisfecit litteris, sed publice pro concione eadem quae ante, et his quoque deteriora dogmata proposuit[1]).

Indictio Concilii.

59. Antequam Nestorio redderentur litterae illae Coelestini et synodica concilii Alexandrini, Joannes Antiochenus miserat ad ipsum litteras ad se a Coelestino et a Cyrillo scriptas, cumque Nestorius ex eis intelligeret, quanta suo capiti impenderet tempestas, tentavit eam in caput Cyrilli convertere. Quare petiit a Theodosio, ut generale Concilium convocaretur, sperans, se artibus suis posse errores conceptos tueri et Cyrillum perdere. De hoc Concilio indicto loquitur ipse Nestorius in epistola tertia ad Coelestinum, scripta antequam sententia Coelestini ad ipsum delata esset. *Placuit vero*, scribit, *piissimis Imperatoribus, Domino adjuvante, etiam synodum inexcusabiliter totius Orbis terrarum indicere propter inquisitionem aliarum rerum ecclesiasticarum.* Indicta autem fuit a Theodosio die XIX Novembris, quum sententia Coelestini nondum Constantinopolim allata fuisset; et quamvis etiam orthodoxi, uti monachi CPtani, synodum petiissent, tamen Imperator praecipue a Nestorio ad hoc inductus videtur. Ei enim favebat, Cyrillo vero infensus erat, uti ex litteris ad hunc directis colligitur. Id partim ex eo provenit, quod a Nestorio praeventus erat Imperator, partim inde quod aegre ferret, Cyrillum etiam ad Imperatrices litteras doctrinales direxisse. Hinc eum in Sacra imperatoria qua ei Concilium futurum annutiat, tractat ut perturbatorem quietis[2]).

---

[1]) Labbé l. c. Conc. Ephes. Act. I. col. 504.

[2]) Inter alia Theodosius scribit: „Scito interim, magnam abs te rerum perturbationem excitatam esse. Neque mirum est sane, eum qui modum excessit, iis conatus suos non definiisse, quae ad ecclesias et ad sacerdotes spectant, sed de nobis ipsis quoque quiddam pietate nostra indignum credidisse. Nam nisi aliquod inter nos dissidium esse putasses, aut certe aliquid ejusmodi litteris tuis oriturum sperasses, cur, obsecro, alia privatim ad nos, et ad Eudociam religiosissimam conjugem meam, alia vero ad Pulcheriam sororem meam Augustam, eamdemque pietatis studiosissimam, perscripsisses?“ Labbé III. 433.

60. Ex his satis patet, Synodum non indictam fuisse ex consilio Coelestini. Litterae enim Coelestini, uti vidimus, Nestorio redditae sunt tantum die XXX Novembris, duodecim scilicet diebus postquam synodus indicta est. Pugnantes alioquin sententias eodem tempore habuisset Coelestinus, cum hinc damnationis sententiam definitivam ferret in Nestorium et executores sententiae mitteret, inde causam Concilio permitteret. Falsum vero est quod censet Petrus de Marca, *de Concordia* L. IV. c. 4. n. 1, videlicet videri Nestorium ad Imperatorem appellasse, ab eoque rescriptum obtinuisse, quo tam Romanae quam Alexandrinae synodi sententia suspenderetur vel antiquaretur omnino. Nam Nestorius suis artibus convocationem Concilii obtinuit, antequam sententia ipsi denuntiaretur, atque ita haec potius edicto praeventa est, quam suspensa. In edicto convocationis autem misso ad majorum sedium Antistites, Theodosius eos cum suis, quos idoneos censerent, sine mora sive excusatione statuto die Pentecostes a. 431 Ephesi convenire jussit, ac vetuit, *ne ulla interim ante coactam Synodum communemque ejusdem quae de omnibus danda esset sententiam, fieret privatim quibuscumque innovatio*[1]).

Theodosii partes.

61. Ista quidem in re certe Theodosius haud omnino ea fecit, quae secundum Ecclesiae constitutionem et auctoritatem Sedis Apostolicae facere debuisset; non satis enim in Nestorii causa et in convocatione Concilii jura Romani Pontificis observavit. Sed non est, cur id miremur. Passim videlicet accidit Imperatoribus et principibus christianis, ut in protectione Ecclesiae ipsis demandata limites transgrederentur, et ea usurparent, quae auctoritati ecclesiasticae commissa sunt. Excusari Theodosius inde potest, quod ipse laicus esset et ab episcopo Nestorio circumventus, quod Imperatores frequenter, ut motus et turbas in Ecclesia orientali componerent, episcopos convocarent, quod ipsi etiam in synodis majoribus congregandis ea praestarent, quae ad iter faciendum et ad victum

---

[1]) Conc. Ephes. P. I. c. 30.

necessaria erant, atque ita ista in re non semper ea observarentur, quae secundum jus strictum conveniebant. Sententia porro Coelestini nondum executioni data erat, ac Nestorius facile persuadere potuit Imperatori, se orthodoxum esse, a Cyrillo omnia perturbari ac Pontificem Romanum decipi, per Concilium vero omnia posse rite disponi. Inferri autem ex gestis illis nullatenus potest, Theodosium non agnovisse Romani Pontificis primatum, vel ejus jus absolutum dirimendi quaestiones majores. Quaestio enim de *principiis absolutis* non est agitata, sed quod opportunum exhibitum fuit Imperatori, id ipse fecit bona intentione.

Coelestini prudentia.

62. Coelestinus Pontifex istis in adjunctis ita egit, ut simul prudenti oeconomia uteretur, simulque jura sua vindicaret. Quamvis sententia ab ipso lata per se plenam auctoritatem haberet, Concilium tamen opportunum esse perspexit ad ampliorem et uberiorem fidei confirmationem, ad stabiliendos in vera doctrina titubantes et ad devios revocandos, ad retundendam Nestorii et ejus asseclarum audaciam, qui etiam civilem Imperii statum commovebant et discordiis perturbabant. Neque conveniebat sapientiae summi Pontificis, rejecto Synodi remedio exasperare Theodosium, principem pium et de Ecclesia bene meritum, ingenio tamen minus insignem. Consensit igitur ipse Concilii celebrationi, atque etiam Imperatorem laudavit de sollicitudine pro Ecclesiae salute et quiete; consensit pariter, ut interim suspensa esset sententia in Nestorium lata; vices suas vero in Concilio demandavit Cyrillo et tribus legatis missis, scilicet Arcadio et Projecto episcopis et Philippo presbytero[1]).

Tuetur jura sua.

63. Caeterum Pontifex variis scriptis ostendit, se nullatenus latam suam sententiam arbitrio Concilii submittere, atque prudentissima ratione auctoritatem et jura Sedis Apostolicae serta et tecta esse curavit. Consensit quidem, ut sententiae in Nestorium latae executio interim

---

[1]) V. epistolas Coelestini R. P. ad Theodosium Imp. et ad Cyrillum Alex., Conc Ephes. Act. II. ap. Labbeum T. III. col. 659 sqq.

suspenderetur, sed simul significavit, per se ei vim inesse, et nonnisi ob desideratam Nestorii resipiscentiam benigna oeconomia eam suspendi posse. Cyrillus videlicet quaesivit a Pontifice, *utrum sancta Synodus recipere deberet hominem a se praedicata damnantem; an quia induciarum tempus emensum, sententia dudum lata perduret.* Respondet Coelestinus: *Tuae sit hoc sanctitatis cum venerando fratrum concilio, ut orti in Ecclesia strepitus comprimantur, et finitum Deo juvante negotium votiva correctione discamus. . . Studeo quieti catholicae, studeo pereuntis saluti, si tamen voluerit aegritudinem confiteri. Quod ideo dicimus, ne volenti se corrigere forsitan deesse videamur; nam si et nobis sustinentibus uvam spinas sibi addiderit, impleatur, manentibus statutis prioribus, sui fructu judicii; colligat quod sulco diabolico seminavit, non nostro consilio, sed se periturus auctore. Probet, nos veloces pedes ad effundendum sanguinem non habere, quando sibi etiam remedium cognoscat oblatum*[1]). Coelestinus igitur latam sententiam haud veluti per se suspensam ob convocationem Concilii considerat; sed ex benignitate vult executionem differri et spatium concedit correctioni, quam a Nestorio ope Concilii sperabat. Interea tamen, non requisita Synodi approbatione, jubet firma manere sua priora decreta, nisi Nestorius corrigatur. Sic independenter a Concilio Coelestinus suam exserit auctoritatem, et simul Apostolicae moderationis praeclara indicia exhibet. Suspensa remansit executio sententiae Apostolicae latae in Nestorium ex consilio ipsius Coelestini, ex deferentia iis temporibus necessaria erga jussionem principis de Ecclesia et fide catholica vere solliciti, etiam ad terminandam concorditer cum omnibus causam de persona Nestorii; non vero quia exspectata Concilii auctoritas per se, et quasi ex necessaria judicii forma, Coelestini sententiam in suspenso relinqueret[2]).

64. Animadvertendum porro est, Coelestinum per legatos suos ita egisse, ut non haberet Nestorii negotium Damnatio non sublata.

[1]) L. c. col. 621.

[2]) Cf. Muzzarelli, De auctor. Rom. Pont. Tom. II. cap. VII. §. 2.

ut causam pendentem, sed ut quaestionem ab ipso jam definitam per sententiam latam, cui Synodus consentire deberet. In epistola legatis suis hanc praescribit agendi rationem: *Auctoritatem Sedis Apostolicae custodiri mandamus; siquidem instructiones quae vobis traditae sunt, hoc loquuntur, ut interesse conventui debeatis; ad disceptationem si fuerit ventum, vos de eorum sententiis judicare debeatis, non subire certamen*[1]). — Et in epistola ad ipsum Concilium quam legati legerunt Actione secunda, Pontifex dicebat: *Direximus pro nostra sollicitudine. . . Arcadium et Projectum episcopos et Philippum presbyterum nostrum, qui iis quae aguntur intersint, et ea quae a nobis antea statuta sunt exequantur; quibus praestandum a sanctitate vestra non dubitamus assensum.* Pontifex igitur decreta sua in causa Nestorii haberi voluit ut definitiva et irreformabilia; ea minime subjecit judicio aut discussioni Concilii, sed prorsus adimpleri mandavit.

Auctoritas in Synodo.

65. Hisce etiam modus agendi legatorum atque ipsius Synodi respondet. Actione secunda legati sibi exhiberi voluerunt, quae Actione prima de Nestorio fuerant statuta, ut ea secundum Coelestini Papae sententiam et conformem ei Concilii mentem confirmarent. *Rogamus*, inquiunt, *ut ea nobis patefieri mandetis, quae ante adventum nostrum in hac sancta Synodo acta sunt, quo juxta beati Papae nostri praesentisque hujus sancti coetus sententiam nos quoque confirmemus. . . Ut sequentes formulam sanctissimi Papae Coelestini, qui hanc curam nobis commisit, et vestrae etiam sanctitatis, judicia vestra confirmare possimus.* — Actione vero tertia legati declarant, se in confirmandis decretis Actionis primae sequi *formam Coelestini sanctissimi Patris Apostolicae Sedis.* — Et S. Cyrillus Alexandrinus eadem Actione dicit: *Quare quum ea quae a Coelestino . . . decreta jam fuerant executi* (legati), *sanctaeque Synodi quae in hac Ephesi metropoli convenit sententiae contra haereticum Nestorium latae adstipulati sint, consequens est, ut . . .*

---

[1]) Ap. Coustant. Epistolae RR. Pontificum. Coelestini Ep. XVII. Tom. I. col. 1152.

commentarii eorum pietati offerantur, quo propria obsignatione, ut moris est, planam faciant ac manifestam cum omnibus nobis canonicam assensionem.

66. Nec minus Patres auctoritatem Apostolicae Sedis, qua ipsis norma jam praescripta erat, agnoscunt. Actione prima sententiam in Nestorium pronuntiantes dicunt: *Coacti per sacros canones et per epistolam sanctissimi Patris et comministri Coelestini Romanae ecclesiae Episcopi, lacrymis subinde perfusi, ad lugubrem contra eum sententiam necessario venimus.* — Igitur sententiam Coelestini in epistola ejus ad Cyrillum contentam habuerunt ut definitivam, cui obtemperare tenebantur. — Firmus denique Metropolita Caesareae in Cappadocia Actione secunda dicit: *Apostolica Sedes Coelestini per litteras quas ad religiosissimos episcopos misit, etiam ante praesenti negotio sententiam regulamque praescripsit, quam nos quoque secuti, . . . quoniam Nestorius a nobis citatus non paruit, formam illam executioni mandavimus, canonicum apostolicumque judicium in eum proferentes.* — Quaestio haec de auctoritate Romani Pontificis respectu Concilii Ephesini praecipua fere est, quae occasione hujus Synodi tractanda occurrit, atque jam vides, ipsum Pontificem Synodo normam et regulam praescripsisse, eum nullatenus sententiam latam arbitrio Concilii subjecisse, sed voluisse, ut nisi Nestorius resipisceret, ipsius decreto Patres Concilii consentirent. Agnoscitur.

67. Ex dictis autem colliges inania esse, quae Bossuetus, Natalis Alexander[1]), Card. de la Luzerne[2]) aliique Gallicani in defensionem causae suae ex convocatione et celebratione Concilii Ephesini afferre nisi sunt. Probare videlicet tentarunt, neque Coelestinum Pontificem neque Patres Ephesinos existimasse, Romanum Pontificem superiorem esse Concilio generali, ejusque judicium in rebus fidei non esse irreformabile, priusquam accedat generalis Ecclesiae assensus. Si enim, inquiunt, id existimassent Coelestinus Papa et Patres Ephesini, neque hi cau- Gallicanorum asserta.

---

[1]) Dissert. IV in saec XIV.

[2]) Sur la Déclaration du Clergé de France.

sam Nestorii in Concilio Romano jam judicatam retractare praesumpsissent, neque Pontifex ut id facerent permisisset. — Quum vero Illmus Maret nostris diebus Gallicanismum moderatum iterum defendere studuerit, convenit pauca saltem ex ipso citare, ut appareat, qua ratione interpretetur res in favorem suae opinionis, *que la monarchie de l'Eglise est une monarchie tempérée, c'est-à-dire que la souveraineté spirituelle est possédée par le Pape et le corps épiscopal, sans que cette participation de l'épiscopat à la souveraineté porte aucun détriment à la primauté pontificale.*

Ill. Maret. 68. Postquam exposuit causam Nestorii et sententiam a Coelestino latam scribit: „Voilà un grand et mémorable exemple de la suprème et universelle juridiction du Pontife Romain. Cet acte d'une immense autorité est accucilli avec respect dans l'Eglise, personne ne l'accuse d'usurpation. . . Sans doute, la majorité des évêques orientaux était contre Nestorius. Mais cette majorité . . . pouvait sembler douteuse à plusieurs, et le plus grand nombre des Eglises n'avait pas pu encore se prononcer sur une sentence pontificale qui venait de paraître. . . Cependant il était nécessaire de mettre fin aux troubles et de ramener la paix et l'unité dans les esprits. Deux partis se présentaient: laisser saint Cyrille exécuter la sentence prononcée contre Nestorius par le Pape Célestin, ou convoquer un concile général. Ce fut à ce dernier parti qu'on s' arrêta; et il est très-important de se rendre bien compte des motifs qui déterminèrent ce choix. — Jam vides, hanc expositionem esse minus accuratam, nec qualis fuerit status rerum Constantinopoli, favor Theodosii erga Nestorium et indignatio in Cyrillum, eâdem satis enarrari. — „Il nous paraît évident que les catholiques cherchèrent dans le Concile général la plus grande autorité, et le remède le plus efficace aux maux de l'Eglise. On ne peut en douter, quand on lit la lettre que les moines de Constantinople adressèrent à l'empereur Théodose le Jeune, pour demander le concile général. Ils l'appellent de tous leurs voeux, parce que, disent-ils, il aura assez d'autorité pour rétablir et mettre

dans un état solide les affaires de l'Eglise qui déjà menacent d'une ruine totale" [1]). — Monachi illi doctrinam Nestorii ut omnino *impiam* habebant, nec ad *dubiam* doctrinam dirimendam desiderabant Concilium, sed ut haereticorum ausus reprimerentur. Nihil sane ex eorum supplicatione deduci potest contra *plenum internum valorem* sententiae Romani Pontificis. Ipsis agebatur de *externo vigore* quo haeresis rejiceretur, et Concilium oecumenicum habent ut medium aptum; nihil haec conferunt ad quaestionem, utrum sententiae Pontificis per se insit plenus valor et auctoritas irrefragabilis. Caeterum sententia Pontificis Constantinopolim nondum delata erat. — „Théodose dans ses lettres de convocation déclare nettement la nécessité du concile. . . Dans une autre lettre Théodose annonce que le concile devra discuter librement les questions qui divisent les esprits. . . Mais par qui cet examen sera institué? Quels seront ceux qui prononceront cette sentence? Théodose répond: Ceux qui président aux Eglises dans toutes les parties du monde doivent être juges dans cette affaire. . . Enfin toutes les procédures commencées devaient être tenues en suspens. . . Si les lettres (citées) n'avaient pas été envoyées par les empereurs à tous les métropolitains de la chrétienté et au Souverain Pontife lui-même sans exciter de leur part aucune réclamation; si dès la première séance du concile général d'Ephèse ces lettres n'avaient pas été lues et insérées dans les actes; . . . si de cette manière elles ne se présentaient pas comme revêtues de l'approbation d'un concile général, nous n'hésiterions pas à accuser Théodose d'avoir dépassé dans ces prescriptions toutes les bornes de la puissance impériale. Mais nous pensons que la double adhésion au moins tacite donnée à ces lettres par le Saint-Siége et par l'épiscopat avant et pendant le concile couvre tous les défauts qu'on peut leur reprocher, et

Obj[illegible] dilu-untur.

[1]) „Nos enim vos de oecumenica synodo rogavimus, quae aptissime possit constabilire et erigere titubantia, sive etiam confracta." Conc. Eph. P. I Monachorum supplicatio; Labbé l. c. p. 425.

que ces lettres impériales nous donnent véritablement l'état de la question au moment de la convocation du concile d'Ephèse"[1]). — Infirma est haec argumentatio, nec verae rerum conditioni conformis. Imperatores dum munere suo protegendi Ecclesiam fungebantur, passim non observarunt stricti apices juris, neque Ecclesia, dum illi in utilitatem ipsius ac bona intentione agebant, semper reclamavit, sed prudenter talia passim toleravit. Rationem agendi Coelestini superius jam expendimus. Immerito contenditur, illas epistolas approbatas posse haberi ab episcopis et a Concilio, si talis approbatio ad singula extenditur. An forte approbavit Cyrillus accusationes et invectivas, quae in prima Sacra imperatoria ad eum directa continentur?

69. „Le Pape avait prononcé dans l'affaire de Nestorius un jugement canonique et revêtu de toute l'autorité de son siège. Il en avait préscrit l'exécution. Et cependant trois mois après cette sentence et avant son exécution tout l'épiscopat est invité à examiner de nouveau et à décider librement la question en litige; et il accepte l'invitation. L'exécution de la sentence pontificale est suspendue du consentement même du Pape. Le jugement le plus solennel, le plus définitif, le plus irréfragable se prépare. — Voilà certes des faits dignes de la plus sérieuse attention; des faits qui prouvent évidemment que dans ces circonstances mémorables, la plus grande autorité, la dernière autorité était, pour les catholiques comme pour les hérétiques, pour les empereurs comme pour les évêques, pour le Pape lui-même, non pas le Pape seul ou avec un nombre limité d'évêques, mais le Pape avec l'épiscopat, le Pape formant avec tous les évêques une grande unité"[2]). — Suspensa est executio sententiae Coelestini; sed inde nullatenus sequitur, quoad plenum internum valorem ei aliquid defuisse. Theodosius, quum Constantinopolim nondum delata esset, haud eam suspendit, sed eam

---

[1]) Du Concile général etc. Tom. I. p. 180 sqq.

[2]) L. c. p. 183.

forte arte quadam politica veluti ignorans, ipsam praevenit. Coelestinus vero sapienti moderatione usus est, simul tamen in instructionibus, quas legatis dedit, providit ne laederetur auctoritas Sedis Apostolicae. — Neque ex omnibus his infertur, Pontificis sententiam non esse in se omnino definitivam, supremae auctoritatis, et irrefragabilem. Celebratio synodi ejusque sententia haud aliquid addidit *valori* sententiae Pontificis, ac si plena auctoritas per se ei deesset. Sed nemini dubium est, omnium episcoporum multitudinem sub Romano Pontifice ejusve legatis in unum locum congregatam, et eorum in unam fidem consensum coram universa Ecclesia propalatum, magni ponderis esse ad confirmandos titubantes et devios revocandos vel reprimendos. Ita celebrato oecumenico Concilio sententiae Pontificis aliquid accedere potest quoad externam solemnitatem, quoad animos fortius commovendos, quoad vigorem executionis in haereticos obstinatos.

70. Jam de *celebratione* Concilii Ephesini agamus. Dies Pentecostes seu septimus Junii anni 431 ab Imperatoribus Theodosio ac Pulcheria statutus erat pro inchoatione Synodi, atque eo tempore jam multi episcopi, inter quos etiam Nestorius ejusque asseclae, Ephesi aderant. Dilatum tamen est Concilii initium, eo quod Joannes Antiochenus cum suis episcopis nondum advenerat. Joannes pluresque alii Syriae et Orientis Praesules favebant Nestorio, haeresim ejus nondum perspiciebant, et injuste eum a Cyrillo exagitari censebant; Cyrillum autem potius suspectum habebant de Apollinaris erroribus. Atque in hunc sensum plures propositiones anathematismorum S. Cyrilli interpretabantur, praecipue quod *ἕνωσιν φυσικὴν* naturarum in Christo assereret, et *μίαν φύσιν τοῦ Θεοῦ Λόγου σεσαρκωμένην, unam naturam Verbi Dei incarnatam* diceret. Hinc Joannes Antiochenus, Andreas Samosatenus, et Theodoretus Cyrensis, vir fama celebris, jam epistolis aliisve scriptis Cyrilli anathematismos oppugnaverant. — Joannes igitur cum suis episcopis, sive quod Nestorio favens de industria moras traheret, ut dicunt Patres Ephesini in sua epistola ad Coelestinum Pontificem, sive quod episcopos

Joannes Antiochenus

suos ob locorum distantiam citius cogere non potuisset, adventum suum retardavit. Scripsit tamen Cyrillo per episcopos duos, cum abesset tantum itinere quinque aut sex dierum, qui non semel testati sunt, sibi datum in mandatis a Joanne, ne sacra Synodus prorogaretur, si ipsum tardari amplius contingeret. Quare cum diebus sedecim frustra exspectatus fuisset, Synodus inchoata est, statimque divisa in duas partes. Pauci quidam, videlicet circiter quindecim, Nestorio adhaeserunt; maxima et orthodoxa pars Cyrillo adhaesit, insignis inter hos erat Memnon Ephesinus episcopus. Adfuerunt autem initio Synodi ducenti circiter episcopi.

Cyrillus praesidet.

71. Adfuit Cyrillus tanquam episcopus Alexandrinus et tanquam Vicarius Romani Pontificis, uti patet ex Actione prima: *Considentibus in sanctissima ecclesia, quae appellatur Maria, religiosissimis et sanctissimis episcopis, Cyrillo Alexandriae qui et Coelestini quoque sanctissimi sacratissimique Romanae Ecclesiae Archiepiscopi locum obtinebat,* etc. Ac jure merito Cyrillus R. Pontificis vices gerebat, cum ei a Coelestino Sedis Apostolicae auctoritas delegata esset ad executionem sententiae contra Nestorium in Romana synodo latae, de quo negotio agebatur in Concilio Ephesino.

Actio prima

72. *Actione* igitur *prima,* quae habita est die 22do Junii, nondum praesentibus legatis Romanis, causa Nestorii agitata est. Ipse ter invitatus ut ad Synodum veniret, id facere recusavit et nihil nisi convicia reddidit. Dein lecta sunt quae adversus Nestorium fuerant suggesta, SS. Scripturarum Patrumque testimonia de SS. Incarnationis mysterio recitata, praecedentium Conciliorum symbola prolata, et S. Cyrilli anathematismi adversus Nestorium confirmati. Nestorius autem damnatus est. *Cum,* inquiunt Patres, *praeter caetera impiissimus Nestorius neque nostrae citationi parere, neque sanctissimos religiosissimosque episcopos a nobis destinatos admittere voluerit, non potuimus ad eorum quae impie docuit examinationem animum non adjungere. Deprehendentes itaque partim ex litteris commentariisque ipsius, partim e sermonibus quos nuperrime in hac Ephesiorum metropoli habuit, quique testimoniis comperti sunt, illum*

impie sentire et praedicare, coacti per sacros canones et per epistolam sanctissimi Patris nostri et comministri Coelestini Romanae ecclesiae Episcopi, lacrymis subinde perfusi, ad lugubrem hanc contra eum sententiam necessario venimus. Igitur Dominus Noster Jesus Christus, quem ille blasphemis vocibus impetivit, per sanctissimam hanc Synodum eumdem Nestorium episcopali dignitate privatum et ab universo sacerdotum consortio et coetu alienum esse definivit. — Altero die Concilii Patres sententiam praefatam Nestorio significarunt his verbis: *Sancta Synodus, Dei gratia juxta religiosissimorum christianissimorumque Imperatorum nostrorum statutum in Ephesiorum mstropoli congregata, Nestorio novo Judae: Agnosce, te propter impias praedicationes tuas et adversus canones contumaciam, vigesimo secundo die mensis Junii praesentis juxta ecclesiasticarum sanctionum decreta, a sancta Synodo depositum atque ab omni ecclesiastico gradu alienum esse.*

73. Decretum Concilii etiam publice affixum fuit, et tum populo fideli Ephesi, tum Cptano nuntiatum, ac paulo post relatio accuratior eorum quae in Synodo gesta erant a Patribus transmissa est Imperatori. Atque Ephesi fidelium multitudo quidem summa cum laetitia Synodi definitionem ac decreta suscepit, sed Candidianus Comes, animo in Nestorium propenso, mox Concilii decretis obsistere nisus est. Irrita ea esse contendit, eo quod praecipitanter ante Antiochenorum adventum res gestae essent, ac de gestis ad Theodosium retulit ea ratione, qua in Patres Ephesinos ejus animum jam in Nestorium inclinatum vehementius commoveret. Nestorius pariter cum decem episcopis missis litteris ad Theodosium, acrius de Concilii decretis ac de sua damnatione conquestus est. — Magis autem res Ephesi perturbatae sunt, quando Joannes Antiochenus cum suis episcopis eo appulit.

74. Cum videlicet quinque dies post sententiam de Nestorio latam essent elapsi, Ephesum venit cum triginta episcopis Joannes Antiochenus. Hic aegre ferens, ipso non exspectato tantam rem esse confectam, et Nestorium cui favebat esse damnatum, ad Concilium venire renuit, Adventus Joannis Ant.

et cum suis triginta episcopis, quibus se junxerunt tredecim alii Nestorio addicti, conciliabulum constituit. In eo, ac si haec esset vera et legitima synodus, Cyrillum et Memnonem deposuit et excommunicavit tanquam viros haereticos et perturbatores pacis; sed etiam reliquos omnes qui illis consenserint excommunicatos declaravit. *Joannes,* ut habet Relatio quintae Actionis ad Coelestinum, *simulatque Ephesum ingressus est, antequam pulverem ex itinere contractum excussisset, antequam se veste exuisset, rem ausus est impiam. Etenim privatum scriptum confecit, depositionisque nomen et contumeliam impegit sanctissimo Cyrillo et sapientissimo Memnoni. Excommunicationis nomine etiam universae Synodo contumeliam fecit. Insuper haec scripto etiam publico mandata deposuit legenda quibuslibet, theatri parietibus affigens, ut suae impietatis spectaculum exhiberet.*

Synodi adversarii.

75. Mirum sane est, tanta audacia Joannem ejusque sequaces progredi potuisse; sed ipsis praesidium praestitit Candidianus Comes ab Imperatore delegatus pro Synodi ordine curando. Joannes et plures ex episcopis ipsi adhaerentibus orthodoxi erant, sed Nestorii errores non perspiciebant, et conquerebantur, contra Imperatoris mandatum, Concilio haud completo, omnia esse confecta a Cyrillo et asseclis ejus. Hos habebant ut haereticos, propter quaedam effata in Cyrilli anathematismis sensu haeretico ab ipsis accepta. — Cyrillum, asserebant, ea ratione quâ aliquando Theophilus patruus ejus Joannem Chrysostomum, nunc persequi Nestorium successorem Chrysostomi, illumque depingere tanquam haereticum, ut e sede CPtana eum detrudere posset.

Theodos. Imp.

76. Theodosius Candidiani litteris deceptus et in Synodi Patres indignatione commotus, rescripsit continuo per Palladium magistrianum, jussitque omnia rescindi tanquam vitio gesta, et communi sententia examinari dogmata, ut tanto facilius omnes consentirent[1]); nec ulli fa-

---

[1]) Utrum Theodosius Candidiani litteras acceperit, antequam perveniret ad eum ipsius Concilii relatio, controvertunt eruditi. Plerique id accidisse existimaverunt, sed Ill. Hefele censet, relationem Concilii

ciendam esse potestatem exeundi Epheso sive in patriam sive ad comitatum, priusquam omnia rite absoluta essent, quo foret necessitas rei maturandae[1]). Synodus vero litteris die 1 Julii ad Imperatorem datis questa est, Candidiani artibus factum hactenus, ut veritas lateret, petiitque ab Imperatore accersiri quinque episcopos qui coram exponerent, quid rerum ab utraque parte et qua ratione gestum esset[1]).

77. Interim die decima Julii, Arcadius et Projectus episcopi et Philippus presbyter, Coelestini Pontificis legati, Ephesum appulere et excepti sunt a Synodo. Celebrata est eodem die *Actio secunda,* in qua lectae sunt ritu solemni litterae Coelestini, ipsique a Patribus acclamatum: *Novo Paulo, Coelestino, Coelestino custodi fidei, Coelestino cum Synodo concordi, Coelestino universa Synodus gratias agit.* — Postridie habita est *Actio tertia,* in qua lecta quae ante gesta fuerant in depositione Nestorii, et dicta in eumdem Nestorium a tribus legatis singillatim sententia; postea relatum a Synodo ad Imperatorem de legatorum adventu et consensu in condemnationem Nestorii, ac tandem postulata discedendi facultas. — *Actio quarta* celebrata est die decima sexta Julii, in qua oblatus a Cyrillo et Memnone libellus, quo apud sanctam Synodum expostularunt de injuria sibi ab Orientalibus (Antiochenis) facta, petieruntque vocari Joannem Antiochenum. Qui cum non compareret, pronuntiatum est a Patribus, irrita esse quae Joannis synodus fecisset contra Cyrillum et Memnonem, decretumque, ut hac de re scriberetur Imperatori, ac tertio citaretur Joannes, priusquam jure in ipsum ageretur. — *Actio quinta* habita est die decima septima Julii et Joannes tertio vocatus; qui cum renuisset episcopos ad ipsum missos audire, statuit iterum Synodus, irrita esse quae adversus Cy-

Actio secunda.

ad Theodosium transmissam fuisse ante illius litteras. Id erui tenet ex epistola Dalmatii archimandriti et Cleri Cptani ad Cyrillum et Patres Concilii (Ap. Harduin. T. I. col. 1589.) Res tamen, ea epistola considerata, non omnino liquida mihi videtur.

[1]) V. litteras imperiales ap. Labbeum T. III. col. 703.

[2]) Ibidem col. 745

rillum aliosque gesta essent. — In *sexta Actione* fidei definitio, a symbolo Nicaeno incipiens, lecta est, et Concilii actis inserta. — In *septima* vero et ultima *Actione,* quae die 31ª Julii habita est, decisae sunt controversiae quaedam privatae, et sex canones conditi contra Nestorium, Pelagianos et Messalianos. — Quomodo vero legati Pontificis sacrae Sedis auctoritatem constanter tuiti sint, superius jam vidimus. Prae oculis habendum est, Concilium Ephesinum ex sententia Coelestini non habitum esse, ut definitive examine renovato de Nestorii causa tanquam ancipiti judicaretur, sed ut universalis Ecclesiae suffragio in generali Synodo manifestato, audacia haereticorum confringeretur, atque errores facilius refellerentur. *Firmum igitur est,* ait Philippus legatus in allocutione ad Synodum Act. II, *juxta omnium ecclesiarum decretum, (nam orientalis et occidentalis Ecclesiae sacerdotes vel per se, vel certe per legatos sacerdotali huic consessui intersunt), quod in ipsum* (Nestorium) *pronuntiatum est.*

Oppositio contra Synodum.

78. Verum quum haec agerentur, Theodosius Imperator fraudibus circumventus et haud mediocriter in Concilium commotus, multas excitavit difficultates, quas singillatim describere longum est. Res eo devenit, ut Nestorium quidem, sed etiam Cyrillum et Memnonem e sedibus ejectos declaraverit, et hosce duos Ephesi custodiae tradi, et inde ab initio Augusti per aliquod temporis intervallum detineri fecerit. Sed non ita multo post adductus est, ut Concilio legitimo consentiret. Tunc Nestorium in monasterium Antiochenum relegavit, in ejus locum Maximianum, virum orthodoxum atque dignissimum, ordinari curavit, et Patres Ephesinos dimisit. Pervenit Cyrillus die 30 Octobris Alexandriam, ubi magno omnium gaudio ac triumpho receptus est.

Coelestini confirmatio.

79. Quum ea quae Concilium praesentibus legatis R. Pontificis de fide ac de Nestorio decreverat, omnino consona essent sententiae Coelestini jam antea pronuntiatae, per se ulterior Synodi confirmatio non requirebatur. Haec tamen continetur in epistola quam dedit Coelestinus mense Martio a. 432 ad episcopos Concilii qui Constantinopoli

tum degebant. Laudat in ea Pontifex Patres quoad dejectionem Nestorii, *cujus rei tam fideliter peractae*, ait, *vos executores nobiscum videmus fidei defensores.* Deinde approbat ordinationem Maximiani in episcopum CPtanum. Postremo circa Joannem Antiochenum et alios per Concilium a suis gradibus dejectos suam sententiam profert, ex qua manifeste elucet, quanta fuerit Apostolicae Sedis auctoritas quoad Concilia oecumenica. Etenim non approbat in omnibus severitatem Concilii in reos, sed ipse sua auctoritate diversa statuit et decernit. Ait enim: *De his autem qui cum Nestorio videntur pari impietate sensisse, atque se socios ejus sceleribus addiderunt, quamquam legatur in eos vestra sententia, tamen nos quoque decernimus quod videtur. Multa perspicienda sunt in talibus causis, quae Apostolica Sedes semper aspexit. . . . Sit caput sceleris cum his quos synodalia loquuntur statuta damnatum, reliqui quos cum hoc sentientes in communione ecclesiastica non habemus, ejiciantur e civitatibus suis et se in nostro collegio noverint non futuros, nisi secundum ecclesiasticum et christianorum principum constitutum damnata cum auctoribus sociisque damnantes, se profiteantur catholicos sacerdotes. . . . Antiochenum vero si habet spem correctionis, epistolis (vel episcopum) a vestra fraternitate volumus conveniri, ut nisi quae sentimus senserit, novellam blasphemiam eodem exemplo scripta sua professione condemnans, intelligat de se quoque Ecclesiam quod fidei nostrae respectus imperat, ordinare. Credendum tamen de divina est misericordia, quod omnes in viam redeant veritatis, si de supradicto loco horum malorum caput et causa auferatur*[1]).

---

[1]) Labbé Coll. Con. III. col. 1069 — Ultimis verbis respicit promissionem Nestorio datam, ut prope Antiochiam in monasterio degat. Jam superius Coelestinus hanc concessionem ut fidei periculosam reprehenderat. et postulaverat, ut in regiones remotiores ille haeresiarcha segregaretur. Auctoritatem suam et sollicitudinem in universam Ecclesiam etiam ibidem manifestat. „Longius quidem sumus positi, scribit, sed per sollicitudinem totum propius intuemur. Omnes habet beati Petri Apostoli cura praesentes, non nos ante Deum nostrum de hoc possumus excusare quod scimus. Nam quamquam haec quae loquimur sanc-

Illm. Maret. 80. Hisce enarratis, jam convenit ut ea exponamus, quae Illmus Maret ex actis Concilii Ephesini, ut suam causam propugnet, deprompsit. Inter alia scribit: „Le Concile approuvant que la sentence n'aît point été exécutée, et n'obéissant qu' à un sentiment de charité, traita d'abord Nestorius comme légitime évêque de Constantinople. . . Nouvelle preuve du consentement que le Pape donnait à ce que sa sentence demeurât sans effet jusqu' à la décision du Concile"[1]). — Jam vidimus, Coelestinum consensum illum dedisse, vel potius eum suspensionem illam voluisse, *oeconomia moderationis sapientis,* non vero *ex defectu aliquo auctoritatis,* ac si definitio ejus doctrinalis non fuisset definitiva. Synodo autem haud delata est ab eo *decisio in re doctrinalia adhuc dubia,* sed concursus ad *tuendam doctrinam orthodoxam* jam statutam, et ad *exequendam cum vigore sententiam latam.*

Rerum expositio. 81. Multa dein Illmus Praesul congerit ut ostendat, examine *serio* et *libero* in Nestorii et Cyrilli doctrinas fuisse inquisitum. „On donna lecture des lettres où les deux patriarches avaient exposé leurs sentiments, et chaque Père du Concile fut appelé à donner librement son avis. Chacun évidemment avait le droit de proposer son opinion consciencieuse quelle qu' elle fût. Ainsi rien de plus spontané, de plus libre, que les avis émis par chaque membre de la sainte assemblée. . . Or ces documents que le Concile examinait avec tant de liberté et indépendance, qu'il jugeait en approuvant l'un, en rejetant l'autre, étaient les mêmes lettres que le Saint-Siége avait déjà examinées et jugées. Le Concile, c'est-à-dire l'Eglise réunie sous l'autorité de son Chef, représenté par saint Cyrille, s'attribuait donc le droit de discuter une sentence émanée du Pape seul. Ne prouvait-il pas par cette conduite, qu'il se regardait comme l'autorité dernière et définitive?"

---

titas vestra tacuerit, agnovimus tamen omnia diligentius requirentes. Tantae igitur causae finis qui superest, actibus vestris quaeso respondeat, quia nolumus in modico vos deesse, qui maxima peregistis."

[1]) L. c. p. 184.

82. Dein relata sententia Concilii a nobis citata, auctor scribit: „Dans cette sentence le Concile rappelle l'examen libre et juridique qu'il vient de terminer. C'est de son autorité souveraine et au nom même de Jésus Christ qu'il prononce son jugement. Et s'il se déclare obligé à cet acte de justice souveraine par les saints canons et par la lettre de son très saint Père et comministre Célestin c'est, dit Bossuet, *qu'il il reconnaît dans la lettre du Pape la force d'une sentence juridique qu'on ne pouvait point ne pas confirmer, parce qu'elle était juste dans son fond et valable dans sa forme comme étant émanée d'une puissance légitime.* Mais remarquons bien que cette confirmation de la sentence du Pape est le résultat de l'examen le plus exact et en même temps le plus libre. Si on voit (au concile d'Ephèse) éclater d'une manière admirable la divine autorité, la primauté, l'universelle juridiction du Pontife romain prononçant le premier le décret dogmatique, juge des plus grands patriarches de l'Eglise, exécuteur et modérateur des canons, on y voit aussi les Evêques réunis en Concile examiner, discuter librement les jugements les plus autorisés du Siége Apostolique, n'y adhérer qu'avec une entière connaissance de cause, décréter par leur propre autorité ce qui était déjà défini, décrété par le Saint-Siége, confirmer ses jugements comme leurs propres jugements sont confirmés par le sien, et ajouter aux décrets ecclésiastiques, par l'unanimité morale des sentiments, le dernier sceau qui les rend absolument définitifs et irrévocables. — Il résulte avec une entière évidence de tout ce qui précède, qu'au temps du Concile d'Ephèse la souveraineté spirituelle ne résidait pas dans le Pontife Romain seul; mais que le corps épiscopal y participait réellement sans détriment des droits de la primauté romaine. La monarchie pontificale était donc à cette époque une monarchie véritablement tempérée par l'aristocratie épiscopale" [1]).

---

[1]) L. c. p. 185 sqq.

Expenditur. 83. Haec argumenta aliaque similia quae ab Auctore proferuntur, facile diluuntur, dummodo principia quaedam generalia prae oculis habentur. — *Examen* distinguitur duplex, aliud *cum jure dissensus,* aliud *adhaesionis et intelligentiae.* Illud tantum locum habere potest quando res, de qua agitur, est adhuc in medio posita; istud vero etiam re jam decisa admittitur. Sic examinamus Scripturas sine jure dissensus, in finem comparandae intelligentiae. Sic episcopi, quum sint pastores et officium habeant fidem explicandi et defendendi, jus etiam habent in doctrinis definitis ad examen intelligentiae, imo officium. Illud autem jus et officium maxime illis convenit, dum in Synodo congregati sunt, ut suum concursum praebeant summo Pontifici ad tuendam fidem et haereticos refellendos.

Episcopi judices. 84. Ad *judicium* quod spectat, sunt judices *immunes* et judicia *immunia,* et sunt judices *obnoxii* et judicia *obnoxia.* Ecclesia autem societas est maxime inaequalis, et cujus suprema auctoritas tandem revocatur ad unum Petri successorem. Caeteri omnes sunt judices obnoxii, quando agitur de causa a supremo judice immuni jam decisa. Atque optime sibi constare possunt judicia obnoxia praelucente judice immuni. Immunis est judex, qui pro auctoritate arbitratur, et cui arbitranti obediendum est. Obnoxius dicitur judex, cujus auctoritas non est princeps, sed est auctoritas quaedam derivata et plus minusve circumscripta; intentam debet habere mentem ad legem et auctoritatem superiorem, secundum quam sententiam ferre debet. Nulla proinde est pugna. — Quamvis autem episcopi sint judices obnoxii, inter eorum tamen judicium et judicium alicujus clerici ea est differentia, quae est inter judicium praefiniti magistratus, cui tenentur subditi acquiescere, et judicium aliorum virorum eruditorum in aliqua re, cui judicio tamen non tenentur ex se alii acquiescere.

Confirmationis indoles. 85. De *confirmatione* doctrinae vel decretorum haec notanda sunt. Etymologice hoc verbum significat *firmare simul,* et ex sese confirmatori non asserit praerogativam, sed ostendit tantum, eum ad aliquid statuendum conspirasse. Hoc potuit ut superior, par, inferior. Ex hac

autem potestate etymologica vocis derivantur multae significationes usu ecclesiastico receptae. Quum diversimode possit aliquis operam suam conferre ut aliquid valeat, imprimis confirmare dicitur qui ita opem suam confert, ut ab ipso essentialiter dependeat ut valeat res. Romano Pontifici igitur adscribitur e. g. confirmatio doctrinae et decretorum alicujus concilii sic, ut 1° sit cooperatio potior, 2° cooperatio essentialis, ita ut si haec cooperatio confirmatrix adsit, valeat quod conclusum est in concilio, ut res *materialiter* existens, vel valore juridico non pleno, incipiat existere *pleno valore juridico.* — Confirmatio episcoporum, si agitur de statutis ab ipsis communi opera confectis, est expressio eorum concursus ad existentiam et valorem juridicum talium decretorum. Si agitur autem de confirmatione decretorum quae valorem juridicum plenum jam habent, talis confirmatio a) haberi non debet ut confirmatio ethice libera, sed ut necessaria, ita ut episcopi non potuerint moraliter suum suffragium et confirmationem non adjicere. — b) Proinde illa confirmatio potius fere est praestatio officii, quam juris exercitium. Nam quae ad normam morum praetermitti non possunt, ea ex sese spectant ad officium exserendum, licet caeteroquin ad ea etiam jus habeatur. Si vero cum ejusmodi confirmatione honor et dignitatis manifestatio junguntur, patet, quomodo exterius passim magis insistatur tali juri ostendendo, quam officio affirmando. — Hinc c) ex confirmatione qua episcopi passim confirmarunt quae a Romano Pontifice vel ab oecumenicis Conciliis decreta erant, nullatenus profecta censeri potest vis ipsorum decretorum juridica, quum confirmatio illa esset ethice necessaria. — Sed d) valde utilis tamen saepe ejusmodi confirmatio est, ut consensio omnium juridice praesumpta et ethice necessaria reddatur facto conspicua, ut doctrinae sanae defendantur validius, et haereticorum fraudes reprimantur.

86. Haec principia si prae oculis habentur, facile diluentur omnia, quae congerit Illmus Maret, nec singula persequi necessarium est. Illud tantum observamus, ejus descriptionem rerum minus accuratam esse. Si enim ea Objecta diluuntur.

legeris quae narrat de libertate examinis, qua omnia in synodo discussa fuerint, dixeris, ibi amplas disputationes habitas esse, vel aliquos episcopos Nestorii causam defendisse, ac tandem omnibus in utramque partem ponderatis sententiam de hetorodoxia doctrinae Nestorii esse pronuntiatam. Sed si Actionem primam Synodi Ephesinae perlustratus fueris, omnino aliter rem accidisse agnosces. Episcopi ex scriptis ante Concilium libellis doctrinam Nestorii oppositamque Cyrilli jam cognoscebant, iisque de heterodoxia Nestorii persuasum erat. In Synodo lecta sunt scripta Nestorii, Cyrilli, Coelestini, ac testimonia Patrum orthodoxa de Incarnatione, et sine multis discussionibus episcopi suam sententiam pronuntiarunt, qua approbant doctrinam Cyrilli et Nestorium damnant.

Eventus post Synodum.

87. Post Concilium Ephesinum aliquanto tempore Joannes Antiochenus, Theodoretus, pluresque alii episcopi Orientis in sua oppositione perseverarunt. Attamen illa oppositio quoad plurimos potius ex aestu passionis proveniebat, quam ex heterodoxis opinionibus. Ira videlicet et animositate seducti sibi persuaserunt, ab ipsis exigi professionem unius naturae in Christo, doctrinas Arianismo et Apollinarismo infectas Cyrilli scriptis latere, doctrinas Nestorio adscriptas esse quidem perversas et damnandas, sed Nestorium talia haud docuisse eumque immerito esse damnatum. Paulatim tamen, urgente Imperatore et monente Coelestino, ad pacem et unionem perventum est. Cyrillus ex parte sua symbolum quod illi episcopi ediderunt ut plane orthodoxum recepit, et explicationibus datis illis praebuit occasionem ut agnoscerent, se in scriptis suis errores haud proposuisse; postremo etiam fere omnes eo adducti sunt, ut Nestorii damnationi subscriberent. Ita a. 435 pax omnino restituta est; pauci tantum episcopi obstinati, uti Meletius Mopsuestenus et Alexander Hieropolitanus, ex sedibus suis depulsi sunt.

Appellatio.

88. Paucis vero convenit hoc loco commemorare *appellationem ad Sixtum III* Rom. Pontificem, quam ad eum direxerunt a. 433 Helladius Tarsensis, et Eutherius Thyanaeus Metropolitae, quum Joannes Antiochenus jam mu-

tato consilio, ad unionem cum Cyrillo accederet. Tunc videlicet hi episcopi, quibus alii plures Praesules sese junxerunt, appellationem miserunt ad Sixtum III Romanum Pontificem, qui a. 432 Coelestino successerat. In sua ad Sixtum epistola[1]) Eutherius et Helladius varia in medium adducunt adversus Cyrillum et ejus capitula, quae dicunt blasphemam vocum novitatem continere; Cyrillum jussisse ea subscribi a Nestorio alioquin deponendo; Nestorium haereticis dolis consentire noluisse, et ob id solum ab Ephesina Synodo damnatum, et quidem ante multorum qui exspectabantur episcoporum adventum, atque ita sine Synodo. Varia quoque in medium adducunt adversus Joannem Antiochenum, praesertim, quod quae juste egerat postea retractarit ac lapsus sit in manifestam praevaricationem, Cyrillum sine poenitentia et anathemate suorum capitulorum in communionem admittens. Contra Ephesinam Synodum plura etiam afferunt, praesertim quod Cyrillum, qui reus erat, in Praesidem admiserit, Nestorium sine examine et ante convocatorum episcoporum adventum damnaverit, quod promissionibus, minis et fraudibus, ut sententiae contra Nestorium subscriberent, varios adduxerit; quod episcopos etiam damnaverit et alios in eorum locum instituerit. Denique appellantes non detrectant damnare Nestorium, sed volunt judiciali ordine et juxta sacros canones id fieri. *Rogamus,* inquiunt, *et sanctis tuae Religiositatis provolvimur pedibus, ut manum porrigas salutarem et auferas mundi naufragium, omniumque horum inquisitionem jubeas fieri, et his illicitis coelestem superduci correctionem. Ut revocentur quidem sancti Pastores, qui injuste sunt a suis ovibus effugati, et reddatur gregibus ordo et antiqua concordia.* Rogant, se et alios dejectos episcopos in integrum restitui, per Papam omnia retractari ac etiam definiri. Tum pergunt: *Olim quidem concurrissemus nos ad Sanctitatem Tuam, qui e diversis regionibus sumus, id est ex Euphratesia, ex utraque Cilicia, secunda Cappadocia, Bithynia, Thessalia et Moesia, nisi detineret nos luporum*

---

[1]) V. Coustant, Epist. RR. PP. sub Sixto III.

terror, insidiantium gregibus ad rapinam, et ad errorem omnemque adversitatem. Unde coacti sumus nostra vice dirigere religiosissimos clericos et monachos, qui impleant locum nostrum. — Ex quibus patet, diversarum provinciarum episcopos huic appellationi inhaesisse.

Sixti III auctoritas. 89. Quamvis autem appellatio haec esset praepostera, quum sententia ab ipso Romano Pontifice lata esset, eademque nonnisi ex eo possit explicari, quod passione illorum episcoporum animus esset valde commotus et judicium obscuratum, insigne tamen est documentum, quanti habita fuerit R. Pontificis auctoritas. Haud invenitur in documentis exstantibus, quid Sixtus ad illam appellationem responderit. Pagius advertit, a Sixto certe non retractatam fuisse causam illam Nestorii, sed existimandum, Pontificem sancita a Synodo Ephesina effectum sortiri voluisse. Sed ex eventibus concludi, eum aliqua quae severius in Synodo a Maximiano Constantinopoli habita in episcopos unioni resistentes statuta fuerant, circumscripsisse, et Praesules e dignitate depositos in integrum restituisse, dummodo articulis pacis subscriberent. Id vero a plerisque factum esse jam animadvertimus, ita ut brevi post pax in Oriente restitueretur.

Nestoriani reprimuntur. 90. Anno 435 Theodosius legem dedit qua edixit, ut Nestorii libri undequaque conquisiti flammis traderentur, Nestoriani nusquam convenirent et non Christiani sed Simoniani vocarentur. Tunc Nestoriani scripta Diodori Tarsensis ac praecipue Theodori Mopsuesteni, qui Nestorii erroribus praeluserant, in varias linguas translata quaquaversum divulgarunt. His propagandae haeresis artibus restiterunt Theodorus Ancyranus, Acacius Melitinensis, et Rabulas Edessenus, qui etiam ad episcopos Armeniae scripserunt, ne Theodori Mopsuesteni libros reciperent. — Nestoriani in Imperio Romano quidem repressi sunt, sed transierunt ipsi in Persidem. Eorum dux et antesignanus fuit Barsumas, quem Nisibis episcopum ordinarunt. Inter Christianos Persidis suam haeresim propagarunt eo successu, ut versus finem hujus saeculi ipsum archiepiscopatum Seleuciensem possiderent. Profuit iis Persarum

in Graecos odium, quo Persae sibi magis devinctos fore putabant Christianos suae regionis, si hi religione etiam a Graecis dissentirent. Ex Perside porro latius diffusa est pestifera lues; nam et Syriam, Mesopotamiam et Chaldaeam infecit, et paulo post per Aegyptum, Arabiam, Indiam, usque in imperium Sinense propagata est, ita quidem ut saeculo XIII centum circiter et quinquaginta Nestorianorum essent in Oriente episcopi. Sed subsequentibus saeculis maxima Nestorianorum pars a Muhamedanis exterminata est, et alii unionem cum Ecclesia inierunt, ita ut nostro tempore in Assyria et Perside vix tringinta millia Christianorum, qui Nestorianae haeresi addicti sunt, superesse videantur.

Dissertatio decima.

De Concilio Chalcedonensi.

Monophysitismi germina.

1. S. Cyrillus in ea, quam post initam unionem scripsit ad Joannem Antiochenum epistola, eum rogat, ut reprimat eos qui confusionem naturarum in Christo praedicent et talem opinionem etiam ipsi Cyrillo adscribant. *Tua sanctitas,* scribit, *illorum ora comprimere dignetur, qui concretionem vel confusionem vel commixtionem Verbi Dei cum carne factam esse dicunt. Verisimile namque est, nonnullos esse qui ista quoque de me in vulgus jactent, quasi talia senserim aut dixerim. Atqui tantum abest, ut eos etiam insanire existimem, qui vel aliquam conversionis adumbrationem in divinam Verbi naturam cadere posse suspicantur*[1]. Quemadmodum ex hisce verbis perspicuum est, S. Cyrillum distinctionem naturarum in Christo omnino agnovisse, ita ex altera parte colligitur ex iisdem, jam tunc fuisse, qui tale quid de Christo tenebant et hanc sententiam etiam Cyrillo adscribebant.

2. Et re quidem vera tria fuerunt genera eorum, qui isto sensu Cyrilli effata interpretabantur. Primo quidem illi episcopi, qui bona quadam fide, uti Eutherius et Helladius, Joannis Antiocheni partes tenuerant, et unioni consentire tardabant, eo quod censerent a Cyrillo confusionem naturarum asseri. — Idem quoque Nestoriani, dum duas in Christo personas esse vindicabant, Cyrillo imputabant, contendentes, nisi duae personae in Christo statuantur,

---

[1]) Collect. Conc. Labbaei, tom. III. c. 1105.

necessario Apollinaris et Arianorum divinitatis et humanitatis confusionem teneri, eoque errore Cyrillum esse infectum. — Inter eos qui Concilio Ephesino adhaeserunt, aliqui fuerunt revera opposito errore Monophysitismi jam infecti, qui sicuti duas personas ita et duas naturas in Christo rejiciendas esse putabant, eo sensu scripta Cyrilli interpretabantur, eumque ipsis patrocinari existimaverant. Unde etiam illi indignati sunt, quod Cyrillus unionem cum Orientalibus iniret, et duas naturas in Christo cum iis fateretur. De hisce loquitur S. Cyrillus in epistola quoque ad Eulogium presbyterum Alexandrinum Constantinopoli degentem, scribens: *Expositionem quam Orientales fecerunt reprehenderunt nonnulli ac dicunt: Quamobrem episcopus Alexandrinus illos toleravit ac laudavit, etiam cum duas naturas nominarent? Qui autem Nestorium sectantur eadem et illum sentire contendunt, eaque ratione illos, qui minus accurate rem percipiunt, in suam sententiam abripiunt. Verum iis qui hoc nomine nos accusant, respondendum est, non omnia quae haeretici dicunt statim fugienda et repudianda esse. Multa enim confitentur ex iis, quae nos quoque asserimus. Exempli causa, cum Ariani Deum Patrem omnium conditorem ac dominum esse dicunt, num ideo consequens est, ut ejusmodi confessiones adversemur? Sic et de Nestorio quoque, licet duas naturas esse dicat, carnis et Verbi Dei differentiam significans, (est enim alia Verbi, alia carnis natura), attamen unionem una nobiscum non confitetur*[1]).

3. Ex hisce satis patet, jam tempore Concilii Ephesini fuisse, qui novam haeresim excubabant de *una in Christo natura.* Iste error, *Monophysitismi* cui nomen, mox aperte prorupit, et majores etiam quam Nestorianismus turbas in Ecclesia excitavit. Imo per plura saecula Orientis exagitavit regiones, multos in ruinam pertraxit, atque nostris quoque diebus apud varias sectas schismaticas perdurat. — Modo jam disquisitionem instituamus de Monophysitismo; de ejus videlicet initiis agemus, et maxime Dissertationis indoles.

[1]) L. c. c. 1147.

de *Concilio Chalcedonensi,* oecumenico quarto, quod ad exstinguendum illum errorem celebratum est. Varii autem eventus illud Concilium praecesserunt, qui ad initia Monophysitismi pertinent, atque etiam propterea hic tangendi sunt, ut celebris controversia de tribus Capitulis subsequente saeculo agitata intelligi possit. Hinc primum disseremus *de eventibus ante Concilium Chalcedonense,* dein vero *de ista Synodo oecumenica.*

Cfr. praeter auctores praecedenti Dissertatione citatos, Hergenröther, *Photius B. I. Buch I. C. 3; Kirch.-Gesch. B. I. S. 320; B. III. S. 123.* — Martin, *Le Brigandage d'Ephése d'après les Actes récemment découverts,* Revue des sciences ecclésiastiques, 1874, tom. IX. et X.

I.

De eventibus ante Concilium Chalcedonense.

Ibas Edessenus.

4. *Causa Ibae Edesseni.* — Inter eos qui multum contulerunt ut Nestorianismus penitus reprimeretur, eminuit *S. Rabulas* Edessenus episcopus et metropolita provinciae Osrhoënae in Armenia. Is quidem initio ex partibus steterat Joannis Antiocheni, sed adhuc antequam unionem iniisset Joannes, ab ipso recesserat, et Cyrillo sese junxerat. Post unionem factam, quum Nestoriani, uti diximus, libros Theodori Mopsuesteni propagare studerent, Rabulas Cyrillum monuit, libros Theodori fontem esse haeresis Nestorianae, Armeniae episcopos a legendis istis libris deterruit, et in ecclesia Edessena ipsum Theodorum anathemate perstrinxit. Quidam tamen episcopi Ciliciae praetenderunt, Rabulam ita in scripta Mopsuesteni invehere, quod ipse aliquando a Theodoro erroris convictus fuisset; atque etiam in clero Edesseno haud defuerunt, qui Theodori Mopsuesteni memoriam violari, aegre ferebant. Fuit ex his Theodori admiratoribus maxime Ibas presbyter Edessenus; et de Theodoro tunc jam controversia orta est. Attamen quum ipse Cyrillus Alexandrinus et Proclus

CPtanus anathema in Theodorum ferre haud opportunum censerent, etiam Theodosius Imperator rescriptum dedit ad Joannem Antiochenum, quo jubebat pacem ecclesiasticam servari, nec eos accusari qui in communione ecclesiastica obierant. Sic pro tempore controversia illa sopita est; eo vel magis, quod Rabulas a. 435 e vita discederet, eique succederet Ibas ille Theodori admirator. Ejus causa mox motus non modici in ecclesia Edessena exorti sunt.

5. Quum Ibas adhuc presbyter esset, et S. Rabulas acrius in Theodorum invexisset, scripsit ille famosam suam *epistolam ad Marim* Persam, episcopum civitatis Hardaschir. Haec epistola multis difficultatibus praebuit ansam, atque de ea tum in pseudosynodo Ephesina, tum in Concilio Chalcedonensi, tum maxime subsequente saeculo in Synodo oecumenica quinta actum est. Quapropter hoc loco fragmentum ejus praecipuum, uti in Synodo Chalcedonensi lectum est, citare, opportunum esse censuimus, ut contextus totus prae oculis haberi possit. Idque eo magis convenit, quod textus latinus integer apud auctores vix inveniatur, et Conciliorum Collectio non omnibus ad manus esse possit.

6. Scribit igitur Ibas ad Marim post prooemium: „In brevi autem clarae tuae prudentiae, quae in paucis multa cognoscit, indicare quae pridem et nunc hic acta sunt, festinavimus, scientes, quia quae vestrae sanctitati a nobis scripta sunt, vestro studio illic omnibus innotescent, et quia nullam permutationem scripturae a Deo traditae susceperunt. Facio autem hujus argumenti principium ex sermonibus, quos et ipse edoctus es. Contentio facta est, ex quo hic tua religiositas fuit, his duobus hominibus Nestorio et Cyrillo: et conscripserunt adversum se nocivos et perniciosos libros, qui audientibus fuerunt scandalum. Nestorius enim dixit in suis libris, sicut et religiositas tua novit, quia beata Maria Dei genitrix non est: ita ut multi putarent, ex haeresi Pauli Samosateni hunc esse, qui dixit hominem purum esse Christum. Cyrillus autem libros Nestorii volens destruere lapsus est, et inventus est in Apollinarii dogma incidens. Conscripsit enim et iste illi Ibae epistola.

similiter, quia ipse Deus Verbum homo factus est, ut non esset differentia inter templum et inhabitantem in eo. Conscripsit enim duodecim capitula, quae puto et tuam cognovisse religiositatem: quia una natura et divinitatis et humanitatis Domini nostri Jesu Christi: et quia, sicut dicit, non oportet dividere voces dictas, quas vel ipse Dominus de semetipso dicit vel Evangelistae de eo. Haec omnia impietate plena sunt, sanctitas tua novit. Quomodo enim accipi potest hoc quod est in principio Verbum, de templo quod factum est ex Maria? aut illud: Minuisti eum paulo minus ab angelis, de divinitate Unigeniti dictum? Ecclesia enim sic dicit, sicut et tua religiositas novit, et a principio est edocta atque firmata divina doctrina ex libris beatissimorum Patrum, duae naturae, una virtus, una persona, quae est unus filius Dominus noster Jesus Christus. Ob hanc contentionem victores et pii Imperatores jusserunt episcoporum primores in Ephesina congregari civitate, et coram omnibus libros Nestorii et Cyrilli judicari. Prius autem quam omnes episcopi qui jussi fuerant congregari venissent in Ephesum, praecedens idem Cyrillus aures omnium quodam medicamine, quod solet sapientium oculos obcaecare, praeoccupavit. Invenit autem causam ex odio quod habuit circa Nestorium. Et antequam in synodum adveniret sanctissimus et Deo amantissimus archiepiscopus Joannes, Nestorium ex episcopatu deposuerunt, judicio et inquisitione non facta. Post duos autem dies damnationis ejus venimus Ephesum, et cognoscentibus (*μαθόντων ἡμῶν*), quia in damnatione Nestorii, quae ab eis facta est, duodecim capitula quae a Cyrillo conscripta sunt, cum essent contraria verae fidei, posuerunt et firmaverunt, et consenserunt eis tanquam verae fidei consonis, omnes orientales episcopi eumdem Cyrillum damnaverunt, et excommunicationem adversus alios episcopos qui consenserunt ejus capitulis protulerunt. Et post hanc perturbationem unusquisque in suam civitatem reversus est. Nestorius autem, quia suae erat odio civitati et viris qui in ea sunt maximis, in eam reverti non potuit. Et remansit orientale concilium non communicans

episcopis qui communicaverant Cyrillo. Et ob hoc multa tristitia inter eos facta est, et in contentione erant episcopi adversus episcopos, et populi adversus populos, et completum est opere quod scriptum est: Quia erunt inimici domestici ejus. Ex hoc detractiones multae adversus nos factae sunt paganorum et haereticorum. Non enim audebat aliquis de civitate ad civitatem, aut ad provinciam de provincia proficisci, sed tanquam inimicum suum unusquisque proximum suum persequebatur. Multi autem ante oculos non habentes Dei timorem occasione ecclesiastici zeli, inimicitiam quam occultam in cordibus suis habuerant, ad effectum perducere festinabant. Ex quibus unus existit nostrae tyrannus civitatis (Rabulas), quem et ipse non ignoras; qui occasione fidei non solum viventes punit, sed et hos etiam qui olim ad Dominum migraverunt. Quorum unus est beatus Theodorus veritatis praedicator et doctor Ecclesiae, qui non solum in vita sua colaphis cecidit haereticos pro veritate suae fidei, sed et post mortem spiritualia arma in opusculis suis Ecclesiae filiis dereliquit, sicut et tua sanctitas cum eo versata agnovit, et ex his quae ipse conscripsit credidit. Hunc ausus est, qui omnia praesumit, coram ecclesia clare anathematizare, qui propter zelum Dei non solum propriam civitatem ab errore ad veritatem convertit, sed et longe existentes ecclesias sua doctrina perdocuit. Et de libris quidem ejus multa ubique perscrutatio facta est, non quia a vera fide existerent alieni, (vidi enim eum adhuc illo vivo frequenter eum laudantem, et in libris ejus legebat), sed propter inimicitiam latentem, quam adversus eum habuit, quoniam manifeste eum convicit in synodo. — His ergo malis interea gestis, et unoquoque ut volebat, sicut scriptum est, ambulante, adorandus Deus noster, qui semper sua clementia curam pro suis gerit ecclesiis, erexit cor fidelissimi atque victoris principis, ut dirigeret virum magnum et in suo palatio notum, qui cogeret reverendissimum atque sanctissimum archiepiscopum Orientis domnum Joannem, ut reconciliaretur Cyrillo: ab eo enim fuerat de episcopatu depositus. Et postquam litteras Imperatoris accepit, sanc-

tissimum et religiosissimum Paulum Emesenum episcopum direxit, per eum veram fidem scribens et denuntians ei, quia si huic fidei Cyrillus consentiret et anathematizaret eos qui dicunt: Quia divinitas passa est; et qui dicunt: Quia una natura est divinitatis et humanitatis, ut ei communicaret. Voluit autem Dominus qui semper suae curam gerit Ecclesiae, quam sanguine suo proprio redemit, ut et cor Aegyptii subigeret, et omnes qui absque hac (ἐκτὸς ταύτης) crederent anathematizaret. Et communicantibus invicem contentio de medio est ablata, et pax in Ecclesia facta est; et non est in ea jam schisma, sed pax, sicut pridem fuit. Quae autem verba sunt, quae a sanctissimo et Deo amantissimo archiepiscopo Joanne scripta sunt, et quae a Cyrillo rescripta suscepit, ipsas epistolas huic, quam ad tuam direxi religiositatem, conjunxi; ut relegens tua sanctitas agnoscat, et omnibus amantibus pacem denuntiet, quia contentio jam quievit et medius inimicitiae paries est ablatus, et qui seditiosus adversus vivos et mortuos irruerant in confusione sunt, satisfacientes pro suis excessibus, et contraria docentes suae priori doctrinae. Non enim quisquam audet dicere: Quia una est natura divinitatis et humanitatis, sed confitentur in templum et in eo qui in hoc habitat, qui est unus filius Jesus Christus (καὶ ὁμολογοῦσιν εἰς τὸν ναὸν καὶ εἰς τὸν ἐν αὐτῷ ἐνοικοῦντα, ὄντα ἕνα υἱὸν Ἰησοῦν Χριστόν). Haec autem scripsi tuae religiositati ex magno affectu quem circa te habeo, sciens quia tua sanctitas nocte et die in doctrina Dei semetipsum exercet, ut multis sit utilis“[1]).

Ibas accusatus.

7. Hic igitur Ibas post mortem Rabulae a. 435 evectus est in sedem Edessenam, sed aliquanto post tempore a quatuor clericis est accusatus, quod Theodori Mopsuesteni scripta et doctrinas propagaret. Ibae causa primum tractata est ex praescripto canonum apud Domnum patriarcham Antiochenum; sed quum accusatores animadverterent, exitum ipsis minus propitium fore, eam detulerunt Constantinopolim. Adjuti ab Eutychete archimandrita

[1]) Collect. Conc. Labbaei tom. IV. col. 661.

effecerunt, favente etiam Flaviano episcopo CPtano, ut ab Imperatore Uranius Himeriae episcopus, Eutychetis amicus, Photius Tyri et Eustathius Beryti episcopi delegarentur, ut causam Ibae examinarent. Contra canones eadem Domno subtrahebatur, quod Ibae amicus esset. Accusatores igitur Ibam non tantum accusarunt, quod sententias haereticas Nestorianismo infectas protulisset, sed etiam quod bona Ecclesiae Edessenae dissiparet in favorem nepotis sui Danielis. Hunc Danielem juvenem libidinosum ab Iba evectum esse ad episcopatum Carrhae, ejusque concubinam Challoam, mulierem matrimonio junctam, ditari ex ecclesiae bonis. Beryti et Tyri dein, anno 448 vel 449, de istis accusationibus actum est; sed quum multi ex clero Edesseno scriptis Ibam defenderent, postremo conciliatio quaedam intervenit, atque Ibas pro tempore in sedem Edessenam reversus est.

8. Eutychetis errores. — S. Cyrillus interea obiit anno 444, eique successit ejus archidiaconus Dioscorus, qui cum Cyrillo adfuerat synodo Ephesinae, atque eousque ut orthodoxus habitus fuerat. Sed homo erat violentus et ambitione plenus, qui postquam ad episcopatum pervenit, in Cyrilli memoriam ejusque familiam debacchatus est, tendentiis Monophysitarum sese addixit, easque promovere studuit, forte ut ea ratione primatum in toto Oriente arripere posset. Audaciores facti protectione Dioscori, tunc inceperunt illi qui Monophysitismo favebant, qaosdam viros orthodoxos ut Nestorianos persequi, et a. 448 effecerunt, ut a Theodosio II deponeretur Irenaeus episcopus Tyri, qui quondam Comes Imperatoris et Nestorii amicus fuerat, sed omnino doctrinae orthodoxae se addixerat. Mox etiam vexatus est Theodoretus, cui Dioscorus anathema dixit, quemque Imperator jussit se continere inter terminos episcopatus sui exigui, nec unquam Cyro discedere. Dioscorus.

9. Apertius autem Monophysitismi error prorupit a. 448 per Eutychetem archimandritam monasterii CPtani. Vir vulgaris sed admodum ardentis ingenii, ob vitae austeritatem et provectam aetatem valde honorabatur etiam Eutyches.

in ipsa aula. Nestorianis laudabili zelo restitit, sed dein majore ardore quam peritia et prudentia adversus illos de mysterio Incarnationis disputans, in errorem oppositum lapsus est. Eodem quippe abutens principio, quo et Nestorius in errorem incidit, multiplicatis nempe naturis necesse esse ut et personae multiplicentur, naturarum in Christo discrimen sustulit, unam uti hypostasim ita et naturam Christo tribuendam esse contendens. Cum vero Eutyches a multis magni haberetur, et errores suos auctoritate roboraret S. Cyrilli, cujus mentem et sententias male intelligebat, multos suis opinionibus imbuit.

Eutyches accusatus.

10. Primum *Domnus* patriarcha Antiochenus in epistola ad Theodosium Imp. scripta, uti videtur ineunte anno 448, Eutychetis errores denuntiavit; sed frustra id factum esse dixeris. Mense vero Novembri illius anni Eusebius Dorylaei episcopus, qui aliquando quum adhuc laicus esset Nestorio primus restitit, majori cum vi Eutychetis errores adortus est. Quum videlicet Eutyches jam doctrinas suas etiam scriptis maxime per monasteria disseminaret, Eusebius vero antehac illius amicus delirantem senem aliquoties frustra admonuisset, errores ejus in synodo Constantinopoli a Flaviano ob quaedam negotia ecclesiastica coacta, coram triginta duobus episcopis oblato libello diligenter exposuit, eosque obtestatus est, ut hominem ad dicendam causam citarent. Eutyches citatus semel et iterum tergiversatus, valetudinis, senii et solitudinis claustralis excusationem obtendens, tandem post sex dies ad synodum venit. Quum Patres in causam ejus inquirerent et insisterent, ut mentem suam aperiret, post varia effugia respondit: *Confiteor, ex duabus naturis fuisse Dominum nostrum ante unitionem; post unitionem vero unam naturam confiteor. . . Ego legi scripta beati Cyrilli et sanctorum Patrum et sancti Athanasii, quoniam ex duabus quidem naturis dixerunt ante unitionem, post incarnationem autem et unitionem non jam duas, sed unam naturam dixerunt.* — Patres mitius tunc, quamvis frustra cum sene disputarunt, ut ipsum ad sanam sententiam reducerent. Qua de re S. Leo postea in sua Epistola dogmatica ad Flavia-

num scribit: *Cum autem ad interlocutionem examinis vestri Eutyches responderit dicens: Confiteor, ex duabus naturis fuisse Dominum nostrum ante adunationem; post adunationem vero unam naturam confiteor; miror tam absurdam tamque perversam ejus professionem nulla judicantium increpatione reprehensam, et sermonem nimis insipientem nimisque blasphemum ita omissum, quasi nihil quod offenderet esset auditum; cum tam impie duarum naturarum ante incarnationem unigenitus Dei Filius esse dicatur, quam nefarie postquam Verbum caro factum est, natura in eo singularis asseritur*[1]. — In his S. Leo respicit praesertim, quod dixerat Eutyches absurde et impie, se fateri duas naturas ante adunationem. Patres enim hanc absonam assertionem neglexerunt, sed institerunt in arguendo errore *de una natura post unitionem.* Quumque Eutyches hunc errorem suum praefracte tueretur, a synodo excommunicatus, omnique sacerdotali officio ac monasterii primatu privatus fuit.

11. At ipse post haec nullatenus quievit, sed causam suam quocumque potuit modo propugnare nisus est. Variis in locis Constantinopoli *libellos contestatorios* affigi curavit, in suasque partes trahere studuit Imperatorem, qui jam antea in Flavianum episcopum parum propensus, exinde etiam magis huic alienatus est. Praeterea Eutyches scripsit ad S. Petrum Chrysologum episcopum Ravennatensem fama celeberrimum, conquerens de persecutione contra ipsum, senem orthodoxiae vindicem, excitata. Litteras quoque dedit ad Leonem Pontificem graviter expostulans, se injuste ab Eusebio Dorylaei episcopo fuisse accusatum, et a CPtana synodo, insuper habita apellatione ad Romanum Pontificem, damnatum[2]. Nec dubium, Eutychetem etiam ad alios episcopos, praesertim ad Dioscorum Alexandrinum scripsisse.

12. *S. Petrus Chrysologus* epistola qua respondit Eutycheti, dolet de litibus quoad dogma de Incarnatione ex- S. Petrus Chrysologus.

---

[1] Ep. cit. c. 6.

[2] Jam antea etiam a. 448 Eutyches epistolam miserat ad Leonem, in qua de Nestorianis adhuc Constantinopoli reliquis conqueritur.

citatis, caeterum magna cum prudentia animadvertit, se de Eutychetis causa judicium formare non posse, quum alterius partis explicationes non cognoscat. Romano Pontifici jus competere, ut sententiam ferat. *Justus mediator non est,* scribit, *qui sic unam partem audit, ut nihil alteri parti reservet. In omnibus autem hortamur te, frater venerabilis, ut his quae a beatissimo papa Romanae civitatis scripta sunt obedienter attendas, quoniam beatus Petrus qui in propria Sede et vivit et praesidet, praestat quaerentibus fidei veritatem. Nos enim pro studio pacis et fidei extra consensum Romanae civitatis Epicopi causas fidei audire non possumus*[1]).

S. Leo R. P. 13. Inter Leonem Pontificem et Flavianum ista de causa plures litterae datae sunt. Initio Leo, quum totius negotii relationem nondum accepisset, Flavianum de neglecta Eutychetis ad S. Sedem appellatione monuit, sed paulo post Flavianus integram causam atque Eutychetis errores accuratius Pontifici exposuit, simulque advertit, appellationem ab Eutychete tempore examinis nullatenus factam esse[2]). Iisdem litteris Flavianus petit, ut epistola scripta a Leone damnatio confirmetur, et ita consensu ipsius tota causa finiatur, atque convocatio Concilii evitetur. *Propriamque faciens communem causam,* inquit, *et sanctarum ecclesiarum disciplinam, simul decernere damnationem adversus eum regulariter factam et per propria scripta dignare, confortare autem et piissimi et Christo deditissimi nostri Imperatoris fidem. Causa enim eget solummodo vestro solatio atque defensione, qua debeatis consensu proprio ad tranquillitatem et pacem cuncta perducere. Sic enim haeresis quae surrexit, et turbae quae propter eam factae sunt, facillime destruentur Deo cooperante per vestras sacratissi-*

---

[1]) Coll. Conc. Labb. T. V. p. 37.

[2]) Quoad hanc quaestionem de appellatione dubium aliquod remanet. Eutyches videlicet citatus dum de fide sua interrogaretur, et cum obstinatione quadam inepta responderet, simul synodo aliqua scripta tradere voluit, quae haud recepta fuerunt, quum oretenus illum de fide interrogare vellent. Forte inter illa documenta continebatur appellatio ad Rom. Pontificem, quae hac ratione ad manus Flaviani non pervenerat.

mas litteras. Remorebitur autem Concilium, quod fieri divulgatur, quatenus nequaquam ubique sanctissimae turbentur ecclesiae[1]). Iterum Flavianus altera epistola rogat, ut scriptis litteris Leo Eutychetem damnet; ac Pontifex die 21 maii a. 449 respondens jam agnoscit, illum a fide aberrasse, amplioresque litteras de ejus errore promittit.

14. Interea Eutyches precibus adit Theodosium, oratque, jubeat Imperator acta concilii, quae a Flaviano corrupta esse contendebat, recognosci coram Florentio patricio ab iisdem episcopis, praeside Thalassio Caesareae Cappadociae Praesule. Annuit Theodosius plus minus lenis, Flaviano aversus, et in aulicorum preces facilis. Habita igitur est altera synodus mense Aprili a. 449 in qua etiam tres monachi, Eleusius, Constantius et Constantinus, praeter synodorum consuetudinem, Eutychetis causam defenderunt. Releguntur acta, retractantur testimonia, et in singula diligenter inquiritur; sed omnis suspicio recidit in auctorem. Nam quo accuratius explorata sunt omnia, eo clarius ut Flaviani incorrupta fides enituit, ita nequissima fraus ac fallacia Eutychetis detecta est. — Hic interim variis judicibus pertentatis, ad suae causae subsidium fovere atque inflammare non est veritus dissensiones episcoporum. Imploravit enim patrocinium Dioscori Alexandrini, quippe graviter invidentis Flaviano ob sedis CPtanae amplitudinem. Nec magno sane negotio illum Flaviani calumniator in suas partes illexit, quum Monophysitarum tendentiis Dioscorus faveret, simulque occasionem videret oblatam amplificandi auctoritatem sedis Alexandrinae. Afflicto igitur ac jacenti Eutycheti Dioscorus dexteram porrigit, agitque cum Imperatore per litteras, oecumenico res tantas indigere Concilio, et summas illas ecclesiarum pugnas tali remedio esse tollendas.

14. L a t r o c i n i u m E p h e s i n u m. — Convocationem Concilii oecumenici in civitatem Ephesinam Theodosius Imp. jam 30° die Martii fecit. Exclusus fuit iisdem litteris ab hoc Concilio Theodoretus, aliis litteris Dios- Synodi convocatio.

[1]) Epist. Flaviani ad Leonem prima. Labbé, Coll. Conc. IV. col. 14.

corus constitutus est synodi praeses, et causa quoque Ibae ad illud concilium delata. Maximi vero momenti est, ut bene perspiciatur, qua ratione Leo Pontifex in istis adjunctis difficilioribus sese gesserit. Videlicet etiam ipse, ut quondam Coelestinus, sapientem moderationem ita prae se tulit, ut simul veritatem catholicam et jura Sedis Apostolicae vindicaret. Annuit quidem S. Leo Theodosii voluntati, *quamvis*, ait, *tam evidens fidei causa sit, ut rationalibus causis ab indicenda synodo fuisset abstinendum.* Addit deinde, se missurum ad Concilium aliquos ex suis fratribus, *qui praesentiae meae impleant vicem, quia non talis quaestio orta est, unde aut possit aut debeat dubitari*[1]). Scripsit pariter Pontifex ad synodum Ephesinam epistolam, in qua inde ab initio sapienter Apostolicae Sedis auctoritatem evehit. *Religiosa*, inquit, *clementissimi principis fides, sciens ad suam gloriam maxime pertinere, si intra Ecclesiam catholicam nullum erroris germen exsurgeret, hanc reverentiam divinis detulit institutis, ut ad sanctae dispositionis effectum auctoritatem Apostolicae Sedis adhiberet, tanquam ab ipso beatissimo Petro cuperet declarari, quod in ejus confessione laudatum sit.* — His verbis indicat, quaenam sint partes Sedis Romanae in judicandis fidei quaestionibus, easque eidem ab Imperatore deferri in invitatione ad concilium, veluti infert ex jure suo et principis officio. Opiniones Eutychetis dein tractat ut errorem exploratum viri, *qui nulla maturitate cordis ornavit canitiem senectutis.* Scopum vero Concilii indicat haud esse dubiam et ancipitem quaestionem dirimere, sed Eutychetis correctioni providere et errorem penitus abolere. *Verum*, scribit, *quia etiam talium non est negligenda curatio, et pie ac religiose christianissimus Imperator haberi voluit episcopale Concilium, ut pleniori judicio omnis possit error aboleri, fratres nostros Julianum episcopum, Renatum presbyterum, et filium meum Hilarium diaconum, cumque his Dulcitium notarium probatae nobis fidei misi, qui vice mea sanctae conventui vestrae fraternitatis intersint, et communi vobis-*

S. Leo consentit.

---

[1]) Epist. ad Theodos. Labbé. Coll. Conc. t. IV. c. 38.

cum sententia, quae Domino sint placitura constituant: hoc est, ut primitus pestifero errore damnato, etiam de ipsius qui imprudenter erravit restitutione tractetur, si tamen doctrinam veritatis amplectens, sensus haereticos, quibus imperitia ejus fuerat irretita, plene aperteque propria voce et subscriptione damnaverit: quod etiam in libello quem ad nos miserat est professus, spondens, per omnia nostram secuturum se esse sententiam. Acceptis autem fratris et coëpiscopi nostri Flaviani litteris, plenius ad eum de his quae ad nos videtur retulisse rescripsimus, ut abolito hoc quo inquinatus videbatur errore, in laudem et gloriam Dei per totum mundum una sit fides. . . . Datum Idibus Junii.

16. Animadvertendum est, causam Eutychetis a concilio CPtano jam judicatam, ad Sedem Apostolicam fuisse delatam, sed concilium Ephesinum indicatum esse, antequam solemniter sententiam suam S. Leo redderet. Opportunum sane non erat synodo congregandae resistere. Dum vero dicit, ab Imperatore synodum esse indictam, *ut pleniore judicio omnis error possit aboleri,* id sane non intelligendum est dictum *comparate* ad internum valorem et auctoritatem sententiae Sedis Apostolicae, sed quatenus opportune ab episcopis multis congregatis confirmaretur damnatio Eutychetis jam Constantinopoli facta, et error efficacius aboleretur. — Dum Leo legatos dicit missos, qui *communi vobiscum sententia quae Domino sint placitura constituant,* episcopis quidem pro charactere ipsorum partes suas in judicio concedit; sed nullatenus ex his inferri potest, sine consensu episcoporum sententiam Rom. Pontificis haud plenam auctoritatem habere nec irreformabilem esse. Imo quem exitum illud judicium habere debeat statim describit, indicans ea quae facienda sint. Tuetur jura sua.

17. Quamvis autem Pontifex quaestionem fidei haberet ut claram et perspicuam, erroremque Eutychetis ut rem exploratam, haud tamen ignorabat pericula, quae ob Imperatoris animum simpliciorem et ab aulicis praeventum, et attenta plurium Praesulum orientalium ambitione et dubia fide, ingruebant. Hinc censuit opportunum, etiam dogma fidei de Christo ejusque una persona et duabus

naturis accurate exponere, et auctoritate summa ea praefinire, quae hac in re tenenda erant, ita quidem ut normam ac regulam ipsi synodo praestitueret. Dedit igitur iisdem Idibus Junii eam, cujus in superioribus litteris mentionem facit, celeberrimam *Epistolam dogmaticam ad Flavianum,* in qua catholicum Incarnationis Dominicae dogma uberrime declaravit. Haec autem epistola, quamvis Flaviano inscripta, erat epistola dogmatica ex Cathedra data, qua a Sede Apostolica recta fides definiebatur. Eadem etiam ad alias provincias ecclesiasticas statim a Leone transmissa fuit. Atque receptam fuisse ut documentum auctoritatis summae et irrefragabilis, ex indole sua acceptandum, patet ex responsis episcoporum ecclesiae Gallicanae. In sua synodica inter alia: *Quae apostolatus vestri scripta,* aiunt, *ita ut symbolum fidei quisquis redemptionis sacramenta non negligit, tabulis cordis adscripsit, et tenaci, quo ad confundendos haereticorum errores paratior sit, memoriae commendavit. . . Quis autem apostolatui vestro pro hoc tanto munere, quod non solum Gallias, sed totum mundum veluti quibusdam pretiosissimis gemmis ornavit, dignas aestimet gratias posse persolvi? Doctrinae post Deum vestrae debet fidelis, ut constanter teneat quod credebat; debebit etiam infidelis, ut a perfidia sua, agnita veritate, discedat, et apostolicae institutionis luce perfusus, erroris sui tenebras derelinquat, magisque sequatur et credat, quod per os vestrum Dominus Noster Jesus Christus de sacramento Incarnationis suae doceat, quam id teneat, quod diabolus humanae salutis et veritatis inimicus instillat*[1]). Similiter eidem epistolae et aliae ecclesiae tum Occidentis tum Orientis debitum praebuere assensum[2]), uti inferius etiam accuratius exponetur.

Epistola ad Flavianum

Pseudosynodus Ephes.

18. Interea mense Augusto ineunte episcopi ad synodum Ephesi indictam convenerunt, et die 8ª prima Actio habita est. Acta hujus concilii, cui postea *latrocinii Ephesini* nomen merito datum, integra ad nos non pervenerunt. Sed pars quaedam eorum exstat recitata in

---

¹) Labbé, Coll. Conc. T. III. p. 1329.

²) Vide Muzzarelli, De Auctor. etc. Tom. II. cap. VIII. §. 4.

Concilio Chalcedonensi, videlicet ea quae ad causam Eutychetis et Flaviani depositionem pertinent. Alia vero pars Actorum syriace conscripta nuperrime detecta est. Habetur haec pars videlicet inter manuscripta syriaca Musaei Britannici. Versio gallica a. 1874, antequam textus syriacus editus esset, data est[1]).

19. In ista igitur synodo, cui praesedit Dioscorus, omnia perperam et violenter peracta sunt. Flavianus suo loco sedere non est permissus, sed quinto tantum loco, post episcopum scilicet Hierosolymarum, Juvenalem. Legati Sedis Apostolicae legationem suam exposuere, excusaveruntque S. Leonem, quod synodo per se non interesset, eo quod non esset moris nisi per legatos extra urbem Romanos Pontifices synodis interesse. S. Leonis epistolam suscipi quidem jussit vaferrimus Dioscorus, sed ejus lectionem aliarum litterarum ad diversos causa synodi scriptarum lectione elusit. Prius de controversiis Flavianum inter et Eutychetem exortis, quam de fide agendum dixit ex Imperatoris mandato. Eutyches introductus continuo coepit diluere labem haereseos, confessionem fidei proponere simulationis plenam, et ambagibus verborum perplexam[2]). Profitetur isto libello Eutyches Nicaenam fidem, quam Ephesini Patres et S. Cyrillus confirmarint, cui et aliquid addere vel minuere prohibuerint. Nicaenam videlicet fidem professus est, quae Incarnationis mysterium non explicuit; praetermisit vero additiones factas Nicaeno Symbolo propter haeresim Apollinaris, eo quod in simili errore versaretur. Dioscori violentia.

20. Lecto Eutychetis libello intercessit Flavianus, ut Eusebius Dorylaei episcopus Eutychetis accusator, in synodum admitteretur. Id vetuit Elpidius comes, mandatum Imperatoris obtrudens, qui praeter jus interdixerat, ne illi qui Constantinopoli Eutychetem damnaverant in synodo de ipso judicarent. Perlectis dein monumentis gestorum in

---

[1]) V. Martin, Le Brigandage d'Ephèse d'après les Actes récemment découverts; Revue des sciences ecclésiastiques, a. 1874.

[2]) Conc. Chalced. Act. I.

CPtana synodo, in sacerdotii gradum et monasterii principatum restitutus est Eutyches. Lata vero est sententia depositionis in Flavianum et Eusebium Dorylaei episcopum, cui caeteri episcopi, (non vero legati Pontificis), metu fracti vique adacti subscripserunt. Praetextus depositionis fuit, quod ipsi professionem Nicaenam mutassent, et contra Patrum decreta quid addidissent. Frustra autem Flavianus appellationem ad Romanum Pontificem interposuit. Quidam venerabiles episcopi, quod in gratiam Flaviani ad pedes Dioscori accedentes ejus iracundiam frangere tentaverint, a militibus, monachis, aliisque Dioscori sequacibus (parabolanis), qui cum gladiis et fustibus ad fores adstabant, jubente Dioscoro, sunt repulsi. Flavianus dicitur pugnis et verberibus afflictus fuisse; in exilium statim deportatus brevi post Epipae civitate Lydiae defunctus est. Quod ad legatos R. Pontificis spectat, omnes conveniunt, eos contra violentum illum agendi modum protestationem emisisse; sed despecta eorum dignitate hanc Dioscorus flocci habuit.

Flavianus depositus.

21. Quae huc usque de prima Actione habentur, colliguntur ex Actis Concilii Chalcedonensis; lucem vero iisdem afferunt, et alia plura patefaciunt quoad reliquas sessiones, Actorum fragmenta Syriaca nuper inventa. Ex iisdem secunda Actio incepta est die 20 Augusti (sabbato); at quum legati Romani non venissent nihil actum est, sed delegati sunt qui eos invitarent. Videtur autem prima Actio durasse per plures dies, ita ut, quum inceperit die 8° Augusti, forte finierit die 18° vel 19°. Discimus porro ex illis Actis, tum adhuc Ephesi fuisse Julium episcopum et Hilarum diaconum legatos Pontificis, et Dulcitium notarium, sed legatos recusasse venire ad synodi Actionem secundam.

Legati Romani.

21. In Actis syriacis videlicet refertur: „Les pieux evêques Olympius d' Evaza, et Julien d' Hypaïpa, Montanius diacre de la sainte eglise d' Aphrodisiade et Euphronius diacre de Laodicée, dirent: Conformément aux ordres de ce saint et oecuménique synode, nous nous sommes rendus à la demeure des envoyés de l'illustre et roya-

le Rome, à savoir de l'évêque Julien et du diacre Hilaire, mais nous ne les y avons point trouvés. Nous avons pu parler seulement au notaire Dulcitius, qui était malade, et nous lui avons dit, que le saint concile était rassemblé, mais qu' il différait de prononcer sur qui que ce soit, dans l' espoir qu' ils se reuniraient eux mêmes à l' assemblée, le lendemain lundi (22 août 449). Le notaire nous a répondu que le pieux évéque était à la campagne, et le respectable diacre au Martyrium du glorieux saint Jean, mais il a promis de leur faire dire de venir. Non contents de cette entrevue, nous sommes retourné, le matin du dimanche, et nous avons parlé encore à Dulcitius lequel nous a répondu, qu' alors même que le saint concile les ferait inviter dix fois, ils ne viendraient point, parceque les lettres de l' archevêque de l' illustre et royale Rome, Léon, portaient uniquement qu' ils assisteraient au saint concile tant qu' on y traiterait l' affaire du pieux prêtre et archimandrite Eutychès. Voilà ce que nous avons entendu; nous avons tout dit à Votre Sainteté[1]). — Brevi post vero legatos Epheso aufugisse et S. Leoni conciliabuli facinora retulisse, ex variis documentis colligitur[2]).

22. Instructa dein in conciliabulo est causa *Ibae Edesseni* et valde prolixe tractata, allatis et recitatis actis quae jam Beryti confecta fuerant. Praeter dilapidationem bonorum Ecclesiae, maxime Nestorianismus ei objectus est. Recitata est ejus epistola ad Marim, aliaque effata ejus citata sunt. Insistebant verbis illis ei attributis: *Non invideo Christo facto Deo, quoniam, si volo, et ego fio.* Ibas tamen semper contestatus est, etiam anathemate, se talia non dixisse. — Lectae e. g. sunt testium accusationes ejusmodi: „Le respectable diacre Maras dit: Me trouvant, avec mes compagnons les respectables clercs, dans le palais épiscopal, (j'entendis) dire à l'évêque Ibas, pendant qu' il faisait l' homélie: Je ne porte pas envie au Christ qui est devenu Dieu; ce qu' il est, je le suis devenu aussi; car Causa Ibae.

---

[1]) L. c. Vol. 9. p. 517.

[2]) Cfr. quae de legatis habet Hefele, C. G. Tom. II. §. 180.

il est de la même nature que moi. — Je l'atteste devant Dieu et devant les hommes, comme je l'aurais attesté à Béryte, quand je m'y trouvais, si j'avais été cité. J'ai entendu Ibas, faisant son homélie, dire que Dieu le Verbe prévoyant par sa préscience que le Christ se justifierait par ses oeuvres, avait habité en lui[1]). — Le diacre Abraham dit: J'ai entendu, moi aussi, Ibas dire: Les Juifs n'ont pas crucifié Dieu, mais seulement un pur homme. — Jean, Bar q'ïama dit: J'ai entendu Ibas dire, en faisant l'homélie à l'église: Autre est celui qui est mort, autre est celui qui est aux cieux, autre est celui qui est sans commencement, autre celui qui est soumis au commencement, autre celui qui vient du Père, autre celui qui vient de la Vierge. Il ajoutait encore: Si Dieu est mort, qui donc l'a vivifié"[2])? Ejusmodi sententiae sane Nestorianae sunt, adeoque si testibus fides aliqua habenda sit, Ibam illo errore infectum fuisse dixeris. In ipsa synodo Ibas non adfuit, sed absens damnatus, excommunicatus et depositus est.

Alia gesta.

23. Dein in aliis concilii Actionibus, contra alios episcopos actum est. Depositus est Daniel, episcopus Charrae, Ibae nepos, propter pravos mores; Irenaeus episcopus Tyri, jam depositus, excommunicatus fuit ut Nestorianus. Ut talis depositus quoque est Acylinus Bybli episcopus; causa vero Sophronii episconi Thellae, qui accusatus fuerat propter maleficia, reservata est metropolitae Edessae ejusque synodo provinciali. Tandem Actio instituta est prolixior contra Theodoretum et Domnum episcopum Antiochenum, et etiam illi ut Nestoriani depositi sunt.

Leo synodum rejicit.

24. Jam veniamus ad ea quae post *pseudosynodum Ephesinam* accidere. — Hilarus diaconus, Leonis Papae legatus, cum post varia superata vitae discrimina Epheso se subduxisset, Romamque venisset, a Leone receptus est[3]),

---

[1]) L. c. Vol. 10. p. 33. [2]) L. c. p. 35.

[3]) Julianus legatus videtur post Hilarum Romam pervenisse; Renatus autem presbyter, qui tertius erat Leonis legatus, mortuus refertur, antequam Ephesum pervenisset, in insula Delos. Cfr. Hefele l. c.

qui audita rerum ut evenerant narratione, concilium Romae coëgit, in quo Ephesi quidquid fuerit factum damnavit ac rescidit. Quo facto statim die 13 Octobris scripsit ad Theodosium, crebrisque deinde institit litteris Imperatorem et Pulcheriam Augustam urgere, ut unanimi consensu synodus altera, quae Ephesinam ignominiam et labem deleret, intra fines Italiae congregaretur. Sed et cum multis Italiae episcopis obviam prodiit Valentiniano Augusto, qui cum matre Galla Placidia et conjuge Eudoxia religionis causa Romam ad Apostolorum limina veniebat, et tum eas tum Valentinianum compulit, ut scriberent Theodosio efficerentque, ut alio rursus concilio quae Ephesi perperam gesta fuerant retractarentur.

25. Verum Eutychianis dolis irretita Theodosii mens, nullis litteris, nullis precibus, nulla suorum necessitudine flecti potuit. Quin potius publicis legibus Flavianum damnavit, Ephesinumque latrocinium synodo Nicaenae jussit aequari. Legis ipsius versio latina exstat in Act. Conc. Chalced. P. III[1]), quae tamen potius compendium totius rescripti Imperatoris esse videtur; versio Gallica partis rescripti ex Syriaco, habetur in Periodico jam citato[2]). In textu latino inter alia haec habentur: *Nos igitur ejusdem sanctae synodi decreta laudamus atque firmamus, hanc orthodoxam fidem putantes atque nominantes quae a trecentis decem et octo Patribus exposita est, et firmata in sanctis conciliis quae Ephesi congregata sunt. Ut vero et in reliquum tempus perfectissima fiat totius solutio quaestionis, jubemus ut in omni orbi terrarum huic ipsi fidei quae in Nicaea prolata est, undique episcopi universi subscribant per metropolitanos singulorum locorum, et hoc ipsum nobis per proprias eorum litteras intimetur. . . . Et nec usque ad verbum eidem sanctae fidei vel adjiciatur vel dematur.* — Ultima haec verba referuntur ad decretum Concilii oecumenici Ephesini, conditum post damnationem symboli a Charisio denuntiati, quod probabiliter a Theodoro Mopsuesteno

Theodos. ei favet.

[1]) Labb. Coll. Conc. Tom. IV. col. 863.
[2]) Revue des sciences ecclés. Vol. 10. p. 537.

confectum et errore infectum erat, atque in aliquot locis haereticis reconciliandis proponebatur. Decretum hoc saepe in historia Ecclesiae commemoratum, quo passim sectarii abusi sunt, est ejusmodi: *Statuit sancta Synodus alteram fidem nemini licere proferre, aut conscribere, aut componere, praeter definitam a sanctis Patribus, qui in Nicaea cum Spiritu sancto congregati fuerunt. Qui vero ausi fuerint aut componere fidem alteram aut proferre, vel offerre converti volentibus ad agnitionem veritatis, sive ex gentilitate, sive ex Judaismo, sive ex qualicumque haeresi, hos quidem si sunt episcopi aut clerici, alienos esse episcopos ab episcopatu, et clericos a clericatu decrevit; si vero fuerint laici, anathemati subjici*[1]).

26. Theodosius igitur haud quidem obsequi voluit Leonis votis; attamen litteris ad eum datis respondit, se curaturum, ne fides Nicaena injuriam pateretur. Monuit insuper, Flavianum vita functum, eique Anatolium successisse in ecclesiae CPtanae regimine, cujus ordinationem a Dioscoro Ephesi factam, a Romano Pontifice ratam haberi cupiebat. Data ad Theodosium epistola respondit S. Leo, sibi gratam fuisse Concilii Nicaeni commendationem; de ordinatione vero Anatolii nihil in alterutram partem a se temere rescribendum, donec exploratum sibi sit, an sinceram fidem teneat Anatolius. Professionem igitur fidei ab eo exegit. Inter alia: *Non aspernetur etiam*, scribit, *meam epistolam rscensere, quam pietati Patrum per omnia concordare reperiet. Cumque a se hoc quod ei profuturum sit expeti desiderarique cognoverit, catholicorum sententiis toto corde consentiat, ita ut sinceram communionis fidei professionem, absolutissima subscriptione coram omni clero et universa plebe declaret, Apostolicae Sedi et universis Domini sacerdotibus publicandam.*

Legati Pontificis.

27. Ut autem velocior pleniorque effectus his curis praestaretur, legatos quatuor S. Leo Constantinopolim misit, Abundium scilicet et Asterium episcopos, Basilium et Senatorem presbyteros, per quos verae fidei formam Prin-

---

[1]) Labbé Coll. Conc. III. col. 690.

ceps edoceretur; ut si in eamdem confessionem CPtanus Antistes toto corde consentiret, pax Ecclesiae firmaretur. *Sin vero,* ait, *aliqui a puritate nostrae fidei atque Patrum auctoritate dissentiunt, Concilium universale intra Italiam, sicut synodus quae ob hanc causam Romae convenerat mecum petit, clementia vestra concedat: ut in unum convenientibus omnibus, his qui aut ignorantia aut timore prolapsi sunt, correctionis remediis consulatur, nec cuiquam ultra sit liberum, ita Nicaenae fidei facere mentionem, ut ejus fidei inveniatur contrarius*[1]). Similem epistolam direxit Pontifex ad Pulcheriam, in qua etiam quoad Anatolium dicit: *Et epistolae meae, quae ad sanctae recordationis Flavianum est directa, consentiat*[2]).

Marcianus et Pulcheria.

28. Antequam legati Pontificis CPolim venissent, Theodosius Imperator fato functus est. Siquidem dum equitaret, collapso equo graviter elisus, mortuus est die 28ª mensis Julii a. 450, filio haud relicto. Tum Pulcheria Augusta ejus soror, suffragante senatu et exercitu, imperium suscepit, illudque, et se ipsam in matrimonium (salva virginitate), contulit Marciano viro nobili et plane egregio. Marcianus ubi imperium suscepit, litteras dedit ad Leonem (circa finem Augusti), quibus suam de pace Ecclesiae sollicitudinem ei declarat, et se paratum dicit Concilium a Leone desideratam (σοῦ αὐθεντοῦντος) convocare. Etiam legati Pontificis honorifice CPoli recepti sunt, et mox (forte mense Novembri) synodus ibi habita est, in qua epistola Leonis ad Flavianum solemniter recitata ac recepta fuit; eamque Anatolius et reliqui omnes sua subscriptione firmarunt. Ad alios deinde metropolitanos eadem missa est, qui cum suae provinciae episcopis eam approbarunt.

29. Ita igitur in Oriente status rerum plane in melius mutatus est, et plerique episcopi qui in pseudosynodo Ephesina seducti fuerant reconciliari Ecclesiae studuerunt. Inter Leonem, atque Marcianum, Pulcheriam, et Anatolium variae epistolae datae sunt ad res ecclesiasticas ordinan-

---

[1]) Ep. XXXII. Coll. Conc. Labb. Tom. IV, col. 59.
[2]) Ep. XXXV; S. Leonis opera, edit. Colon. a. 1561.

Agitur de nova Synodo.

das. Neque Pontifex tunc existimavit, Concilium accelerandum esse, sed tranquillitatem restitui posse sine eo. Scribit videlicet in epistola ad Marcianum data nono kalend. Maii a. 451: *Nimis autem iniquum est, ut per paucorum insipientiam ad conjecturas opinionum et ad carnalium disceptationum bella provocemur, tanquam reparata disceptatione tractandum sit, utrum Eutyches impie senserit, et utrum impie Dioscorus judicarit, qui in sanctae memoriae Flaviani condemnatione se perculit, et simpliciores quosque, ut in eamdem ruinam pervolverentur impegit, quorum multis jam ut cognovimus ad satisfactionis remedia conversis, et veniam de inconstanti trepidatione poscentibus, non cujusmodi sit fides tenenda tractandum est, sed eorum precibus qualiter annuendum. Unde piissimae sollicitudini vestrae, quam de indicenda synodo habere dignamini, per legationem quae confestim ad clementiam vestram Deo annuente perveniet, quidquid ad causae arbitror utilitatem pertinere, plenius atque opportunius suggeretur*[1]). Attamen quum Imperator insisteret pro Synodo quantocius celebranda, Leo ejus desideriis annuit, uti ex altera epistola 43[a], data VI kal. Junii a. 451, colligitur. Scribit enim: *Poposceram quidem a gloriosissima clementia vestra, ut synodum, quam ad reparandam orientalis ecclesiae pacem, a nobis etiam petitam, necessariam judicastis, aliquantisper differri ad tempus opportunius juberetis, ut liberioribus ab omni perturbatione animis, hi quoque episcopi, quos hostilitatis metus*[2]) *detinet, convenirent. Sed quia pio studio humanis negotiis divina proponitis, et rationabiliter ac religiose regni vestri viribus creditis profuturum, si nulla sit in sacerdotum sensibus dissonantia, nulla sit in Evangelii praedicatione discordia; ego etiam vestris dispositionibus non renitor, optans ut omnium cordibus catholica fides, quae non potest nisi una esse, firmetur. . . Nec me quoque (ut voluit vestra clementia) ab illo credatis abesse concilio, cum in his fratribus quos direxi, id est Paschasino et Lucentio episcopis, Bonifatio et Basilio presbyteris, sed et in*

---

[1]) Ep. XLII; Opp. S. Leonis.

[2]) Hostilitatis ille metus spectat ad Hunnorum aliorumque barbarorum incursus.

fratre meo Juliano, quem eorum volui esse participem, etiam mea sit aestimanda praesentia. Quos auxiliante Christo ita acturos esse confido, ut ea quae Domino nostro placeant decernantur[1]). Ex hisce patet, qualis in convocanda Synodo Chalcedonensi fuerint Leonis Pontificis partes.

30. Ex his quae Concilium Chalcedonense praecesserant Illmus Maret varia collegit, ut ostenderet tum Leoni Pontifici, tum Ecclesiae universae eam fuisse persuasionem, summam auctoritatem non in Romani Pontificis sententia, sed simul in judicio oecumenici Concilii constitui. Ita insistit verbis superius allatis, quae scripsit Leo concilio Ephesino: „L'Empereur a voulu un concile épiscopal, afin que l'erreur pût être abolie par un jugement plus autorisé, *pleniori judicio*. . . Ces paroles ne semblent elles pas prouver à elles seules que saint Léon plaçait l'autorité dernière et absolue dans le concert du Pape et des Evêques"[2])? Ac de modo agendi Leonis post conciliabulum Ephesinum scribit: „La première, la plus importante des mesures qu'il adopta, ce fut la demande d'un concile oecuménique. Au lieu de tout décider par sa seule autorité, il supplia les empereurs de convoquer un concile vraiment général. Autant il s'était montré d'abord éloigné de cette convocation, autant il la réclama et la pressa ensuite. . . Dans la lettre à Théodose il supplia, *obsecramus*, que toutes choses restassent dans l'état où elles étaient avant le jugement, jusq' à la réunion d'un plus grand nombre d'évêques appelés de toutes les parties du monde. Théodose trompé et croyant que les règles canoniques avaient été observées à Ephèse, ne voulut pas consentir à un nouveau Concile, parceque disait-il, après la décision solennelle du concile, il n'est plus possible de recourir à un nouveau jugement, *Nihil ulterius post haec definire possibile est, cum jam ista semel decisa sunt.* La demande de saint Léon et le refus de Théodose quoique mal fondé, III. Maret.

[1]) Ep. XLIII; Opp. S. Leonis.
[2]) L. c. Concile de Chalcédoine. p. 204.

éprouvent également que le Pape et l'empereur plaçaient la dernière autorité dans le concile vraiment général"[1]).

Responsio. 31. Ad primam observationem Auctoris de *pleniori judicio* per Concilium instituendo, superius (n. 16) jam respondimus. — Ut vero caetera facili negotio diluamus, animadvertendum est: 1° Totum Leonis consilium in eo fuisse, ut media *efficacia* invenirentur ad reprimendam haeresim nascentem et ad rejiciendos haereticos callidos et violentos, qui Imperatorem circumveniebant. Ideoque in tota hac re non agitur de quaestione, utrum Romani Pontificis sententia *in se* plenum vigorem habuisset et supremam auctoritatem. Sed comparative ad circumstantias et personas S. Leoni opportunum visum est Concilium, ut *exterius* per Pontificem et episcopos conjunctim major exerceretur in fideles et errantes influxus. — 2° Sicuti Coelestinus ita et Leo usus est oeconomia sapientis moderationis Apostolicae; simul tamen auctoritatem primatus aptissimo vindicavit modo, Synodo fidei normam praefiniens. — 3° Non erant illa tempora opportuna, ut theoretice et explicite Pontifices evolverent et proponerent Imperatori et episcopis doctrinam de omnibus et singulis juribus primatus. Imperator enim parum peritus erat in rebus theologicis; episcopos vero plures etiam facile seduci, in historia Arianismi satis patuerat. Facile etiam inveniri poterant effugia, ut admisso primatu conquererentur, Pontificem decipi, sententiamque ab ipso Romae datam subreptitiam vel obreptitiam esse. Prudentiae igitur erat Concilii celebrationi favere, si hac ratione turbae facilius sedari posse videbantur. — 4° Ex modo agendi Theodosii immerito argumenta ab auctore petuntur. Theodosius enim vir ingenio admodum mediocris, versatilis, et aulicorum influxui valde obnoxius, passim ea agebat, quae principiis sanis de Ecclesiae constitutione et de habitu inter potestatem ecclesiasticam et auctoritatem civilem haud ad amussim respondebant.

[1]) Ibid p. 206.

II.

De celebratione Concilii Chalcedonensis.

32. Marcianus Imperator, quum Leo Pontifex Synodo celebrandae consentiret, *Sacra Imperiali* Metropolitas omnes ad Concilium proximis kalendis Septemb. a. 451 Nicaeae in Bythinia celebrandum convocavit. Quin etiam spopondit, se adfuturum Synodo. Quum vero paulo post perturbari Illyricum ob metum barbarorum imminentium Imperator ex litteris Praefectorum accepisset, neque Nicaeam posset se conferre, Concilium Nicaea transtulit *Chalcedonem,* illucque episcopos omnes litteris convocavit. Transferendi Concilium etiam occasionem dedit obsecratio legatorum Apostolicae Sedis, qui Imperatorem enixe rogaverant, ut adesset sacro Concilio, protestati se illo absente illuc non venturos. Synodi indictio.

33. S. Leo legatos ad Synodum mittens ad hanc simul dedit epistoam, in qua in illis se Synodo praesidere clare edicit, et monet, ut non disputetur de fide, quam litteris ad Flavianum jam praefinierat, sed ut cura impendatur ad errantes reducendos et ad orthodoxiam tuendam. *In his fratribus,* scribit, *Paschasino et Lucentio episcopis, Bonifatio et Basilio presbyteris, qui ab Apostolica Sede directi sunt, me synodo vestra fraternitas existimet praesidere, non abjuncta a vobis praesentia mea, qui nunc in vicariis meis adsum, et jam dudum in fidei catholicae praedicatione non desum, ut qui non potestis ignorare, quid ex antiqua traditione credamus, non possitis dubitare, quid cupiamus. Unde, fratres carissimi, rejecta penitus audacia disputandi contra fidem divinitus inspiratam, vana errantium infidelitas conquiescat, nec liceat defendi quod non licet credi, cum secundum evangelicas auctoritates, secundum propheticas voces apostolicamque doctrinam, plenissime ac lucidissime per litteras quas ad beatae memoriae Flavianum episcopum misimus fuerit declaratum, quae sit de sacramento Incarnationis Domini Nostri Jesu Christi pia et sincera confessio. Quia vero non ignoramus, per pravas aemulationes multarum ecclesiarum sta-* Leonis legati

tum fuisse turbatum, plurimosque episcopos, quia haeresim non receperint, sedibus suis pulsos et in exilia deportatos, atque in locum superstitum alios substitutos, vulneribus his primitus adhibeatur medicina justitiae, nec quisquam ita careat propriis, ut utatur alienis. . . . Prioris autem Ephesinae Synodi, cui sanctae memoriae Cyrillus episcopus tunc praesedit, in Nestorium specialiter statuta permaneant, ne tunc damnata impietas ideo sibi in aliquo blandiatur, quia Eutyches justa exsecratione percellitur[1]). — Certe non potuit Pontifex majori prudentia simul et auctoritate sua jura quoad Synodum celebrandam vindicare, et quae credenda et agenda erant praestituere.

Synodi inchoatio.

34. Incepta est Synodus die octavo Octobris a. 451 in amplissima sanctae martyris Euphemiae basilica, in civitatis suburbiis sita. Interfuerunt Concilio episcopi circiter sexcenti, uti ex epistola 52ª S. Leonis aliisque documentis colligitur. Adfuerunt etiam plures (sex) commissarii seu judices Imperiales, et undecim senatores. Commissarii illi *externi ordinis* atque *decoris* quoddam *praesidium* habebant, non vero praesidium *auctoritatis*, ut de rebus ad fidem et religionem pertinentibus judicare et decernere possent. *Imperatores*, scribunt Patres ad Leonem, *ad ordinandum decentissime praesidebant.* Praesidium auctoritatis ecclesiasticae habuerunt legati Pontificis, uti Leo in sua epistola praescripserat, atque etiam Patres in relatione ad eum data testantur. *Si enim*, scribunt, *ubi sunt duo aut tres congregati in nomine ejus, ibi se in medio eorum fore perhibuit, quantum circa quingentos viginti sacerdotes peculiaritatem potuit demonstrare. . . . Quibus tu quidem, sicut membris caput, praeeras in his qui tuum tenebant ordinem*[2]).

Actio prima.

35. Convenit autem in hujus Concilii gestis maxime ea attendere quae Romani Pontificis auctoritatem patefaciunt; etenim Gallicani etiam quoad hanc Synodum omnem moverunt lapidem, ut ex ejus actis suas opiniones fulcirent. — In *prima* igitur *Actione* discussio facta est

---

[1]) Coll. Conc. T. IV. c. 69. [2]) Ibidem, c. 833.

Dioscoro. Is sedebat secundo loco in Synodo, sed mox legati Pontificis id inhibuere. *Paschasinus,* dicunt Acta, *reverendissimus episcopus et vicarius Sedis Apostolicae, cum in medio una cum his viris reverendissimis collegis suis stetisset, dixit: Beatissimi atque apostolici viri Papae urbis Romae, quae est caput omnium ecclesiarum, praecepta habemus prae manibus, quibus praecipere dignatus est ejus apostolatus, ut Dioscorus non sedeat in Concilio, sed audiendus intromittatur. Hoc vos* (Commissarios Imperiales) *observare necesse est. Si ergo praecipit vestra magnificentia, aut ille egrediatur, aut nos eximus.* — Quum vero Commissarii Imperiales ambages facerent, institerunt legati, et Paschasinus dixit: *Nos contra praecepta beatissimi et apostolici Papae, gubernatoris Sedis apostolicae, venire non possumus nec contra ecclesiasticas regulas, vel contra Patrum instituta.* — Et Lucentius: *Non patimur tantam injuriam nec vobis fieri, nec nobis, ut iste sedeat, qui judicandus advenit.* — Ita rem eo adduxerunt, ut decernentibus magistratibus Dioscorus jussus sit in medio sedere. Surrexit tunc Eusebius Dorylaei episcopus, qui quondam Nestorium et dein Eutychetem impugnavit, ac denuo hic partes egit actoris contra perfidiam et crimina Dioscori Alexandrini. Ad prosequendam hanc causam porro lecta sunt Acta CPtani concilii sub Flaviano habiti, et acta quaedam pseudosynodi Ephesinae. Multiplices interruptiones et explicationes a variis episcopis factae sunt. — In fine Actionis judices eam sententiam dederunt, videri Dioscorum, Juvenalem aliosque tres episcopos praecipuos actores contra Flavianum, si placuerit Imperatori, deponendos.

36. *Secunda Actione* actum est de fide, quumque magistratus monerent Patres, ut expositionem quamdam fidei praepararent, fere omnes clamarunt, id non esse necessarium, provisum esse per symbola Conciliorum et per Leonis epistolam. *Cecropius reverendissimus episcopus Sebastopolitanus dixit: Emerserunt quae ad Eutychetem pertinebant, et super iis forma data est a sanctissimo archiepiscopo Romae urbis, et sequimur eum, et epistolae omnes subscripsimus. Reverendissimi episcopi clamarunt: Ista omnes dicimus, suffi-*

Actio secunda.

ciunt quae exposita sunt, alteram expositionem non licet fieri. Judices tamen instabant, ut ita manifestum fieret, si qui aliter censerent ac reliqui. Postulata deinde est recitatio Symbolorum Nicaeni et CPtani, epistolarum Cyrilli, (2^dae ad Nestorium et epistolae ad Joannem de unione), atque Leonis ad Flavianum. Post lectam epistolam Leonis *reverendissimi episcopi clamaverunt: Haec Patrum fides, haec Apostolorum fides. . . Petrus per Leonem ita locutus est. . . . Leo et Cyrillus similiter docuerunt, anathema ei qui sic non credit.*

Examen epistolae Leonis.

37. Attamen quoad epistolam Leonis examen quoddam sibi permitti, rogarunt nonnulli episcopi; atque ex retractatione et examine illius epistolae, Gallicani argumentum insigne pro sua causa colligi posse putarunt. Accuratius igitur hanc rem consideremus. — Inter episcopos sexcentos in Concilio praesentes, Praesules Aegypti, Palaestinae et Illyrici, quum in negotio Monophysitismi longius progressi essent, tardiores erant ut prius gesta penitus rejicerent. Excusationes potius quaesierunt, et etiam quoad doctrinam aliquantisper haesitabant et titubabant. Omnes illi simul connumerati numero circiter quinquaginta inveniuntur. Ipsi etiam in prima Actione, quum Theodoretus in Synodum admitteretur, vehementer reclamarunt, Nestorianum in Concilium admitti.

38. Ex hisce igitur episcopis Illyriciani et Palaestinenses, quum legerentur litterae Leonis, ad quasdam sententias explicationes petierunt, atque etiam receperunt. Lecta vero epistola et explicationibus datis, *magnificentissimi judices et amplissimus senatus dixerunt: Post haec omnia adhuc quis dubitat? Rmi episcopi clamaverunt: Nemo dubitat.* — Sed Atticus episcopus Nicopolis rogavit, ipsi sociisque ejus concedantur aliquot dies, ut epistolas Cyrilli ac Leonis et sanctorum Patrum scripta tranquilla mente considerare possent, *ut in tempore disceptationis parati inveniamur.* Tunc judices dixerunt: *Differatur audientia usque ad quinque dies, ut intra hos conveniat vestra sanctitas ad sanctissimum archiepiscopum Anatolium, et communiter de fide tractetis, ut qui dubitant doceantur.* — Parum

id placere visum est maximae parti episcoporum Concilii. Etenim *omnes reverendissimi episcopi clamaverunt: Nos ita credimus* (ut Leo), *nostrum nullus dubitat, nos jam subscripsimus. Magnificentissimi et gloriosissimi judices et amplissimus senatus dixerunt: Non est necessarium, omnes vos convenire. Sed quia conveniens est omnibus dubitantibus persuadere, Anatolius eligat de his qui subscripserunt, quos putaverit idoneos esse ad docendos eos qui dubitant*[1]).

39. Ut de hisce recte judicetur et praeveniantur adversariorum sophismata, pauca animadvertimus. — Duplex dubium merito distingui potest: aliud est *dubium per se prudens, rationabile et licitum,* illudque locum habet, quando etiam viris cordatis, prudentibus, in re peritis ac bene dispositis, quaestio aliqua neque argumentis internis neque auctoritate externa apparet peremptorie resoluta. In tali casu suscipitur *examen cum jure dissensus,* et supponitur reliqua adhuc libertas, assentiri in alterutram partem, in eam videlicet, quae post examen ob argumenta vel auctoritatem competentem externam invenietur veritati conformis. Sic theologus, dum incipit expendere diversa systemata de efficacia gratiae, ejusmodi dubium potest habere. — Quando vero aliqua quaestio a viris cordatis, prudentibus, peritis, bene dispositis universim judicatur soluta ob argumenta interna vel externa auctoritatis, non datur amplius dubium quod per se sit rationabile et licitum, (si agitur de re fidei ex officio Expenditur.

---

[1]) Post haec sequitur in Actis Concilii: „Reverendissimi episcopi clamaverunt: Pro Patribus petimus, Patres Synodo reddite. (Consentaneos Leoni Synodo, Patres Synodo, addit textus latinus, haud vero graecus). Has voces Imperatori, has preces catholico, has preces Augustae. Omnes peccavimus, omnibus indulgeatur. Clerici CPtani clamaverunt: Pauci clamant, non tota dicit Synodus.“ — Erravit autem Bossuetus, dum Defens. Declar. Cleri Gall. L. VII. c. 17, illud *Pauci clamant* etc. refert ad receptionem epistolae Leonis. Agebatur de re plane alia. Videlicet episcopi plures Illyrici vel Palaestinae clamabant, ut indulgentia daretur Dioscoro et sociis, iique Synodo restituerentur. Tunc indignatione quadam moti clerici CPtani clamarunt, paucos tantum hoc petere, non totam Synodum.

admittenda). Hinc *per se* qui non consentit, habetur malae fidei et in *veritatem rebellis;* studium autem veritatis ostentatum, dum adhuc examen quaeritur, habetur ut *affectatum,* nec examen concedendum est. Sed *per accidens* interdum adest *dubium infirmorum et pusillorum,* quod per aliquod tempus tolerari potest. Si quis videlicet passionibus est agitatus et praejudiciis praeventus, accidere potest, ut propter impedimenta haec argumenta, caeteroquin perspicua, interna et externa non satis perspiciat, nec videat, nullam jam esse dubii libertatem et liceitatem. Tale dubium infirmorum per aliquod tempus *tolerari* potest, *examenque concedi intelligentiae et adhaesionis,* ut doceantur. Dum tale examen conceditur, nec supponitur quaestio anceps, nec in alterutram partem licitus assensus; sed supponitur fore, ut illi vel doceantur et consentiant, vel fiant in veritatem manifeste rebelles. Illud dubium aliquot Praesulum potuit igitur acceptari a Patribus reliquis ut tale dubium infirmorum ac tolerari ad tempus, iisque permitti examen ut docerentur. — Caeterum quoque diximus, in Conciliis examen adhaesionis et intelligentiae episcopis convenire. Sed uti inferius patebit, *ob linguae obscuritatem,* aliqua in illa epistola intellectu difficilia illis episcopis erant, videbanturque ipsis non satis divisionem et separationem in Christo excludere pro sic volentibus sapere, scilicet quoad Nestorianos. Hinc potuerunt examen petere non dubitantes de orthodoxia Leonis, sed ut sensum melius perciperent, et contra malevolorum expositionem tueri possent.

Dioscorus depositus.

40. Dioscorus, scelerum conscientia consternatus, secundae Actioni non interfuerat. Neque *tertiae* interfuit, in qua ejus causa tractata est, atque ter citatus venire recusavit. Postquam variae in Dioscorum prolatae accusationes discussae sunt, Apostolici legati summatim commemoratis sceleribus, quorum et Alexandrinorum testimoniis et publicis pseudosynodi Ephesinae Actis convictus fuerat, ex Leonis Pontificis sententia pronuntiarunt, illum et episcopali honore et sacerdotalibus omnibus functionibus privatum esse. Paschasinus sententiam his verbis edidit:

Unde sanctissimus et beatissimus Archiepiscopus magnae et senioris Romae Leo, per nos et per praesentem sanctam Synodum, una cum ter beatissimo et omni laude digno beato Petro Apostolo, qui est petra et crepido catholicae Ecclesiae et rectae fidei fundamentum, nudavit eum tam episcopatûs dignitate, quam etiam et ab omni sacerdotali alienavit ministerio. Igitur sancta haec et magna Synodus quae placent regulis super memorato Dioscoro decernat. Sententiam Anatolius CPtanus episcopus caeterique Patres universi gravissimis verbis comprobarunt, atque Imperatori et Augustae significavere, publicis vulgarunt edictis, et Alexandrinae perscripserunt ecclesiae.

41. Modo jam veniamus ad *Actionem quartam,* in qua facta est celebris illa retractatio et confirmatio epistolae Leonis, qua tantopere abutuntur Gallicani aliique adversarii infallibilitatis Romani Pontificis, ut ostendant, antea illam fidei expositionem non irreformabilem fuisse, plenamque ei non convenisse auctoritatem. — Igitur Actione quarta die 17° Octobris habita, quum jam quinque dies induciarum elapsi essent, judices Imperiales dixerunt: „*Manifestatis his quae jam pridem constitua sunt,* (lecta enim fuerant statuta Actionis secundae), *quod placuit reverendo Concilio de sancta fide, ipsum nos doceat Paschasinus et Lucentius reverendissimi episcopi et Bonifatius reverendissimus presbyter, vicarii Sedis Apostolicae. — Tunc legati per virum reverendissimum Paschasinum episcopum dixerunt: Sancta et beatissima Synodus fidei regulam quae apud Nicaeam a Patribus est constituta sequitur et tenet, sed etiam et centum quinquaginta apud Constantinopolim sub sanctae recordationis Theodosio majore congregata Synodus ipsam fidem confirmavit; cujus symboli expositionem a beatae recordationis viro Cyrillo apud Ephesum expositam, (quando Nestorius est pro sui calliditate damnatus), similiter amplectitur. Tertio vero beatissimi atque apostolici viri universalis Ecclesiae papae Leonis* (πάσων τῶν ἐκκλησίων ἀρχιεπισκόπου Λέοντος) *Nestorii et Eutychetis damnantis directa scripta, quid vera fides habeat exposuerunt. Similiter vero et sancta Synodus hanc fidem tenet, hanc sequitur, nihil am-*

Actio quarta.

plius nec addere potest nec minuere. Qua expositione interpretata graece per Beronicianum devotum secretarium divini consistorii, reverendissimi episcopi clamaverunt: Omnes sic credimus, sic baptizati sumus, sic baptizamus, sic credimus, sic credimus. — A tota proinde Synodo annumeratur epistola Leonis inter regulas fidei irretractabiles et irreformabiles cum ipsis Conciliis oecumenicis. Non igitur examine adhuc indigebat epistola Leonis, aut approbatione, ut haberetur pro immobili fidei regula.

Leonis epistola.

42. Sed judices saeculares, ut Imperatori satisfacerent, et dubitantibus vel haereticis resistentibus omnem excusationem eriperent, dixerunt: *Quoniam sacra Evangelia posita a reverentia vestra perspicimus, singuli reverendissimi episcopi qui convenerunt doceant, si expositio trecentorum decem et octo Patrum, qui olim in Nicaea collecti sunt, et post haec centum quinquaginta, qui in regia congregati civitate, consonat epistolae reverendissimi Papae Leonis.* Primus Anatolius CPtanus episcopus sententiam dixit: *Epistola sanctissimi et Deo amicissimi Archiepiscopi Leonis consonat symbolo trecentorum decem et octo Patrum qui apud Nicaeam, et centum quinquaginta qui apud CPolim postea sunt collecti, qui eamdem fidem confirmaverunt: sed et iis quae in Epheso sub beatissimo et sanctissimo Cyrillo gesta sunt ab universali et sancto Concilio, quando maledictum Nestorium condemnavit. Quapropter consensi et eidem epistolae libenter subscripsi.* — Dein legati Leonis per Paschasinum dixerunt: *Manifestum est nec poterit dubitari, unam fidem beatissimi Papae, Sedis Apostolicae rectoris, Leonis cum trecentorum decem et octo apud Nicaeam concordare atque de ineri; centum quoque quinquaginta apud CPolim congregatorum sacerdotum qui eamdem fidem firmaverunt, sed et Cyrilli sanctae recordationis viri apud Ephesum (quod Nestorius pro suo errore damnatus est) statuta in nullo penitus discordare. Ideoque beatissimi papae Leonis epistola, quae illam fidem exposuisse causa erroris Eutychis est visa, uno sensu, uno quoque spiritu videtur illi fidei esse conjuncta.* — Sequuntur dein vota Maximi Antiocheni et caeterorum Praesulum cum iisdem clausulis quoad sensum, qualis fuerat

illa Anatolii. Sed cum deventum fuit ad episcopos Illyricianos et Palaestinenses, nonnullas declarationes suae sententiae apposuerunt. Ita Euphratas episcopus Eleuthernae nomine episcoporum Illyrici inter alia dicit: *Et summe orthodoxum esse sanctissimum patrem nostrum archiepiscopum Leonem perfectissime novimus. Factum est autem nobis certum de epistola missa ab ipsius beatitudine, a sanctissimis episcopis Paschasino et Lucentio qui locum continent apostolicae Sedis, qui nobis dilucidaverunt, quae linguae obscuritas secernere subnotabat.* . . Palaestinenses autem dixerunt per Marcianum episcopum Jotapae: *Sed et lecta nobis epistola beatissimi et Deo amicissimi archiepiscopi Romani Leonis, in plurimis recte habentibus et praedictis* (symbolis) *consonantibus consensimus. Aliqua autem nobis ex ipsa obstiterunt verba, ut partitionem et separationem aliquam demonstrantia sic volentibus sapere; de quibus et ab initio ante vestram clementiam ambigebamus, et tunc a vestra jussi exire magnificentia audivimus a sanctissimis patribus et episcopis et presbyteris locum continentibus sanctissimi et Dei amatoris praecipui archiepiscopi Leonis, quia nullam dicunt partitionem in Domino et Deo et Salvatore nostro Jesu Christo, sed unum eumdemque Filium Dei; propter quod consensimus et tomo subscripsimus.* — Denique plures episcopi, qui dicuntur fuisse centum sexaginta, omissis singulis votis, per acclamationem communem concordarunt cum caeteris: *Omnes acquiescimus, omnes similiter credimus, omnes eadem sapimus.*

43. Haec est illa celebris retractatio epistolae S. Leonis, quam adversarii infallibilitatis pontificiae veluti argumentum indissolubile adducunt, ad suam opinionem demonstrandam. Sed solum specimen facti, quod oculis obtulimus, omnem vim adversae demonstrationis dissolvit. Etenim, ut argumento ad hominem utamur, evidentissime patet, quod epistola Leonis ante retractationem et subscriptionem factam in Actione quarta Concilii Chalcedonensis, ex ipsis principiis Gallicanorum tribus de causis irreformabilis et irretractabilis jam esset habenda. Primo quia subscripta aut tacito consensu approbata erat ante Concilium a longe majori numero episcoporum Ecclesiae Expenditur examen.

dispersae. Secundo, quia in Actione secunda acclamata erat cum Conciliis oecumenicis veluti fundamentum expositionis fidei faciendae, per consensum moraliter unanimem Patrum. Tertio, quia rursus initio Actionis quartae, ante subscriptionem et expositionem rationum, quae a Patribus quibusdam adjiciuntur, a tota Synodo acclamata fuerat ut regula fidei. Ergo quidquid teneatur de illa retractatione, qua singuli comprobarunt epistolam Leonis, certe eo non pertinet, ut per ipsam demum fieret haec epistola irreformabile et irretractabile fidei documentum.

44. Sed modo jam indolem illius retractationis et confirmationis accuratius examinemus. Animadvertendum est, Monophysitas ea usos esse arte dolosa, ut ad tuendos errores suos contenderent, se tenere illibatam fidem Synodorum Nicaenae et CPtanae, ab adversariis vero addi nova et dissona ab illa professione. Talibus assertionibus antea irretierant Theodosium Imperatorem, nec dubium est, CPoli multos aulicos aliosque hoc praetextu fuisse seductos. Maximi igitur momenti erat, ut per Concilium constaret, orthodoxos in sua professione de duabus Christi naturis plane conformes esse fidei antiquae, nec ullam innovationem, ut Eutychiani magnis clamoribus lamentabantur, fieri. Hinc illa quae gloriosissimi judices imperiales initio Actionis secundae dicunt: *Nunc hoc quaerendum et studendum et judicandum est, ut vera fides stabiliatur, pro qua maxime et Concilium factum est. Scientes igitur, quia et Deo rationem reddituri estis, tam pro propriis animabus singuli vestrum, quam et pro nostris omnibus, qui et doceri quae ad religionem pertinent recte desideramus, et omnem ambiguitatem auferri, ex omnium sanctorum Patrum concordia et consensu, et consona expositione et doctrina: festinate sine ullo timore et gratia atque inimicitia fidem puram exponere, ita ut et qui videntur non eadem cum omnibus sapere, per veritatis agnitionem ad concordiam revocentur. Scire enim vos volumus, quia tam divissimus et piissimus orbis terrae dominus, quam nos catholicam fidem a sanctis trecentis decem et octo, et a sanctis centum et quinquaginta,*

necnon etiam et a caeteris sanctissimis et gloriosissimis Patribus traditam, custodimus et secundum ipsam credimus.

45. Episcopi universim, uti vidimus, clamaverunt, sufficere epistolam Leonis, et se omnes subscripsisse. Attamen ob episcopos quosdam Aegypti, Illyrici et Palaestinae, qui Monophysitismo favorem praestiterant, atque ob instantiam judicum saecularium ulterius progressi sunt, ut fidei explicationem darent. Quum vero hac in re maxime niterentur epistolae Leonis, et de ea aliqui episcopi accuratius edoceri voluissent, magistratus illi petierunt votum omnium episcoporum, quod haec epistola revera plane consonaret cum doctrina Concilii Nicaeni et Concilii CPtani; hinc igitur factum est, ut omnes testarentur, se subscribere epistolae Leonis ut consonae sacris Conciliis.

46. Hac vero in re ista sunt consideranda: 1° Profecto epistola Leonis ex indole sua et auctoritate insita, erat fidei expositio ab omnibus submisse admittenda, ac dubium esse non poterat ob ipsam supremae Cathedrae inerrantiam, eam Conciliorum definitionibus plane conformem esse, eas illustrare et orthodoxam doctrinam proponere. Atque hoc modo etiam universim Patres et episcopi illam epistolam receperunt. — 2° Monophysitae conquerebantur, antiquam doctrinam laedi; magistratus vel tale quid fieri posse ipsi timebant, vel potius metuebant, haereticos sine declaratione conformitatis illius epistolae cum doctrina Conciliorum non satis reprimi posse. Aliqui episcopi quaedam in illa epistola non satis intelligebant. — 3° Non fuisset prudentis oeconomiae, urgere in istis adjunctis directe et explicite auctoritatem Sedis Apostolicae, atque inculcare, hoc documentum ex natura sua debere supponi ut consonans cum antiqua doctrina. Etenim haeretici hanc auctoritatem rejecissent, magistratus saeculares in illa animorum agitatione facile seducti fuissent, ac forte etiam aliquot episcopi in rebus theologicis minus periti et in fide minus firmi vacillassent[1]). Hinc

Consideranda.

---

[1]) Haud omnes sane Praesules Orientis supponendi sunt fuisse doc-

nullatenus expediebat, provocare discussiones directas de auctoritate ac de supremo magisterio Romani Pontificis. — 4° Quum vero episcopis conveniat examen adhaesionis et intelligentiae (sine jure dissensus), poterat profecto ejusmodi examen institui, ut Praesules haesitantes docerentur et clare perspicerent, ea quae a Leone exposita erant, plane cum antiqua fide congruere, utque id in confusionem haereticorum et confirmationem debilium explicite omnes testarentur. — 5° *Auctoritati* Romani Pontificis fidem proponentis debetur *assensus submissionis*, atque in simplicibus fidelibus nihil aliud quaerendum est. In episcopis vero huic assensui submissionis jungitur instituto examine *assensus intelligentiae,* dum perspiciunt doctrinam propositam revelationi vel fidei symbolis consonam esse. Ratio igitur hujus assensus est perspecta ejusmodi conformitas ac veritas doctrinae. Dumque talem assensum praestant, profecto ipsi ut judices, quamvis obnoxii, et pastores ac doctores fidelium, doctrinam Sedis Apostolicae confirmant, atque solemniori modo ostendunt *communem doctrinam* universalis Ecclesiae. Ejusmodi igitur confirmationem ac talem assensum intelligentiae, supposito jam assensu submissionis, Patres Concilii Chalcedonensis in sessione quarta, retractata epistola Leonis, professi sunt. Nullatenus vero inde inferri potest, epistolam illam nondum habuisse irreformabilem auctoritatem, sed eam acquisivisse confirmatione Praesulum. Atque operae pretium est animadvertere, plures Patres eadem ratione suum votum dedisse de epistola S. Cyrilli ac de epistola Leonis. Sic Seleucus reverendissimus episcopus Amasiae dixit: *Consonas expositae fidei trecentorum decem et octo sanctorum Patrum invenimus synodicas epistolas sanctissimi patris nostri Cyrilli. Similiter etiam epistolam sanctissimi archiepiscopi nostri*

---

trina plane eximii Inter episcopos qui subscripserunt pseudosynodo Ephesinae habentur: „Elias episcopus Hadrianopolis Asiae, definiens: subscripsi per Romanum episcopum Myrorum, quod nesciam litteras. Cajumas episcopus Phoenicensis definiens: subscripsi per coëpiscopum meum Dionysium, propterea quod litteras ignorem.“

Leonis invenimus consentire trecentis decem et octo, et iis quae a sanctissimo Cyrillo sunt exposita. — Cyrilli porro epistola jam per Concilium oecumenicum Ephesinum approbata erat, adeoque vides, ejusmodi confirmationis votum neutiquam ex natura sua eo pertinere, ut documento primum vis conferatur.

47. Sed quae ipse S. Leo Pontifex de illa epistolae suae retractatione et confirmatione dicit jam videamus, ut ex iisdem quae asserimus confirmemus, et quasdam objectionis ex Leonis verbis depromptas etiam diluamus. Leo igitur post Concilium Chalcedonense epistolam scripsit ad Theodoretum episcopum Cyrensem, in qua ei de fide gratulatur eumque ad perseverantiam hortatur. *Remeantibus ad nos,* scribit, *fratribus et consacerdotibus nostris, quos ad sanctum Concilium Sedes beati Petri direxit, agnovimus, dilectionem tuam, superno adjutorio, nobiscum tam Nestorianae impietatis, quam Eutychianae vesaniae exstitisse victricem. Unde gloriamur in Domino cum propheta canentes: Adjutorium nostrum in nomine Domini, qui fecit coelum et terram, qui nullum nos in nostris fratribus detrimentum sustinere permisit, sed quae nostro prius ministerio definierat, universae fraternitatis irretractabili firmavit assensu, ut vere a se prodisse ostenderet, quod prius a prima omnium sede formatum, totius christiani orbis judicium recepisset: ut in hoc quoque capiti membra concordent, in quo amplius nobis accrescit gaudendi materia, dum et tanto magis se perculit inimicus, quanto contra Christi saevius insurrexit. Nam ne aliarum sedium ad eam, quam caeteris omnium Dominus statuit praesidere, consensus assentatio videretur, aut alia quaelibet subrepere posset adversa suspicio, inventi prius sunt qui de judiciis nostris ambigerent. Et dum nonnulli dissensionum incitati auctore ad contradictionis bella prosiliunt, ad majus bonum malum ejus, auctore totius boni dispensante, perventum est. Dulcius siquidem munera gratiae divinae proveniunt, quoties non sine magnis sudoribus acquiruntur. Et minus bonum videri solet pax continuata per otium, quam reddita per laborem. Ipsa quoque veritas et clarius renitescit, et potius retinetur, dum quae fides*

Leonis sententia.

prius docuerat, haec postea examinatio confirmaret. Multum denique sacerdotalis officii meritum splendescit, ubi sic summorum servatur auctoritas, ut in nullo inferiorum putetur imminuta libertas. Et ad majorem Dei gloriam proficit finis examinis, quando ad hoc se accipit exercendi fiducia, ut vincatur adversitas, ne quod per se probatur reprobum, silentii praejudicio videatur oppressum[1]).

48. Vides, in his eam indolem confirmationis episcoporum describi, quam superius explanavimus. Quod quidam dubitaverint, per se Leo nullatenus approbat, ac si ante firma non fuerit sententia Sedis Apostolicae; sed quum a veritatis hoste id provenerit, ostendit, quomodo providentia Dei in bonum versum sit. Gaudet, quod Praesules iis adhaeserint, *quae nostro prius ministerio Deus definierat,* quod *quae fides prius docuerat, haec postea examinatio confirmaret.* Expositioni fidei in epistola ad Flavianum data igitur per se vim plenam tribuit, quae exigebat submissionem; examen autem subsequens episcoporum et assensum confirmantem, exhibet tanquam examen et assensum intelligentiae, ut qui minus intelligebant instruerentur et error efficacius rejiceretur.

Ojectiones. 49. Nihilominus adversarii ex hoc textu ingerunt illa verba: *Quae nostro prius ministerio* (Deus) *definierat, universae fraternitatis irretractabili firmavit assensu,* ac si ante assensum et confirmationem fraternitatis universae seu synodi oecumenicae, decretum dogmaticum Sedis Apostolicae per se retractari et ad calculum seu examen liberum cum jure dissensus revocari queat. Addunt in confirmationem sequentia: *Sic summorum servatur auctoritas, ut in nullo inferiorum putetur immutata libertas.* — Sed ex his nulla difficultas solida potest depromi, eademque solvuntur iis quae passim explanavimus. Firmantur sane doctrinae Leonis universae fraternitatis assensu, quatenus eodem solemnius elucet communis totius Ecclesiae fides, multumque confertur, ut efficacius illa fides servetur et defendatur. Irretractabilem autem assensum illum appel-

---

[1]) Epist. 63; Opera S. Leonis.

lat. cum ea Praesules confirmassent, quae Sedes Apostolica ante definierat, quia tota vis irretractabilis decretorum Concilii generalis potissimum circa fidem, ab unione pendet cum Apostolica Romanae Sedis fide. — Porro ad libertatem examinis quod pertinet, S. Leo indicare voluit libertatem examinis intelligentiae; videlicet eam libertatem a Patribus esse utiliter adhibitam, ut illis episcopis qui de Leonis definitione ambigebant, per tractatum et discussionem satisfacerent, eosdemque catholicum sensum quem minus intelligebant edocerent, et confirmarent ipsos in fide. Ita fit *ut ipsa veritas et clarius innotescat, et fortius retineatur, dum quae fides prius docuit* (per summum Pontificem), *haec postea examinatio confirmarit.* Cum vero hunc finem tantum ejusmodi libertas et examen spectent, ut quae definivit summus Pontifex episcopi confirment in Concilio assensu intelligentiae, et oppugnantes edoceant atque ab errore deducant, intelligitur, *quatenus sic summorum servetur auctoritas, ut in nullo inferiorum putetur imminuta libertas.*

50. Modo jam videamus argumentationem, qua Illmus Maret ex retractatione epistolae Leonis suam doctrinam de summa auctoritate in Ecclesia divisa inter Romanum Pontificem et episcopatum comprobare nititur. Postquam igitur enarravit quae in Concilio quoad epistolam illam acciderunt, ita disserit: „Deux choses nous paraissent entièrement certaines: la première, que la lettre de saint Léon, quoiqu'elle fût un jugement dogmatique et solennel du Siége Apostolique, n'était pas regardée par le concile au commencement de sa quatrième session, comme une règle absolue de foi; la seconde, qu'elle l'était devenue avant la fin de cette même session. — Pour se convaincre que le concile ne regardait pas la lettre de saint Léon, à l'ouverture de la quatrième session, comme une règle de foi, il faut se rappeler les doutes sérieux qui s'étaient manifestés, à trois différentes reprises, dans la seconde session et qui avaient nécessité des conférences chez le patriarche de Constantinople. Dans la quatrième les évêques qui avaient soulevé ces doutes déclarèrent. . . . Ill. Maret.

qu'ils adhéraient à la lettre apostolique, parceque leurs doutes avaient été entièrement éclaircis. Si la lettre de saint Léon avait été tenue pour une règle absolue de foi, le concile aurait-il supporté l'émission de pareils doutes? Aurait-il entendu, sans réclamations, de pareilles déclarations?" — Ex dictis satis patet, nihil ex ejusmodi dubiis aliquot episcoporum deduci posse. Videntur dubia tantum spectasse modum loquendi Leonis, quem, ob linguae obscuritatem, uti declarant, non intelligebant, non vero ipsam doctrinam. Caeterum etiam si de doctrina dubitassent, ex tali haesitatione paucorum nullum argumentum confici potest. Reclamationes autem revera factae sunt clamoribus Patrum. Legimus videlicet in fine Actionis secundae, quum ageretur de illa quorumdam haesitatione: *Omnes reverendissimi episcopi clamaverunt: Nos ita credimus* (sicut Leo), *nostrum nullus dubitat, nos jam subscripsimus.* Caeterum quoad illos episcopos sapienti moderatione et indulgentia merito legati Pontificis et Patres usi sunt, eo vel magis, quod etiam ratio habenda esset Imperatoris et magistratuum, laicorum qui parum versati erant in rebus theologicis.

51. Pergit auctor: „Qu'un évêque dans cette assemblée eût élevé de pareils doutes, eût fait de pareilles déclarations touchant les symboles de Nicée ou de Constantinople ou les décrets d'Ephèse, comment aurait-il été traité par le Concile?" — Certe illa documenta jam dudum tum assensu submissionis tum assensu intelligentiae recepta erant. Sed epistola Leonis recens erat, atque defectus intelligentiae dubia in illis Praesulibus excitabat; qua in re facilius ignoscendum erat. — „On dira que les Pères de Chalcédoine usèrent d'une sage condescendance en faveur de leurs collègues. Nous répondons que dans la même session les mêmes Pères prouvèrent bien, par leur conduite à l'égard des évêques égyptiens, qu'ils n'étaient point disposés à la moindre indulgence pour les rebelles à l'autorité de l'Eglise"[1]). Argumentatio haec pror-

---

[1]) Quum quae acciderint quoad illos Aegypti episcopos non narra-

sus infirma est. Certe post examen factum, quo etiam episcopi Aegypti poterant edoceri, et post subscriptionem totius Concilii, jam nullus concedi poterat tergiversandi locus. Nihilominus magna indulgentia in Aegyptios quoque Patres usi sunt, dum permiserunt subscriptionem differri usque ad electionem patriarchae.

52. „On nous objectera peut-être aussi, pergit Illmus Maret, que les évêques qui doutaient étaient une minorité dans le concile. Nous en convenons. Mais nous disons que la conduite de la majorité à l'égard de la minorité en cette circonstance, prouve que, nonobstant les adhésions qui avaient été données à la lettre apostolique antérieurement au concile, nonobstant les acclamations qui s'étaient fait entendre dans le concile même en l'honneur de la doctrine du saint Pape, le concile ne regardait pas la question comme entièrement terminée avant l'examen juridique et le vote définitif, et que jusqu' à ce moment la minorité conservait ses droits en présence de la majo-

---

verimus, eventum hic referimus ipsis verbis auctoris: Lorsque tous les évêques eurent opiné et souscrit, lorsque les acclamations qui terminaient ces actes solennels eurent été faites, on introduisit treize évêques égyptiens, qui présentèrent, au nom de tous les évêques d'Egypte, une profession de foi où ils se bornaient à dire qu'ils suivaient la foi catholique et qu'ils condamnaient tous les hérétiques. — Peu satisfait de ces généralités, le concile leur demanda d'anathématiser Eutychès et de souscrire á la lettre de saint Léon. Les Egyptiens montrèrent de l'hésitation, ou par un attachement secret à Dioscore, ou par la crainte d'engager leur signature avant l'élection de leur patriarche. Le concile leur dit: Quiconque ne souscrit pas à la lettre que le concile a approuvée, est hérétique. Adhérez à la lettre ou sachez que vous allez être condamnés et excommuniés. Ce concile universel est plus grand que l'Egypte et plus digne de foi. Obéissez au concile général. Comme les Egyptiens continuaient à opposer les graves périls qu'ils redoutaient en donnant leur signature sans leur patriarche, le concile tout entier s'écria: Ils sont hérétiques. Enfin par pitié, et en cédant aux plus vives et aux plus humbles supplications, le concile après avoir recu le serment des évêques egyptiens par lequel ils s'engagaient à souscrire à la décision conciliaire aussitôt après l'élection de leur patriarche, consentit à suspendre l'effet de ses menaces.“ (Du Concile général etc. T. I. Concile de Chalcédoine, p. 233).

rité.“ — Respondemus, quaestionem stricti juris in concessione illius examinis nullatenus agitatam fuisse, nec tale jus a legatis et Patribus fuisse agnitum. Sed quum magistratus civiles illud examen *ut docerentur dubitantes* proponerent et urgerent, prudenti moderatione reliqui non se opposuerunt. — Pergit auctor: Mais indépendamment de ce fait si décisif, pour bien apprécier les dispositions du concile à l'égard de la lettre apostolique, il suffit de considérer la manière dont la question fut posée au commencement de la quatrième session La vraie foi était-elle mise en doute par le Concile? Nullement. Il s'agissait uniquement de savoir, si cette foi avait été fidèlement exposée par saint Léon. „La lettre du très-saint Pape Léon est elle conforme à la doctrine de Nicée et Constantinople?“ telle fut la question que les Pères avaient à résoudre. Peut-on provoquer une assemblée en termes plus exprès, plus formels, à l'examen sérieux, contradictoire, libre, juridique d'un document? Peut-on soumettre plus expressément un document au jugement d'une assemblée? — Ce sont, il est vrai, les magistrats qui posent ainsi la question; mais le concile l'accepte dans les termes où elle a été posée. Il fait plus encore. Dans son vote motivé, chaque Père du Concile déclare qu'il a examiné, jugé la question posée, et qu'il adhère à la lettre apostolique, non pas seulement à cause de son autorité, mais surtout à cause de sa vérité. Il est impossible de donner un autre sens aux suffrages. Nous le demandons sans crainte à tout homme impartial: la question aurait-elle pu être posée, les suffrages auraient-ils pu être exprimés dans les termes que nous avons cités, s'il s'était agi d'une règle absolue de foi?“

53. In hac argumentatione auctoris plura sunt exaggerata et minus accurate dicta. Propositio examinis ut docerentur dubitantes, a magistratibus jam facta est in fine secundae Actionis. Illi laici solliciti erant, ut haberetur concordia, utque plane manifestum esset, epistola Leonis contineri expositionem fidei conformem doctrinae Nicaenae et CPtanae. Haeretici enim continuo clamabant,

fidem mutari, ac se tenere sine innovatione antiquas illas doctrinas; et per eorum clamores etiam laici minus docti circumveniri poterant. Opportunum non erat, uti jam diximus, insistere illi principio, per se ex auctoritate Sedis Romanae constare, epistolam Leonis conformem esse fidei Nicaenae et CPtanae. Caeterum nullatenus vel ipsi judices laici examen dubitativum volebant; videntes plurimorum Patrum testificationem supponebant sane, epistolam esse conformem, sed volebant ut illi episcopi docerentur. Hinc illa eorum verba: *Non est necessarium, omnes vos convenire. Sed quia conveniens est, omnibus dubitantibus persuadere, Anatolius eligat ex his qui subscripserunt quos putaverit idoneos esse ad docendum eos qui dubitant.* Dein in Actione quarta non amplius actum est de examine serio, libero, contradictorio, juridico, sed magistratus qui certe jam cognoscebant examinis effectum, petierunt explicitam omnium testificationem de conformitate epistolae cum fide Nicaena et CPtana. Haec testificatio utilis erat, ut pateret tum catholicis tum haereticis modo solemni, antiquam fidem a Leone proclamari. Petebatur igitur ab episcopis ille *assensus intelligentiae,* qui nullatenus excludit jam praecedentem et permanentem assensum submissionis. Sic etiam patebat, epistolam ab episcopis recipi non caece, et non solum debita submissione, sed etiam cum ea intelligentia veritatis, quae convenit iis qui in Ecclesia sunt Judices, Pastores et Doctores. — Quum vero ageretur de isto assensu intelligentiae, mirum non est, quod plures motivum subscriptionis dicunt: *quia conformis est cum antiqua fide.* Certe dum analysi scientifica motiva assensus distinguuntur, alia inveniuntur esse in submissione ob auctoritatem, alia in assensu intelligentiae, atque uterque assensus a Patribus epistolae praestabatur. Sed ejusmodi distinctiones et explicationes facere haud erat illius loci et temporis, adeoque ex indole quaestionis proveniebat, ut Patres commemorarent motiva assensus intelligentiae. Sic clare patebat, ab omnibus agnosci propria scientia epistolam ut concordem fidei Nicaenae et CPtanae.

54. „S'il est certain, addit auctor, que la lettre de

saint Leon n'était pas pour le concile de Chalcédoine une règle absolue de foi au commencement de la quatrième session, il l'est également qu'elle le devint à la fin même de cette session. La conduite du concile à l'égard des évêques égyptiens en est une preuve irrécusable . . . . Avant ce vote, le Concile tolère les doutes des évêques illyriens et palestins. Après ce vote, il appelle hérésie la moindre hésitation.“ — Ista satis solvuntur ex iis quae superius diximus; facile intelligitur, quare Concilii Patres in Praesules Aegyptios non amplius eadem indulgentia qua antea uti voluerint. Attamen et his dederunt inducias, quae exjure nullatenus concedendae erant.

Epistola ad Episcopos Galliae.

55. Quae de epistola Leonis ad Theodoretum Illms auctor affert, ut suam firmet theoriam, ex iis concidunt quae superius de hac epistola diximus. Citat praeterea epistolam (52 vel al. 77) quam post Concilium Chalcedonense Leo ad episcopos Galliae scripsit. Ad eam alii quoque Gallicani provocare solent, uti Card. de la Luzerne[1]). Scribit videlicet Leo: *Non enim jam ultra cuiquam excusationis refugium de ignorantiae inscitia vel de intelligentiae difficultate conceditur. Cum ob hoc ipsum sexcentorum fere coëpiscoporum nostrorum Synodus congregata, nullam artem ratiocinandi, nullum locum disserendi contra fundatam divinitus fidem sperare permiserit.* Quibus addi solet a Gallicanis, quod Marcianus Imperator dicit in edicto post Concilium Chalcedonense dato: *Cesset,* inquit, *profana contentio; nam injuriam facit judicio religiosissimae Synodi, si quis semel judicata ac recte disposita revolvere, et publice disputare contendit.* — Verum haec quae Leo et Marcianus in memoratis locis habent, ostendunt tantum id quod omnibus certissimum est, post Chalcedonensem Synodum habitam gravioris criminis reos evasisse, qui Eutychianos errores tueri prosequebantur, non quod antequam Synodus generalis haberetur, Eutychiana causa jam definita non esset, neque quod antea illi rei non fuissent, qui contra Leonis dogmaticam epistolam vel sentie-

[1]) Vide Palma, Praelect. Tom. I. P. II. c. XXIV.

bant vel loquebantur; sed quod habito Concilio generali, et in frequentissimo totius Ecclesiae conventu, communi suffragio Eutychianis erroribus iterum condemnatis, quo clarius doctrina catholica quam Leo tradiderat confirmata erat, eo iniquior eorum insolentia apparebat, qui mentem mutare recusabant. — Haec de epistola S. Leonis ad Flavianum ejusque confirmatione in Synodo Chalcedonensi facta sufficiant.

56. Jam commemoremus reliqua, quae in Concilio Chalcedonensi majoris momenti acciderunt. *Actione quinta* ea facta est fidei expositio, quae a Concilio petita erat. Atque quum initio praeparata fuisset ab Anatolio et quibusdam episcopis professio, quae non satis explicita videbatur ad errores Monophysitarum radicitus abscindendos, urgentibus legatis talis confecta est definitio, quae ad amussim respondebat doctrinae a Leone in sua epistola propositae. In eadem definitione se confirmare dicunt fidem Conciliorum praecedentium, ex quo perspicue vides, confirmationem ex se non eo tantum pertinere, ut quae vim plenam nondum habebant stabilirentur, sed etiam doctrinis et symbolis firmissimis eam posse conferri. Synodus *decrevit ante omnia*, inquiunt, *fidem integram et intemeratam permanere trecentorum decem et octo sanctorum Patrum: et confirmat doctrinam, quae de substantia Spiritus sancti a Patribus centum quinquaginta postea congregatis in regia civitate tradita est, propter illos qui Spiritui sancto repugnabant: . . . propter illos autem qui dispensationis mysterium corrumpere conantur et purum hominem esse genitum ex sancta Virgine Maria impudenter delirant, epistolas synodicas beatissimi Cyrilli Alexandrinae ecclesiae Praesulis ad Nestorium et ad Orientales congruenter habentes suscepit: . . . . quibus etiam et epistolam magnae (et senioris) Romae Praesulis beatissimi et sanctissimi archiepiscopi Leonis, quae scripta est ad sanctae memoriae archiepiscopum Flavianum ad perimendam malam Eutychetis intelligentiam, utpote et magni illius Petri confessioni congruentem, et communem quamdam columnam existentem adversus perverse sentientes, ad confirmationem rectorum dogmatum congruenter*

aptavit. . . . Sequentes igitur sanctos Patres, unum eumdemque confiteri filium et dominum nostrum Jesum Christum consonantes omnes docemus, . . . unum eumdemque Christum, filium, dominum, unigenitum, in duabus naturis[1]), *inconfuse, incommutabiliter, indivise, inseparabiliter agnoscendum, nusquam sublata differentia naturarum propter unitionem, magisque salva proprietate utriusque naturae, et in unam personam atque subsistentiam concurrente.*

57. *Actio sexta* Concilii valde solemnis fuit. Ei enim interfuerunt Marcianus et Pulcheria Impp., atque omnes episcopi definitioni fidei subscripserunt. — In *subsequentibus Actionibus* aliquot causae particulares compositae sunt. Ita in *octava* agitata est causa Theodoreti, ipseque ut orthodoxus agnitus et sedi restitutus est.

Causa Ibae

58. In *Actione nona et decima* tractata est causa Ibae, qui venerat conquerens de injuria ipsi facta. Lecta sunt Acta antea in negotio Ibae confecta, atque Ibas ostendit, se in nullo crimine esse convictum, suamque fidem orthodoxam immerito et falso in dubium vocari. Quoad oppositionem contra Cyrillum, ita rem exposuit: *Donec semetipsum interpretatus fuisset, quia orientale concilium eum vocabat haereticum et ut haereticum eum condemnavit, haereticum eum et ego putabam. Postquam vero adunatae sunt ecclesiae et beatus Paulus perrexit Alexandriam, orientalium fide portata, et suscepit ab eo capitulorum interpretationem, omnes eum communicatorem habuimus et orthodoxum, et nullus eum appellat haereticum.* Instabant vero accusatores Ibae Samuel et Maras, et urgebant hostilem Ibae in Cyrillum animum, dicentes: *Nostrum est probare, quia Cyrillum dixit haereticum, et post haec emendans semetipsum, ait: Donec sua anathematizasset capitula haereticus fuit.* Respondit Ibas: *Ego anathematis non feci mentionem, ego secutus sum orientale concilium. Vultis in scriptis proferre quae scripta sunt? vultis non scripta proferre, an scripta?* (Graece

[1]) In textu graeco quae nunc exstat habetur *ἐκ δύο φύσεων*, sed textus originalis videtur habuisse *ἐν*, ac versio latina illi textui respondere. Caeterum sequitur professio explicita, naturas duas inconfuse subsistere.

clarius: *θέλετε τὰ ἔγγραφα; προσενέγκετε τὰ ἔγγραφα*). Provocat eos igitur Ibas ad probandum hoc ex scriptis suis, indicans epistolam ad Marim, quae contra eum jam antea prolata fuerat. — *Dei amantissimi episcopi dixerunt: Si post mortem beatissimi et sanctissimi Cyrilli religiosissimus episcopus Ibas eum visus est* (*εἰ φαίνεται*) *haereticum nominasse et haereticum habuisse, monstrate. Maras dixit: Probamus.* — Tunc sequitur: *Idem vir devotissimus secretarius similiter relegit: Ex epistola quae scripta est a reverendissimo Iba episcopo Edessenorum Mari Persae, post prooemium* etc.

59. Ex hisce comperimus, quod magni momenti est, quo pertinuerit illa lectio epistolae Ibae in Concilio Chalcedonensi, et sub quo respectu eadem ab audientibus lectionem examinata fuerit. Accusatores, ut probarent fidem Ibae non esse orthodoxam, tanquam argumentum afferebant, quod reputaverit et dixerit Cyrillum haereticum. Post explicationes Ibae, episcopi statum quaestionis apte determinaverant, animadvertentes, accusatoribus esse probandum, quod Ibas asseruerit Cyrillum fuisse haereticum non solum antequam unionem iniret cum Antiochenis, sed per vitam etiam subsequentem, ita ut post mortem eum habuerit haereticum. Se velle hoc probare, responderunt accusatores, et dein quum Ibas jam ante dixisset: *Si vultis scripta, afferte scripta,* lecta est ejus epistola ad Marim. In his adjunctis eadem igitur sub hoc praesertim respectu examinabatur, utrum in eadem Ibas tractaret Cyrillum *ut haereticum etiam post unionem;* atque sub hoc quoque respectu ex epistola Ibas orthodoxus vel non orthodoxus pronuntiandus erat. Si haec attenduntur, facile intelliguntur vota Patrum quae dein data sunt. Ibae epistola lecta.

60. Lecta epistola Ibae, hic petiit, ut etiam legeretur epistola clericorum Edessae, quam ipsi miserant dum causa Ibae Beryti tractaretur. Eâdem negabant clerici, unquam verba illa blasphema in Christum, quorum accusabatur, ab Iba fuisse prolata. Signata autem erat a tredecim presbyteris, triginta septem diaconis ac duodecim subdiaconis et lectoribus. — Dein proposita fuit lectio

actuum pseudosynodi Ephesinae quoad Ibam, sed legati Pontificis aliique Praesules noluerunt, ut illa acta legerentur, eo quod illius synodi acta omnino rescindenda essent. Qua in re Concilium consensit. — Tunc ventum est ad suffragia de Iba ferenda.

Ibas orthodoxus. 61. Igitur *non amplius relectis iis quae Ephesi gesta sunt, magnificentissimi et gloriosissimi judices dixerunt: Quid placeat ei de Iba reverendissimo episcopo, sancta Synodus doceat. — Paschasinus et Lucentius reverendissimi episcopi et Bonifatius presbyter tenentes locum Sedis Apostolicae, per Paschasinum dixerunt: Relectis chartis* (τῶν χάρτων, scil. examinis anterioris), *agnovimus* (ἔγνωμεν) *ex sententia reverendissimorum episcoporum Ibam reverendissimum innoxium approbari; relecta enim ejus epistola, agnovimus* (ἐπέγνωμεν) *eum esse orthodoxum. Et ob hoc decernimus, et honorem episcopatus et ecclesiam, a qua injuste et absens expulsus est, ei restituendam.* — Dein plures episcopi similia suffragia dederunt; pauci in iis epistolam Ibae ad Marim commemorant. Maximus Antiochenus dicit: *Ex relecto quoque rescripto epistolae, quae prolata est ab eo qui adversarius ejus existit, orthodoxa ejus declarata est* (ὀρθή) *dictatio* (ὑπαγορία). Eunomius Nicodemiae dicit: *Jam quidem ex iis quae relecta sunt, innoxius approbatus est reverendissimus Ibas. In quibus etenim dicendo male culpare visus est beatissimum Cyrillum, in postremis recte confessus, illa in quibus culpaverat refutavit.* — Postremo clamarunt episcopi: *Omnes eadem dicimus. Nestorium modo anathematizet, Eutychen et ejus dogmata modo anathematizet. — Ibas reverendissimus episcopus dixit: Et jam in scripto anathematizavi Nestorium ejusque dogma, et nunc eum anathematizo decies millies. Quod enim semel cum satisfactione fit, si fiat decies millies, non contristat. — Anathema et ipsi Nestorio et Eutychi, et unam dicenti naturam. Et omnem eum qui non sapit sicut haec sancta Synodus, anathematizo. — Magnificentissimi et gloriosissimi judices dixerunt: Quae judicata sunt a sancto Concilio de Iba reverendissimo episcopo propriam vim retinebunt.* — Ita finita est causa Ibae Edesseni.

62. Vides autem, *de epistola Ibae* synodum sententiam non protulisse, nec definivisse, eam orthodoxam esse. Etiam Paschasinus in voto suo non fert sententiam de toto textu epistolae ut approbando, sed dum dicit, lecta epistola Ibam agnitum esse orthodoxum, attendit ad illud caput quod in quaestione erat, scilicet utrum ex iis quae de Cyrillo in epistola habebantur aliquid contra fidem Ibae colligeretur. Jam vero in illa epistola Ibas arguit quidem scripta et sententias Cyrilli ante unionem ejus cum Joanne; sed inde ab unione refert rectam doctrinam ab omnibus teneri, ac nullatenus exinde Cyrillum adhuc haereticum esse asserit. Recte proinde Paschasinus dixit, recitata epistola Ibam agnosci orthodoxum. Ita etiam votum Maximi et Eunomii accipiendum est, uti ex ipsis verbis Eunomii patet.

63. Subsequentibus Actionibus adhuc aliae causae privatae, quae maxime episcopos varios spectabant, tractatae sunt. Actione vero XV[a] post discessum legatorum et magistratuum e Concilio, plures canones, secundum codices graecos triginta, secundum latinos viginti octo, conditi fuerunt. — Ex quibus celeberrimus est canon XXVIII quo Sedi CPtanae privilegia conferebantur. Est autem ille canon hujusmodi: *Sanctorum Patrum decreta ubique sequentes, et canonem qui nuper lectus est centum et quinquaginta Dei amantissimorum episcoporum agnoscentes, eadem quoque et nos decernimus ac statuimus de privilegiis sanctissimae ecclesiae Constantinopolis, novae Romae. Etenim antiquae Romae throno, quod urbs illa imperaret, jure patres privilegia tribuerunt. Et eadem consideratione moti centum quinquaginta Dei amantissimi episcopi, sanctissimo novae Romae throno aequalia privilegia tribuerunt, recte judicantes, urbem quae et imperio et senatu honorata sit, et aequalibus cum antiquissima regina Roma privilegiis fruatur, etiam in rebus ecclesiasticis, non secus ac illam extolli ac magnifieri, secundam post illam existentem: ut et Ponticae et Asianae et Thraciae dioecesis metropolitani soli, praeterea episcopi praedictarum dioecesum, quae sunt inter barbaros, a praedicto throno sanctissimae CPtanae ecclesiae ordinentur: unoquoque scilicet praedictarum dioecesum metropoli-*

Canon XXVIII.

tano cum provinciae episcopis provinciae episcopos ordinante, quemadmodum divinis canonibus est traditum; ordinari autem, sicut dictum est, praedictarum dioecesum metropolitanos a CPtano archiepiscopo, convenientibus de more factis electionibus, et ad ipsum relatis.

Legati reclamant.

64. Actione XVI[a], habita die 1° Novembris, legati Pontificis contra hunc canonem reclamarunt, eumque decretis Concilii Nicaeni, cujus canonem VI recitarunt, contrarium dixerunt. Insuper quum Aëtius archidiaconus CPtanus oppositionem eludere conatus quaereret, an legati ista de re mandatum Pontificis haberent, Bonifatius presbyter unus ex legatis dixit: *Beatissimus et apostolicus Papa inter caetera hoc nobis mandavit. Et ex chartula recitavit: Sanctorum quoque patrum constitutionem prolatam nulla patiamini temeritate violari vel imminui, servantes omnimodis personae nostrae in vobis, quos vice nostra transmisimus, dignitatem: ac si qui forte civitatum suarum splendore confisi aliquid sibi tentaverint usurpare, hoc qua dignum est constantia retundatis.* — Perstiterunt tamen Graeci in proposito; sed legati obtinuerunt, ut sua reclamatio in actis Concilii consignaretur.

Rejicitur a Leone.

65. Petierunt quidem Patres Concilii, Marcianus Imp. et Anatolius repetitis vicibus, ut Leo canonem illum XXVIII confirmaret, quum propter bonum ecclesiarum Orientis haec constituta essent, nec primatus R. Pontificis iisdem impeteretur. Sed Pontifex optime perspiciens pericula quae ex ambitione episcoporum CPtanorum provenire poterant, nullatenus cessit. Haec constantia in tuenda antiqua disciplina a quibusdam recentioribus adscripta est angustiori rerum considerationi, qua Pontifex de juribus primatus sollicitus, necessitates et commoda ecclesiae CPtanae aliarumque ecclesiarum orientalium non satis ponderaverit. At plane immerito. Pluribus in epistolis Leo clare indicat motiva, ob quae postulata sedis CPtanae rejiciebat. Advertit 1°, haud esse rationem, cur episcopus CPtanus talia privilegia sibi vindicet, illudque urget principium, ex splendore civili non posse argumentum peti auctoritatis majoris ecclesiasticae. *Habeat, sicut optamus,*

scribit ad Marcianum, *CPtana civitas gloriam suam, ac protegente dextera Dei diuturno clementiae vestrae fruatur imperio. Alia tamen est ratio rerum saecularium, alia divinarum, nec praeter illam petram, quam Dominus in fundamento posuit, stabilis erit ulla constructio. Non dedignetur* (Anatolius) *regiam civitatem, quam apostolicam non potest facere sedem*[1]). — 2° Canonem istum opponi juribus patriarcharum reliquorum atque primatum, necnon decretis Concilii Nicaeni. *Non convellantur,* scribit, *provincialium jura primatum, nec privilegiis antiquitus institutis metropolitani fraudentur antistites. Nihil Alexandrinae sedi ejus, quam per S. Marcum Evangelistam, B. Petri discipulum meruit, pereat dignitatis, nec Dioscoro impietatis suae pertinacia corruente, splendor tantae ecclesiae tenebris obscuretur alienis. Antiochena quoque ecclesia, in qua primum praedicante B. Apostolo Petro christianum nomen exortum est, in paternae constitutionis ordine perseveret, et in gradu tertio collocata, nunquam se fiat inferior. Aliud sunt enim sedes, aliud praesidentes, et magnus unicuique honor est integritas sua*[2]). — 3° Etiam decreto episcoporum orientalium anni 381 Anatolii praetentionem non posse fulciri, quum illud decretum nunquam a Sede Romana agnitum sit. *Persuasioni tuae,* scribit ad Anatolium, *in nullo penitus suffragatur quorumdam episcoporum ante sexaginta, ut jactas, annos facta conscriptio, nunquam a praedecessoribus tuis ad Apostolicae Sedis transmissa notitiam, cui ab initio sui caducae dudumque collapsae, sera nunc et inutilia subjicere fulcimenta voluisti, eliciendo a fratribus speciem consensionis, quam tibi in suam injuriam verecundia fatigata praeberet*[3]). — 4 Ambitione Anatolii istam definitionem esse susceptam, eaque ecclesias turbari; plures vero episcopos depravatione vel metu adductos esse, ut subscriberent. *His autem,* scribit, *propter quae tanta facta est congregatio sacerdotum bono et optabili fine compositis, miror et doleo, quod pacem universalis Ecclesiae divinitus reformatam ambitionis rursus*

[1]) Ep. 104.
[2]) Ep. ad Anat. (105).
[3]) Epist. ad Anat. (106).

spiritus inquietat[1]). *Ita abuti voluit* (superba elatio) *Concilio synodali, ut fratres ad consentiendum sibi aut depravando traduceret, aut terrendo compelleret*[2]). — 5° Haud convenire, ut praesens perturbatio ecclesiarum Alexandrinae et Antiochenae inserviat ad earum jura minuenda; Pontificem esse antiqui juris et canonum custodem, nec permittere posse, ut unius episcopi voluntas bono praeponatur communi. *Dispensatio,* scribit, *mihi credita est, et ad meum tendit reatum, si paternarum regulae sanctionum, quae in Synodo Nicaena ad totius Ecclesiae regimen Spiritu Dei instruente sunt conditae, me (quod absit) connivente violentur, et major sit apud me unius fratris voluntas, quam universae domus Domini communis utilitas*[3]).

Canon irritus. 66. Eo tandem pervenit Leo constantia sua, ut Marcianus Imp. ei omnino cederet, et a. 454 edicto declararet, decreta ambitione obtenta irrita esse habenda[4]). Anatolius vero, qui initio omnem lapidem moverat, ut honores suos augeret, quum ex indignatione Pontificis et animo Imperatoris minus propenso jam sibi incommoda obventura timeret, postremo etiam humiles litteras Pontifici misit, quibus quae evenerant excusat culpaeque cleri CPtani attribuit, atque fatetur, sine confirmatione Pontificis omnia irrita esse. *De his autem,* ait, *quae CPtanae gratia sedis sancita sunt in Chalcedonensi nuper universali Concilio, pro certo Beatitudo vestra hoc habeat, nullam esse culpam in me, homine qui semper otium et quietem in humilitate me continens ab ineunte mea aetate dilexerim; sed CPtanae ecclesiae reverendus clerus est, qui hoc habuit studium, et istarum partium religiosissimi sacerdotes, qui in hoc fuere concordes et sibi pariter adjutores, cum et sic gestorum vis omnis et confirmatio auctoritati vestrae Beatitudinis fuerit reservata. Hoc igitur bene compertum Sanctitas vestra cognoscat, nihil ex me istius causa factum esse negotii, qui semper omnem jactantiae levitatem et alieni appetendi cupiditatem mihi vitandam crediderim*[5]).

---

[1]) Epist. 104. [2]) Epist. 106. [3]) Epist. 104.
[4]) Cfr. de his Hergenröther Photius, B. I. p. 86 sqq.
[5]) Inter epp. Leonis n. 132. Cfr. Acta Sanctorum, Tom. I Jul. p. 654.

Ita igitur canon ille XXVIII nullum *juridicum* acquisivit valorem; attamen *de facto* episcopi CPtani magis magisque effecerunt, ut dispositiones eo contentae observarentur.

67. Patres Concilii Chalcedonensis relationem dederunt ad Leonem Pontificem, in qua primum exponunt quae in negotio fidei peracta erant, dein quae resistentibus legatis de privilegiis sedis CPtanae ipsi decreverant. Epistolam his concludunt: *Ut autem cognoscatis, quia nihil alicui donando per gratiam fecimus, aut per inimicitias adversando, sed ut nutu gubernati divino, omnem vobis gestorum vim insinuavimus ad comprobationem nostrae sinceritatis, et ad eorum quae a nobis gesta sunt firmitatem et consonantiam*[1]). Quum ea quae fidem spectabant ex praescripto Pontificis facta essent, confirmatio petita ex indole rei spectabat praecipue illam sedis CPtanae exaltationem. S. Leo in epistolis ad Anatolium, Marcianum et Pulcheriam scriptis gaudium suum exprimit de negotio fidei feliciter confecto, de haeresi repressa ac de pace ecclesiarum restituta; et eo ipso decreta fidei iterum confirmabat. Sed epistolae illae maxime versantur circa decretum de sede CPtana, quod omnino reprobat. Quumque illae epistolae haud publicarentur, factum est, ut rumores spargerentur in Oriente, a Pontifice Concilium non confirmari, iisque rumoribus usi sunt haeretici, ut suos errores audacius disseminarent. Epistola ad Leonem.

68. Inde permotus est Marcianus, ut a. 453 enixe peteret a Pontifice, ut tandem mitteret explicitam Synodi confirmationem, quae publicari in ecclesiis posset. *Propterea,* scribit, *dignetur pietas tua mittere litteras, quibus manifestum fiat ecclesiis omnibus et populis, quae in sacra Synodo gesta sunt a Beatitudine vestra confirmari.* — Optime ad haec animadvertunt fratres Ballerini in sua editione operum S. Leonis: *Litterae ergo apostolicae Sedis, quibus confirmabantur Synodi generales, legendae erant in ecclesiis Orientis, haecque confirmatio in omnium notitiam deducenda*

---

[1]) Labbé Coll. Conc. T. IV. p. 836.

erat, ne quis de ea ambigens decretis Synodi reluctari posset. Ecce ergo necessariae confirmationis pontificiae manifestissimum testimonium. Tunc Leo epistolam edidit, qua dicit, quamvis ex epistolis ante jam scriptis de ejus consensu nullum supersit dubium, tamen hisce se fidei decreta in Synodo edita iterum confirmare, haud vero reliqua de sede CPtana statuta, sed antiquos canones observari debere. *Ne ergo,* inquit, *per malignos interpretes dubitabile videatur, utrum quae in Synodo Chalcedonensi per unanimitatem vestram de fide statuta sunt approbem, haec ad omnes fratres et episcopos nostros qui praedicto Concilio interfuerunt scripta direxi, quae gloriosissimus et clementissimus princeps sicut poposci in notitiam vestram mittere pro catholicae fidei amore dignabitur, ut et fraterna universitas et omnium fidelium corda cognoscant, me non solum per fratres qui vicem meam executi sunt, sed etiam per approbationem gestorum synodalium propriam vobiscum iniisse sententiam, in sola videlicet fidei causa, (quod saepe dicendum est), propter quam generale Concilium ex praecepto christianorum principum et ex consensu Apostolicae Sedis placuit congregari, damnatis haereticis, qui si corrigi voluissent, nulla penitus resideret de vera D. N. Jesu Christi incarnatione dubitatio. . . . De custodiendis quoque sanctorum patrum statutis, quae in synodo Nicaena inviolabilibus sunt fixa decretis, observantiam vestrae sanctitatis admoneo, ut jura ecclesiarum, sicut ab illis trecentis decem et octo patribus divinitus inspiratis sunt ordinata, permaneant. Nihil alienum improbus ambitus concupiscat, nec per alierius imminutionem suum aliquis quaerat augmentum. Quantumlibet enim extortis assentationibus sese instruat vanitatis elatio, et appetitus suos conciliorum aestimet nomine roborandos, infirmum atque irritum erit, quidquid a praedictorum patrum canonibus discreparit*[1]).

Confirmatio Concilii.

69. In his quae Concilium Chalcedonense ac praecedentes subsequentesque eventus spectant, clare enituerunt tum necessitas et efficacia auctoritatis Romani Pontificis,

[1]) Labbé Coll. Conc. T. IV. p. 881.

tum agnitio universalis hujus primatus. Quum res Orientis maxime turbatae essent, in uno Romano Pontifice spes reliqua erat, ac Leo auctoritate sua et sapientia orthodoxam fidem tuitus est, et tranquillitatem pacemque restituit. Ad Romanum porro Pontificem ante Concilium episcopi orthodoxi maxime insignes confugerunt, uti Theodoretus, qui diserte primatum Romani Pontificis in omnibus profitetur[1]). Pontifex normam fidei episcopis et Synodo praestituit, et supremum magisterium doctrinae ac summam primatus auctoritatem sapientiâ insigni exserit sibique vindicat. Episcopi vero hanc potestatem tum dictis tum factis agnoscunt. Illud tamen animadvertendum est, ut eventus varii intelligantur et recte dijudicentur. Veritas haec: *Suprema est potestas Petri ejusque successoris Romani Pontificis ut visibilis fundamenti Ecclesiae, centri unitatis, magistri fidei,* complexa est; unde explicanda multa jura et officia in particulari. Illa complexa veritas inde ab initio in explicita, clara et diserta praedicatione Ecclesiae erat; sed decursu temporum pro necessitate et opportunitate obveniente varia jura particularia, ut exsererentur et applicarentur variis modis, ex rerum indole contigit. Ex natura rei pariter provenit, ut talibus in adjunctis apud aliquos haesitatio quaedam quoad submissionem vel reverentiam ac venerationem auctoritati debitam inveniatur. Inde vero nullum argumentum contra juridicam vim illius potestatis deduci potest; imo eadem majore etiam cum splendore coruscat, quando fortiter et suaviter postremo omnes eo adducuntur, ut debita praestent auctoritati primatus obsequia.

---

[1]) „*Διὰ πάντα γὰρ ὑμῶν τὸ πρωτεύειν ἁρμόττει.*“ Epist. ad Leonem 113.

Dissertatio undecima.

De Tribus Capitulis, ac de Concilio Constantinopolitano secundo, oecumenico quinto.

Synodus quinta.

1. „Admonet sapienter Baronius, ait Cabassutius[1]), quintam Synodum malis initiis et mala intentione auspicatam, nihil Ecclesiae contulisse praeter innumeras dissensiones, clades, vexationes, schismata et saecularis Imperii adversus sacros Pontifices aliasque ecclesiasticas personas diram horrendamque tyrannidem, nec per eam fuisse conversos, quinimo magis invaluisse haereticos. Et cum contra summi Pontificis mentem per saecularem potestatem haereticorum pravis suasionibus excitatam, coactum habitumque fuerit istud Concilium, nullo praesente Apostolico Legato, primusque subscripserit qui eidem propria praesedit auctoritate Eutychius Constantinopolis episcopus, fuisse manifeste illegitimum et schismaticum conciliabulum, nullo modo censendum inter Ecclesiae Concilia, nisi ex solo tempore, quo robur eidem accessit ex approbatione apostolica.“

Dissertationis indoles.

2. Quodsi vero illa Synodus, uti ex hisce vides, haud eam per se meretur venerationem quam alia Concilia universalia, omnino conveniens tamen est imo necessarium, ut fusius de eadem Synodo ac de rebus ad eam pertinentibus agamus. Quae enim praecipue ibidem tractata est

---

[1]) Notitia Conciliorum cap. 69

controversia famosa *de tribus Capitulis,* per plura decennia ecclesias Occidentis et Orientis maxime exagitavit. Sed et de *Vigilio Pontifice* ejusque modo agendi in arduo isto negotio, quaestio nobis occurrit non minus difficilis, quam inter eruditos celebris. — Ut vero rerum eventuumque ordo atque connexio melius perspiciatur, quae inde a Concilio Chalcedonensi usque ad exortam de tribus Capitulis controversiam in Ecclesia majoris momenti acciderunt, primum breviter exponemus.

Cfr. de his ex antiquis: Collectio Conc. Labbei T. V. — Evagrius, *Hist. eccles.* — Facundi Episc. Hermianensis *pro defens. trium capitulorum Lib. XII.* — Fulgent. Ferrandi diaconi Carthagin. *epist. ad Pelag. et Anatol. pro tribus capitulis.* — Rustici diaconi *Disputatio contra Acephalos* (ap. Migne, Patr. Lat tom. LXVII et LXVIII). — Ex recentioribus: Norisii *dissert. de Synodo V,* contra opus P. Halloix S. J., *Origenes defensus etc.* Lovanii 1648. Contra Norisium dein scripsit Garnier S. J. *Dissertatio de Synodo V Paris.* 1675 (ap. Gallandi tom. XII); Norisium vero defenderunt fratres Ballerini: *Defensio dissertationis Norisianae de Synodo V adversus dissertationem Patris Garnerii* (Opera Norisii t. IV). — Vincenzi, *in S. Gregorii Nysseni et Origenis scripta,* Romae 1864. — Hefele, *C. G., B. II.* — Katerkamp, *K. G., B. III.* — Punkes, *Papst Vigilius und der Drei Kapitelstreit.* München 1864. — Muzzarelli, *De auctoritate Rom. Pontificis tom. II.* — Natalis Alexander *Diss. III—V in saec. VI.* cum notis subjectis a Roncaglia et Mansi. — Hergenröther *Photius, B. I, et K. G. III. p. 156. n. 155 sqq.,* ubi invenies citata documenta et auctores pro variis quaestionibus consulendos. — Palma, *Praelect. T. I. P. II. c. XXV et T. II. P. I. c. I—VII.* — Wouters, *Dissertationes, Tom. II. Diss. XXXIV sqq.*

I.

Eventus praecipui in Ecclesia post Concilium Chalcedonense.

3. Quamvis in Concilio Chalcedonensi haeresis Monophysitarum fuisset solemniter damnata, ejus tamen sectatores et fautores non desierunt eam tueri, et magnas turbas in variis regionibus Orientis excitare. — In Palaestina, ubi Eudoxia Theodosii II vidua Hierosolymis degens Monophysitis favebat, Theodosius monachus multos alios monachos ac plebem contra synodum Chalcedonensem excitavit, ac si ibidem fides prodita esset. Juvenalis episcopus Hierosolymarum e sua sede ejectus, et in ejus locum Theodosius ordinatus est; in alias etiam Palaestinae sedes, episcopis ejectis, Monophysitae intrusi sunt. Mox tamen a. 453, quum Eudoxia Concilium Chalcedonense suscepisset, motus sedati sunt, in suamque sedem restitutus est Juvenalis, qui synodo habita permultos monachos ad ordoxam fidem reduxit.

Palaestina.

Aegyptus.

4. In Aegypto, principali Eutychianorum sede, hi longe diuturniores turbas excitarunt. Dioscorus Alexandrinus, uti et Eutyches, ab Imperatore in exilium ejectus fuerat, in quo ambo obierunt. Dioscoro suffectus fuit *Proterius,* vir orthodoxus, sed quum tredecim illi episcopi Aegypti dubiae fidei, quibus inducias subscribendi Patres concesserant, in Aegyptum rediissent, ipsi mox motus contra Synodum Chalcedonensem excitarunt. Sectarum duces fuere Timotheus Aelurus presbyter, et Petrus Mongus diaconus. Anno 457 *Timotheus Aelurus* (felis) monophysita sedem Alexandriam invasit, et se a factionis suae episcopis patriarcham ordinari fecit; Proterius in seditione ista occisus est. Timotheus collecto conciliabulo asseclarum suorum mox Concilium Chalcedonense proscripsit, ac Synodo ejusque patronis, nominatim Leoni et Anatolio, anathema dixit.

Leo Imp.

5. Marciano in Imperio successit *Leo* Thrax, quem Monophysitae eo deducere studuere, ut Concilio Chalcedonensi neglecto nova Synodus haberetur. Imperator ini-

tio aliquantisper dubius episcopis Orientis mandavit, ut suam de Concilio Chalcedonensi sententiam aperirent, atque inde factum est, ut permulti Praesules epistola ad ipsum data Concilium Chalcedonense ejusque decreta *confirmarent.* Quo vero ejusmodi approbatio spectet, ex iis colliges quae de confirmationis natura superius diximus. Videlicet illi episcopi non novum robur internum Concilii decretis tribuere, sed debitam suam adhaesionem solemniter declararunt. Ab episcopis igitur catholicis et a. S. Leone Pontifice quoque interpellatus, Leo Imperator a. 460 Timotheum missis copiis ex sede Alexandrina dejecit, in Chersonesum eum relegavit, et ad sedem illius ecclesiae eligi curavit *Timotheum Salophaciolum* (album). Ita turbae in Aegypto sopitae sunt usque ad annum 475.

6. In *Syria* haeresis propagata fuit per *Barsumam* abbatem, qui in pseudosynodo Ephesina Flavianum saevissime tractaverat; atque etiam magis per *Petrum* cognomento Fullonem monachum. Hic ex Acoemetarum monasterio CPtano, ac dein ex ecclesia Chalcedonensi propter haeresim ejectus, venit Antiochiam, ubi favorem Zenonis patricii et ducis copiarum orientalium consecutus est. Postulavit, ut celebri trisagio: *Sanctus Deus, Sanctus fortis, Sanctus immortalis,* adderentur hae voces: *Qui pro nobis passus es.* Haec formula merito suspecta erat, quum eadem significari videretur, tres divinas personas in crucem actas esse, vel divinam naturam passionem subiisse. Quum igitur Martyrius Patriarcha Antiochenus ei obsequi nollet, ipso dejecto Petrus a. 471 sedem Antiochenam usurpavit. Sed Leo Imperator contra Petrum Fullonem interpellatus, eum Pasim in Aegypto relegavit; ad sedem vero Antiochenam tunc evectus est Julianus. Syria.

7. Post mortem Leonis (a. 474), sub quo Catholici praevaluerant Eutychianis, imperium occupavit *Zeno;* sed anno sequente dejectus fuit a *Basilisco.* Is ut haereticorum gratiam sibi compararet, eorum coryphaeos, Timotheum Aelurum et Petrum Fullonem, ab exilio revocavit, et a. 476 publicato edicto quod *Encyclicon* dicitur, omnibus episcopis et clericis sub poena depositionis, monachis et laicis Basilisci Encyclicon

sub poena exilii praescripsit, ut epistolae S. Leonis ad Flavianum et Concilio Chalcedonensi anathema dicerent. Episcopi magno numero, metu ducti, Basilisci edicto subscripserunt; Acacius episcoqus CPtanus initio anceps haesit, sed quum fidelium multitudo ducibus Daniele Stylita aliisque monachis magno cum fervore pro fide recta decertarent, et ipse cum clero Cptano pravis Imperatoris conatibus constanter restitit. Basiliscus resistentia CPtanorum et adventu Zenonis, qui cum exercitu ad urbem appropinquabat, perterritus, haereticum suum edictum novo decreto, quod Anti-Encyclicon dictum est, revocavit, et brevi post a. 477 a Zenone superatus imperium amisit.

Zeno Imp. 8. Zeno, recuperato imperio, secundum S. Simplicii R. Pontificis mandata et Acacii CPtani consilia Basilisci acta abrogavit, Petrum Fullonem e sede Antiochena, Petrum Mongum, ab Eutychianis in locum Timothei Aeluri mortui intrusum, ex Alexandrina, alios intrusos ex aliis sedibus pepulit, et eas catholicis reddidit. Tunc Alexandrinam sedem recepit Timotheus Salophaciolus, ad Antiochenam ordinatus fuit Stephanus, et qui Basilisci decreto assenserant episcopi, subscriptionem suam revocarunt. Verum *Acacius* CPtanus, qui de catholicae fidei defensione et ecclesiasticae pacis restitutione bene meruerat, postea ambitionis aestu incalescens graves turbas et schisma in Ecclesia excitavit. Post mortem videlicet Timothei Salophacioli patriarchae Alexandrini anno 481 vel 482, ab episcopis, clericis, et monachis catholicis electus fuit *Joannes Talaia*. Acacius autem, vir superbus, exosum habebat Talaiam, a quo aliquando honorem convenientem sibi negatum existimabat; unde tanta incaluit invidia, ut Zenonem Imperatorem commoverit ad rejiciendum Joannem Talaiam, quem plurium criminum accusabat, et ad restituendum Petrum Mongum, quem antea ut haereticum ejiciendum curaverat. Brevi post a. 482 non obstantibus Simplicii papae admonitionibus, Acacius praetextu uniendi Monophysitas cum Catholicis Zenoni auctor fuit, ut fraudulentum de fide edictum, *Henoticon* appellatum, promul-

garet, quod discordias in ecclesia orientali plurimum auxit, et tum Catholicos tum Monophysitas inter se divisit.

Zenonis Henoticon.

9. De hoc Henotico diversa est eruditorum sententia. Alii cum Baronio ad a. 482 illud ceu haereticum perstringunt; alii cum Natali Alexandro (Hist. eccl. saec. V. c. 3. a. 15. §. 4) mitius de eo sentiunt, ita tamen ut non diffiteantur, illud causae fidei nocuisse. Certe orthodoxum illud edictum dici nequit, sed fraudulentum quoddam fuit falsae transactionis et moderationis tentamen. Ita autem se habet pars ejus praecipua: *Quocirca dedimus operam, ut vos intelligatis, tum omnes ubique ecclesias non aliud symbolum vel doctrinam vel decisionem fidei vel fidem, quam s. symbolum 318 Episcoporum, quod 150 Patres . . . . confirmarunt, aut habuisse aut habere, aut scire alios habere. Quod si quisquam aliud habeat, eum alienum ab Ecclesia existimamus; nam hoc solo nostrum imperium conservari confidimus. . . Eidem quoque assensi sunt SS. Patres in Concilio Ephesino. — Nam confitemur unigenitum Dei Filium D. N. J. C. vere incarnatum esse, consubstantialem Patri secundum divinitatem, secundum humanitatem nobis consubstantialem, descendisse de coelo, carnem suscepisse a Spiritu Sancto et Maria Virgine Deipara, unum esse, non duo; . . . eos autem qui eum dividunt, aut naturas ejus confundunt, aut carnem suscepisse imaginariam introducunt, omnino rejicimus. . . . Quare quum exploratum habeamus, cum omnes sanctas ubique ecclesias, tum earum praesides Deo carissimos, tum nostrum Imperium, nullum aliud symbolum aliamve fidei decisionem admisisse vel admittere velle, absque ulla haesitatione nos ad concordiam reducamus. . . Cuique autem qui aliud quiddam vel senserit vel sentiat, seu jam, seu alias, seu in Concilio Chalcedonensi, seu in alio quovis concilio, anathema indicimus, maxime vero Nestorio et Eutycheti*[1]. — In hoc igitur Henotico ex una parte quidem continebatur professio verae divinitatis et humanitatis Christi; unitas Christi affirmabatur, rejiciebatur confusio naturarum, et anathema dicebatur Nestorio et Eutycheti. Sed ex al-

---

[1]) Ap. Baron. ad a. 482. n. 26 sqq.

tera parte more Monophysitarum rejiciebatur omne aliud symbolum praeter Nicaenum et CPtanum, adeoque haud admittebatur fidei expositio Chalcedone facta, atque epistola Leonis ad Flavianum. Vox *unius* vel *duarum* naturarum evitabatur, et non solum Concilium Chalcedonense non recensebatur ut recipiendum, sed valde ambigua et suspecta erant illa verba: *Cuique autem qui aliud quidquam vel senserit sel sentiat, seu jam, seu alias, seu in Concilio Chalcedonensi, . . . anathema indicimus.*

10. Huic edicto igitur, quod quamvis haeresim non exprimeret, eam tamen non condemnabat vel penitus excludebat, neque satis dogma catholicum tuebatur, subscripserunt Acacius, Petrus Mongus qui rejecto Talaia sedem Alexandrinam recepit, aliique e Catholicis et Monophysitis. Qui vero inter Catholicos justo fidei studio erant animati, Henotico subscribere recusabant. Illud etiam ferVidiores inter Monophysitas rejecerunt, quia in eo Concilium Chalcedonense non expresse damnabatur, et hi se a communione Petri Mongi separantes dicti sunt *Acephăli*, id est sine capite. Ab eo tempore ecclesiae in Oriente tristem in modum divisae sunt; in aliis Concilium Chalcedonense palam praedicabatur; in aliis expresse damnabatur; in aliis neque praedicabatur, neque damnabatur.

Schisma Acacianum.

11. Acacius, quamvis a. S. Simplicio papa ejusque successore Felice III admonitus, non tantum non resipuit, sed Felicis papae legatos a Zenone carceri mancipatos ad transgredienda Pontificis mandata, et ad communicandum cum Petro Mongo eique confirmandam sedem Alexandrinam compulit. Quapropter Felix III anno 484 in Romana Synodo Acacium et legatos suos praevaricatores episcopatus honore et communione Ecclesiae privavit. Acacius vero Imperatoris patrocinio fretus, nomen Pontificis e sacris diptychis expunxit, episcopos ad suscipiendum Henoticon Zenonis et ad communicandum cum Petro Mongo compulit, et schisma in Ecclesia introduxit, quod triginta quinque fere annos perduravit. Quum enim multi episcopi orientales, quamvis ab Eutychiana haeresi alieni, sive metu Imperatoris sive aliis de causis cum Acacio

communicarent, ejusque nomen in sacris diptychis conservarent, RR. Pontifices communionem cum illis suspenderunt, quae communionis suspensio duravit usque ad annum 519.

12. Anno 489 Acacio in excommunicatione mortuo subrogatus fuit *Flavita,* vir dubiae saltem fidei, quem post tres episcopatus menses defunctum, excepit *Euphemius.* Hic communionem cum Petro Mongo abjecit, Concilium Chalcedonense defendit, nomen Felicis III in sacra diptycha restituit et litteras synodicas ad eum dedit. Pontifex Euphemio ut viro orthodoxo litteras reddidit, sed eum, quod nomen Acacii ex diptychis non expunxerat, in communionem non admisit. Euphemius autem nomen Acacii e diptychis delere metuebat, uti scripsit ad Gelasium papam, ne turbae et gravius schisma in ecclesia et urbe CPtana excitarentur. — Zenone Imp. 491 exstincto, imperium consecutus est *Anastasius,* qui ante suam inaugurationem coram Euphemio jurejurando spopondit, se fidem catholicam illibatam custoditurum, nec quidquam novi in Ecclesiam invecturum esse. Verum promissis non stetit. Prioribus imperii sui annis decessoris sui Henoticon secutus est, et tum illos episcopos qui Chalcedonense Concilium praedicabant, tum eos qui illud damnabant exturbavit. Anno 494 Gelasius Pontifex epistolam ad Imperatorem scripsit, in qua eum excitabat, ut Sedi Apostolicae obtemperaret, Acacii nomen e diptychis deleri, et ecclesiarum concordiam restitui curaret. Verum Anastasius consilia et monita Pontificis sprevit; quin imo anno 495 Euphemium falsis criminibus oppressum, ab episcopis Constantinopoli congregatis deponi jussit et exilio damnavit.

Euphemius Cptanus.

13. In locum Euphemii ordinatus fuit *Macedonius,* et ipse orthodoxae fidei sectator, a Romanis tamen Pontificibus in communionem non admissus, quod nomen Acacii in diptychis conservabat. — Anno 497 Anastasius II Pontifex novos legatos cum litteris Constantinopolim destinavit pro restituenda ecclesiarum concordia, sed nihil effectum est. Imperator factus petulantior anno 503 contra Symma-

Macedonius Cptanus.

chum papam vulgavit libellum plenum conviciis, a quibus Pontifex se vindicavit apologetica ad Imperatorem epistola. Is vero ubique Concilium Chalcedonense abrogare tentavit, resistentem Macedonium patriarcham a. 511 in exilium misit, et in ejus locum ordinari jussit *Timotheum* infensum illius Concilii hostem. Usque ad mortem suam, quae contigit a. 518, Anastasius Imperator Monophysitismum tueri perrexit. Alexandriae vero et Antiochiae interea varii sibi successere episcopi, omnes fere haeretici.

Schisma exstinctum.

14. Sub Imperatore Justino, qui exstincto Anastasio imperium assecutus est, catholica veritas tandem haeresi praevaluit. Concilium Chalcedonense ubique receptum et restitutum fuit, et episcopi pro fide exules ad ecclesias, dejectis haereticis, revocati sunt, si tamen Aegyptum excipiamus, ubi tantus erat Monophysitarum numerus, ut Imperator eos tolerandos censeret. Unde factum est, ut Monophysitae et Catholici suum patriarcham Alexandriae haberent. Tunc etiam Acacianum schisma exstinctum est. Hormisdas R. Pontifex in hunc finem Germanum et Joannem episcopos, Blandum presbyterum, Felicem et Dioscorum diaconos, Constantinopolim legavit, eisque *Fidei libellum*, cui episcopi orientales subscriberent, dedit. Joannes CPtanus et quotquot in urbe regia erant episcopi illico subscripserunt, magnisque gaudiis anno 519 concordia celebrata fuit.

Hormisdae formula.

15. Celeberrima est ista Hormisdae formula, quae jam ante mortem Anastasii directa fuerat ad aliquot Illyrici episcopos, quum periculum esset, quominus schismati implicarentur. Usus vero perseveravit, ut eadem ab orientalibus episcopis reciperetur et offerretur Rom. Pontifici; Synodo generali VIII contra Photium a. 869 habita eadem formula edita fuit, atque etiam Concilium Vaticanum nostro tempore ea in suis definitionibus nititur. Haec vero formula ita se habet: *Prima salus est, rectae fidei regulam custodire et a patrum traditione nullatenus deviare, quia non potest D. N. J. Christi praetermitti sententia dicentis: Tu es Petrus, et super hanc petram aedificabo Ecclesiam meam. Haec quae dicta sunt rerum probantur effectibus,*

quia in Sede apostolica immaculata est semper servata religio. Ab hac ergo spe et fide separari minime cupientes, et patrum sequentes in omnibus constituta, anathematizamus omnes haereticos, praecipue Nestorium haereticum, qui quondam CPtanae fuit urbis episcopus, damnatus in Concilio Ephesino a Coelestino Papa urbis Romae et a sancto Cyrillo Alexandrinae civitatis antistite. Una cum ipso anathematizantes Eutychetem et Dioscorum Alexandrinum, in sancta Synodo quam sequimur et amplectimur Chalcedonensi damnatos. His Timotheum adjicientes parricidam, Aelurum cognomento, et discipulum quoque ejus atque sequacem Petrum, vel Acacium qui in eorum communionis societate permansit, quia quorum se communione miscuit, illorum similem meruit in damnatione sententiam. Petrum nihilominus Antiochenum damnantes cum sequacibus suis et omnium suprascriptorum. Quapropter suscipimus et approbamus omnes epistolas Leonis Papae universas, quas de religione christiana conscripsit. Unde, sicut praediximus, sequentes in omnibus Apostolicam Sedem et praedicantes ejus omnia constituta, spero ut in una communione vobiscum quam Sedes Apostolica praedicat esse merear, in qua est integra et verax christianae religionis soliditas. Promittens etiam, sequestratos a communione Ecclesiae catholicae, id est non consentientes Sedi Apostolicae, eorum nomina inter sacra non esse recitanda mysteria. Hanc autem professionem meam manu propria subscripsi, et tibi Hormisdae papae urbis Romae obtuli[1]). — Quae habentur a verbis: *Unde sicut praediximus,* vel potius, *spero ut in una,* sunt verba adjecta formulae, partim a Joanne CPtano; ac similibus verbis etiam reliqui Orientis episcopi suam consensionem profitebantur. Subscripta autem fuit formula a bis mille et quingentis episcopis, et uti diximus, postea frequenter firmata est. Unde vel ipse Bossuetus: „Hanc professionem eodem initio, eadem conclusione, additis subinde haeresibus atque haereticis, qui

---

[1]) Ita apud Denzinger Enchirid. n. XX. — Apud Baronium et alibi lectiones occurrunt aliquantisper variantes, sed idem plane est sensus.

suis temporibus Ecclesiam conturbassent, per secuta saecula frequentatam scimus. Hanc, uti S. Hormisdae papae sanctoque Agapeto ac Nicolao I omnes episcopi fecerant, ita iisdem verbis Hadriano II papae, Nicolai successori, factam in Concilio VIII oecumenico legimus. Haec ergo ubique diffusa, omnibus saeculis propagata, ab oecumenico concilio consecrata, quis respuat Christianus?"[1])

Formulae indoles.

16. Hoc fidei libello egregium continetur et peremptorium testimonium antiquitatis pro *infallibilitate R. Pontificis,* uti consideranti formulam per se patet. Quemadmodum affirmatur *factum,* in Sede Apostolica videlicet semper fidem servatam esse immaculatam, ita etiam asseritur hujus facti ratio seu *jus,* situm in promissione Christi Domini quae *praetermitti* vel irrita fieri nequit. Eo ipso indicatur, S. Sedem in fide errare non posse. — Summi momenti etiam sunt illa verba: *Unde, sicut praediximus, sequentes in omnibus Apostolicam Sedem, et praedicantes ejus omnia constituta;* quae verba in omnibus exemplaribus inveniuntur. Hisce enim episcopi suum officium agnoscunt, ut in omnibus sequantur Sedem Apostolicam ejusque statuta praedicent. Quum vero in toto contextu maxime spectetur puritas et custodia fidei, eo ipso Pontificis Romani magisterium supremum et infallibile episcopi agnoscunt, cujus fidei decretis obsequium praestare tenentur.

17. Frustra adversarii infallibilitatis pontificiae nostris quoque diebus omnem lapidem moverunt, ut vim infringerent argumenti, quod ex illa formula tanta evidentia dimanat. — Objiciunt, textum varium esse in diversis exemplaribus. — Verumtamen variae illae lectiones non respiciunt substantiam rei, sed quaedam accidentalia. — Agitur, inquiunt, de primatu, non vero de infallibilitate. — Respondemus, agi quidem de primatu, sed maxime de primatu magisterii fidei, et magisterii hujus infallibilitatem luculenter praedicari. — Spectatur, subdunt, tantum doctrina Incarnationis in Conciliis definita. — Respondemus, perturbationes quidem quoad hanc doctrinam ortas esse,

---

[1]) Def. Decl. Cler. Gall. L. X (al. XV) c. 7.

sed occasione horum motuum a Pontifice praescriptam et ab episcopis oblatam esse formulam, qua *generalia principia* proponuntur, quibus infallibilitas Sedis Apostolicae praedicatur. — Jam solitam cavillationem afferunt, distinguentes inter *sedem*, in qua nunquam deficit fides, et *sedentem*, qui errare potest. Ejusmodi inanem objectionem fusius refutare alterius loci est. Hic tantum animadvertimus, eam quidem distinctionem inter sedem et sedentem passim apud antiquos inveniri. Sed tantummodo eo scopo adhibetur, ut vel *dignitas sedis*, et *humilitas* aut *indignitas personalis obtinentis sedem*, opponantur, vel ut series non interrupta successorum, morientibus singulis, indicetur. Moriuntur videlicet sedentes, manet vero sedes. Sed inepta plane est illa distinctio, dum cathedram ab errore immaculatam praetendunt, etiamsi sedens errorem praedicet. Sedes enim tantummodo per sedentem ab errore libera est, et nonnisi per ipsum decreta fidei emittit quibus omnes obligantur. Hic valet quod dicit de Romano Pontifice S. Petrus Damiani: *Tu ipse es sancta sedes, tu es ecclesia Romana*[1]). Sed haec hactenus[2]).

18. Quo tempore legati Hormisdae Constantinopoli versabantur (a. 519), vehementius inter catholicos exarsit controversia de formula: *Unus e Trinitate passus est.* Monachi quidam Scythae Constantinopoli hanc formulam magno ardore propugnabant, ut necessariam ad fidem catholicam tuendam, ejusque approbationem a legatis postularunt. Quo factum, ut in suspicionem Monophysitismi venirent, et ad tuendam propriam orthodoxiam Romam ad Hormisdam Pontificem proficiscerentur. Romae quoque motus excitarunt ob vehementiam, qua illam formulam propugnarunt; ac tandem quum exspectaretur adventus legatorum, quos sibi minus favere sciebant, urbe clam digressi sunt. Hormisdas Papa eorum agendi ratione offen-

Monachi Scythae.

---

[1]) Opp. tom. III. 221.

[2]) De formula Hormisdae vide Hergenröther, Kirche und Staat XVI. p. 952 sqq. — Ballerini, De vi ac ratione primatus c. XIII. §. 15. — Animadversiones in quatuor contra infallibillitatem editos libellos V.

sus, eos ceu superbos, veterum auctoritatum contemptores, novarumque quaestionum studiosos, coarguit. Eorum vero propositionem approbare noluit, quia non erat necessaria ad fidem tuendam, et quia ob quamdam cum haeresi Petri Fullonis affinitatis speciem a quibusdam in malam partem verti et Monophysitismus ea tegi potuisset. Nullam autem sententiam definitivam Pontifex de formula tulit. Verum post aliquot annos monachi CPtani dicti Acoemetae seu insomnes[1]), istam propositionem impugnantes, prodiderunt sensum Nestorianum ac contenderunt, Christum non posse dici unum e Trinitate, neque B. V. Mariam vocari posse Deiparam. Tunc Joannes II papa a Justiniano Imperatore interpellatus memoratam supra propositionem approbavit, et monachos Acoemetas aliter sentientes damnavit. Manifeste vero falsum est, quod contendit Forbesius[2]) aliique heterodoxi, nempe Hormisdae et Joannis II sententias in causa monachorum Scytharum inter se pugnare. Hormisdas enim eorum propositionem non damnavit, sed approbare noluit, ne Eutychiani ea abuterentur et lites augerentur. Postea vero, mutatis rerum adjunctis, Joannes II illam propositionem *in sensu catholico* approbavit, ne Nestoriani silentium Sedis Apostolicae male interpretarentur.

Justinianus Imp. 19. *Justinianus* Imp. a. 527 successit Justino, qui morbo et senio confectus obiit. Multum quidem diuturno tempore regni sui Justinianus in Ecclesiae et imperii bonum contulit. Sed, instigante praesertim Theodora Augusta femina imperiosissima et factionibus dedita, potestatis suae limites passim transiliit, quaestionibus ecclesiasticis nimis se miscuit, et res Ecclesiae suo arbitrio disponere nisus est. Verum hac de re inferius plura dicentur.

20. Modo restat, ut paucis commemoremus *Pontifices*, qui inde a S. Leone Ecclesiae praefuerunt, eorumque gesta praecipua. Quum S. Leo viginti annis summum

---

[1]) Ita appellabantur, quia in eorum monasterio per varias monachorum turmas die noctuque continuo Deo laudes decantabantur.

[2]) Instit. hist. theol. L. III. c. 16.

pontificatum gessisset, a. 461 ad coelestem patriam migravit, vitae sanctitate, eloquentia, fidei defensione aliisque rebus gestis vere Magnus. — Successit ipsi *S. Hilarus* ab anno 461 ad annum 467; huncque secutus est *S. Simplicius,* qui usque ad annum 483 Ecclesiae praefuit. Uterque Pontifex dignissimus fuit S. Leonis successor. Fidem summa vigilantia tuiti sunt, et quantum potuerunt Monophysitis qui in Oriente errores suos spargebant restiterunt. In Occidente status rerum politicus eo tempore valde turbatus erat, atque anno 476 Imperium Romanum ab Odoacro Herulorum duce penitus exstinctum est.

Hilarus R. P.

Simplicius R. P.

21. Simplicio anno 483 successit *Felix III,* sub quo Acacianum schisma, quum Pontifex orthodoxiam constanter tueretur, initium habuit. — Post Felicem III a. 492 mortuum *Gelasius I* in Pontificem electus est, et usque ad annum 496 Apostolicam Sedem tenuit. Inter alia hujus Pontificis gesta, praecipue commemorandum est, quod anno 494 habita septuaginta episcoporum synodo celebre edidit *Decretum,* in quo utriusque Testamenti libri canonici definiti, et veterum Patrum libri ab Ecclesia recepti et inoffenso pede percurrendi, ab apocryphis et caute legendis discreti sunt. — Gelasio defuncto anno 496 suffectus est *Anastasius II.* Is Clodovaeo Francorum regi ob susceptam Christi fidem et baptisma litteris gratulatus est. Ad conciliandam concordiam inter Romanam et orientales ecclesias, legatos misit ad Anastasium Imperatorem orientalem cum epistola, in qua enixe postulabat, ut nomen Acacii e diptychis deleretur, jubebatque, rata haberentur Sacramenta baptismi et ordinis ab eodem Acacio collata. At legati, uti jam diximus, re infecta Romam reversi sunt.

Felix III, R. P.

Gelasius I, R. P.

Anastasius II, R. P.

22. Post Anastasii II obitum ad summum pontificatum electus fuit *Symmachus,* patria Sardus et Romanae ecclesiae diaconus. At Festus senator Romanus, qui anno praecedente pro Theodorico rege legatione ad Anastasium Imp. functus huic promiserat, se effecturum ut Zenonis Henoticum a Pontifice confirmaretur, diffidens, se id a Symmacho inpetraturum, nonnullos e clero et populo pe-

Symmachus R. P.

cunia pervertit, et eligendum curavit Laurentium archipresbyterum S. Praxedis. Hinc aliis in alia studia distractis, schisma, tumultus, rixae, et caedes in Urbe acciderunt. Maxima tamen cleri et populi pars Symmacho adhaesit. Res Ravennam ad Theodoricum Italiae regem delata fuit, quia Odoacer rex constituerat, ut Pontificis electio non fieret sine regis Italiae consensu. Theodoricus autem pro Symmacho, utpote prius et a pluribus electo, sententiam dixit.

Symmachi causa.

23. Laurentio igitur amoto, Symmachus anno 499 Romae synodum coëgit septuaginta duorum episcoporum, variaque ibi confecta sunt decreta de Romani Pontificis electione, quae utilia videbantur ad schismata praecavenda. Sed ipsum schisma Laurentianum vix exstinctum brevi recruduit. Nonnulli e clero et senatu Symmacho offensi Laurentium, qui ne Ecclesiam ultra turbaret Nuceriae episcopus constitutus fuerat, clam Romam revocarunt, Symmachum papam apud Theodoricum regem falsorum criminum accusarunt, et temeritate eousque non visa sciscitatorem qui de iis cognosceret, postularunt. Petrus episcopus Altinensis Romam legatus, ad Laurentianos digressus est, remque magis turbavit. Quare ad componendas turbas Theodoricus, petente Symmacho, curavit, ut ex tota Italia episcopi Romam convenirent. Episcopi quidem scientes, se non posse judicare Pontificem, synodum incipere noluerunt, priusquam certi essent, illam a Symmacho fuisse indictam, eumque auctoritatem de causa sua cognoscendi ad synodum detulisse. Sic de consensu Pontificis congregati, currente anno 501 plures synodos Romae habuerunt, ex quibus celebrior est ea quae dicitur *Palmaris, a porticu beati Petri Apostoli quae appellatur Palmaria,* inquit Anastasius in Libro Pontificali; ibidem videlicet habita esse videtur. Celebrata fuit die 23 Octobri anni 501, atque in ea Symmachus ab omni accusatione liberatus est. insignem autem haec synodus ostendit erga Sedem Apostolicam reverentiam. Nam episcopi declararunt, propter auctoritatem B. Petri successoribus ipsius propriam se nolle de Pontifice sententiam dicere, sed hoc Deo re-

linquere, cui etiam occulta cognita sint. Sed pro foro humano Symmachum liberum esse ab omnibus accusationibus, omnesque teneri ad obedientiam redire Pontificis, cui etiam integra fere multitudo fidelium constanter adhaeserit. Subscripserunt septuaginta sex episcopi, praesidibus Laurentio Mediolanensi et Petro Ravennatensi[1]). Sedit autem Symmachus usque ad diem 19 Julii anni 514.

24. Successit ei *Hormisdas* diaconus, patria Campanus, qui sedit annis novem. Quae ipse fecerit ad schisma orientale exstinguendum atque in causa monachorum Scytharum, jam exposuimus. — Cum vero Hormisdas die 6 Augusti a. 523 obiisset, ei successit *Joannes I* Etruscus. Huic Pontifici Theodoricus rex Italiae legationem ad Justinum Imperatorem imposuit, quatenus cum ipso ageret, ut Ariani catholicam religionem amplexi ad sectam redire possent, iisque ecclesiae et religiosa libertas redderentur. Quae si non concederet Justinus, Theodoricus eadem quae is contra Arianos in Oriente decreverat, se in Italia contra Catholicos effecturum minatus est. Joannes perhonorifice a Justino exceptus fuit. Quid vero cum Imperatore egerit in causa Arianorum, non certo constat. Quidam scribunt, Justinum, postulante Pontifice ne catholici Itali in discrimen vocarentur, Arianis ecclesias reddidisse; alii tradunt, Pontificem nihil pro Arianis egisse. Id certum est, Joannem Constantinopoli reducem a Theodorico fuisse conjectum in carcerem, in quo aerumnis confectus die 27 Maii a. 526 beato fine quievit[2]).

Hormisdas R. P.

Joannes I, R. P.

25. *Felix* hujus nominis IV, ex patre Castorio, post Joannis mortem non statim electus est. Theodoricus enim Italiae rex jus designandi Pontificis Romani sibi attribuit, et Felicem IV, caeteroquin spectatissimum virum, clero, senatui populoque Romano proposuit. Diu quidem illi restiterunt, sed dein schismatis vitandi causa in Felicem consenserunt. Ea vero lege res fuit composita, ut more pristino a clero Pontifex eligeretur, et a rege assensu suo

Felix IV, R. P.

[1]) V. Hefele, C. G., B. II. §. 220.
[2]) Wouters, H. E. V. I p. 315.

confirmaretur, certa pecuniae summa pro confirmatione imperata non tantum Romano Pontifici, sed etiam omnibus episcopis qui sub Gothorum ditione in Italia gemebant; quae summa in pauperes erogaretur, ut innuit Athalarius Theodorici nepos ac successor in suo edicto adversus Simoniacos apud Cassiodorum L. IX. ep. XV. Ea creandi Pontificis Romani ratio obtinuit, quamdiu Gothorum in Italia floruit imperium; imo quando illud deletum est, Justinianus Imperator jus approbandi Pontificis Romani sibi retinuit. Felicis res gestas ob injuriam temporum jejunas admodum nobis esse relictas, maxime dolendum est. A S. Caesario episcopo Arelatensi contra Semipelagianos interpellatus, nonnulla capitula e S. Augustini sententiis excerpta ad Arelatensem Praesulem misit. Secundum haec capitula anno 529 in celeberrima *Synodo Arausicana II* conditi sunt illi viginti quinque canones, quibus Semipelagianismus damnatus fuit.

Bonifatius II. R. P.

26. Anno 430 Felice defuncto, in Petri cathedram legitime evectus est *Bonifatius II* Romanus. Quaedam cleri factio in aede Constantiniana Pontificem salutavit Dioscorum; sed eo paucis post diebus vita functo, schisma exstinctum est. Bonifatius auctoritate Apostolica confirmavit decrata Synodi Arausicanae II, contra Semipelagianos praecedente anno habitae. — Romae Bonifatius II synodum coëgit, in qua, ut Gothorum regum in RR. Pontificum electione licentiae occurreret, *fecit constitutum, ut sibi successorem ordinaret, quo constituto cum chirographis sacerdotum et jurejurando ante confessionem beati Petri Apostoli diaconum Vigilium constituit scilicet successorem*[1]. At paulo post re perpensa, quod canonibus et electionis libertati opposita esset, ac forte quia Gothorum regem irritabat, novam synodum Bonifatius habuit. *Facta iterum synodo* (ita Liber Pontificalis) *hoc censuerunt* (cassaverunt), *sacerdotes omnes propter reverentiam sanctae Sedis, et quia contra canones hoc fuerat factum; et quia culpa eum* (Bonifatium) *respiciebat, ut successorem sibi constitueret, ipse Bo-*

[1]) Lib. Pontifical.

nifatius reum se confessus est majestatis (in regem Gothorum), *quod diaconum Vigilium sui subscriptione chirographi ante confessionem beati Petri successorem constituisset, ac ipsum constitutum in praesentia omnium sacerdotum et cleri et senatus incendio consumpsit.* — Quum vero Epiphanius patriarcha CPtanus nitens privilegiis suae ecclesiae a Synodo Chalcedonensi concessis, jurisdictionem exercuisset in Illyricum, et Stephanum episcopum Larissae et Thessaliae metropolitanum deposuisset, Bonifatius a. 531 tertia synodo habita jura S. Sedis in Illyricum vindicavit, et sententiam Epiphanii haud legitimam esse decrevit. Obiit Bonifatius II die 16 Octobri a. 532.

27. Post ejus obitum electus fuit *Joannes II* Romanus, qui cum ea aetate labes simoniaca serperet, omnem curam impendit, etiam auctoritate saeculari invocata, ut vitium istud ab episcoporum electionibus arceret. — Ipsi anno 535 defuncto successit *S. Agapetus* Romanus. Incepit tunc bellum Justiniani contra Gothos in Italia dominantes. Quum vero Belisarius dux copiarum Justiniani restituta in Africa Graecorum dominatione exercitum in Italiam duceret contra Gothos, Theodatus Gothorum rex caedem immanem minabatur Romanis, nisi Justinianus copias ex Italia revocaret. Theodati jussu hac de re Agapetus CPolim profectus est et cum Imperatore contulit; sed quod postulavit a Justiniano non impetravit. Hinc ad negotia ecclesiastica suam sollicitudinem convertit. Opera Theodorae Augustae a. 335 in locum defuncti Epiphanii Anthimus, antea episcopus Trapezuntinus, Monophysita, patriarchatum CPtanum consecutus erat. Sed Agapetus Anthimum haeresis convictum sacerdotio et communione fidelium privavit, et in ejus locum ordinavit Mennam fidei integritate et SS. Scripturarum peritia clarum. Paulo post, nimirum d. 17 Aprilis a. 536, Agapetus Constantinopoli obiit.

Joannes II. R. P.

Agapetus R. P.

28. Quae spectant duos sequentes Pontifices Silverium et Vigilium, nondum omnino explorata esse existimamus. Ea vero enarrabimus, sicuti e fontibus satis probatis hucusque a viris eruditis eruuntur; animadvertimus tamen, plura

documenta quae huc pertinent jam agnita esse supposititia, ac nostris diebus cl. *Vincenzi* conatum esse Vigilii vindicias suscipere, uti inferius videbimus. — Cum igitur auditus esset Romae obitus sancti Agapeti Papae, atque jam haberentur more majorum sacra comitia de novo creando Pontifice, influxu Theodati regis Gothorum, uti videtur, electus fuit *Silverius,* Hormisdae quondam Pontificis Romani filius, ex legitimo ante pontificatum matrimonio susceptus. Theodatum pecunia data corruptum fuisse, asseritur in Libro Pontificali sub *Silverio;* sed Liberatus qui istis temporibus vixit et *Breviarium historiae* Nestorianismi et Monophysitismi scripsit, nullam de ea re mentionem fecit, falsamque illam narrationem esse, jam universim tenetur.

Silverius R.P.

29. Interim Constantinopoli inter Theodoram Augustam, feminam Eutychianis faventem, et Vigilium, S. Agapeti recens defuncti diaconum et apocrisiarium, convenerat, ut Augusta opera sua Vigilium ad summum pontificatum evehendum curaret; hic autem Pontifex factus, Anthimum ab Agapeto depositum aliosque Eutychianos restitueret, et Concilium Chalcedonense abrogaret. Theodora etiam magnam pecuniae summam Vigilio promisit. — Vigilius, mandatis Theodorae ea de re ad Belisarium ducem Romae jam dominantem munitus, Romam profectus est; sed illic electum et ordinatum invenit Silverium. Hunc Theodora litteris adducere studuit, ut obsequeretur desideriis suis et Constantinopolim veniret, vel saltem Anthimum restitueret. Quod quum Silverius facere declinaret, illa Vigilium ambitione plenum, dejecto Silverio, in thronum pontificalem intrudere ausa est. Silverius, accusatus quod Gothis faveret et urbem iis prodere meditaretur, a Belisario pontificatu privatus est, et Pataram Lysiae in exilium missus. In ejus locum dein suffectus fuit *Vigilius*, qui ordinatus est die 22 Novembris anni 537.

30. De hoc exilio ita scribit Liberatus: *Sed Silverio veniente Pataram, venerabilis episcopus civitatis illius venit ad Imperatorem, et judicium Dei contestatus est de tantae Sedis episcopi expulsione, multos dicens esse in hoc mundo*

reges, et non esse unum, sicut ille Papa est super Ecclesiam mundi totius a sede sua expulsus. Quem audiens Imperator, revocari Romam Silverium jussit, et de litteris illis (ad proditionem probandam citatis) *judicium fieri, ut si approbaretur ab ipso fuisse scriptas, in quacumque civitate episcopus degeret, si autem falsae fuissent approbatae, restitueretur suae sedi. . . . Pelagius vero* (apocrisiarius Rom. Pontificis Constantinopoli degens), *currens cum voluntate Augustae volebat irritum facere Imperatoris praeceptum, ne Silverius Romam reverteretur; sed praevalente Imperatoris jussione Silverius ad Italiam reversus est*[1]). At Silverii adversarii dein iterum ipsum Roma expulerunt, feceruntque deportari in Palmariam insulam, ubi aerumnis multis afflictus Pontifex vel anno 540, uti Baronius aliique censent, vel ex sententia Bianchini anno 538 mediante obiit.

31. Habet Liber Pontificalis in conclusione vitae Silverii: *Et cessavit episcopatus dies sex.* — Hinc existimat Baronius aliique, Vigilium usurpatorem Sedis Apostolicae tunc renuntiasse ad tempus episcopatui, sperantem, fore ut legitima electione ob schismatis metum a clero eligeretur. Id revera accidisse, atque exinde Vigilium legitimum fuisse Pontificem. Haec suppositio sane haud gaudet certitudine; conveniunt tamen omnes, inde a morte Silverii, sive electione, sive acceptatione communi, Vigilium fuisse legitimum Papam. — Tunc vero ipse, gratia operante divina, digna ratione in pontificatu se gessit. Cuncta enim quae Theodorae contra Chalcedonense Concilium et in favorem Eutychianorum promiserat aut scripserat, solemni fidei professione, quae in litteris ad Mennam et ad Imperatorem habetur, implicite revocavit et Vigilius R. P.

[1]) Breviar. c. 22. — Liberatus diaconus Carthaginensis, qui olim sub Joanne et Agapeto RR. PP. legatus ecclesiae suae ad Sedem Romanam directus fuerat, scripsit (forte circa a. 550) *Breviarium causae Nestorianorum et Eutychianorum*, seu brevem conspectum utriusque haeresis, ex Historia tripartita Cassiodori, ex gestis synodalibus et SS. Patrum epistolis, ex quodam libello Alexandriae accepto, et ex fideli gravissimorum hominum relatione seriem rerum gestarum apte disponens. V. Fessler, Patrologia II. p. 970.

nullius valoris habuit; quatuor oecumenica concilia, S. Leonis et caeterorum decessorum suorum epistolas se recipere et secundum eas credere affirmavit; anathema in Eutychianos et Acephalos renovavit, et pravis Theodorae conatibus fortiter restitit.

A. Vinceni. 32. Contendit vero *Vincentius*, omnino falsa esse, quae de Vigilii intrusione in Sedem Romanam feruntur. Ab adversariis ejus schismaticis omnia haec conficta vel false exposita fuisse. Ex sententia Vincentii Silverius in exilium missus fuit ob rationes politicas; mortuus est anno 537, dum Gothi Romam obsidebant (537—538), post pontificatum anni unius, mensium quinque, dierum undecim[1]). Post mortem ejus ad Sedem Apostolicam evectus fuit Vigilius, qui nullibi ut illegitimus habebatur; in aliqua inscriptione anni 537, (ap. De Rossi Inscript. Urbis Romae t. I. n. 1057. p. 481), appellatur *beatissimus Papa,* episcopi litteras ad eum dabant ut ad Pontificem plane legitimum. — Cassiodorus aliique scriptores orthodoxi nec crimina nec resipiscentiam Vigilii noverunt ac referunt; Arator subdiaconus Vigilium celebrat ut Romae servatorem, et Vigilius ipse ita in suis epistolis loquitur, ut canonicam supponat electionem; plane orthodoxum vero sese ostendit. Sed adversarii ejus ipsum repraesentarunt ut antipapam populo exosum, et apocrypham ei affinxerunt epistolam ad Anthimum et Acephalos scriptam[2]). — Videntur nobis quidem plura in accusationibus Vigilii exaggerata, et quae feruntur de ipso minus inter se cohaerere. Attamen cum gravissimis auctoribus existimamus, haud satis valida esse Vincentii argumenta, et ob coaevorum scriptorum testimonia quoad substantiam admittenda, quae de Vigilio referuntur[3]).

---

[1]) In Cod. Reg. Vatic. 1122 unus annus ei adscribitur.

[2]) Aloysius Vincenzi: In S. Gregorii Nysseni et Origenis scripta et doctrinam nova recensio cum appendice de actis Synodi V oecumenicae. — Vol. IV. Vigilii Pontificis Romani, Origenis Adamantii, Justiniani Imp. triumphus in synodo oecumenica quinta. Romae 1866. Cfr. Hergenröther, Bonner Theol. Litbl. 1865, S. 543.

[3]) V. Hergenröther, K. G. B. III. p. 130.

II.

Controversia de tribus Capitulis.

33. Jam veniamus ad celebrem istam *de tribus Capitulis* controversiam, quae vitam et pontificatum Vigilii adeo exagitavit, atque in ipsa Ecclesia vehementiores motus produxit. Occasionem controversiae dederunt fautores litium Origenisticarum. Has lites prioribus annis saeculi Origenistae. quinti auctoritate S. Anastasii I sopitas, saeculo sexto nonnulli monachi monasteriorum Palaestinae resuscitarunt. Fuerunt enim monachi plures qui Origenis doctrinis adhaeserunt, inter quos doctrina excellebant Domitianus et Theodorus Ascidas. Quum hi Justiniani fruerentur favore, versus a. 537 alter Ancyrae in Galatia episcopus, alter vero, scilicet Theodorus, Caesareae in Cappadocia metropolita factus est. Exinde Origenistae in lauris Palaestinae magis praevaluerunt; sed alii monachi istis doctrinis sese opposuere. Qui quum ab Origenistis acrius vexarentur, ad Ephraemium patriarcham Antiochenum confugere, isque circa annum 542 in synodo Antiochiae habita Origenismum damnavit. Cum eodem tempore Pelagius apocrisiarius Vigilii synodo adfuisset ob alia negotia ecclesiastica Gazae habitae, cum ipso delegati monachorum orthodoxorum et Petri episcopi Hierosolymitani Constantinopolim profecti sunt, ut Justiniano Imperatori libellum accusationis contra Origenistas traderent.

34. Quum Constantinopoli Pelagius, Imperatori gratissimus, et Mennas hisce legatis faverent et eorum postulata sustinerent, obtinuerunt illi facile a Justiniano edictum contra Origenem. *Annuit*, inquit Liberatus c. 23, *Imperator facillime, gaudens se de talibus causis judicium ferre. Jubente eo dictata est in Origenem et in illa capitula anathematis damnatio, quam subscribentes una cum Menna archiepiscopo apud Constantinopolim reperti,* (Pelagius et varii episcopi), *deinde directa est Vigilio Romano, Zoilo Alexandrino, Ephraemio Antiocheno et Petro Hierosolymitano. Quibus eam accipientibus et subscribentibus, Ori-*

genes damnatus est mortuus, qui vivens fuerat ante damnatus. — In edicto illo, quod continetur ampliori epistola ad quinque Patriarchas directa, Justinianus Origenis errores de Sma Trinitate, de praeexistentia animarum, de anima Christi, de apocatastasi omnium aliisque de rebus refert. Errorum summarium continetur decem canonibus epistolae subjectis, quibus illae doctrinae ipseque Origenes anathematizantur.

Controversia excitatur.

35. Theodorus Ascidas et Domitianus sese quidem edicto contra Origenem submiserunt; atque ita favorem et magnum influxum apud Imperatorem conservarunt. Hoc vero influxu utens, mox graviorem litem *de tribus Capitulis* Theodorus provocavit. Ut vindictam quamdam in Pelagium exerceret et Origenis damnationem ulcisceretur, vel quod Monophysitis faveret, eum hoc fecisse, auctores antiqui, qui trium Capitulorum defensionem susceperunt, referunt; hoc tamen non omnino exploratum est. Id certe in animo habuit, ut ab Origenis et Origenistarum causa semoveret animum Imperatoris, et, quum rebus theologicis disponendis hic adeo studeret, alio potius negotio eum occuparet. Ipse Domitianus Theodori amicus in epistola ad Vigilium[1]) dicit, injuste Origenem et alios sanctos doctores fuisse impugnatos et damnatos. Horum sectatores, quum viderent se in defensione Origenis victoriam reportare non posse, aliam controversiam excitasse, damnationemque Theodori Mopsuesteni studuisse obtinere, *ad abolitionem eorum quae contra Origenem mota constiterant* (al. *constituerant*).

36. Theodorus igitur Caesariensis episcopus, qui sibi tum Justiniani tum Theodorae Augustae benevolentiam conciliaverat, Justiniano, quum librum contra Acephalos ille elaboraret, persuasit, faciliori labore hos cum Catholicis reconciliari et ad unitatem Ecclesiae reduci posse, modo haec tria quae illis erant offensioni corrigerentur. 1° Ut damnarentur Theodorus Mopsuestenus olim episcopus ejusque libri, in quibus haeresi Nestorianae praeluserat.

---

[1]) Ap. Facund. Herm. pro defens. trium Capp. l. IV. c. 4.

2º Ut damnarentur quoque scripta Theodoreti episcopi Cyrensis contra anathematismos S. Cyrilli Alexandrini. — 3º Ut damnaretur epistola Ibae ad Marim Persam, in qua Theodorus Mopsuestenus laudabatur, Concilium Ephesinum vero et S. Cyrillus Alexandrinus perstringebantur. — Haec tria nomine *trium Capitulorum* designari solent, et controversia quae inter defensores et impugnatores istorum gesta est, qua alteri contendebant ista damnari haud posse ac debere, alteri vero condemnationem postulabant, *controversia de tribus Capitulis* dicitur.

37. Tria Capitula Theodorus Caesariensis Imperatori, uti diximus, damnanda proposuit, specie quidem conciliandae pacis atque unionis Acephalos inter et Catholicos. Multi autem existimant eum id fecisse, ut deprimeretur hac ratione auctoritas Concilii Chalcedonensis, in quo Theodorus Mopsuestenus ejusque libri non fuerant damnati, et Ibas Edessenus atque Theodoretus Cyrensis fuerant recepti et in sedes suas restituti, postquam Nestorio ejusque haeresi anathema dixerant. Seposita quaestione de *intentione* Theodori Caesariensis, tale periculum depressionis Concilii Chalcedonensis haud sine ratione multis hac in re adesse visum est, eo vel magis, quod Theodora Augusta in Monophysitas favorem ostenderet, sive ex animo, sive ex politica simulatione. Justinianus haud voluit promovere res Monophysitarum illa damnatione, sed quantum colligere licet ex ejus epistola anno 553 ad Concilium oecumenicum quintum data, existimavit, damnationem trium Capitulorum maxime utilem esse, ne jam Nestoriani iis abuti possent, neve Acephali dicere possent, impia scripta apud Catholicos retineri; nullam vero injuriam Concilio Chalcedonensi tali damnatione inferri, censuit. In illa epistola postquam exposuit, quae pro synodo Chalcedonensi et prioribus Conciliis oecumenicis tuendis fecerit, scribit: *His ita pro firmitate sanctarum quatuor Synodorum Deo propitio per nos factis et obtinentibus in sancta Dei Ecclesia, Nestorii sequaces propriam impietatem applicare volentes sanctae Dei Ecclesiae, et non potentes hoc per Nestorium facere, festinaverunt eam introducere per Theodorum* Theodori scopus.

Mopsuestenum doctorem Nestorii, qui multo pejora Nestorio blasphemavit, . . . necnon et per impia conscripta Theodoreti, quae contra rectam fidem et Ephesinam primam sanctam Synodum et contra sanctae memoriae Cyrillum et duodecim ejus Capitula exposuit, et insuper sceleratam epistolam, quam dicitur Ibas ad Marim Persam scripsisse, quae plena est omni impietate Theodori et Nestorii. Per hanc etenim impiam epistolam non solum impietatem, sed etiam ipsas personas Theodori et Nestorii, quas maxime (vindicat) *laudat et judicat; eadem impia epistola festinaverunt condemnationem liberare* (al. *a condemnatione in eos liberare), dicentes susceptam esse a sancta Chalcedonensi Synodo. Hoc autem dicunt non pro defensione sanctae Synodi, sed nomine ejus, sicut putant, suam impietatem confirmare festinantes*[1]). Hisce igitur sententiam suam aliquot annis post, scil. a. 453 exponit.

Imperatoris Edictum. 38. Sed ut ad eventus redeamus, Imperator versus a. 544 contra tria Capitula edictum tulit, quod ab omnibus approbandum voluit. Palam restitit Stephanus diaconus, tunc Constantinopoli Apostolicae Sedis apocrisiarius; subscripserunt vero, quamvis plerique invite, patriarchae Orientis, Mennas CPtanus, Zoilus Alexandrinus, Ephraemius Antiochenus, Petrus Hierosolymitanus, et eorum exemplo multi episcopi. De Menna haec refert Facundus Hermianensis: *Primus confirmator eorum Mennas CPtanus episcopus, cum adhuc cunctaretur scripto, sicut praeceptum fuerat, eis praebere consensum, contra Synodum Chalcedonensem fieri protestatus est. Sed et postea quam consensit, a praedicto venerabilis memoriae Stephano ecclesiae Romanae diacono et apocrisiario canventus, cur priori sententiae suae contrarius acquievisset his, quae ante culpaverat et de quibus se nihil acturum sine licentia Apostolica promiserat, sub ea se conditione cessisse et juratum sibi fuisse respondit, quod chirographum suum reciperet, si haec Romanus episcopus non probaret*[2]). Edictum illud Justiniani temporum injuria deperditum est. Ex fragmentis a Facundo Hermianensi

---

[1]) Labbé, Coll. Conc. Tom. V. 419. [2]) Lib. IV. c. 3.

citatis videmus, praeter anathemata in tria Capitula etiam illud insertum fuisse: *Si quis dicit, haec nos ad abolendos aut excludendos sanctos Patres, qui in Chalcedonensi fuere Concilio, dixisse, anathema sit*[1]).

39. Aliter quam in Oriente res in Occidente processit. Etenim tum Vigilius Pontifex, tum generatim episcopi Occidentis, maxime Africani, edicto subscribere recusarunt. In Occidente scilicet illa scripta condemnanda eorumque pericula parum cognoscebantur; Concilio vero Chalcedonensi ea ratione facile maculam inuri posse, censebant. Restat nobis epistola Pontiani episcopi Afri, qui ea de re ad Justinianum scribit: *In extremis itaque epistolae vestrae cognovimus, quod nos non mediocriter remordet, debere nos Theodorum et scripta Theodoreti et epistolam Ibae damnare. Eorum dicta ad nos usque nunc minime pervenerunt. Quod si et pervenerint et aliqua ibi apocrypha, quae contra fidei regulam dicta sunt legerimus, dicta possumus respicere, non auctores dictorum jam mortuos praecipiti condemnatione damnare. Quod si adhuc viverent et correpti errorem suum non condemnarent, justissime damnarentur. Nunc autem quibus recitabitur sententia damnationis nostrae? Quod in eis recorrigatur non est. Sed timeo, piissime Imperator, ne sub obtentu damnationis istorum Eutychiana haeresis erigatur, et dum minima indicia non spernimus, ad majorem haeresim collissionemque veniamus. Et quid nobis cum mortuis inire bellum, ubi nulla invenitur in congressione victoria? Apud judicem verum jam tenentur, a quo nullus appellat. Per ipsum, in quo nos honoratis et diligitis, supplicamus clementiam tuam, ut pax permaneat temporibus tuis, ne dum quaeris damnare jam mortuos, multos inobedientes interficias vivos, et exinde compellaris reddere rationem ei qui venturus est judicare vivos et mortuos.*[2]). Ex hisce vides, quibus rationibus praecipue moti fuerint, qui damnationi trium Capitulorum sese opponebant. — Caeterum ut indoles litium melius perspiciatur, inde ab initio animadvertendum est,

Occidentalium oppositio.

---

[1]) L. IV. c. 4.

[2]) Labbé, Coll. Conc. Tom. V. p. 324.

tria Capitula secundum se spectata certe damnari potuisse. Nam Theodorus Mopsuestenus in scriptis suis errores impios tradiderat, quos nunquam correxit. In scriptis Theodoreti Cyrensis contra anathematismos S. Cyrilli, hic veluti haereticus vituperabatur, Nestorius vero magnopere laudabatur. In epistola Ibae laudibus evehebatur Theodorus Mopsuestenus, detrahebatur autem vehementer auctoritati Concilii Ephesini et S. Cyrilli, variaeque propositiones occurrebant de Nestorianismo admodum suspectae. Sed quum viri illi jam mortui essent, et in condemnatione quae postulabatur multi supponerent insidias strui a Monophysitis eorumque fautoribus contra Synodum Chalcedonensem, intelliges, cur multi acriter sese illi damnationi opposuerint.

Vigilius Cplim vocatur.

40. Quum in istis ecclesiarum dissidiis annus traheretur, Justinianusque persentiret, se sine auctoritate et consensu Romani Pontificis ad exoptatum scopum pervenire non posse, Vigilium urgenter litteris sollicitavit, ut Constantinopolim proficisceretur. Praetextus quidem fuit procurandae unionis Acephalorum, sed illud Imperatori propositum erat, ut damnationem trium Capitulorum obtineret. Pontifex nonnisi invite Justiniani desideriis vel mandatis quoad iter CPtanum obsecutus, profectus est versus finem anni 545; sed anno fere integro varia ob motiva in Sicilia moratus, apud Imperatorem instanter egit, ut ibidem vel in Italia aliquod Concilium occidentalium et orientalium episcoporum ad res disponendas haberetur. Interea episcopi Africae et Sardiniae legatos ad Pontificem deputarunt petentes, ne Imperatoris edictum adversus tria Capitula auctoritate sua roboraret in injuriam Concilii Chalcedonensis[1]).

41. Vigilius tandem anno 547, uti videtur mense Februario, Constantinopolim advenit, et a Justiniano valde honorifice exceptus, initio damnationi trium Capitulorum sese opponere perrexit. Adversus Acephalos, licet eis faveret Theodora Augusta, decretum promulgavit, et Mennam patriar-

---

[1]) Facund. Herm. l. V. c. 3.

cham CPtanum, quod plures episcopos ad subscribendum Imperatoris dicto contra tria Capitula compulisset, communione sua privavit; pariterque alios Praesules qui edicto illi adhaeserant. Mennas vero Vigilii nomen e diptychis expunxit. Post aliquot menses tamen opera Theodorae concordia restituta est. His de rebus Theophanes in Chronico: *Tantis honorum et cultus indiciis ab Imperatore decoratus* (Vigilius), *adeo animatus est, ut a communione exclusionem menses quatuor sustinendam Mennae CPtano episcopo in poenam imponeret. . . . Vigilius pariter a Theodora Augusta rogatus Junii die vigesimo nono, qui sanctis Apostolis sacer, Patriarchae CPtano Mennae pacem restituit.*

42. Mox tamen Vigilius expertus est multiplices vexationes atque angustias, quum Imperator et Orientales vehementer trium Capitulorum condemnationem urgerent, ita ut schisma timendum videretur, nisi Pontifex cederet. Si fides habenda est epistolae quam versus annum 553 clerici Itali dederunt ad legatos Francorum, qui Constantinopolim proficiscebantur, jam tunc violentia in Vigilium actum esse dixeris. Scribunt enim: *Veniens enim ibi ante sex annos istos beatissimus papa Vigilius, magis autem, ut quod verius est dicatur, prope violenter deductus, coeperunt ibi ipsum exspectare, ut damnationem aliquorum capitulorum faceret, per quam sancta Synodus Chalcedonensis . . . modis omnibus solveretur. Sed cum papa Vigilius in hac parte non vellet adhibere consensum, jam tunc talis violentia facta est, ut publice in conventu clamarit: Contestor, quia etsi me captivum tenetis, beatum Petrum Apostolum captivum facere non potestis*[1]). Vexatio.

43. Taedio igitur affectus Pontifex secum reputavit, Justiniani edictum in tria Capitula in se haud esse heterodoxum, illa Capitula, plerisque episcopis catholicis Orientis exosa, damnari posse, dummodo auctoritas Concilii Chalcedonensis servetur; ac de re apte componenda deliberavit. Videtur tunc privatim Imperatori litteris vel

[1]) Epistola legatis Francorum, qui CPolim proficiscebantur, ab Italiae clericis directa. Labbé T. V. p. 407.

oretenus promisisse desideratam damnationem[1]), atque anno 548 synodum habuit septuaginta episcoporum, ut causa illa discuteretur. Cum vero episcopi illi minime inter se convenissent, atque aliqui, praesertim Facundus Hermianensis et Dacius Mediolanensis, vehementius damnationi resisterent, Vigilius concilium dimisit, et episcopis mandavit, ut singuli vota sua scriptis exposita ad se deferrent, determinationem rei sibi reservans.

Vigilii Judicatum.

44. Post haec Vigilius die 11 Aprilis celebre decretum dedit ad Mennam, quod appellari solet Vigilii *Judicatum,* eoque ex una parte tria Capitula damnavit, ex altera parte talia inseruit, quibus caveret, ne synodis, ac praecipue Chalcedonensi, ex damnatione praejudicium fieri posset. Id quidem non videtur factum fuisse, uti in auctoribus passim dicitur, praecise ea clausula: *Salva in omnibus reverentia Synodi Chalcedonensis,* sed his verbis sensus cautelarum insertarum exhibetur. *Judicatum* illud deperditum est; inveniuntur tamen aliqua fragmenta citata in epistola Justiniani ad Synodum V et in posteriori *Constituto* Vigilii. Ex epistola Imperatoris colligitur, damnationem his verbis fuisse conceptam: *Et quoniam quae nobis de nomine Theodori Mopsuesteni scripta porrecta sunt, multa contraria rectae fidei releguntur, nos monita Pauli sequentes apostoli dicentis: Omnia probate, quod bonum retinete, ideoque anathematizamus Theodorum, qui fuit Mopsuestiae episcopus, cum omnibus suis impiis scriptis et qui vindicant eum. Anathematizamus et impiam epistolam, quae ad Marim Persam scripta esse ab Iba dicitur, tanquam contrariam rectae fidei christianae, et omnes qui eam vindicant, vel rectam esse dicunt. Anathematizamus et scripta Theodoreti, quae contra rectam fidem et duodecim sancti Cyrilli capitula scripta sunt.* — Ex *Constituto* autem Vigilii videmus, in ejus *Judicato* hujusmodi fuisse declarationes: *Salvis omnibus atque in sua perpetua firmitate durantibus, quae in Nicaeno, CPtano, Ephesino primo atque Chalcedonensi venerandis con-*

[1]) Cfr. Hergenröther, Photius B. I. S. 167; Hefele, C. G. B. II. §. 259.

stat Conciliis definita, et praedecessorum nostrorum auctoritate firmata; et cunctis qui in memoratis sanctis Conciliis abdicati sunt sine dubitatione damnatis; et his nihilominus absolutis, de quorum ab iisdem Synodis absolutione decretum est. — Anathematis sententiae eum quoque subdentes, qui quaevis contra praedictam Synodum Chalcedonensem, vel praesenti, vel quaelibet in hac causa sive a nobis sive a quibuscunque gesta scriptave inveniantur pro aliqua susceperit firmitate; et sancta Chalcedonensis Synodus, cujus magna et inconcussa est firmitas, perpetua et veneranda, sicut Nicaena, CPtana ac Ephesina prima habent, suam teneat firmitatem. Anathematizamus . . . et qui ea quae in ipsis Conciliis quae praefati sumus gesta sunt, vult quasi prave dicta corrigere, aut vult imperfecta supplere[1]).

45. Utrique parti se fecisse satis Vigilius putavit, Orientalibus quod tria Capitula damnasset, Occidentalibus quod adhibuisset cautelas, quibus Synodi Chalcedonensis auctoritas in tuto posita esset. Praesto erant Vigilio inter alios Rusticus et Sebastianus doctissimi Romanae ecclesiae diaconi, qui uterque *Judicatum* summis laudibus extulit. At Dacius Mediolanensis et Facundus Hermianensis episcopi vehementer sese *Judicato* opposuerunt, atque Facundus brevi post porrexit Justiniano opus suum: *Duodecim libri pro defensione trium Capitulorum.* Africani non modo *Judicatum* non approbarunt, sed eidem consentientes ecclesiastica communione privarunt, imo grande facinus ausi, ipsum Vigilium anathemati subjecerunt. Episcopi Illyrici pariter *Judicatum* rejecerunt. Fremebat universus Occidens, palamque Justiniani jussis non modo episcopi, sed integrae plebes refragabantur; unde Imperator ex Vigilii *Judicato* lites in immensum auctas intelligebat, quas tamen eo scripto componendas speraverat. Occidentalium resistentia.

46. Rusticus etiam et Sebastianus Romanae ecclesiae diaconi, quorum prior erat Pontificis nepos, qui initio praeconiis suis *Judicatum* Vigilii extulerant, mox Felicis monachi Africani Gillitani monasterii Hegumeni persuasioni-

[1]) V. ap. Labbé, T. V. p. 35.

bus victi vel potius seducti, a priori sententia recessere, et perfricata fronte numerum adversariorum Vigilii auxere; imo litteras quaquaversum disseminarunt, quibus significabant, Vigilium *aliquid scripsisse quod reperiatur adversum definitioni sanctae Chalcedonensis Synodi.* Testatur id ipse Pontifex in *sententia* adversus eos anno 550 lata, qua utrumque, quum ad meliorem frugem reverti nollent, anathemate percussit et dignitate ac gradu submovit. Famae vero suae consulens Pontifex, datis ad insignes episcopos litteris, scilicet ad Valentinianum Tomitanum in Ponto metropolitam et ad Aurelianum Arelatensem, docuit, in *Judicato* suo se nihil contra Chalcedonensis Synodi reverentiam admisisse. Utraque epistola inserta est Actis quintae Synodi, Collatione septima.

Synodus convocatur.

47. Quum porro Pontifex motus vehementes in Occidente ortos adverteret, atque perpenderet, metum Occidentalium et turbus excitatas maxime inde provenire, quod statum quaestionis de qua agebatur rerumque eo spectantium male cognoscerent, cum Imperatore Justiniano convenit de convocando *generali Concilio,* in quo communi orientalium et occidentalium episcoporum consensu res terminaretur. Interea vero nihil de tribus Capitulis constituit disserendum, scripta vero edita semovenda, et *Judicatum* ipsi reddendum. Hoc revera factum est. Privatim Vigilius Justiniano epistola data affirmavit, se in eadem de tribus Capitulis sententia perseverare; voluit tamen, ne id divulgaretur[1]). Episcopi ex Oriente et Occidente litteris Imperatoris ad Concilium vocati sunt. Multi quidem ex Oriente, pauci vero ex Occidente venerunt. Cum autem in gratiam praesertim Occidentalium Pontifex Concilium concessisset, illud cum solis Graecis inchoare noluit.

Justiniani Edictum.

48. Imperator morae impatiens et a Theodoro Ascida excitatus, ut rem quantocius finiret, anno 551, dum causa coram Pontifice et Concilio pendebat, novum *Edictum* contra

---

[1]) Ep. ad Justin. Mansi IX. 368. Jaffé n. 606. — Hergenröther, Photius. V. I. p. 169.

tria Capitula promulgavit. Id aegre tulit merito Pontifex, et accitis in aedes Placidianas episcopis, protestatus est contra illud Imperatoris edictum et communionis suae privationem minatus, si Imperatoris edicto consensum praeberent. Sed Theodorus Ascidas cum aliis episcopis nihilominus publice edicto illi adhaeserunt. Theodorus in ea basilica cui edictum affixum erat solemniter sacra celebravit, et consentiente Menna ignavioris animi viro, Zoilum Patriarcham Alexandrinum edicto reluctantem e diptychis amovit, in ejusque locum, quin Zoilus modo canonico depositus esset, Apollinarem tanquam ejus successorem proclamavit. Jam saepius Vigilius Theodorum, nunquam Caesareae in sede sua residentem, sed continuo in aula versantem, de officiis suis admonuerat; quum vero modo in pontificiae auctoritatis injuriam arbitrario modo omnia disponeret turbasque augeret, Pontifex eum medio Julio anni 451 excommunicavit. Justiniani iram merito pertimescens, Vigilius in basilicam S. Petri in Hormisda cum aliis episcopis occidentalibus secessit, ibique Theodorum malorum auctorem omnino deposuit, Mennam vero reliquosque episcopos illius asseclas a communione semovit, donec satisfactionem Pontifici praestitissent. Haud tamen statim damnationis sententiam publicavit, sed paratam (ex die 17 Augusti) retinuit. Eventus hi colliguntur ex ipsa *Damnatione* Theodori, in qua Vigilius inter alia dicit: *Nos longanimitatem nostram divina largitate concessam, tam circa te quam circa seductos abs te pene hoc quinquennio elapso monstravimus. Primum quidem in eo, quod pro scandalo refraenando condescendentes quorumdam animis, quos aliqua dispensatione credimus temperandos, quia tu jam eos pluribus annis inquietissimus stimulator accenderas, quaedam pro tempore medicinaliter existimavimus ordinanda, tali scilicet conditione, ut omni in posterum perturbatione sopita, nihil ultra nec verbo nec litteris quisquam facere ex eadem causa praesumeret. At tu pravae consuetudinis tractus audacia, neque tunc cessare a conscribendis vel praedicandis novitatibus voluisti, ita ut saepius libellis episcoporum redditis et consensum tuum cum iis propria confessione condemnans,*

Theodori damnatio.

eorum vel tuis excessibus saepius a nobis concedi veniam postulasses. Post heec autem cum te a praesumptione solita nec pudor humanae verecundiae, nec sacerdotii pondus, nec timor divini judicii cohiberet, dum amplius quam justum fuerat patientiam tuis facinoribus praeberemus, ad hoc est causa perducta, quatenus semotis omnibus quae de trium Capitulorum quibuslibet dicto scriptove fuerant ordinata, quid de ipsa re facto opus esset, cum Africanarum, Illyricianarum, seu aliarum (al. *Galliarum*) *partium congregata synodo tractaremus, eorum maxime praesentiam requirentes, quorum fuerat scandalizata fraternitas. Illud quoque magnopere nobis cum clementissimo principe, praesentibus etiam Menna CPtanae civitatis, et Dacio Mediolanensis urbis antistite, aliisque tam graecis quam latinis episcopis, cum quibus omnibus etiam tu, Theodore, pariter adfuisti, necnon et praesentibus judicibus atque proceribus universoque senatu convenit, ne usque ad memoratam Concilii diffinitionem quidquam de praefatis tribus Capitulis ab aliquo fieri intentaretur. Ac deinde tuis ex consuetudine incitamentis liber condemnationem ipsorum Capitulorum continens, in palatio te assistente et instruente coram quibusdam graecis episcopis est relectus, a quibus assentationum favorem tuis vocibus exigebas. . . . Omnia bona desideria nostra quae pro pace Ecclesiae procul dubio militabant, ita animus tuus quietis impatiens dissipavit, ut illa quae fraterna collatione et tranquilla episcoporum fuerant reservanda judicio, subito contra ecclesiasticum morem et contra paternas traditiones, contraque omnem auctoritatem evangelicae apostolicaeque doctrinae edictis propositis secundum tuum damnarentur arbitrium, dum fidelium nullus ignoret, per quos Dominus ac Deus noster doctrinis coelestibus plebem suam jusserit erudiri, vel quibus ligandi solvendique super terram dederit potestatem*[1]). Recenset dein commemorata flagitia Theodori, et postremo in Theodorum et Mennam fert sententiam damnationis.

Persecutio in Vigilium. 49. Tunc vehementior in Vigilium orta est persecutio, atque ab Imperatore missus est urbis praetor, ut Pontificem

[1]) Labbé, T. V. p. 334.

e basilica eriperet et custodiae traderet. Sed militibus fortiter restitit Vigilius ad ipsum S. Petri altare, ac postremo praetor a populo ex ecclesia pulsus est. Tunc Imperator facti saltem specie tenus poenitens, missis nobilibus legatis, Vigilio cum sacramento spopondit, neminem deinceps ei ullam injuriam illaturum esse; et Pontifex in palatium Placidianum reversus est. At contra datam fidem in illis aedibus fere ut captivus custoditus variisque vexatus est injuriis, unde clam Constantinopoli secessit et Chalcedonem in basilicam S. Euphemiae confugit, quo eum Dacius Mediolanensis aliique episcopi latini, qui Constantinopolim venerant, secuti sunt. Ibidem Vigilius initio Januarii a. 552 sententiam latam contra Theodorum Ascidam et Mennam publicavit, ac dein encyclica epistola data die 5 Februarii aerumnas suas et rerum conditionem universae Ecclesiae manifestavit. Imperator demum constantia Vigilii victus edictum suum sustulit, et integram trium Capitulorum cognitionem reliquit futuro Concilio. Theodorus Ascidas, Mennas CPtanus, aliique episcopi poenitentiae fideique libellos Pontifici obtulerunt. Quibus peractis Vigilius Constantinopolim rediit.

Eutychius Cptanus.

50. Paulo post obiit Mennas, eique in sede CPtana successit *Eutychius*. Hic die 6 Januarii a. 553 libellum fidei obtulit Vigilio Pontifici, in quo post professionem fidei scribit: *Cum igitur praedicta omnia et servavimus et servamus et in his nobis ipsis invicem consentimus, necessarium est conferre de tribus Capitulis, unde quibusdam quaestio nata est. Et ideo petimus praesidente nobis vestra Beatitudine, sub tranquillitate et sacerdotali mansuetudine. propositis sanctis Evangeliis, communi tractatu eadem capitula in medium proponenda, quaeri et conferri* (ἀντιβληθῆναι) *et finem imponi quaestioni Deo placitum, et convenientem his quae a sanctis quatuor Conciliis definita sunt, quoniam ad augmentum pacis et concordiam ecclesiarum pertinet, ut omni de medio dissensione sublata, quae a dictis quatuor Conciliis definita sunt inconcussa serventur, sanctarum Synodorum reverentia in omnibus custodita.* — In responsione ad hanc epistolam die 8 Januarii 553 data Vigilius ait: *Quibus ita praedictis postulationibus*

vestrum desiderium cognoscentes annuimus, ut de tribus Capitulis, ex quibus quaestio nata est, facto regulari conventu, servata aequitate, mediis sacrosanctis Evangeliis, collationem cum unitis fratribus (Orientis et Occidentis) *habeamus* (ἅμα τοῖς ἑνωθεῖσιν ἡμῖν ἀδελφοῖς), *et finis detur placitus Deo, et conveniens his quae a sanctis quatuor definita sunt Conciliis, scientes utique, sicut et communis professionis testimonio declaratur, memoratarum Synodorum in omnibus reverentiam custodiri*[1]). Similia Pontifex scripsit Apollinari Alexandrino et Domnino Antiocheno, qui simul cum Eutychio fidei libello hujus subscripserunt.

Dissensus. 51. At non ita multo post nova rerum perturbatio exorta est. Vigilius scilicet tot vexationes Orientalium expertus noluit, ut Concilium inchoaretur, antequam episcopi occidentales ampliore numero advenissent. Sed Occidentales Imperatoris vim ac dolum metuentes ad Concilium accedere declinarunt, et pauci admodum Constantinopolim venere. Quod quum Pontifex animadverteret, significavit, cum Orientalibus et paucis Italis atque Illyricis Praesulibus rem ita definiri non posse, ut nulla deinceps ab Occidentis episcopis contradictio fieret. Ea tandem sententia placuit Imperatori ac Vigilio, ut ex pari numero episcoporum orientalium et occidentalium tribunal quoddam componeretur, a quo per modum arbitri quaestio de tribus Capitulis dirimeretur. Sed reclamarunt episcopi orientales, inter alias rationes et Occidentalium obstinationem in defendendis tribus Capitulis causantes, Conciliumque promissum celebrari petierunt. Tunc Justinianus morae impatiens contra pacta conventa a priori sententia discessit, et Synodum die quinta Maji inchoandam mandavit. Vigilius autem, quod conditio, quam in gratiam Occidentalium pro conservanda utriusque Ecclesiae occidentalis et orientalis pace apposuerat, non fuisset servata, ad Concilium venire recusavit, idemque fecerunt etiam episcopi occidentales illi pauci qui Constantinopoli aderant.

---

[1]) Labbé, T. V. p. 424 sqq.

52. Die itaque quinta mensis Maji a. 553 *prima Collatio* Synodi habita est. Adfuere tres Patriarchae, Eutychius CPtanus, Apollinaris Alexandrinus et Domninus Antiochenus; Hierosolymitanus per vicarios, universim Patres centum sexaginta quinque. Praesedit Eutychius Patriarcha CPtanus. Lecta fuit jussio Imperatoris, qua Patres ad trium Capitulorum examen et ad judicium ferendum hortabatur de illis, quae per Romani Pontificis *Judicatum* confixa essent. Episcopi probe scientes, se sine Romani Pontificis sive per se sive per legatos suos praesentia, non posse constituere Concilium oecumenicum, per nobilissimam Patriarcharum aliorumque Praesulum legationem Vigilium rogarunt, ut sua praesentia Concilium dignaretur; (haud vero eum citarunt ad Concilium). Vigilius valetudinem causatus responsum distulit in alteram diem. Collatio otima.

53. In *Collatione secunda,* quae habita est die octavo Maji, legati qui denuo Pontificem adierant ejus responsa retulerunt. *Secundum promissionem*, aiunt, *hesterno die factam a beatissimo Papa antiquioris Romae Vigilio, pervenimus ad eum sexto die instantis Maji mensis, id est ante duos dies, commonentes quidem ejus Beatitudinem quae inter nos in scriptis placuerunt; adhortantes vero eum, una convenire nobiscum et tractare et disponere de tribus Capitulis, de quibus piissimus Imperator nos ejusque Beatitudinem in scriptis interrogavit. Ille vero respondit, non posse una nobiscum convenire, eo quod plurimi quidem hic sunt orientales episcopi, pauci vero cum eo; facere autem per semetipsum in scriptis suam sententiam, et offerre piissimo domino. Ideo enim et inducias postulasse a sua serenitate, ut intra eas suam voluntatem manifestaret*[1]). Insthärerunt quidem legati inter alia advertentes, anteriora quoque Concilia oecumenica praesentibus paucis episcopis occidentalibus celebrata esse, sed Pontifex in sua perstitit determinatione. Eadem vero respondit etiam legatis laicis ab Imperatore ad ipsum missis. Collatio secunda.

[1]) Labbé, T. V. p. 430.

54. Patres Synodi dein variis habitis Collationibus celebrationem Concilii et examen de tribus Capitulis continuarunt. Ultima (octava) sessio habita est die 2do Junii, in eaque damnationem trium Capitulorum pronuntiaverunt. — Sed antequam de hac damnatione loquamur, de *Constituto,* quod interea Vigilius Pontifex Imperatori obtulit pauca dicenda sunt. Pontifex videlicet die 14° Maji dedit *Constitutum,* in quo sicut promiserat suam de tribus Capitulis sententiam tulit. In eo queritur imprimis Pontifex, Synodum contra pactas conditiones esse coactam. Tum aggreditur disputationem ampliorem de singulis Capitulis, et sexaginta sententias seu dogmata quae Theodori Mopsuesteni dicebantur, ab Imperatore per Benignum episcopum Heracleae ad se transmissa, damnat et anathematizat. Dein agit de quaestione, an Theodori persona damnanda sit et ex exemplis atque doctrina majorum probare nititur, usum Ecclesiae esse, ut sacerdotibus in communione Ecclesiae defunctis parcatur. *Quibus omnibus diligenter inspectis,* scribit, *quia licet diverso patres nostri verborum modo, unius tamen ductu intelligentiae disserentes, illaesas sacerdotum in pace ecclesiastica defunctorum servavere personas; idemque regulariter apostolicae Sedis quae supra diximus definiunt constituta: Nulli licere noviter aliquid de mortuorum judicare personis, sed in hoc relinqui, in quo unumquemque dies supremus invenit; et specialiter de Theodori Mopsuesteni nomine, quid sancti patres nostri disposuerint, superius evidenter expressum est: eum nostra non audemus damnare sententia, sed nec ab alio quopiam condemnari concedimus.*

Vigilii Constitutum.

55. Examinat dein quaestionem de Theodoreto. *De scriptis vero,* ait, *quae sub venerabilis Theodoreti quondam episcopi nomine proferuntur, miramur primum, cur necesse sit ejus sacerdotis nomine in obtrectationem quidquam cujuslibet studio devocari, qui ante centum et amplius annos in sanctae et venerandae Chalcedonensis Synodi judicio constitutus sine aliqua cunctatione subscripsit, et beatissimi Papae Leonis epistolis prona devotione consensit. . . Evidenter apparet, quia quidquid sit vel fuerit sub cujuslibet prolatum*

nomine, quod impiis Nestorii videatur concordare dogmatibus, hoc tunc in illo sancto Concilio a viro venerabili Theodoreto fuerit sine dubitatione damnatum, et sit valde contrarium et Chalcedonensis Synodi judicio indubitabiliter inimicum, quaedam Nestoriana dogmata nunc sub ejus sacerdotis nomine condemnari, qui cum sanctis patribus eumdem impium Nestorium et ejus execrabilia dogmata (sicut diximus) tunc apertissime anathematizavit. . . Hac ergo rerum veritate perpensa, statuimus atque decernimus, nihil in injuriam atque obtrectationem probatissimi in Chalcedonensi Synodo viri, hoc est Theodoreti episcopi Cyri, sub taxatione nominis ejus a quoquam fieri vel proferri: sed custodita in omnibus personae ejus reverentia, quaecumque scripta vel dogmata ejus cujuslibet nomine prolata sceleratorum Nestorii atque Eutychetis manifestantur erroribus consonare, anathematizamus atque damnamus. — Vigilius dum hic recusat scripta quaedam sub Theodoreti nomine damnare, ea argumentatione nititur: Theodoretus reverentia maxime dignus est; iis autem quae in Concilio Chalcedonensi fecit, et anathemate in Nestorium lata, reprobavit et abdicavit quaecumque forte antea erronea scripsit. Hinc talia scripta dum damnantur, non sunt amplius Theodoreto ut auctori assignanda et sub ejus nomine damnanda, quum hoc sit tali viro injuriosum; sed ea damnanda sunt generali quadam ratione auctoris nomine non addito.

56. Dein discutit Pontifex quaestionem de epistola Ibae, hisce verbis exordiens: *De epistola quoque venerabilis viri Ibae quondam Edessenae civitatis episcopi, de qua pariter inquisistis, diligenti nihilominus investigatione quaesivimus, si quid de ea prioribus temporibus apud patres nostros motum vel agitatum sive quaesitum seu fuerit constitutum. Et quia graecae linguae, (sicut cunctis et maxime pietati vestrae notum est), sumus ignari, nunc per nostros, qui ejusdem linguae videntur habere notitiam, gesta sancti venerandique Chalcedonensis Concilii in synodalibus codicibus diligentissime perquirentes, dilucide aperteque reperimus, duabus in eadem Synodo actionibus praedicti viri venerabilis Ibae examinatum fuisse negotium, ibique ex gestis apud Photium Tyri et Eustathium*

Beryti episcopos habitis, hanc de qua quaeritur inter caetera prolatam fuisse contra eum ab accusatoribus ejus epistolam: cumque consummata ipsius disceptatione negotii, a venerandis fuisset patribus requisitum, quid de ejusdem constituendum videretur Ibae negotio, consequenter hujusmodi processisse sententias. — Varias dein Patrum sententias etiam a nobis citatas commemorat, *quorum interlocutionibus,* inquit, *caeteri episcopi non solum non contradixisse, verum etiam apertissimum noscuntur praebuisse consensum.* — Ex relatis vero infert: *Propter praedicationem fidei, per quam venerandae recordationis Cyrillus Alexandrinus episcopus, et reverendissimus Joannes Antiochenus antistes, atque omnes orientales episcopi per Paulum Emesenae civitatis episcopum ad concordiam redierunt, quam Ibas quoque in eadem epistola laudans, libenter amplectitur, orthodoxa est Ibae episcopi a patribus pronuntiata dictatio. Illa vero quae in ipsa Ibae sacerdotis epistola in injuriis beatae recordationis Cyrilli per errorem intelligentiae dicta sunt, patres in sancta Chalcedonensi Synodo epistolam pronuntiantes orthodoxam, nullatenus receperunt: quippe quae etiam ipse venerabilis episcopus, intellectu capitulorum ejus meliore recepto, mutando refutavit.* — Commemorans vero, quomodo Ibas postea defensor exstiterit Synodi Ephesinae: *Ex quo apparet,* inquit, *eumdem Ibam, et priusquam duodecim capitula beati Cyrilli intelligeret, et cum in iis suspicaretur unam Christi praedicari naturam, orthodoxo sensu quod male dictum existimaverat reprobasse, et post explanationem eorumdem orthodoxo sensu quae recte dicta cognoverat venerabiliter suscepisse.*

57. Sententiam demum profert Vigilius his verbis: *Propterea ergo disciplinam et judicium sanctorum patrum nos in omnibus conservantes, et rerum omnium dispositionem secundum eam quam reddimus rationem ex Chalcedonensis Synodi judicio declaratam cum satis apertissima luceat veritate, ex verbis epistolae viri venerabilis Ibae rectissimo ac piissimo intellectu perspectis, et ex gestis apud Photium et Eustathium habitis, et ex ipsius episcopi Ibae praesentis a praesentibus intentione discussa, patres nostros in Chalcedone residentes justissime orthodoxam ejusdem viri venera-*

bilis Ibae episcopi pronuntiasse fidem, et reprehensionem beati Cyrilli, quam humanitus per errorem intelligentiae evenisse cognoverant, congrua satisfactione purgatam: praesentis sententiae nostrae auctoritate statuimus atque decernimus, cum in omnibus, tum etiam in saepius memorata venerabilis Ibae epistola intemeratum Patrum in Chalcedone residentium manere judicium. Nec quemquam ad ordines et dignitates ecclesiasticas pertinentem hoc Constituto nostro permittimus aliquando praesumere, vel super ejusdem epistolae negotium, vel aliis in Chalcedonensi Concilio consensu vicariorum Sedis apostolicae judicatis, ordinatis, definitis, atque dispositis tanquam imperfectis atque reprehensibilibus, sive per additamentum sive per diminutionem sive per immutationem, vel quoquo modo, aliquid temerariae novitatis inferre. — Pro tempore sufficiat advertere, a Vigilio non praedicari vel definiri epistolam *orthodoxam,* sed eum nolle ejus condemnationem, quia Concilium Chalcedonense eam non damnavit, sed ab ipso, hac epistola lecta, Ibae fides agnita est ut orthodoxa.

58. Plura deinde Pontifex adhuc de dignitate Concilii Chalcedonensis et de reverentia quatuor Synodis debita disserit, ac postremo concludit: *His igitur a nobis cum omni undique cautela atque diligentia propter servandam inviolabilem reverentiam praedictarum Synodorum et earumdem venerabilia constituta dispositis, memores scriptum esse, terminos patrum nostrorum nos transcendere non debere, statuimus et decernimus, nulli ad ordines et dignitates ecclesiasticas pertinenti licere quidquam contrarium his quae praesenti asseruimus vel statuimus Constituto, de saepe dictis tribus Capitulis aut conscribere vel proferre, aut componere vel docere, aut aliquam post praesentem diffinitionem ulterius movere quaestionem. Si quid vero de iisdem tribus Capitulis contra haec quae hic asseruimus vel statuimus, nomine cujuscumque ad ordines et dignitates ecclesiasticas pertinentis factum, dictum atque conscriptum est, vel fuerit, et a quolibet ubicumque repertum, hoc modis omnibus ex auctoritate Sedis apostolicae cui per gratiam Dei praesidemus, refuta-* Conclusio.

mus[1]). — Constitutum igitur Vigilius Imperatori obtulit, quod Garnier dicit *mirabili quadam ratione compositum, ut nihil sexto saeculo melius et forte par editum reperiatur*[2]). Cum Pontifice vero sedecim episcopi occidentales huic Constituto subscripsere.

Haud publicatum.

59. Auctores quidam dubia exprimunt, utrum illud Constitutum ab Imperatore Concilio communicatum fuerit, an forte Concilio jam absoluto ad Imperatorem pervenerit[3]). Sed ex actis Concilii juxta Cod. Paris. apud Harduinum satis colligitur, quid acciderit quoad hoc documentum. In initio videlicet septimae Collationis, quae die 26ª Maji habita est, Constantinus Quaestor sacri palatii, ab Imperatore missus, Patribus refert plura quae huc spectant. Videlicet Vigilius die antecedente per subdiaconum Servumdei accersivit ad se Belisarium aliosque nobiles, eisque quum venissent dixit, se fecisse chartam quoad tria Capitula, petiitque ut eam relegerent et ad Imperatorem deferrent. Ipsi recusarunt acceptare libellum. Unde Vigilius misit ad Imperatorem subdiaconum suum Servumdei. Sed Imperator eum admittere noluit, mandavitque ei, ut haec renuntiaret Vigilio: *Quod nos quidem invitavimus eum convenire una cum beatissimis patriarchis et caeteris religiosissimis episcopis, et communiter cum ipsis de istis tribus Capitulis tam examinare quam judicare. Cum autem hoc recusasti, dicis vero quaedam solus scripsisse per te de his tribus Capitulis, siquidem condemnasti ea consonanter his quae jam facta ante sunt, habemus multa talia quae fecisti, jt altero non indigemus. Si autem aliquid contrarium his quae eam ante facta sunt in praesenti fecisti, tu te ipsum per tua scripta condemnas, a rectis desistens dogmatibus et impietatem defendens. Et quomodo a te habemus talem chartam suscipere? — Et hoc dato responso a piissimo Imperatore, chartam non destinavit.* — Haud dubium est, hic agi de Constituto a Vigilio conscripto, videmusque hoc Constitutum a Vigilio ab Imperatore repulsum, et nec huic nec Concilio traditum esse[4]).

---

[1]) Labbé, T. V. p. 338. [2]) Dissertatio de V. Synodo.

[3]) Cfr. c. g. Wouters, Dissert. Tom II. dissert. XXXVIII.

[4]) V. Harduin. Coll. Conc. T. III. p. 171.

60. Patres Concilii ultimam suam Collationem habuerunt die 2da Junii, in eaque damnationem trium Capitulorum promulgarunt. Inde ab initio sessionis Callonymus diaconus et Synodi notarius recitavit damnationis decretum, quod ab Eutychio patriarcha et a Theodoro Ascida confectum fuisse censetur, et stylo quodam eloquentiae tumidioris conscriptum est. In eodem advertentia dignum est, qua ratione de Vigilii actis et abstentione disseratur. Commemorato officio episcopis incumbente, ut seduli sint in orthodoxa fide et doctrina custodienda: *Quoniam igitur videbamus,* inquiunt, *quod Nestorii sequaces conati sunt per Theodorum impium qui Mopsuestiae fuit episcopus, et impia ejus conscripta, et insuper per ea quae impie Theodoretus conscripsit, et per epistolam sceleratam quae ab Iba dicitur ad Marim Persam scripta esse, suam impietatem Dei Ecclesiae applicare: ideo ad eorum quae movebantur correctionem, surreximus, et pro Dei voluntate et jussione piissimi Imperatoris vocati ad hanc regiam urbem convenimus. Et quia contigit, Vigilium religiosissimum in hac regia urbe degere et cum omnibus interesse debere, et quae his tribus Capitulis mota sunt, tam sine scriptis quam in scriptis ea saepius condemnasse: postea tamen et consensit in scriptis in Concilio convenire, et disceptare una nobiscum de his tribus Capitulis, ut definitio communiter ab omnibus nobis praebeatur fidei rectae conveniens: piissimus Imperator secundum quod inter nos placuit, tam ipsum quam nos hortatus est communiter convenire, eo quod sacerdotes decet communibus quaestionibus finem imponere. Unde necessario petivimus ipsius Reverentiam, scriptas suas promissiones adimplere; nec enim justum esse, amplius scandalum pro tribus istis Capitulis crescere et Dei Ecclesiam conturbari.* — Exponunt deinde, quomodo quaestionibus exortis per mutuas discussiones veritas quaerenda sit. — *Cum autem,* pergunt, *saepius et a nobis omnibus invitatus, et insuper gloriosissimis judicibus missis ad ipsum a piissimo Imperatore, promisit per se ipsum de iisdem tribus Capitulis sententiam ferre: hujusmodi responso audito, Apostoli nos admonitiones in corde habentes, quod unusquisque pro se rationem reddet Deo. . . Congre-*

Capitulorum damnatio.

gati ante omnia compendiose confessi sumus fidem illam tenere, quam D. N. J. C. verus Deus tradidit sanctis suis Apostolis, et per eos sanctis ecclesiis. — Exponunt fidem Apostolorum et quatuor Conciliorum, ac dein se transgressos dicunt ad examen trium Capitulorum. Pluribus etiam ostendunt, mortuos quoque damnari et anathematizari posse, ac postremo sententiam proferunt his verbis: *Condemnamus autem et anathematizamus cum omnibus aliis haereticis, qui condemnati et anathematizati sunt a praedictis quatuor Conciliis et a sancta catholica et apostolica Ecclesia, et Theodorum qui Mopsuestiae episcopus fuit, et impia ejus conscripta: et quae impie Theodoretus conscripsit contra rectam fidem et contra duodecim capitula sancti Cyrilli, et contra Ephesinam primam Synodum, et quae ad defensionem Theodori et Nestorii ab eo scripta sunt. Super haec anathematizamus et impiam epistolam quam dicitur Ibas ad Marim Persam scripsisse; quae denegat Deum Verbum de sancta Dei Genitrice et semper Virgine Maria incarnatum, hominem factum esse, et sanctae memoriae Cyrillum qui recte docuit tanquam haereticum et similiter Apollinario scribentem criminatur, et inculpat quidem Ephesinam primam Synodum, tanquam sine examinatione et quaestione Nestorio ab eo deposito, et duodecim sancti Cyrilli capitula impia et contraria rectae fidei vocat, defendit autem Theodorum et Nestorium et impia eorum dogmata et conscripta. Praedicta igitur tria Capitula anathematizamus: id est Theodorum impium Mopsuestenum cum nefandis ejus conscriptis, et quae impie Theodoretus conscripsit, et impiam epistolam quae dicitur Ibae, et defensores eorum, et qui scripserunt vel qui scribunt ad defensionem eorum, vel recta ea dicere praesumunt, vel omnino impietatem eorum nomine sanctorum patrum, aut sancti Chalcedonensis Concilii defenderunt aut defendere conantur.* — Huic sententiae Concilium addidit quatuordecim anathematismos, in quorum undecim primis doctrina catholica contra haereticos inde ab Ario usque ad Eutychetem vindicatur; in tribus ultimis tria Capitula damnantur.

Damnatio Origenis.

61. Notatu dignum est, in anathematismo undecimo etiam Origenem inter haereticos recenseri. Dicitur enim:

Si quis non anathematizat Arium, Eunomium, Macedonium, Nestorium, Eutychen, Origenem, cum impiis eorum scriptis, ... anathema sit. Sunt tamen qui existimant canonem hunc interpolatum esse, Origenisque nomen intrusum, idque Vincenzi l. c. cap. IX fusius studet probare. Id jam inter eruditos constat, quindecim anathematismos contra Origenem, qui a pluribus huic Synodo adscripti fuerunt, haud esse ipsius, sed anterioris concilii, quod a. 543 Constantinopoli in causa Origenistarum habitum est. In Concilio oecumenico quinto magnas sane partes habuit Theodorus Ascidas, vir inter Origenistas praeeminens, indeque supponi aegre potest, iterum de damnatione errorum Origenis fuisse tractatum. Id tamen per se non est argumentum certum, in anathematismum undecimum intrusum esse nomen Origenis; nam vidimus, damnationi ejus per Justinianum Theodorum Ascidam non restitisse.

Vigilius ex diptychis expunctus.

62. Justinianus ausu pessimo jam in Collatione septima Concilii Patribus communicaverat edictum recipiendum, quo Vigilii Pontificis nomen ex diptychis delendum jubebat. Postquam commemoravit, Vigilium antea pluries damnationi trium Capitulorum scriptis et oretenus consensisse, *contrarius autem factus est,* inquit, *suae voluntatis, ea defendens quae Nestorii et Theodori sequaces sapiunt. Praeterea ipse semetipsum alienum catholicae Ecclesiae fecit, defendens praedictorum Capitulorum impietatem, separans autem semetipsum a vestra communione. His igitur ab eo factis, alienum Christianis judicavimus, nomen ipsius sacris diptychis recitari, ne eo modo inveniamur Nestorii et Theodori impietati communicantes. Unde prius quidem sine scriptis hoc manifestum vobis fecimus: nunc vero et in scriptis certum vobis facimus per nostros prae* (forte praefectos, ut) *ejus nomen sacris diptychis non inferatur. Unitatem vero ad apostolicam Sedem et nos servamus, et certum est, quod et vos custodistis. Nec enim Vigilii nec cujuscumque alterius ad pejora transmutati et paci* (forte transmutatio paci) *ecclesiarum nocere potest.* — *Sancta Synodus dixit: Ea quae nunc piissimo Imperatori visa sunt, congrua sunt laboribus, quos pro unitate sanctarum ecclesiarum pertulit.*

Servemus itaque unitatem ad apostolicam sacrosanctae ecclesiae Sedem antiquioris Romae, omnia secundum tenorem lectarum apicum peragentes[1]). — Hac in re videmus adhibitam fallacem illam distinctionem inter *sedem* et *sedentem*, ita ut Imperator et orientales episcopi necessitatem unionis cum Sede Apostolica agnoscentes, eamdem servare vellent, quin communicarent cum eo, qui pro tempore Sedem tenebat. Haec certe distinctio in re subjecta illusoria erat; ostendit tamen principium primatus Romani Pontificis agnitum, nec intentione schismatis constituendi Imperatorem et orientales Praesules motos fuisse.

63. Hoc edictum Imperatoris videtur die 14 Junii, Concilio jam finito, promulgatum fuisse; quamvis enim jam in septima Collatione recitatum sit, illo tamen die insignitum est. Haud dubium, Imperatorem etiam juxta usum receptum rescripto speciali Synodum confirmasse; ex antiquis scriptoribus graecis praeterea eruitur, acta ab Imperatore in provincias Orientis fuisse transmissa, ut ii quoque episcopi qui Synodo non adfuerant subscriberent; atque a paucissimis tantum quamdam oppositionem factam esse. — Vigilius Pontifex haud statim approbavit Concilium, eumque in exilium missum fuisse tradunt Anastasius in Vitis RR. Pontificum, et Continuator Chronici Marcellini. Id valde probabile est, nam et alios adversarios damnationis trium Capitulorum, uti Facundum Hermianensem et Victorem Tununensem, acrius Imperator est persecutus. Sed non ita multo post Vigilius ipse alia sensa suscipiens tria Capitula condemnavit. Perveneret videlicet ad eam persuasionem, hanc damnationem sine praejudicio Concilii Chalcedonensis fieri posse.

Vigilius damnat Capitula.

64. Duo existunt documenta a Vigilio hac in re edita, quae communiori sententia genuina habentur, *epistola* videlicet *decretalis ad Eutychium*, qua damnatio trium Capitulorum continetur, et *Constitutum secundum* Vigilii, quo tota quaestio fusius discutitur. — Epistola Vigilii, quae incipit *Scandala*, die 8 Decembris anni 553 insignita est, eamque Petrus de Marca saec. XVII primus publici juris

[1]) V. Harduin T. III. p. 186.

fecit, inventam et descriptam ex Ms. Codice Bibliothecae regiae Parisiensis. Erudita Dissertatione addita genuinam eam esse propugnavit. Quamvis vero Garnerius in notis ad Breviarium Liberati supposititiam esse hanc epistolam ostendere conatus sit, tamen viri gravissimi, uti Ballerini fratres Pagii, Hefele, Hergenröther, censent, eam esse genuinam, atque nec indoles epistolae nec stilus obstare videntur.

65. Imprimis Pontifex diabolo adscribit, quod quum ejusdem fidei sint et reverentiae in quatuor Synodos, in dissensionem deducti fuerint. *Sed quoniam,* inquit deinde, *Christus Deus noster, qui est lux vera quam tenebrae non comprehendunt, omni confusione a mentibus nostris remota universum orbem et Ecclesiam ad pacem revocavit, ita ut quae a nobis definiri debent, revelante Domino et veritate investigata salubriter impleta sint: idcirco sciat vestrum universa fraternitas, quod quatuor Synodos . . . una cum iisdem fratribus nostris . . . . unanimiter servamus.* — Commemorat dein exortam de tribus Capitulis quaestionem, et *quam diversa de illis tribus Capitulis dicta atque conscripta sunt. Ideo,* pergit, *si in omni negotio sapientiae ratio postulat, ut id de quo quaeritur retractetur, neque pudori esse debet, cum ea quae ab initio omissa, studio deinde veritatis inveniuntur, quanto magis ecclesiasticis disceptationibus convenit, eamdem rationem in illis quoque observari.* Commemorato exemplo S. Augustini: *Nos quoque,* ait, *similiter illis exemplis excitati, in controversia trium Capitulorum supra memoratorum, nunquam destitimus quin investigaremus, quid de praedictis tribus Capitulis in patrum nostrorum litteris verius inveniri possit.* Recenset dein errores Theodori Mopsuesteni, eumque et ejus scripta, Theodoreti scripta contra Cyrillum, et Ibae epistolam ad Marim damnat iisdem fere verbis, quibus Synodus usa est. Atque dicta resumens: *Praedicta itaque,* inquit, *tria impia Capitula anathematizamus et condemnamus, scilicet impium Theodorum Mopsuestiae una cum impiis ejus scriptis, et quaecumque impie Theodoretus scripsit, atque etiam epistolam quae dicitur ab Iba scripta fuisse, qua superius dictae profanae blasphemiae comprehenduntur. Quin etiam quemcumque qui crediderit,*

Epistola ad Eutychium.

aliquo ullo tempore ea Capitula debere suscipi aut defendi, vel conatus fuerit hanc praesentem condemnationem subvertere, simili anathemati subjicimus. Quoscumque vero, qui rectam fidem servantes a dictis Synodis praedicatam, memorata tria Capitula condemnaverunt vel etiam condemnant, fratres et consacerdotes esse definimus. Quae vero aut a me aut ab aliis ad defensionem praedictorum trium Capitulorum facta sunt, praesentis hujus scripti nostri definitione evacuamus.

P. de Marca. 66. Petrus de Marca dignis encomiis celebrat hanc epistolam. „Ejus pretium, inquit, illi soli norunt, quibus perspectum est, quantum plerique dignitati pontificiae detrahant eo nomine, quod haec quinta Synodus vim et pondus oecumenicae obtinuerit, licet renitentem Vigilium fuerit experta, qui maluit exilium pati, quam suffragio suo illius definitionem approbare. . . Iis verbis concepta est (epistola), quibus uti decebat Sedis apostolicae Pontificem. Sane a Graecis ipsis tanti facta est ad robur quintae Synodi asserendum, ut eam in Acta ejus Synodi retulerint, et definitioni synodicae subjunxerint (nn. I, II). Est autem operae pretium expendere, quaenam ille (Vigilius) verba in re adeo implicata adhibeat, quibus dignitatem suam tueri possit adversus synodum CPtanam, sine ulla principis et episcoporum offensa. Plane si verum amamus, omnino fateri necesse est, altas in mentibus hominum tunc temporis egisse radices traditam a majoribus sententiam de summa Sedis apostolicae auctoritate. Cum enim de caeteris Synodis oecumenicis ea reverentia loqui soliti essent summi Pontifices, ipseque adeo Vigilius in hoc decreto, scilicet ut se eas suscipere, amplecti et devota mente venerari profiterentur, utpote quae Sedis apostolicae suffragio et universalis Ecclesiae consensione firmatae essent: hanc quintam Synodum Vigilius ne quidem synodi nomine cohonestat: nempe illa ratione motus, quod ejus celebrationi iis conditionibus, quibus facta est, consensum non praebuisset. Deinde vero etsi vitium illius ex postfacto dissimulasset, a Constituti sui promulgatione cessatum fuerat, ut monui. Quod vero ad rem ipsam attinet, ipse sua auc-

toritate suoque decreto tria Capitula damnat; quoscumque vero qui jam illa condemnaverunt, (his verbis synodum CPolitanum significat), fidem a quatuor Synodis praedicatam amplectentes, *eos fratres et consacerdotes esse definit,* id est eos communioni suae adjungit, eorumque sententiae robur illud impertitur, quod ex consensione cum illius decreto trahere debent. Eamdem sententiam superioribus epistolae verbis sic expresserat: *Quae a nobis definiri debent, revelante Domino et investigata veritate, salubriter impleta sunt,* quasi diceret, hanc quaestionem, licet ab episcopis discussam in synodo et eorum suffragiis decisam, Sedis apostolicae decreto esse peremptorie definiendam. Unde hoc suum decretum *διατύπωσιν* (Constitutionem) appellat ad principum exemplum“[1]).

67. Aliud *Constitutum* Vigilii edidit Baluzius ex ms. Codice Bibliothecae Colbertinae, quod unicum esse in orbe creditur Constituti hujus exemplar. Ei deest inscriptio et initium. Superscriptio autem est: *Vigilii Papae Constitutum de damnatione trium Capitulorum,* datumque fuit hoc Constitutum die 23 Februarii a. 554. Forte directum fuit, ait cl. Hefele, ad episcopos Occidentis, ut prolixiori rerum expositione eorum haesitatio in admittenda damnatione trium Capitulorum auferretur. Disputatio Vigilii maxime versatur circa epistolam quae dicitur Ibae ad Marim, sed ut vindicet damnationem hujus epistolae eam iniit viam, quae quamvis probetur nostris diebus Vincentio, plerisque tamen praepostera visa est. Vigilius videlicet eam sententiam ibidem multis evolvit et probare conatur: 1⁰ Epistolam, quae Ibae dicitur, immerito huic episcopo attribui, ipsumque haud admisisse, se esse auctorem ejus, sed contendisse, ab accusatoribus ipsius et ab Eutychianis falso hanc epistolam supposititiam ei esse attributam. 2⁰ Vota illa, quibus post recitationem documentorum quidam Patres in Concilio Chalcedonensi declaraverant, *lecta epistola* Ibam inveniri orthodoxum, non respicere epistolam

Constitutum alterum.

---

[1]) Vide Decretum Vigilii et Dissert. Petri de Marca, ap. Labbé, Tom. V. col. 595 sqq.

Ibae ad Marim, nec in ejus favorem posse citari. Sed Patres iisdem respicere epistolam clericorum Edessae pariter lectam, qua illi clerici innocentiam et orthodoxiam Ibae attestabantur.

68. Ejusmodi argumentatione subtiliore fusius producta, pauca dicit de Theodoro Mopsuesteno ejusque erroribus ac de scriptis Theodoreti. Postremo concludit: *Praedicta igitur tria impia Capitula anathematizamus atque damnamus, id est epistolam quae dicitur Ibae ad Marim Persam, in qua nefandae superius designatae blasphemiae continentur: et impium Theodorum Mopsuestenum cum nefandis ejus conscriptis: et quae impie Theodoretus conscripsit. Et quicumque ea quoquo tempore crediderit accipienda vel deferenda, aut conatus fuerit aliquando praesentem damnationem resolvere, pari anathemate condemnamus. Eos autem, qui conservantes rectam fidem praedictis quatuor Synodis praedicatam memorata tria Capitula damnaverunt vel damnant, fratres et consacerdotes habemus. Quaecumque vero sive meo nomine sive quorumlibet pro defensione memoratorum trium Capitulorum prolata fuerint vel ubicumque reperta, praesentis nostri plenissimi Constituti auctoritate vacuamus. Quas omnes designatas blasphemias absit ab universali Ecclesia, ut quisquam quatuor praedictas Synodos vel unam ex eis asserat suscepisse, vel eos qui talia sapuerunt atque secuti sunt, cum constet, a sanctis memoratis patribus, et maxime a sancto Chalcedonensi Concilio, nullum de quo fuit suspicio fuisse susceptum, nisi qui superius designatas blasphemias vel his similia aut haeresim de qua suspectus fuit respuit, aut blasphemias de quibus de eo dubitatum est abnegavit atque damnavit. Et ideo eos, qui memoratam epistolam ad Marim Persam designatas superius blasphemias continentem a sancta Chalcedonensi Synodo, a praesenti tempore, innotescente sibi hujus nostri serie Constituti asserere voluit esse susceptam, vel a quocumque eorumdem patrum in Chalcedona residentium orthodoxam pronuntiatam nituntur adstruere, pari anathematis poena percellimus, quoniam non solum sancto ac venerando Concilio irrogare moliuntur calumniam, verum etiam incentores se ac renovatores scripti scandali profitentur,*

per quod universalis rursus concuti possit Ecclesia, ut doctoris Apostoli juste videantur feriri sententia quae dicit: Utinam et abscindantur qui vos perturbant[1]).

69. De indole hujus *Constituti* ac damnationis inferius agemus. Vigilius postquam trium Capitulorum damnationi consensit, in Italiam dimissus est. Sed cum Romam redire coepisset, scribit Continuator Chronici Marcellini, in Sicilia morbo calculi tactus decessit, moxque Romam perlatus apud sanctum Marcellum in via Salaria sepultus est. Videtur mors ejus accidisse anno 555 ineunte, mense Januario (10"), ut habet Hefele et Wouters, vel mediante anno, mense Junio (7"), uti habet Hergenröther[2]). Vigilii mors.

70. Episcopi plures in Occidente Concilium V recipere noluerunt, ne quam injuriam Chalcedonensi inferrent. Quum tamen illud non impugnarent procaciter, neque cum R. Pontifice aliisque Concilium quintum suscipientibus communionem rumperent, sed unitatis vinculum servarent, quum insuper in Concilio quinto non de fidei sed de personarum causa actum esset, Romani Pontifices cum illis episcopis oeconomia seu prudentiali quadam agendi ratione usi sunt, donec errorem facti in quo versabantur agnoscerent. Reipsa plerique Praesules postea rem melius edocti. Concilium quintum sicut reliqua Concilia oecumenica susceperunt. Verum Venetiarum et Istriae episcopi in contumaci trium Capitulorum defensione perseverarunt. Eos frustra monuit Pelagius I, Vigilii successor. Illi non tantum non receperunt, sed rejecerunt Concilium quintum, ab Ecclesia schisma fecerunt, et anno 557, incentore Paulino Aquileiensi, synodum coëgerunt in qua definierunt, tria Capitula damnari non posse citra Chalcedonensis Concilii injuriam. Idem definierunt in altera synodo, anno 579 sub Elia Gradensi habita. Pelagius II ad Eliam Gradensem et episcopos Irtriae graves simul et eruditas litteras dedit, quibus eis ostendit, quam grave malum sit schisma, et quam juste tria Capitula sine Chalcedonensis Synodi injuria fuerint damnata. Sedulam quoque operam Occidentalium resistentia.

[1]) Harduin. T. III. p. 218. [2]) Photius, B. I. p. 173.

exstinguendo schismati navavit S. Gregorius M. Neque irriti fuerunt Gregorii conatus; nam ejus prudentia Theodolinda, Longobardorum in Italia regina, quam schismatici in partes suas allicere conati erant, in communione catholica retenta fuit; Prudentius et Petrus, episcopi Istriae, atque Firminus Tergestinus, schismate abjecto ad Ecclesiae unitatem redierunt. In fine autem saeculi septimi hoc schisma penitus exstinctum est.

III.

Judicium criticum de Vigilio ac de Concilio quinto.

Variae sententiae.

71. Arduus satis nobis restat labor, ut videlicet sententiam feramus, haud arbitrio confictam sed rationibus fultam, de Vigilio ejusque agendi modo, ac de iis quae in Concilio oecumenico quinto gesta sunt. Qua quidem in re auctores abierunt in partes varias. Adversarii Ecclesiae Sedisque Apostolicae ex iis quae enarravimus occasionem arripuerunt, carpendi majori minorive, pro indole singulorum, vehementia Romanos Pontifices, et impugnandi infallibilitatem eorum. Sed multi viri catholici eruditi criminationes eorum doctissime refutarunt; quamvis in rerum expositione passim aliquantisper dissentiant.

A. Vincentii sententia.

72 Sufficiat nobis, antequam quae sentimus exponamus, pauca dicere de cl. Vincentii sententia quam superius jam innuimus. Vigilium censet, in omnibus illibatum esse eximiumque Pontificem. „Vigilius summus Pontifex, ait in prooemio operis sui, primus de hostibus suis triumphum agit a Deo electus universalis Ecclesiae Pastor, S. Leonis M. in ordine suo dignus successor ob sinceram et incessantem sollicitudinem adversus impietatem Nestorii et Eutychis, et aliarum sectarum, praesertim acephalorum, sedulus apostolicarum traditionum custos, juris pontificii vindex, in unitate Ecclesiae servanda studiosissimus, ac firmus trium Capitulorum expugnator.“ — Sed et de Justiniano optime sentit. „Justinianus, inquit, alter Con-

stantinus in imperio, fidei catholicae propugnator et propagator, perpetuus haeresum insectator, in Pontificatum Romanum et in episcopos ecclesiarum observantissimus, jurisprudentiae christianae princeps, religiosissimus vir, sincera mente causam suscipiens adversus tria Capitula, de insimulatoribus suis triumphat." — Contendit igitur, quae de Vigilio injuriosa narrantur, a defensoribus trium Capitulorum calumniose esse conficta, variaque ab iis composita fraudulenter documenta. „Cum indubie declaratum fuerit, scribit, infensissimos Sedis Apostolicae praecipuos haberi auctores harum narrationum, cumque luculentius constiterit, Facundum Hermianensem, Liberatum et Victorem Tununensem, aegerrime passos trium Capitulorum damnationem, scriptis nefandis adortos fuisse tum Vigilii privatam et publicam personam in Ecclesiae regimine, tum Justinianum, tum eximios episcopos, quisque viderit, quanti ideo sint facienda horum testimonia, et quid agendum sit de tot scripturis, sub ipsius Papae aut aliorum idem cum eo sentientium nomine editis, praesertim inter se colluctantibus." — In fine operis sui cl. Vincenzi *Syllogen* inseruit *contradictionum inter catholicos et schismaticos in historia quaestionis de tribus Capitulis,* ibique summatim enumerat, quae hac in re a schismaticis conficta et supposita censet. Omnia quae Vigilio et Justiniano Imperatori minus proba et honesta attribuuntur, ex ipso calumniose conficta sunt. *Damnationem Theodori Caesariensis, Encyclicam Vigilii* de suis aerumnis, *Constitutum Vigilii* tempore Synodi datum, aliaque documenta statuit esse supposititia. Concordia inter Vigilium et Justinianum episcoposque orientales nunquam fuit turbata. Vigilius non adfuit Concilio ex prudenti quadam oeconomia, sequens exemplum praedecessorum suorum, sed semper fuit adversarius trium Capitulorum, et aptissima argumentatione praemissa, consone cum Concilio Constituto suo (secundo) ea damnavit.

73. Attamen hoc Vincentii systema solidis argumentis non nititur, et quae asseruntur haud satis probantur. Nec admitti potest, coaevos scriptores, quamvis adversarentur Vigilio, finxisse vel potuisse fingere omnia ista quae de Haud solida.

Vigilio retulerunt, et documenta tam multa (decem) supposita esse. Dum eventus examinamus, oportet quidem rationem habere exaggerationis quae passim usu venit apud eos qui factioni addicti sunt, attamen hypercriticam esse Vincentii sententiam existimamus[1]). Eruditissimi sane viri opus nihilominus nullatenus spernendum est, eo vel minus, quod non pauca in eo inveniuntur quae conferunt, ut accuratius historia illius aetatis exponi possit.

Vigilii pontificatus.

74. Modo jam nostram sententiam de iis quae Vigilium spectant fusius exponamus. In iis quae narrantur de modo fraudulento quo ipse ad dignitatem pontificalem pervenerit, de ambitione ejus ingenti, de saevitiis in Silverium, plurima exaggerata esse putamus. Admittimus, Vigilium Constantinopoli fuisse, quando Agapetus ibidem defunctus est, ac de successione Justinianum cum ipso egisse. Id rerum circumstantiis plane consonum erat. Imperator totus in eo erat, ut Italiam, destructo Gothorum regno, sibi subjiceret, ac Belisarius a. 536 jam victorias varias reportaverat. Magni videbatur momenti, ut Pontifex succederet Justiniano addictus, quumque talem invenisset Imperator Vigilium, Agapeti diaconum, virum sane in Romana Ecclesia eminentem, potuit exoptare, ut ipse in Pontificem eligeretur, et Belisario commendare, ut suo influxu hac in re uteretur. — Sed electus fuit influxu regis Gothorum S. Servilius; hinc in ipsum tanquam Gothis faventem et suspectum moti sunt persecutiones politicae. Jam vidimus, clerum Romae quoad favorem vel Graecis vel Gothis praestandum, passim divisum fuisse, et jam pluries hac in re difficultates exortas fuisse. Omnino dubium censemus, an Vigilius auctor vel instigator fuerit exilii Silverii; quum Vigilius haberetur ut Imperatori gratus eique addictus, facillime fieri potuit, ut ei hac in re varia imputarentur quae culpae ipsi verti non poterant. Forte Servilio in exilio degente, Vigilius ecclesiam Romanam administravit permittente Pontifice. Advertendum quoque est, in Oriente invaluisse eo tempore abusu illam consue-

---

[1]) Cfr. Hergenröther, Theol. Liter. Blatt 1866. S 543.

tudinem, ut dum cogeretur injuste aliquis episcopus sedem suam reliquere, non haberetur ut praevaricator qui illo vivente succederet, ne grex careret omnino pastore. Ita vidimus Constantinopoli, quum Euphemius in exilium mitteretur, successisse Macedonium; uterque tamen inter Sanctos recensetur, nec adversarii inter se fuerunt illi episcopi. — Si forte simile quid accidit Romae, quum Silverius mitteretur in exilium, haud dubium, canones hac in re non observatos fuisse; nec tamen tanta foret culpa Vigilii, quanta fuit posteriori aetate eorum, qui antipapae constituti sunt. Sane mirum est, defuncto S. Servilio, Vigilium sine difficultate et contradictione Sedem Apostolicam tenuisse, et etiam sequentibus annis ab iis qui non fuerunt infensi adversarii ejus, in honore ac veneratione habitum esse. — Mortem S. Silverii adscribit Procopius, in sua Historia arcana cap. 1, Antoninae Belisarii uxori, pessimae mulieri, ut sibi favorem Theodorae Augustae conciliaret, occisumque Pontificem refert per Eugenium Antoninae famulum. Ac merito Allemannus in notis ad Historiae arcanae cap. primum animadvertit, Liberatum, uti alii Afri, Vigilio infensum hac in re non esse audiendum, eo vel magis, quod ipse *de nece Silverii scripsit quae ab aliis acceperat, Procopius vero horum testis fuit oculatus, Romae tunc degens et apud Antoninam tanti sceleris artificem.*

75. Veniamus ad ea, quae in controversia de *tribus Capitulis* Vigilius egit. Vigilii vindiciae. Haud tamen id nobis propositum est, ut singula comprobemus, quae in difficillimo hoc negotio Pontifex fecit; et si quis existimaverit, constantiam ac firmitatem animi aliquando ei defuisse, vel prudentiam illam insigniorem, quae etiam difficillima apte disponit, passim in Vigilio non inveniri, quaestionem hanc discutere non aggredimur. Sed ostendemus, Vigilium nihil fecisse quod injuriosum esset Concilio Chalcedonensi, nec in diversis ejus sententiis aliquid inveniri, ex quo contra infallibilitatem Romani Pontificis argumentum hauriri possit.

76. Superius exposuimus, quaenam motiva pro condemnatione trium Capitulorum adduci potuerint, et quo-

modo qui damnationi se opponebant maxime inde eam oppugnarent, quod praejudicium fieret Concilio Chalcedonensi, imo auctoritas hujus Concilii everteretur. — Reipsa tamen Capitula ista damnari poterant, nec damnatione Concilium Chalcedonense laedebatur. — Ad *Theodorum Mopsuestenum* quod spectat, praecipua catholicae fidei dogmata, communi Ecclesiae praedicatione et doctrina explorata, scriptis suis impugnaverat, atque haereticas blasphemias asseruerat, unde Cyrillus in sua *Epistola ad clericos et Lamponem presbyterum* affirmat, in codicibus Theodori de Incarnatione pessimas blasphemias positas esse. Propugnabat Theodorus, sicut ex ejus symbolo a Mario Mercatore latine reddito colligitur, Christum purum hominem esse, eumque Filium Dei non natura esse, sed gratia et adoptione. Patres Concilii Ephesini et Chalcedonensis a damnando Theodoro Mopsuesteno abstinuerunt, non quod eum jure damnare non potuissent, sed ut hac oeconomia facilius ab erroribus Nestorianis revocarent eos, qui Theodori personae ac memoriae favebant. Simili oeconomia etiam moti sunt S. Cyrillus et Proclus CPtanus, ut quum primum Theodorum ejusque errores anathemate percellere cogitarent, dein de hac re desisterent. Timebant enim, tali damnatione abuti posse Monophysitas, qui tunc errores suos incipiebant spargere. — Caeterum in ecclesia Mopsuestiae jam dudum nomen Theodori e diptychis semotum fuerat, ac nomen S. Cyrilli substitutum.

Capitula damnanda.

77. Neque obstabat anathemati in Theodorum ferendo, quod ipse jam defunctus esset in externa communione ecclesiastica. Etenim quum Theodorus impias haereses ab Ecclesia jam in Paulo Samosateno damnatas propugnasset usque ad finem vitae, *juridice* et *in foro externo* non erat censendus in bona fide fuisse. Hinc quamvis externe in communione Ecclesiae mortuus esset, tamen jure praesumendum erat, eum haereticum formalem fuisse, et, uti vivus damnari potuisset, ita etiam in defunctum anathema pronuntiari poterat tanquam haereseos reum. Neque anathema in mortuos impios alienum erat ab Ecclesiae praxi. Ita Canon 86us ecclesiae Africanae statuebat: *Si quis epis-*

copus haeredes extraneos a consanguinitate sua, vel haereticos etiam consanguineos aut paganos Ecclesiae praetulerit, saltem post mortem ei anathema dicatur, atque ejus nomen inter Dei sacerdotes nullo modo recitetur. Opponi quidem solet textus aliquis S. Leonis in epistola ad Theodorum Forojuliensem episcopum; sed si Leonis dicta perpenduntur, ad rem ea non esse facile deprehenditur. Agit videlicet Pontifex de baptizatis in crimina lapsis, et de eorum per poenitentiam reconciliatione, atque inter alia ait: *Si autem aliquis eorum, pro quibus Domino supplicamus, quocumque interceptus obstaculo a munere indulgentiae praesentis exciderit, et priusquam ad constituta remedia perveniat, temporalem vitam humana conditione finierit, quod manens in corpore non receperit, consequi exutus carne non poterit. Nec necesse est nobis eorum qui sic obierint merita actusque discutere, cum Dominus Deus noster, cujus judicia nequeunt comprehendi, quod sacerdotale ministerium implere non potuit suae justitiae reservaverit: ita potestatem suam timeri volens, ut hic terror omnibus prosit, et quod quibus tepidis aut negligentibus accidit nemo non metuat.* — Manifestum est, hic agi de peccatoribus fidelibusve poenitentibus (pro quibus supplicamus), qui negligentiores fuerunt, et antequam absolutionem obtinerent, ex improviso e vita erepti sunt. Hos Dei judicio relinquendos esse decernit S. Leo, nec debere absolvi post mortem, quum ejusmodi absolutio jam conditionem eorum non mutet, aliis autem tales eventus salutari terrori sint.

78. Quod attinet ad scripta *Theodoreti* contra Cyrillum, in illis S. Cyrillus, cujus doctrinam de incarnatione Verbi Ecclesia suscepit, veluti haereticus reprehenditur, Concilium oecumenicum Ephesinum contemnitur, Nestorius amplissimis laudibus honoratur. Praeter alia ut rei specimen demus, Theodoretus in suo *Pentalogio* scribit: *Priusquam apud Ephesum Synodus celebraretur, duodecim capitulis* (Cyrilli) *stricte aperteque restitimus. . . Quia vero se manifestum qui ista protulit in Concilio declaravit, et plures ex his qui convenerant, imperiti potius nec ulla dogmatis imbuti notitia, pie haec arbitrati sunt: operae pretium visum* Scripta Theodoreti.

est, iterum contra niti sermonemque distendere, et succisam blasphemiam multipliciter confutare, ut ignorantibus evidenter approbemus, quemadmodum Evangeliis declarantur adversa, quae nunc ab ipsis maxime proferuntur. — Quamvis igitur Theodoretus videatur voluisse scribere secundum mentem Ecclesiae catholicae, quia tamen scripta ejus vel haeresim omnino continebant, vel ad eam conducebant, jure ac merito illa fuerunt damnata. — Licet vero Patres Chalcedonenses Theodoretum susceperint et in sedem Cyrensem restituerint, id tamen non fecerunt, nisi postquam Nestorio ejusque haeresi anathema dixit, et suam adhaesionem ad Concilium Ephesinum declaravit. Hoc ipso sua anteriora scripta contra Cyrillum implicite saltem improbaverat. Satis igitur Patres Chalcedonenses ostenderant, se nullatenus comprobare illa scripta Theodoreti. Unde merito Pelagius II in epistola ad episcopos Istriae: *Quis haec* (scripta Theodoreti) *omni impietate plena non videat? A quibus tamen constat quod se postmodum ipse correxit, qui in sancta Chalcedonensi synodo Nestorium anathematizare consensit. Quis non videat, quanta temeritate plenum sit Theodoreti scripta superbiendo defendere, quae eumdem ipsum constat recta post profitendo damnasse? Dum vero ejus et personam recipimus, et ea quae dudum latuerant prava scripta reprobamus, in nullo a sanctae Synodi actione deviamus. Quia sola ejus haeretica scripta respuentes, et cum Synodo adhuc Nestorium insequimur, et cum Synodo Theodoretum recta profitentem veneramur. Alia vero scripta illius non solum recipimus, sed iis etiam contra adversarios utimur.*

Epistola Ibae. 79. In epistola *Ibae* Edesseni ad Marim, uti jam diximus, S. Cyrillus Alexandrinus accusabatur, haeresim Apollinaristarum aliquanto tempore proposuisse; doctrina ejus duodecim anathematismis contenta, in suo sensu obvio sumpta et ab Ephesinis Patribus probata, ut erronea traducebatur, et tantum cum supposita Cyrilli correctione admittebatur; Theodorus Mopsuestenus ut praedicator veritatis et doctor Ecclesiae laudabatur, Patres vero Ephesini praecipitis judicii in causa Nestorii accusabantur; plures postremo in ea erant sententiae, quae obvio sensu Nesto-

rianismum sapiebant. Et ista igitur epistola in se spectata juste damnari poterat.

80. Neque damnationi obstabant ea, quae in Concilio Chalcedonensi quoad hanc epistolam acciderunt. Ibas a Patribus Chalcedonensibus non fuit susceptus et orthodoxus declaratus, nisi postquam Concilium Ephesinum suscepisset et Nestorio anathema dixisset. Manifeste igitur Patres superius commemoratos errores epistolae Ibae, nullatenus in animo habuerunt probare. — Jam exposuimus, quo modo factum sit, ut epistola ad Marim ab accusatoribus Ibae prolata in Synodo Chalcedonensi recitaretur, et quid in ejus lectione Patres praecipue attenderint. Adversarii orthodoxiam Ibae maxime inde impetebant, quod Cyrillum habuerit ut haereticum, idque ex epistola ad Marim probare nitebantur. Sed judices apte statum quaestionis ita definierunt, ut probandum esset, Ibam contendisse, Cyrillum fuisse haereticum non solum ante unionem cum Joanne Antiocheno initam, sed etiam post unionem, subsequente vitae ipsius tempore. Jam vero ex ipsa epistola patebat, Ibam quidem invexisse in Cyrilli doctrinas quas supponebat ante unionem propositas, sed profiteri, se post Cyrilli explicationes cum eodem communicare ac pacem habere, adeoque in doctrina esse concordem. Praeterea Ibas explicationibus suis ostenderat, se Concilium Ephesinum venerari et doctrinas Nestorianas rejicere. Hinc quae in epistola inveniebantur male sonantia, correcta haberi poterant, ita ut ex iis Ibae orthodoxia jam impugnari non posset, pariterque sententiae quae obvio sensu Nestorianismum sapiebant, poterant ob professionem Ibae oretenus pluries datam haberi ut haud prolatae, vel ut accipiendae sensu non stricto, ita ut sanam interpretationem admitterent. Ex his satis colligitur, quomodo post recitationem epistolae a Patribus, qui simul integram defensionem Ibae et omnia ante discussa perpendebant et considerabant, Ibas potuerit declarari orthodoxus et recipi.

Concilium Chalcedonense.

81. Consideratis porro iis quae in Concilio Chalcedonensi quoad epistolam Ibae acciderunt, haec colliguntur: 1° Concilium nullam tulit de orthodoxia hujus epistolae

sententiam nullumque decretum. — 2° Si cui aliqui Praesules Concilii videntur ipsam epistolam ut orthodoxam comprobasse sensu pleno, hujusmodi singulorum vota non constituebant aliquam auctoritatem synodalem, nec ita reliqui talia suffragia suscepisse dicendi sunt, ut epistolam Ibae universim approbaverint. Haud immerito Patres Concilii quinti in fine Collationis sextae dicunt: *Omnes exegerunt Ibam anathematizare Nestorium, quem vindicabat impia epistola, et insuper impia ejus dogmata, et subscribere definitioni quam pro fide exposuerunt ad refutanda certe ea quae epistola vindicat. Et haec fecerunt pro nullo habentes ea, quae ab uno vel duobus pro* (al. *de*) *eadem epistola dicta sunt: qui et ipsi ejusdem cum omnibus facti voluntatis Ibam susceperunt, cum poenitentiam egisset et Nestorium anathematizasset, et subscripsisset definitioni ab eodem sancto Concilio expositae.*

Suffragia Patrum.

82. Sed revera 3° suffragia illa aliquot membrorum in favorem Ibae non continent declarationem, epistolam in omnibus orthodoxam esse; etenim non ipsa epistola orthodoxa declaratur, sed Ibas lecta ejus epistola orthodoxus invenitur. Ita e. g. Paschasinus dicit: *Relectis chartis agnovimus ex sententia reverendissimorum episcoporum, Ibam reverendissimum innoxium approbari; relecta enim ejus epistola, agnovimus eum esse orthodoxum.* — Suffragium Ibae epistolae maxime favens videtur primo intuitu illud Maximi Antiocheni: *Ex iis quae modo relecta sunt, manifestum est, quia ab omnibus ei illatis Rmus Ibas innocens est repertus. Et ex relecto quoque rescripto* (exemplari) *epistolae quae prolata est ab eo qui adversarius ejus existit, orthodoxa ejus declarata est dictatio.* — Versio latina hic ambiguitatem quamdam relinquit, sed textus graecus rem elucidat. Habet enim: *Καὶ ἐκ τοῦ ἀναγνωσθέντος δὲ ἀντιγράφου τῆς ἐπιστολῆς, τοῦ προκομισθέντος παρὰ τοῦ ἀντιδίκου αὐτοῦ, ὀρθόδοξος ὤφθη αὐτοῦ ἡ ὑπαγορία.* Vides, illud *ejus* (dictatio ejus) non referri ad epistolam, sed ad Ibam, quum non dicatur *αὐτῆς*, sed *αὐτοῦ*. Praeterea sensus non est: lecta epistola, orthodoxa apparuit haec Ibae scriptura, sed orthodoxa apparuit Ibae *defensio* vel *respon-*

sio; i. e. defensio, *ὑπαγορία*, Ibae adversus *κατηγορίαν*, accusationem, adversariorum. Hoc enim sibi vult verbum *ὑπαγορία*; nam *ὑπαγορέω* proprie loquendo non *dictare* significat, sed dictis alicujus subdere, respondere proposita quaestione per sermonem, vel scriptum, uti egit Ibas sese defendens ab haereseos insimulatione[1]). Quum videlicet epistola confirmaret ea quae Ibas antea jam asseruerat, se cum Cyrillo post unionem in pace et fidei communione vixisse, adeoque nullo modo ex discordiis cum Cyrillo probari haereticum, Maximus dicit, lecta epistola visam esse ejus defensionem orthodoxam. Ex his vides, suffragium aliquod, quo integra epistola Ibae orthodoxa declararetur, nullatenus datum fuisse. Si aliquot Patrum vota eam laudare videntur, id inde est, quod ex ea videbant, Ibam Cyrillo reconciliatum fuisse et anteriora sensa mutasse, quodque alia in epistola male dicta corrigerentur explicationibus Ibae et declarationibus ipsius posterioribus. — Caeterum vero tota sua agendi ratione Synodus Chalcedonensis satis ostendit, se plane reprobare plurima, quae in laudem Nestorii, in reprehensionem Cyrilli et Concilii Ephesini, in illa epistola legebantur.

83. Hisce expositis de *indole damnationis* quoad tria Capitula pauca dicenda sunt. In ejusmodi damnatione continebatur: 1° *Sententia theoretica,* scilicet in illis Capitulis talia haberi, quae merito proscribi poterant ut opposita doctrinis Ecclesiae et reverentiae Synodo Ephesinae et S. Cyrillo debitae. 2° Continebatur *actus disciplinaris* seu punitio, qua illa tria Capitula *stigmate anathematis* afficiebantur. Haec autem censura, hoc stigma anathematis, personae Theodori Mopsuesteni et scriptis citatis inurendum erat; id quod praecipue intendebatur et in quaestionem veniebat, dum damnatio trium Capitulorum postulabatur. Volebant videlicet, infamari illa Capitula, ne iis Nestoriani abuti possent et orthodoxos decipere. Facile autem vides, tali anathematis censura aliquid, ac multum, addi simplici judicio, in illis Capitulis contineri erronea; tale enim ju- Damnationis indoles.

[1]) Vide hac in re Vinzenzi op. cit. cap. XVI.

dicium persistere poterat, quin tamen stigma illud inureretur Capitulis. Quum vero inflictio censurae ejusmodi anathematis sit actus disciplinaris, consequitur, talem actum revocari posse, quin ejusmodi revocatione implicetur judicium, illa scripta non esse heterodoxa aut nihil falsi continere. Hinc *Judicatum,* quo Vigilius anathema inflixerat tribus Capitulis, ipse irritare poterat, quin propterea eadem vel minime approbaret. Ineptum proinde foret, ex prima illa revocatione damnationis aliquid inferre contra infallibilitatem Romani Pontificis.

Constitutum primum Vigilii.

84. Sequitur, ut agamus de *Constituto primo* Vigilii, quod contra damnationem trium Capitulorum Pontifex tempore Concilii quinti confecit. Advertenda igitur haec esse censemus. — 1° Huic documento ipse Vigilius non dedit eam formam, nec illam definitivam et plenam auctoritatem, quae requiritur, ut recenseatur inter decreta Romani Pontificis ex cathedra data. Confectum fuit die 14 Maji, sed nonnisi die 25° ejusdem mensis Pontifex accersivit ad se Belisarium aliosque viros nobiles et episcopos, qui illud ad Imperatorem ad quem directum fuerat deferrent. Ex textu et ex adjunctis colligi posse videtur, Constitutum hoc fuisse declarationem et expositionem Imperatori factam, qua Pontifex suam de tribus Capitulis sententiam proponebat, cum auctoritate quidem, sed ita, ut haec declaratio (ad instar schematis) servire posset pro definitione decisiva quaestionis. Nec declinasset Vigilius, quantum existimo, deliberatione habita ob gravia motiva aliqua opportune mutare, eo vel magis quod hoc Constitutum anteriori ejus Judicato non plane consonum esset. Desunt etiam in fine anathemata illa quae decretis definitivis addi solebant, uti ex *Judicato* et *Constituto secundo* colligi potest. — Sed etiamsi supponas, definitivam omnino sententiam Constituto hoc voluisse Vigilium proponere, consideranda veniunt quae dein secuta sunt. Legati videlicet recusarunt scriptum illud ad Imperatorem deferre, sed Pontifici dixerunt: *Habes diaconos responsales, per quos licet eam* (chartam) *tibi destinare. . . . Habetis responsorios sicut dictum est, et per illos eam destinate.* — Dein sequi-

tur: *Et cum haec a nobis audisset, misit Servumdei subdiaconum, qui exspectat vestrae serenitatis responsum.* — Hic subdiaconus, quantum ex relatione colligitur, nondum missus erat deferens ipsum Constitutum, sed ut audiret, an Imperator per diaconos vel alio modo documentum recipere vellet; transmissio enim sane solemniori modo facienda erat. Justinianus vero cum subdiacono Servodei haud collocutus, responsum ei dari jussit parum benevolum et honorificum Pontifici, quo acceptationem Constituti declinavit. — Additur autem in Actis: *Et hoc dato responso a piissimo Imperatore per eumdem diaconum, a se scriptam chartam jam non destinavit.*

Non publicatur

85. Ex his colligimus, Vigilium consultius habuisse, ut confectum Constitutum non publicaret, ne turbae etiam magis augerentur. Animadvertendum autem est, ad vim atque valorem definitivam decretorum et definitionum Romani Pontificis nullatenus quidem requiri, ut acceptentur ab illis quibus directa sunt; requiritur tamen eorum publicatio, quae pro arbitrio Pontificis variis modis fieri potest. Vigilius, si censes eum voluisse Constituto suo definitivam edicere sententiam, eam publicationis viam elegit, ut Constitutum mitteret ad Imperatorem, et de transmissione cum ipso egit. Sed Imperator declinavit illud recipere. Potuisset sane Pontifex, non attento responso Justiniani, adhibita forma usu recepta curare, ut deponeretur Constitutum modo juridico in palatio Imperatoris vel in Concilio; potuisset etiam alio modo illud contra voluntatem Imperatoris publicare, uti fecerat quoad *Damnationem Theodori;* sed nullum invenitur vestigium, Vigilium voluisse ulterius instare publicationi hujus Constituti. Unde concludendum est, ipsum Pontificem ex prudenti oeconomia a publicatione destitisse, atque ita Decreto isti vim definitivam et peremptoriam non dedisse. Hinc ex illo Constituto conquiri non possunt argumenta contra infallibilitatem Romani Pontificis, quum jam ob defectum publicationis non pertineat ad ea documenta, quae characterem definitivum et peremptorium habent, quaeque unice considerari debent, dum de inerrantia Sedis Apostolicae agitur.

Constituti indoles.

86. Alia quae 2° de hoc Constituto animadverti possunt, aptissime exponit Muzzarelli de eodem disserens his verbis: „De Ibae epistola nihil retractandum decernit post Concilium Chalcedonense. Etenim relectis gestis hujus Synodi judicavit, quod Ibae epistola fuerit ab illa Synodo declarata orthodoxa. In quo deceptus est cum Occidentalibus, quoniam quamvis haec sententia inveniatur ibi ab aliquibus pronuntiata, tamen ut recte dicunt Patres quintae Synodi, in conciliis non unius vel secundi interlocutionem attendere oportet, sed haec quae communiter ab omnibus vel amplioribus definiuntur. Collat. VI. p. 515. Super hac igitur falsa suppositione facti innixus[1]) Vigilius pronuntiavit: *Praesentis sententiae nostrae auctoritate statuimus atque decernimus, cum in omnibus, tum etiam in saepius memorata venerabilis Ibae epistola intemeratum Patrum in Chalcedone residentium manere judicium.* — Error itaque Vigilii in hoc articulo fuit *error facti*, et quidem quod maxime attendendum est, *non in sententia, sed in praemissis sententiae et decreti.* Quid enim decrevit Vigilius, nisi ut irretractabile remaneret Synodi Chalcedonensis judicium? In quo decreto neque veritas subest, neque falsitas; quoniam Synodus Chalcedonensis nihil definierat neque in absolutionem neque in defensionem illius epistolae. Dicas potius esse decretum inane et omni effectu vacuum, propterea quod ad executionem perduci non poterat judicium Synodi quod nullimode prolatum fuerat de epistola Ibae sive pro approbatione, sive pro condemnatione."

87. „Et haec quidem sufficiunt, ut ex omni parte immunis ab errore contra fidem judicetur hoc Vigilii Constitutum in causa Ibae, quum etiam in Conciliis oecumenicis pro canone fidei habeatur solum sententia contenta in definitione, non alia quaelibet quae definitioni praemittitur." Idem scilicet valet pro Constitutionibus RR. Pon-

---

[1]) Aliquantisper Muzzarellii expositio hic corrigenda est ex iis quae superius explicavimus. Etenim revera nemo in Concilio Chalcedonensi plane orthodoxam declaravit epistolam Ibae. Vigilius supposuit, epistolam animo propitio in Concilio isto receptam, et judicium Concilii fuisse, eam non esse damnandam.

tificum ex cathedra datis. — „Insuper quum praemissae quoque decreti Vigilii *errorem facti et falsae suppositionis* manifestent tantummodo, *non* vero *ullum errorem fidei.* Quod si etiam decretum aliquem fidei errorem prae se ferret, Vigilius *rem ex cathedra non definivit*, neque eam toti Ecclesiae tanquam dogma fidei proposuit, neque contradicentes anathemate percussit, sicuti notavit in sua Dissertatione Petrus de Marca n. 11. Quapropter haec difficultas non officeret sub quocumque colore sententiae, quam tuemur, de infallibilitate Romani Pontificis ex cathedra loquentis. Concludit deinde Vigilius suum Constitutum, inhibendo propter servandam inviolabilem reverentiam Synodorum, ne quisquis contraria suo praesenti Constituto conscriberet vel proferret, aut post praesentem definitionem quaestionem moveret; et ex auctoritate Sedis Apostolicae refutat, quidquid contra vel factum vel dictum vel conscriptum fuerit. Verum hic etiam abstinuit ab anathemate infligendo in eos, qui contrariam opinionem tuerentur. Quod ab eo summa prudentia factum est, animadvertit Petrus de Marca, ut ostenderet eam esse controversiae conditionem, quae in utramque partem inflecti posset, si paci ecclesiasticae hac ratione consuleretur (n. 11). Duo enim sibi constanter proposuerat Vigilius in hoc negotio, primum ne laederentur decreta alicujus Concilii oecumenici, secundo ut schisma repelleret quod Ecclesiae imminebat propter repugnantiam Occidentalium contra Orientales, atque ita egit in re facti, quae salva fide communi saltem ad tempus dissimulari poterat“ [1]).

88. Quae ut melius intelligantur, adverte quae dicit de Marca in citata Dissertatione n. 6. „Qui rerum ecclesiasticarum sunt periti, inquit, non ignorant, duobus modis olim versari solitos fuisse summos Pontifices in quaestionibus propositis, quae disciplinam respiciebant, vel summo jure, vel remisso. Huic temperamento et canonum remissioni locus erat, quando ob bonum unitatis et pro resarcienda Ecclesiae pace necessarium videbatur ea clemen-

---

[1]) Muzzarelli, De auctoritate RR. Pontificum, Vol. II. c. IX. §. V.

tia uti. Eam clementiam Graeci *οἰκονομίαν* vocant, Latini eorum exemplo *dispensationem*. Utroque agendi modo usus est in hac controversia Vigilius, nunc juris et canonum vigore, nunc eorum remissione fidei et pacis Ecclesiae studiosissimum se praebens. Observatum quidem est ab eruditis, Vigilii, quae videbatur, inconstantiam, prudentiae et maturo consilio esse tribuendam; sed non docuerunt, eum agendi modum a canonica disciplina pependisse."

89. Haec erudita Petri de Marca observatio citatur etiam a Muzzarelli. Atque tum ipse tum de Marca censent, in Constituto non summo sed remisso jure Vigilium egisse, nec sententiam suam vel decretum ita voluisse proponere, ut ab eo salva fide vel communione ecclesiastica discedi non posset. Propterea haud sub anathemate quae decernuntur proponi. Hinc illud Constitutum (concludit consequenter Muzzarelli) ex ipsa voluntate Pontificis non esse recensendum inter definitiones vel decreta ex Cathedra data, ad quae unice spectat quaestio de infallibilitate. — Constitutum non esse documentum ex Cathedra datum, etiam nos existimamus; attamen ratio cur non inveniantur anathemata addita nobis potius in eo esse videtur, quod Constitutum, uti nunc habetur, nondum definitivo et peremptorio modo proponendum erat. Sed erat, uti diximus, documentum Imperatori transmittendum, in quo Pontifex quidem cum auctoritate sententiam suam enuntiabat, ita tamen, ut deliberatione habita forte quaedam mutari possent et definitiva forma documento dari.

Epistola ad Eutychium.

90. De *Epistola Vigilii ad Eutychium,* qua ipse tria Capitula condemnavit, haud facta mentione sententiae Concilii quinti, jam proposuimus ea, quae bene Petrus de Marca observat, vidimusque, auctoritatem Sedis Apostolicae Vigilium in eadem magna cum prudentia tueri. Quod ad *Constitutum secundum* attinet, haec animadvertere sufficit. Quum in rebus difficilibus ac dubiis voluntas multum influat in judicium, illudque satis proni simus admittere et tenere, quod magis nobis placet, eo adductus est Pontifex, quum angustiis circumdatus ea quae tria Capitula spectant sollicita mente pervolveret, ut existimaret, Ibae

epistolam ei falso esse suppositam, nec de hac epistola agi in sententiis a variis Patribus Synodi Chalcedonensis latis. Quum hac explicatione data facilius Occidentales viderentur flecti posse ad consensum in damnationem trium Capitulorum, Vigilius eam sententiam cum quodam ardore amplexus est, eamque praecipue in suo Constituto secundo fusius probare nititur. Censemus autem, eum in hac suppositione errasse, argumentationemque, qua eam probare nititur, examen haud sustinere. Sed manifestum est, hoc nihil commune habere cum aliquo errore fidei in definitione doctrinali, infallibilitatemque Sedis Apostolicae ne minimum quidem hisce attingi. — Dum vero Vigilius prohibet, quominus quis adstruere nitatur, Ibae epistolam a quocumque Patrum in Chalcedone residentium orthodoxam esse pronuntiatam, hisce certe nulla fidei definitio continetur. Sed quum ex gravissimis rationibus Pontifex colligi censeret sententiam suam de Ibae epistola, talem prohibitionem emisit, ne quis sopitam controversiam iterum excitaret. Quae vero hac in re statui possint, superius vidimus. Quamvis igitur Vigilius minus feliciter in Constituto secundo quaestionem de Ibae epistola tractaverit, manifestum tamen est, nullum argumentum contra infallibilitatem Sedis Apostolicae ex eo deduci posse.

91. Quod attinet ad *auctoritatem Concilii CPtani*, ex dictis facile colligitur, illud per se oecumenicum non fuisse. Quamvis Vigilius consenserit in convocationem Concilii generalis, noluit tamen illud celebrari, quum pauci tantum episcopi occidentales advenissent. Delata quidem ipsi fuit praesidentia, sed recusavit Synodo interesse, nec Sedis Apostolicae legati interfuerunt. Plerique autem episcopi occidentales, qui Constantinopoli erant, pariter recusarunt ad Synodum accedere. Non obstante secessu Pontificis Concilium quidem habitum est, sed ille CPtanus conventus episcoporum orientalium non repraesentabat legitimum Concilium oecumenicum, ideoque illius decreta nullam aliam vim habere potuissent, nisi ad summum prout gesta synodi orientalis. Etenim praeter praesentiam Romani Pontificis vel per se vel per suos legatos, deerat huic Sy-

Concilii auctoritas.

nodo repraesentatio ecclesiae occidentalis; imo plurimi occidentales episcopi ejus placitis obnitebantur. Quodsi nihilominus oecumenici Concilii dignitatem illa Synodus acquisivit, id factum est ex acceptatione et confirmatione posteriori Romanorum Pontificum et ecclesiae occidentalis.

An confirmatum.

92. Qua ratione vero illa accesserit *confirmatio,* haud ita facile est accurate determinare. Orientales ipsam Vigilii epistolam ad Eutychium, qua tria Capitula Pontifex damnat, fere ut confirmationem quintae Synodi habent. Hinc ipsi quum sentirent Concilii auctoritatem sine consensu Romani Pontificis omnino nutare, Decretalem illam Vigilii in Acta Synodi retulerunt post definitionem, et per eam veluti finem Actis Synodi imposuerunt, sicuti patet ex verbis quae Decretalem Vigilii in Actorum extremitate sequuntur: *Finis octavi libri synodi CPoli congregatae;* et titulus praefixus idem docet, qui sic habet: *Vigilii epistola ad Eutychium et ad praejacentem sanctam Synodum.* — Photius in libello de Synodis ait: *Aderat Vigilius praesens in urbe, sed non intererat Synodo. Etsi vero non adeo prono animo esset erga sancti Concilii coetum, nihilominus tamen communem Patrum fidem libello confirmavit*[1]). Simili ratione alii scriptores orientales loquuntur. Sed Vigilius revera in sua epistola ad Eutychium, in qua condemnat tria Capitula, de habita Synodo nullam mentionem facit, nullaque facta commemoratione anathematis prolati a Concilio, illa tria Capitula propria auctoritate anathematizat.

93. Muzzarelli haud incongrue: „Revera factum est, inquit, ut ex hoc Vigilii decreto quinta Synodus *veluti oecumenica* admissa fuerit, *non equidem quoad celebrationem, sed potius quoad effectum,* quoniam post decretum Vigilii Ecclesia universa paulatim condemnationem trium Capitulorum amplexa est, in quo laborarunt etiam subsequentes Pontifices, et ex eorum auctoritate tantummodo exstincta fuerunt dissidia et schismata inter occidentalem et orientalem Ecclesiam . . ."[2]). Quum vero intime inter sese

---

[1]) De Marca Dissert. cit. n. 15.

[2]) De auctor. RR. Pontif. l. c.

connexae essent damnatio trium Capitulorum per Vigilium, et illa per Concilium quintum facta; quum hoc Concilium initio ea intentione convocatum fuisset, ut Synodus oecumenica celebraretur, in ipsumque *de facto* saltem refunderetur damnatio trium Capitulorum, paulatim accidit, ut etiam nomen et dignitas oecumenici Concilii illi synodo quintae concederetur. Quum Pontifices videlicet *effectum* Concilii approbarent, illa confirmatio veluti recidit in ipsum Concilium.

94. Pelagius I, Vigilii successor, Concilium CPtanum *universale* nominat in epist. V ad Narsetem Patricium contra Paulinum Aquilejensem scribens: *Nec licuit aliquando nec licebit particularem synodum congregare; sed quoties aliqua de universali synodo aliquibus dubitatio nascitur, ad recipiendam de eo quod non intelligunt rationem, . . . sponte ii, qui salutem animae suae desiderant, ad apostolicam Sedem pro recipienda ratione conveniant.* Ita etiam in epistola III ad eumdem loquitur *de judicio universalis Concilii, quod Constantinopoli nuper actum est.* Dubium tamen moveri potest, utrum hac appellatione *universalis synodi,* illi Concilio jam dignitatem Concilii vere oecumenici tribuere voluerit. Etenim saepe nomine universalis concilii apud antiquos etiam synodus appellabatur, quae ex variis provinciis et regionibus congregata erat, quamvis non stricto sensu oecumenica esset. Praeterea in sua *Epistola ad universum populum Dei de fide catholica,* reverentiam suam fatetur in quatuor Concilia oecumenica, (ut ostendat Chalcedonense Concilium nullatenus esse depressum), non designat autem illud CPtanum tanquam ipsis connumerandum. Quamvis igitur nobis videatur illa comparatio et collatio in epistola quinta inter *synodum particularem* et *universalem* suadere, Pelagium jam Concilium CPtanum designasse ut oecumenicum, licetque auctores plerique ita censeant, rem in ancipiti relinquimus. Ex Pelagii II litteris etiam argumentum firmum desumi nequit, quo probetur, eum Concilium illud CPtanum in eo honore, quo reliquas quatuor Synodos oecumenicas, habuisse.

R. Pontifices.

S. Gregorius M.

95. Sed S. Gregorius M. in sua ad Joannem CPtanum epistola Concilium hoc quatuor praecedentibus oecumenicis connumerat, scribens: *Sicut Evangelii quatuor libros, sic quatuor Concilia suscipere et venerari me fateor, Nicaenum scilicet, in quo perversum Arii dogma destruitur: CPtanum quoque, in quo Eunomii et Macedonii error convincitur: Ephesinum etiam primum, in quo Nestorii impietas judicatur: Chalcedonense vero, in quo Eutychetis Dioscorique pravitas reprobatur, tota devotione complector, integerrima approbatione custodio, quia in his velut in quadrato lapide sanctae fidei structura consurgit, et cujuslibet vitae atque actionis norma consistit. . . Quintum quoque Concilium pariter veneror, in quo epistola quae Ibae dicitur erroris plena reprobatur, et Theodorus personam Mediatoris Dei et hominum in duabus subsistentiis separans ad impietatis perfidiam cecidisse convincitur, scripta quoque Theodoreti per quae B. Cyrilli fides reprehenditur, ausu dementiae prolata refutantur. Cunctas vero quas praefata veneranda Concilia personas respuunt, respuo, quas venerantur, complector, quia dum universali sunt consensu constituta, se et non illa destruit, quisquis praesumit aut solvere quos ligant, aut religare quos solvunt. Quisquis ergo aliter sapit, anathema sit.* — Atque ex illo tempore certe Synodus CPtana illo honore et nomine gaudet *Concilii oecumenici quinti.*

Dissertatio duodecima.

De causa Honorii Romani Pontificis.

1. Insigniores quidem non pauci vertente saeculo sexto septimoque currente sese nobis offerunt eventus, qui considerationem accuratiorem merentur. Fundatio Ordinis S. Benedicti et propogatio vitae monasticae in Occidente, S. Gregorii Magni pontificatus ejusque in Ecclesiam merita summa, Anglorum ad fidem conversio, Muhammedanismi ortus ac propagatio funesta, eventus sunt, qui quoad Ecclesiae historiam summi fuere momenti. Sed quum singillatim haec omnia pertractare non liceat, quaestionem selegimus discutiendam, quae jam a multo tempore magno cum ardore agitata fuit et in dies agitatur. Gesta et scripta *Honorii* in causa Monothelitarum, hujusque Pontificis condemnatio per Concilium oecumenicum sextum, forte quo tempore evenerunt minus animos Christianorum commoverunt; sed subsequenti tempore, praesertim inde ab aetate pseudoreformationis, isti eventus maxime sollicitos habuerunt viros eruditos, multisque disceptationibus ansam dederunt. Ut praetereamus auctores protestantes, qui stilo virulento, dum de Honorio agunt, in Ecclesiam invehunt: Gallicani et omnes qui post ipsos infallibilitatem Romani Pontificis impugnaverunt, praesertim ex causa Honorii argumenta sua conquisiere. Dissertationis indoles.

2. „Fuit enim hic Pontifex, scribebat paucos ante annos cl. Pennachi in praeclara sua *Dissertatione de causa*

Controversiae. *Honorii*[1]), antiquorum Gallicanorum clypeus, quo possent inerrantiam Romanorum Pontificum aliquid, ut dicitur, ex cathedra definientium inficiari; nullumque latet, quot quantaque argumenta congesserint tum ex epistolis ipsius Honorii ad Sergium CPtanum Antistitem, tum ex Actis Concilii VI, tum ex aliis documentis, doctissimus Bossuet in Defensione Declarationis Cleri Gallicani anni 1682, atque Cardinalis de la Luzerne[2]), ut alios praetermittam. Verum et est adhuc Honorius illorum propugnaculum, qui infallibilitati Romanorum Pontificum etiam nunc adversantur, nullusque pariter ignorat, quae et quanta de heterodoxia ejus scripta sint et scribantur sive publicis ephemeridibus, sive libellis, sive operibus vulgatis. Undique resonat nomen Honorii, undique ad Honorium appellatur tanquam ad invictum argumentum fallibilitatis Romanae Sedis, undique ejus epistolae, Acta Concilii III CPtani afferuntur, explicantur, exponuntur, ut tandem concludi possit, ipsum in fide naufragium fecisse." Post definitionem dogmatis de inerrantia Romani Pontificis, interruptoque funestis eventibus Concilio Vaticano, controversiae istae aliquantisper sopitae sunt. Attamen adversarii Apostolicae Sedis non desierunt, quem praetendunt Honorii in fide lapsum urgere, et nostro tempore maxime convenit tranquillo mentis intuitu Honorii causam discutere, atque aequitate servata defendere.

3. Id vero utilitatis habuere quae recenti tempore hac de quaestione edita fuerunt multiplicis generis scripta, ut quae difficultatem habent iterum ab adversariis ex antiquioribus auctoribus, praesertim Gallicanis, colligerentur et proponerentur; a defensoribus vero doctrinae orthodoxae eadem denuo accuratius discuterentur et solverentur, non solum propositis argumentis eorum qui ante ipsos Honorii fidem vindicaverunt, sed additis etiam elucubrationibus magnae utilitatis. Illud enim sciendum est, in quaestione

---

[1]) De Honorii I Romani Pontificis causa in Concilio VI Dissertatio Josephi Pennacchi, in Romana studiorum Universitate Historiae Eccl. Professoris substituti. Anno 1870.

[2]) Sur la Déclaration du Clergé de France.

de causa Honorii plura esse admodum obscura nec satis eliquata, illosque viros, qui quaestione hac nostris diebus iterum mota edixere, omnia jam dudum esse explanata, omnia liquida, nimium quid asseruisse. In quaestione enim de Honorio duplex veluti pars distingui potest, unam dicerem *negativam*, alteram *positivam*. Pars negativa in eo consistit, ut tantummodo probetur summatim, ex iis quae in causa illius Pontificis acciderunt, validum non posse promi argumentum contra infallibilitatem Sedis Apostolicae. Id vero ostendi potest, quin omnia et singula accuratius discutiantur, et ex variis explicationibus rerum eventuumque una seligatur determinata. Hoc praestare facile est, atque vario modo id jam dudum fuit probatum. — Sed quum ulterius, sicuti convenit, progredimur, ut *positive* singula quoad doctrinam et quoad eventus quomodo se habuerint ostendamus, res est valde implexa, auctores abeunt in varias partes, omniaque satis elucidare difficile est.

4. Agemus primum paucis *de statu Ecclesiae* illa aetate, ac *de initiis Monotheletismi,* dein *de Honorii epistolis ad Sergium CPtanum,* ac demum *de Concilio oecumenico sexto.* — Quoad documenta quae ad causam Honorii pertinent, praesertim consulenda sunt *Acta Syondi VI,* in quibus, quae huc spectant maxima parte continentur; praeterea *opera S. Maximi,* qui varia in defensionem Honorii scripsit. — Ex multis auctoribus qui de Honorio R. P. egerunt, hic citare sufficiat sequentes: Pighius, *De actis VI et VII synodorum.* — Turrecremata, *Summa de Ecclesia L. II. c. 93.* — Baronius, *Annal. ad an. 633, 680, 681.* — Pagius, *Critica Baronii,* ibid. — Pagius (jun.) *Vita RR. Pontif.* — Thomassinus *in Concilia Dissert. 20.* — Combefisius, *Dissertatio pro Actis VI Synodi* et *Historia Monothel.* — Petavius, *De Incarn. L. I. cc. 19—24.* — Garnerius, *De causa Honorii,* in Appendice ad Librum diurnum RR. PP. — Cabassutius, *Notitia Conciliorum,* cap. 72. — Natalis Alexander, *H. E. in saec. VII Dissert. I. et II.* — Orsi, *De Rom. Pontificis auctoritate L. I, c. 22.* — Ballerini, *De vi ac ratione primatus, Cap. 15. §. 9.* — Muzza- Auctores.

relli, *De auctoritate Rom. Pontif. Tom. II. cap. 10.* — Palma, *Praelectiones, Tom. II. P. I. C. XI. XII. XIII.* — Wouters, *Dissert. Tom. II. Diss. XLVII. XLVIII. XLIX.* — *Pennacchi,* De Honorii causa etc. (1870). — Hefele, C. G. B. III. — Döllinger, *Papstfabeln.* — Bottalla, *Pope Honorius,* London 1868. — Reinerding, *Beiträge zur Honorius und Liberiusfrage* (1865). — Schneemann, *Studien über die Honoriusfrage etc.* — Bottemanne, *De Honorii Papae epistolarum corruptione,* Buscoduci 1870. — Hergenröther K. G. I. p. 356 sqq., III. p. 134 (nn. 186 sqq.) ubi et amplissimam *litteraturam* hac de quaestione invenies.

I.

De statu Ecclesiae ac de initiis Monotheletismi.

Series R. R. Pontificum.

5. Pauca tantum hoc loco colligimus, ut appareat, qualis fuerit conditio rerum ecclesiasticarum in Occidente et in Oriente, praesertim quod ad mutuas relationes inter utramque Ecclesiae catholicae partem attinet. — Eventus illi qui sub pontificatu Vigilii locum habuere, maxime controversia de tribus Capitulis, effecerunt, ut generatim cresceret illa simultas in Occidentales, cujus germina apud Orientales jam passim conspeximus, utque etiam Occidentalium animi ab illis magis abalienarentur. Nec tamen ad apertam discordiam res eo tempore jam pervenerunt, florueruntque tum in occidentalibus tum in orientalibus partibus episcopi et sancti viri multis virtutibus insignes.

6. Pontifices qui Vigilio successerunt, uti jam diximus, multos adhibuerunt labores magnaque debuerunt uti prudentia, ut episcopos varios occidentales ob damnationem trium Capitulorum turbatos a schismate praeservarent, vel ab eo revocarent. — Primus Vigilii successor fuit *Pelagius I* (a. 555—560), qui antea fuerat ejus apocrisiarius Constantinopoli, et Justiniani fruebatur favore. Initio suspectus, quod Vigilii fuerit adversarius persecutionumque in eum particeps, injustam accusationem mox re-

futavit, dignissimaque ratione Ecclesiam gubernavit. — Post ipsum *Joannes III* Sedem Apostolicam tenuit per tredecim annos (a. 560—573). Anno pontificatus ejus nono, Christi 568, novum in Italia regnum Longobardi condiderunt. Alboinus enim, Longobardorum rex primus, *invasit omnia usque ad Tusciam, praeter Romam et Ravennam*[1]), regnique sedem Ticini collocavit. Quum Joannes Idibus Julii anni 573 obiisset, in locum ejus anno 574 mense Junio electus est *Benedictus I.* Interregni tam diuturni causa fuerunt Longobardi totam Italiam perturbantes. Benedicti optimi Pontificis, qui difficilibus istis temporibus Ecclesiae praefuit, gesta accuratius descripta ad nos non pervenerunt. Ipse *cernens virtutum gradibus Gregorium, qui postea Pelagio II successit, ad alta conscendere, eum a monasterio ablatum ecclesiastici ordinis officio sublimavit, Levitamque septimum ad suum adjutorium adscivit*[2]). Post obitum Benedicti in Pontificem electus est *Pelagius II,* die 30 Novembris anni 578. *Absque jussione principis* (Imperatoris) *ordinatus est,* ait Paulus Diaconus, *eo quod Longobardi Romam per circuitum obsiderent, nec posset quisquam a Roma progredi*[3]). Multum laboravit in causa schismatis Istriensis; contra Longobardos frustra Francorum et Imperatoris auxilium obtinere studuit. Sub ipso etiam jam incepit lis de nomine *Patriarchae oecumenici,* quam appellationem arroganti vanitate Joannes Jejunator patriarcha CPtanus sibi vindicavit; eidem magno cum vigore restitit Pelagius. Versus finem pontificatus ejus Visigothi in Hispania ab Arianismo ad fidem catholicam conversi sunt.

7. Post obitum Pelagii II, anno 590, summo omnium gaudio Pontifex creatus est *S. Gregorius I,* vitae sanctitate doctrina ac rerum gestarum amplitudine plane eximius. *Ita cunctorum meritorum claruit perfectione sublimis,* ait S. Ildephonsus episcopus Toletanus, *ut exclusis omnibus illustrium virorum comparationibus, nihil illi simile demonstret* S. Gregorius M.

[1]) Paul Diac., De gestis Longobard L II c 26
[2]) Paul Diac., Vita Gregorii, c 7
[3]) De gestis Longob. L III. c 20

antiquitas. Vicit enim sanctitate Antonium, eloquentia Cyprianum, sapientia Augustinum[1]). Singula Gregorii egregia facta hic non recensebimus, illud operae pretium est advertere, divina providentia factum esse, ut tempore ob turbas politicas difficillimo, Ecclesiae praeesset Pontifex tantus, qui omnibus, non solum dignitate, sed virtute quoque, sapientia, fortitudine, praeemineret, ac venerationem insignem Sedi Apostolicae conciliaret. Nam etiam apud Longobardos et Orientales maximi habebatur hic Pontifex, suamque amplissimo jure exercebat apostolicam auctoritatem. S. Gregorius ad Deum migravit die 12 Martii anni 604.

8. Ejus successor in pontificatu fuit *Sabinianus,* antea S. Gregorii apud Mauritium Imperatorem apocrisiarius, qui rexit Ecclesiam usque ad diem 22 Februarii anni 606. — Eum secutus est mense Februario a. 607 *Bonifatius III,* antea S. Romanae ecclesiae diaconus, *qui a. S. Gregorio missus fuerat Constantinopolim apocrisiarius ad Phocam Imperatorem.* Ita Baronius ad a. 606 n. 1, ubi addit: „Accidisse vidimus, ut qui eo functi essent munere iidem in summum Pontificem saepius eligerentur: ita Vigilium, Pelagium, Gregorium atque Sabinianum electos fuisse reperimus. Quod enim ex orientalium Imperatorum tyrannide electioni Cleri oporteret accedere consensum Imperatoris, eum eligere studebant quem scirent eidem fore gratum“[2]). Brevis fuit Bonifatii III pontificatus; obiit

---

[1]) Lib. de Script. eccles.

[2]) Petrus de Marca, De concordia Sacerdotii et Imperii L. III. c. 16. §. 5, loquens de Pelagio, qui ab Agapeto apocrisiarius factus est: „Quo munere, inquit, non est illi jurisdictionis collata facultas, sed tantum monendi, interpellandi principis, suggestionis non actionis, quemadmodum in Juliano Coënsi Leo muneris hujus exemplar et imaginem expresserat.“ — Apocrisiarii munus obtinuit praecipue a temporibus Justiniani. Legati hujus generis Apocrisiarii et Responsales dicti sunt ab illius saeculi scriptoribus, quod responsa seu mandata exequerentur eorum, a quibus missi erant. Ἀπόκρισις enim responsio est. Eorum influxus Constantinopoli et in reliquis Orientis partibus magnus et valde salutaris erat.

enim eodem anno 607 die 10 Novembris. — Successerunt dein *Bonifatius IV* ab anno 608 usque ad annum 615; *Deusdedit* ab anno 615 ad annum 618; *Bonifatius V* ab anno 618 ad annum 625. Dignissima ratione hi Pontifices Ecclesiam gubernarunt, eorum gesta singula referre hoc loco non vacat. Id unum commemoremus, Bonifatium V a Centuriatoribus Magdeburgensibus Cent. VII. c. 10 argui, quod ipse in epistola ad Edwinum regem Anglorum, quam refert Beda L. II. c. 15 Hist. Anglorum, docuerit, Christum a solo peccato originali nos redemisse. Sed illud *solo* de suo addiderunt Centuriatores. Bonifatius enim scribit: *Accedite ergo ad agnitionem ejus, qui vos creavit, qui in vobis vitae insufflavit spiritum, qui pro vestra redemptione Filium suum unigenitum misit, ut vos ab originali peccato eriperet.* — Sed dum de aliis peccatis non loquitur, certe ea nullatenus excludit. Commemorat autem peccatum originale, quia gentilibus scribebat, hocque peccatum imprimis non baptizatis veluti proprium est et inhaerens, quumque in privatione gratiae consistat sitque culpa naturae ex delicto primi Adami, ad illud delendum Christus secundus Adam principaliter venit. — Bonifatio V, die 22 Octobris anni 625 mortuo, suffectus est *Honorius I,* qui sedit usque ad annum 638.

9. Modo de statu rerum in Oriente post Concilium oecumenicum quintum agamus. Justinianus scopum quem in damnatione trium Capitulorum sibi proposuerat, ut Monophysitas cum Ecclesia uniret, haud assecutus est, sed Eutychianorum variae factiones subsistere perrexerunt. Imo Imperator versus finem regni sui ipse sectae *Incorrupticolarum* favorem suum praestitit. Inter Monophysitas videlicet inde ab anno 519 quaestio agitata fuit, utrum Christi corpus in his terris perinde ac nostrum humanis affectibus, dolori, indigentiis, fami, siti, corruptioni fuisset obnoxium. Alii cum Severo pseudopatriarcha Antiocheno id affirmabant, hique ab adversariis *Corrupticolae* seu *Phtartolatrae* dicti sunt; alii cum Juliano quondam episcopo Halicarnensi negabant, et hi *Incorrupticolae* seu *Aphtarto-*

Corrupticolae et Incorrupticolae.

latrae, vel etiam *Phantasiasti* sunt appellati [1]). Ultimo anno regni sui Justinianus horum Aphtartodocetismum edicto sancire praesumpsit. Ei restiterunt constanti animo Anastasius patriarcha Antiochenus, et Eutychius patriarcha CPtanus, qui eousque ecclesiam CPtanam laudabiliter rexerat. Eutychius jubente Imperatore a synodo hujus arbitrio obsequente depositus, initio anni 565 in exilium missus, eique suffectus est Joannes III cognomine Scholasticus, apocrisiarius patriarchae Antiocheni. Eodem anno die 14 Novembris Justinianus post regnum triginta et octo annorum, aetatis anno octogesimo tertio, (natus est die 11 Maji a. 483), defunctus est.

Justinus II. 10. Ei successit *Justinus II*, vir orthodoxus, qui ab immixtione in quaestiones dogmaticas abstinuit. Etiam Joannes III, qui fortasse dexteritate quadam utens Justiniano senescenti aliquantisper cedere visus erat, orthodoxiam tuitus est, dignoque modo ecclesiae CPtanae praefuit usque ad annum 577, quo anno mortuus est. A Graecis inter Sanctos colitur. Eo defuncto magno cum applausu fidelium Eutychius in sedem suam restitutus est. Quamvis in rebus theologicis bene versatus esset, incidit tamen in falsam opinionem de resurrectione mortuorum, resurgentibus attribuens corpus quoddam novum aëreum, eamque sententiam libro scripto proposuit. Sed S. Gregorius M., tunc Constantinopoli apocrisiarius, eum refutavit, atque ipse Eutychius praeclaro humilitatis exemplo librum suum combussit, ac moriens sententiam orthodoxam de resurrectione mortuorum aperte professus est [2]). Obiit Eu-

---

[1]) Corpus Christi corruptibile fuisse dici potest sensu orthodoxo, si nimirum intelligatur corpus Christi fuisse vere passibile in hac vita mortali. Sed communis ille Monophysitarum error fuit, ex duabus naturis divina et humana in Christo conjunctis unam naturam conflatam fuisse. Quum igitur Incorrupticolae tenerent, hanc Christi naturam dolori ac passioni non fuisse obnoxiam, incidebant in docetismum. Corrupticolae vero illa omnia unicae Christi naturae attribuebant, adeoque divinitatem in Christo deterioratam esse, fateri cogebantur, quod non minus impium quam absurdum est. V. Tractatum nostrum *de Verbo incarnato* n. 114.

[2]) V. Tractatum nostrum *de Novissimus* n. 240.

tychius die 6 Aprilis a. 582, atque a Graecis pariter inter Sanctos colitur. — Justino II, qui anno 578 defunctus est, successit *Tiberius,* qui per decem annos digne ac feliciter regnavit, et a. 582 successorem habuit *Mauritium* Imperatorem variis virtutibus insignem, quamvis Tiberio haud in omnibus parem.

Joannes Nesteutes Patr. Cpt.

11. In Eutychii successorem post sex dies suffectus est patriarcha *Joannes Nesteutes* cognomine, quod ex jejunio ejus severo cum sanctitatis fama acquisierat. Sed temperantiae ejus ac mortificationi haud juncta erat aequa humilitas, et dum esset extenuatus corpore, spiritu erat inflatus. Arroganti videlicet vanitate nomen *Patriarchae oecumenici* sibi vindicavit. De ipso ita Baronius ad a. 586 nn. 8. 9: „Ubi sancto viro (Eutychio) postrema digne sunt persoluta, actum de successoris electione, et quia talem requirebat religiosissimus Imperator, qui caeteros antecelleret sanctitate, Joannes quidam monachus, qui cognomento Jejunator est appellatus, reliquis praefertur, cui tamen praecessor Eutychius adhuc vivens haud voluit suo elogio suffragari, utpote qui nihil boni praeviderat de homine, qui ex jugi omnibus noto jejunio popularem captans auram, eâdem inflatus intumuisset. Ne vero quid deesse posset ad perfectam illam quam oculis hominum intuendam exposuerat sanctitatem, illud iste addidit corollarium, ut fugam arripere tentaret, ne eligeretur episcopus; sed secundum bucolicum illud: *Et fugit ad salices, et se cupit ante videri,* ita fugere videri voluit, ut ne fugeret detineretur a suis. Quali namque esset tunc animo, mox ipsa sublimis dignitas declaravit. Ut enim in altioribus montibus aër purgatior detegere et foras mittere e visceribus solet latentes morbos, reddereque cunctis perspicuos; ita eminens honor, altum fastigium, sublimis cathedra, celsa potestas, mox patefacit, quae in hominis penetralibus cordis latet hypocrisis et occultatur ambitio. — Accidit id profecto in Joanne, qui ubi electus est et ordinatus CPtanus Antistes, mox sanctam quam in Ecclesia invenit pacem tot laboribus partam fugavit. Etenim mente sublimi elatoque corde homini praedicto visa est humilis tanta digni-

tas, qua se imparem ante fuerat fuga professus, quamobrem grande sibi comparans nomen, non *Patriarcha* tantum dici, sed et *Oecumenicus* affectavit. Sunt de his justae querelae Gregorii tunc diaconi, postea Romani Pontificis, ubi ad ipsum postea scripsit his verbis: *Eo tempore quo fraternitas vestra in sacerdotalem honorem provecta est, quantam ecclesiarum pacem atque concordiam invenerit recolit. Sed quo ausu, quove tumore, nescio novum sibi conata est nomen arripere, unde omnium fratrum corda potuissent ad scandalum provenire. Qua in re vehementer admiror, quia ne ad episcopatum venire potuisses, fugisse velle te memini: quem tamen adeptum ita exercere desideras, ac si ad eum ambitioso desiderio cucurrisses. Qui enim indignum te esse fatebaris, ut episcopus dici debuisses, ad hoc quandoque perductus es, ut despectis fratribus, episcopus appetas solus vocari*" [1]).

12. Ex his vides, quale tum S. Gregorii tum cl. Baronii judicium de Joanne Jejunatore fuerit. Haud censemus tamen, sanctitatem ejus omnino fucatam fuisse. Sed vir fuit, ut videtur, animi angustioris, qui quum ex una parte severam duceret vitam, ex altera parte vanitate obstinata titulum sibi vindicabat, quo forte dignitatem sedis suae se merito amplificare posse opinabatur. Alio loco Gregorius scribit: *Suorum familiarium seductione linguarum ad tantam superbiam erupit* [2]). Noluit quidem primatum, in universum orbem christianum splendido ejusmodi Patriarchae oecumenici nomine sibi arrogare, vel aliorum episcoporum dignitatem et auctoritatem negare; sed considerata ambitione patriarcharum Constantinopolis, ejusmodi appellatio ulteriora pericula veluti involvebat, meritoque S. Gregorius ejusque successores illi superbae usurpationi restiterunt. Plura de controversia ob ejusmodi nomen exorta dicemus, dum de schismate Graecorum agemus. — Joannes Nesteutes obiit auctumno anni 595, et inter Sanctos a Graecis colitur. Ei successit *Cyriacus,* qui perrexit

---

[1]) Gregor. M. Epist l IV. ep. 38

[2]) Ep ad Constantinam Augustam, L IV ep. 34

sibi nomen Patriarchae oecumenici tribuere, non obstante protestatione Romani Pontificis.

13. Anno 602 Mauritius ex imperio dejectus fuit crudeliterque occisus a *Phoca* militum due, qui regnum arripuit. Ejus indolem ita breviter describit Cedrenus: *Statura fuit mediocri, deformis, terribilis aspectu, vinosus, mulierosus, sanguinarius, rigidus, in dicendo ferox, a miseratione alienus, moribus ferus, haereticus; uxor ejus Leontia eisdem fuit moribus imbuta*[1]). Agnita tamen fuerunt sub ipso, uti videtur modo aliquo solemni, jura primatus R. Pontificis in ecclesiam CPtanam. Liber Pontificalis enim in vita Bonifatii III ita habet: *Hic obtinuit apud Phocam principem, ut sedes Apostolica B. Petri Apostoli caput esset omnium ecclesiarum, i. e. Romana ecclesia, quia ecclesia CPtana se primam omnium ecclesiarum scribebat*[2]). Multi ex his colligunt, Phocam, instante Romano Pontifice, interdixisse Patriachae CPtano, quominus titulo *Patriarchae oecumenici* uteretur. Sed post Phocae interitum Patriarchae CPtani illam appellationem usurpari haud destitere. Phocas videlicet anno 610 imperium et vitam perdidit. Quum populo atque nobilibus iste tyrannus esset plane exosus, evocatus est ab ipsis *Heraclius* filius praefecti militum in Africa. A quo Phocas devictus, e throno ejectus, atque supplicio ultimo affectus est.

14. Cyriaco patriarchae anno 607 defuncto successit *Thomas I* in sedem CPtanam, eique post episcopatum trium annorum, mense Aprili anni 610 *Sergius* ecclesiae cathedralis diaconus, qui magnam spem sui initio dedit. Ipse die 6 Octobris anni 610 Heraclium in Imperatorem coronavit et exinde per viginti et octo annos, quibus sedem CPtanam tenuit, magnum favorem et influxum in res publicas atque ecclesiasticas apud Heraclium obtinuit. At perniciosus fuit Sergii episcopatus eo, quod haeresis

Sergius Patr. Cpt.

---

[1]) Cedrenus ap. Baronium a. 603 n. 9.

[2]) Eadem verba habentur ap. Paul. Diac. de gestis Longob. IV. 37. et ap. Joan Chron. Episc. Neapol. (Muratori R. I. Ser. II. p. 301)

Monotheletarum se constituit vel auctorem vel saltem promotorem praecipuum. Jam de initiis hujus haeresis agamus.

15. Monophysitarum variae sectae maxima per plura saecula orientali Imperio creabant pericula. Etenim quum istis divisionibus variarum provinciarum cives agitarentur, turbae vehementes frequenter oriebantur, et irruentibus hostibus externis, praesertim Persis et Arabibus, haeretici illi facilius adhaerebant, ut eorum influxu subsisterent vel dominarentur. Ita malum quoddam intestinum atque imperio funestum ex illis sectis oriri visum est. Unde Imperatores atque episcopi varii divisionem istam exstinguere studuere, sed haud semper ratione convenienti. Fuerunt videlicet, qui ipsos errores haereticorum amplexi, eos catholicis obtrudere nisi sunt; passim etiam tales transactiones seu conciliationes propositae sunt, quibus dogma catholicum periclitabatur. Ex ejusmodi tendentia ad transactionem quamdam fallacem originem habuit *Monothelitismi* doctrina haeretica.

Monotheletismi indoles.

16. Monophysitae videlicet admittebant duas fuisse naturas *ante* unionem, seu *ex* duabus naturis Christum esse, sed *post* unionem, contendebant esse unam naturam. Ejusmodi ineptam sententiam variis modis explicabant. — Auctores igitur Monothelitismi adducere eo studuerunt Monophysitas, ut admitterent (verbotenus), duas esse *in* Christo naturus, seu naturam humanam quoad *essentiam* non esse naturam divinam. Cum illis vero dein conveniebant statuentes, Verbum secundum naturam divin*a*m esse principium immediatum omnium volitionum et operationum Christi, humanam vero naturam inertem recipere actionem divinam Verbi. Adeoque naturam humanam non agnoscebant ut principium actionum, sed sub hoc respectu eam veluti inertem habebant, ita ut nec potentiam agendi et volendi, nec operationem et volitionem actualem videantur admisisse. Omnis *operationis principium* secundum eos fuit divina natura, ita ut *reciperetur* actio in natura humana inerte. Et *hoc sensu* dein statuebant principium actionis esse *compositum,* nec Verbum ea quae fecit agere et pati potuisse, nisi in humana natura. Illam autem Christi *operationem unicam* appellabant *theandricam* seu

deivirilem operationem, eo quod esset una actio proveniens a divina et humana natura, ita tamen ut divina natura tantum active, humana plane passive sese haberet. Ex his vides, Monotheletas studuisse fallaci transactione componere doctrinam de duabus Christi naturis cum placitis Monophysitarum, ut hoc ratione fucata et funesta unio cum iis obtineretur.

17. Initia controversiae de una Christi operatione Sergius patriarcha CPtanus in ea quam scripsit ad Honorium epistola hisce describit: *Ante aliquod certum tempus, quum adversus Persas a Deo confirmatus Dominus noster et magnus victor Imperator promovisset exercitum, propter certamina a Deo sibi creditae amabilis Reipublicae, et ad partes Armeniae provinciae pervenisset* (a. 622), *unus ex praecipuis impiae partis Severi execrabilis, nomine Paulus, in illis locis apparens ad ejus pietatem accessit, sermonem pro sua errabunda haeresi proferens, et hoc profecto dumtaxat satisfaciendo* (i. e. patrocinio suscepto, eam defendendo); *in quibus piissima ejus ac regalis magnanimitas, (cum caeteris enim donis Dei etiam divinorum dogmatum locupletari scientia meruit), dum redarguisset ac depompasset pravam ejus impietatem, profanis ejus astutiis sanctae nostrae Ecclesiae, ut verus ejus propugnator, recta atque immaculata e diverso protulit dogmata, inter quae et unius operationis Christi veri Dei nostri fecit mentionem.* — Sergius igitur hic Heraclio Imperatori adscribit, quod mentionem fecerit talis doctrinae, suam hac in re cooperationem callide occultans. — Dein pergit: *Post aliquod vero tempus idem a Deo confirmatus Imperator in provinciam Lazorum adveniens* (a. 628) *recordatus est disputationis, quam sicut diximus fecerat ad Paulum illum haereticum, in praesentia Cyri sanctissimi, tunc quidem ejusdem Christo amabilis Lazorum provincae metriopolitanam sedem tenentis, nunc autem magnam Alexandrinam regentis. Praedictus igitur sanctissimus vir his auditis ejus serenitati respondit, nescire subtiliter, utrum unam an duas operationes Christi veri Dei nostri adstruere necesse sit. Ergo per jussionem ejus pietatis per litteras proprias interrogavit nos praedictus sanctissimus vir, utrum unam operationem,*

Initia Monotheletismi.

an duas in Salvatore nostro Christo necesse sit dicere; et si quosdam noscamus sanctorum ac beatissimorum patrum unam dicentes operationem. Unde nos quae nostrae erant scientiae per nostra rescripta ei significavimus, dirigentes etiam sermonem acclamatorium Mennae sanctissimi quondam Patriarchae hujus a Deo conservandae regiae urbis, porrectum ab eo hic praesenti Vigilio sanctae memoriae praedecessori Sanctitatis vestrae, habentem et diversa testimonia paterna de una operatione et una voluntate Salvatoris nostri Christi veri Dei nostri. Nihil tamen proprium penitus in hujusmodi nostris rescriptis promulgavimus, sicut suppetit nosse vos sacratissimos et unanimes, relegentes eorum quae missa sunt exemplarium. Et silentium quidem ex illo tempore hujusmodi suscepit capitulum[1]).

Sergii gesta. 18. Hisce Sergius quaestionem istam ab aliis excitatam esse simulat, quae vero ipse fecerit, et quomodo illam doctrinam ipse promoverit, omnino dissimulat. Sed maximas ejus fuisse in hac re partes tum ex aliis documentis colligitur, tum praecipue ex celebri disputatione S. Maximi cum Pyrrho successore Sergii. Cum videlicet Pyrrhus in eadem conquerens diceret: *Sophronius, qui paulo ante fuit patriarcha Hierosolymitanus, . . . tempore inopportuno sermonem de operationibus excitavit;* eidem respondit S. Maximus: *Ego ex omni parte nescio, quam excusationem vos prolaturos exspectatis, qui eum qui extra culpam est, tam graviter criminamini. Dic enim mihi per veritatem ipsam, oro, cum Sergius ad Theodorum Pharanitanum scripsit, misso etiam libello quem esse dicit Mennae, per Sergium Macaronam episcopum Arsinoës, hortans eum, ut quid sentiret de una in eo libello operatione, et una voluntate, aperiret, et rescripsit approbans eas, ubi erat Sophronius? aut cum Theodosiopoli ad Paulum monoculum et Severi sectatorem scripsit, misso etiam ad eum libello Mennae et Theodori Pharanitani cum sua approbatione? aut (ubi erat) quando ad Georgium cognomento Arsam Paulinianistam scripsit rogans, ut*

---

[1]) V. Labbé VI. col. 918.

mitteret sibi auctoritates de una ipsorum operatione, inseruitque epistolae, facere etiam se (his auctoritatibus) unionem ecclesiae cum eis? hanc autem epistolam beatus Joannes papa Alexandrinus manu ab Arsa abstulit, unde cum vellet etiam eum ob ipsam deponere, impeditus fuit ab incursu tunc a Persis in Aegyptum facto; aut quando ad Cyrum episcopum Phasidis rescripsit de una operatione et duabus ab eo rogatus, misso etiam ad eum libello Mennae quem diximus? Quid igitur? postquam Sergius multis modis morbum suum in commune proposuit, et maximam partem Ecclesiae corrupit ac vastavit, si beatus Sophronius admonuit eum cum humilitate quae ejus habitum decebat, ad vestigia ejus provolutus, Christi passionibus vivificis, quae omnem supplicationem continebant, commemoratis, et obtestans, ne vocem haereticorum probe olim a sanctis patribus superioribus exstinctam renovaret, fuitne ipse auctor hujus scandali[1])?

19. Ex his colligitur, maximas revera fuisse Sergii partes in propagatione Monotheletismi, et jam ante annum 619, ac probabiliter initio episcopatus sui, eum hac in re multum laborasse. Etenim anno 619 ille *incursus a Persis factus est* in Aegyptum, de quo S. Maximus loquitur. Sergium primum fuisse qui de una operatione scripsit, etiam Synodi oecumenicae VI Patres asserunt, dum in Actione XIII a sancta Ecclesia projici judicant nomen *Sergii, quondam praesulis hujus a Deo conservandae regiae urbis, qui aggressus est* (ἀρξαμένου, initium fecit) *de hujusmodi impio dogmate conscribere.* Omnibus perpensis colligi potest, Sergium, qui a parentibus monophysitis originem trahebat, ex Monophysitarum doctrinis illud elementum, de una operatione et voluntate selegisse, ac callida subtilitate Monotheletismi construxisse systema haereticum, quo unionem inter Catholicos et Monophysitas obtineret. Caute istam doctrinam non ut factum suum protulit, sed ut sententiam apud antiquos Patres inventam, quam aliis expendendam proponebat. Imo libellum etiam composuit, quem a Menna

---

[1]) Vide Disputationem S Maximi cum Pyrrho; Labbé, Coll Con. Tom. V. p 1783.

Vigilio oblatum esse praetendebat, in quo Patrum effata artificio quodam congesserat, ut illum errorem vindicaret. Maxime Heraclium Imperatorem, apud quem Sergius multum valebat, ea opinione imbuit, doctrinam istam merito posse admitti, eaque praeclarum contineri medium, haereticos cum Ecclesia reconciliandi. Hinc Imperator sincera, uti videtur, intentione apud varios Praesules dum bellum contra Persas gereret ista de re sermonem habuit, et unionis negotium studuit promovere Praesules autem praecipui, qui a Sergio seducti eidem doctrinae haereticae adhaeserant, recensentur praecipue Theodorus Pharanitanus in Arabia Petrea et Cyrus Phasidis episcopi.

Cyrus Patr. Alexandr.

20. Res tenuiter coepta anno 633 graves turbas excitavit. Cyrus videlicet anno 630 ab episcopatu Phasidis ad patriarchatum Alexandrinum translatus est, atque ut Eutychianos e factione Acephalorum, quorum ingens erat Alexandriae numerus, ad ineundam unionem et concordiam induceret, anno 633 Alexandriae synodum habuit. Ad unionem obtinendam doctrina illa haeretica de unica Christi operatione Cyrus usus est, eamque inseruit unionis decreto die 3 Junii inscripto. Hoc videlicet decretum novem continebat capitula, quorum septimo inter alia dicebatur: *Si quis unum Dominum nostrum Jesum Christum in duabus considerari dicens naturis . . . non confiteatur, . . . eumdem unum Christum et Filium operantem Deo decibilia et humana una deivirili operatione, . . . anathema sit*[1]). Cum haec doctrina Monophysitarum sententiae esset consentanea, illi facile ei subscripserunt, et ad unionem admissi sunt. Cyrus praefata capitula communicavit cum Sergio patriarcha CPtano, qui ea approbavit litterasque congratulatorias de iisdem ad Cyrum dedit.

S. Sophronius.

21. *Sophronius* vero, doctus monachus ac brevi post Hierosolymitanus episcopus, quum eo tempore Alexandriae versaretur, neque precibus neque lacrymis pepercerat, ut

---

[1]) Vide Labbé Collect. Conc., Tom. VI. Conc. oecum. VI Act. XIV. p. 956.

Cyrum a promulgandis illis capitulis deterreret[1]). Verum quum nihil a Cyro impetrasset, ad Sergium CPtanum, quem praecipuum machinationis auctorem ignorabat, confugiendum censuit, atque ipsum cum lacrymis obtestatus est, ut provide tantis malis occurrens vocem unius operationis a capitulis Cyri abradendam curaret [2]). Id Sergio abnuente, sunt qui putant Sophronium acquievisse, quod et Sergius affirmat in epistola ad Honorium. At falso id Sophronio tribui plura suadent. Digressus enim inde Sophronius in Palaestinam, Modesto Hierosolymitarum episcopo defuncto mox suffectus est, et de more synodum convocans synodicas epistolas misit, in quibus disertissimam fidei professionem de Christi operationibus edidit. Haec contigisse a. 634, colligitur ex litteris synodicis, ubi (prope finem) insperata Saracenorum irruptione affligi se dicit; nam irruptionem Saracenorum ad praefatum annum referendam esse docet historia[3]). Hinc deducere etiam licet, quandonam scriptae fuerint tum prior Sergii ad Honorium epistola, tum hujus ad Sergium responsio; uterque enim affirmant, synodicas Sophronii litteras se nondum recepisse. Currente videlicet anno 634 illae litterae inter Sergium et Honorium datae sunt. Misit Sophronius etiam legatos ad Honorium Romanum Pontificem, e quibus fuit Stephanus Dorensis episcopus, qui rem totam Sedi Apostolicae deferrent. Quamdiu Sophronius post missos ad Honorium legatos vixerit, certo non constat; Theophanes auctor est, eum paulo post expugnatam a Saracenis Hierosolymarum urbem (637) diem supremum obiisse. — Praeclara autem Sophronii et episcoporum Palaestinae constantia, atque legatio a Sophronio Romam missa, ratio fuisse videtur, quod Sergius ad Honorium epistolam dirigeret, qua controversiam callido modo sopiret. De hac epistola atque de Honorii ad Sergium litteris modo nobis agendum est.

---

[1]) Vide Sti Maximi epist. ad Petrum illustrem, Labbé V c. 1766. et epistolam Sergii ad Honorium. l. c.

[2]) Cfr. Maximi Disput. c. Pyrrho et Sergii ep. ad Honorium.

[3]) Cfr. Baron. Annal. ad a. 634 n. 4.

II.

De Sergii atque Honorii epistolis.

Sergii epistola.

22. Sergius in sua epistola postquam dolose enarravit, quomodo quaestio de una operatione Christi exorta sit, non minus artificiose describit, quae Cyrus fecerat ut ad unionem Monophysitas Aegypti adduceret, atque multis exaggerat bona ab eo obtenta, ut Honorium eo quo tendebat perduceret. „Post multas disputationes, scribit, et labores, quos cum nimia prudentia et saluberrima dispensatione in hac causa impendit, hoc quod festinabat per supernam gratiam ordinavit. Facta sunt inter utrasque partes dogmatica quaedam capitula, in quibus omnes, (qui antea quidem in diversas portiones divisi fuerant, proavosque sibi Dioscorum atque Severum sceleratos haereticos inscribebant,) coadunati sunt cum sanctissima ac sola Ecclesia catholica, et unus grex Christi veri Dei nostri, omnis Deo amabilis Alexandriae populus factus est et pene universus Aegyptus, Thebais et Libya, et caeterae Aegyptiacae dispositionis regiones, quas olim considerabant, ut diximus, in innumerabilem haereseon multitudinem discissas; nunc autem beneplacito Dei et studio praedicti sanctissimi Alexandrinorum Antistitis unum labium facti sunt omnes, una vox, et in unitate spiritus recta Ecclesiae dogmata confitentur. Ex his autem quae dicta sunt atque stabilita, unum existit capitulum de una operatione Christi magni Dei et Salvatoris nostri."

23. Agit dein de Sophronii oppositione, ita quidem ut indirecte doctrinam de una operatione Christi commendet, scribens: „His ita provenientibus Sophronius venerabilis monachus, qui (ut nunc ex auditu didicimus) Hierosolymorum praesul est ordinatus, (necdum enim hactenus ejus ex more Synodica suscepimus), apud Alexandriam tunc temporis positus, cum praefato sanctissimo Papa, quando, sicut diximus, admirabilem illam circa eos, qui dudum haeretici fuerant, Dei beneplacito, unitatem componebat, atque cum eo de eisdem capitulis pertractabat, adversatus

est, et contradixit ad unius operationis capitulum, duas omnino operationes Christi Dei nostri dignum inquiens censeri; praenominato autem sanctissimo papa praesertim testimonia ei quorumdam sanctorum Patrum nostrorum proferente, dispersim in quibusdam opusculis suis unam operationem asserentium; ad haec quoque et ex abundanti inquienti, quod multoties sancti Patres nostri, ut lucrarentur plurimarum animarum salutem, dum talia emergerent capitula, Deo gratis dispensationibus ac placitis usi fuisse videntur, nihil de subtilitate rectorum Ecclesiae dogmatum exagitantes; et dicente, quod oporteat utique etiam in praesenti, dum tantorum millium populorum salus prae manibus ponitur, nihil de hoc per contentionem altercari; idcirco quod, sicut dictum est, etiam a quibusdam sacris Patribus vox hujusmodi dicta est, nihilque de hoc laedatur rectae fidei ratio; memoratus Deo amabilis Sophronius talem dispensationem nullatenus accepto tulit. Quia igitur pro hoc cum litteris ejusdem sanctissimi comministri ad nos conjunxit, de hoc quoque etiam apud nos sermonem movendo insistens, ut de talibus adimeretur capitulis post factam unitionem vox unius operationis, durum nos hoc arbitrati sumus. Quomodo enim non esset durum et valde onerosum, quando hoc resolvere evertereque erat futurum quidem omnem illam concordiam atque unitatem, quae bene fuerat effecta, tam apud Alexandrinam magnam civitatem, quamque per universas sub ea provincias, quae nullo tempore usque nunc acquieverant, nomen saltem simplex divini atque laudabilis patris nostri Leonis, aut sancti et magni atque universalis Chalcedonensis Concilii mentionem facere, nunc vero praeclara et magna voce in divinis missarum arcanis hoc praedicantes?"

24. „Multis igitur a nobis de hoc motis sermonibus ad praenominatum venerabilem Sophronium, postremo adhortati eum sumus, testimonia nobis proferre sanctorum ac probabilium Patrum, illorum vidilicet quos omnes communiter Doctores confitemur, et quorum dogmata legem sanctae Dei cognoscunt Ecclesiae, duas nominatim et ipsis verbis operationes in Christo dicendas tradentia; ille autem

hoc facere penitus non valuit." — Vides, Sergium eo tendere, ut illas quaestiones tanquam subtiliores repraesentet et insinuet, Patres *nominatim et ipsis verbis* (ῥητῶς καὶ αὐταῖς λέξεσιν) duas operationes non dicere; de una autem operatione potius occurrere quaedam effata. Hinc non esse dimicandum de usu verborum, quum iste non sit definitus, et superfluam controversiam de modo loquendi evitandam.

25. Id maxime prosequitur dum pergit: „Nos vero considerantes, incipientem ex hoc inter quosdam hic contentionem exardescere, et scientes quod semper ex hujusmodi decertationibus haereseon dissensiones effectae sunt, necessarium judicavimus, omne studium ponere ad sedandum, atque amputandum talem superfluum verborum conflictum, et ad saepe dictum sanctissimum Alexandriae patriarcham scripsimus, ut postquam unitatem cum his, qui pridem separabantur, Deo auxiliante composuit, de caetero nullum permitteret unam aut duas proferre operationes in Christo Deo nostro; magis autem, (sicut sancta et universalia tradiderunt Concilia), unum eumdemque Filium Unigenitum Dominum Nostrum Jesum Christum verum Deum operatum confiteri tam divina quamque humana, et omnem Deo decibilem et homine dignam operationem ex uno eodemque incarnato Deo Verbo procedere, et ad unum eumdemque redigi; eo quod unius quidem operationis vox, quamquam a quibusdam sanctis dicta est Patribus, tamen peregrina videatur, et perturbare aures quorumdam suspicantium, ad peremptionem hanc proferri inconfuse, atque secundum subsistentiam unitarum in Christo Deo nostro duarum naturarum; quod non est unquam, nec fiat. Similiter autem et duarum operationum dictio multos scandalizet, utpote a nullo sanctorum et probabilium Ecclesiae institutorum edita." — Commendat his excogitatam a se silentii oeconomiam, ita tamen ut satis ostendat, se suffragari uni operationi. Hanc vocem tantum evitari vult ut peregrinam, ex qua aliqui suspicionem concipere possint; duarum autem operationum commemorationem rejicit ut a Patribus alienam.

26. Imo mox disertius duas operationes Christi impugnat ex ratione theologica, et apertius unam operationem adstruit. Hic vero etiam de una vel duplici voluntate Christi sermonem movet, et ambiguis dein verbis Monotheletismi errorem adstruit. Scribit videlicet: „Insuper et consequens ei sit praedicare duas voluntates contrarietates circa invicem habentes, tanquam Deo quidem Verbo salutarem volente adimpleri passionem, humanitate vero ejus obsistente ejus voluntati et resistente, et perinde duo contraria volentes introducantur; quod impium est. Impossibile quippe est, in uno eodemque subjacenti duas simul et erga hoc ipsum contrarias subsistere voluntates. Nam salutaris Deum gerentium Patrum doctrina manifeste instruit, quod numquam intellectualiter animata Domini caro separatim, et ex appetitu proprio contrario nutui uniti sibi secundum subsistentiam Dei Verbi naturalem motum suum effecit; sed quando, et qualem, et quantam ipse Deus Verbum volebat; et ut plenius dicatur: quemadmodum corpus nostrum regitur, et ornatur, et disponitur ab intellectuali et rationali anima nostra, ita et in Domino nostro tota humana ejus conspersio ab ipsius Verbi deitate semper in omnibus mota, deimobilis erat, secundum Nyssenum Gregorium dicentem contra Eunomium ita: Secundum quod Deus Filius impassibilis utique est, et immortalis. Si qua autem passio de eo in Evangelio dicitur, per humanitatem profecto, quae suscipiebat passionem, hujusmodi operatus est. Operatur quippe vere deitas per corpus, quod circa ipsam est, omnium salutem, ut sit carnis quidem passio, Dei autem operatio.“ — Ea quae habet de voluntate humana *contraria* constituunt argumentum praecipuum Monotheletarum, qui confusione facta veluti exploratum supponebant, admissa voluntate humana in Christo, voluntatem *carnis* admitti oppositam voluntati divinae.

27. Commendat dein Sergius denuo adhibitam ab ipso oeconomiam. Se necessarium judicasse ait, quum videret *contentionem incipientem accendi*, ut adhibeantur *attritae sanctorum Patrum voces*, ea vero quae raro ab iis dicta sint vocabula (una operatio), vel quae nullatenus dicta sint,

nunc autem a quibusdam adhibeantur (duae operationes), non amplius proferantur. Huic oeconomiae etiam Sophronium tandem acquievisse significat. — Narrat porro, Imperatorem Edessae versantem ab ipso petiisse, ut *paterna illa testimonia defloraremus, quae continentur in libro dogmatico, facto a sanctae memoriae Menna ad sanctissimum Vigilium de una operatione et una voluntate, et haec a Deo instructae ejus Serenitati dirigere deberemus, quod et ad effectum perduximus.* Se vero simul, refert, per scripta ad sacellarium Imperatoris directa exposuisse *hujus capituli omnem subtilitatem, horumque quae a nobis de hoc actitata sunt, et quod non oporteat de hujusmodi inquisitione perscrutari, sed permanere in aperta Patrum doctrina, quam omnes consonanter confitentur de hujusmodi quaestione, et confiteri unigenitum Filium Dei, qui veraciter Deus simul et homo est, eumdem operari divina et humana, et ex uno eodemque incarnato Deo Verbo, sicut jam sumus effati, inseparabiliter atque indivise omnem divinam atque humanam operationem procedere. Hoc namque nos Leo Dei portitor instruit, manifeste perhibens: Agit enim utraque forma cum alterius communicatione quod proprium habet.*

28. Imperatorem, pergit Sergius, ad haec convenienter respondisse, sibi vero necessarium visum esse haec omnia Honorio communicare. — „His igitur omnibus, inquit, principio ita provenientibus, rationabile simul et necessarium judicavimus, de his quae partim memorata sunt, cognitionem dare vestrae fraternae atque unanimae Beatitudini per exemplaria quae a nobis directa sunt; et adhortamur vos sacratissimi haec omnia legere, et Deo placitam et plenissimam caritatem quae in vobis est nunc quoque sequentes, si quid amplius minusve inveneritis, (al. si quid forte imperfecte est dictum), hoc per datam vobis a Deo gratiam adimplere, atque per sanctas syllabas vestras, una cum vestra optabili sospitate, quaeque super his Vobis fuerint placita significare“[1]). — Hanc Sergii ad Honorium epistolam si attente consideramus, facile patet, Sergium deside-

---

[1]) Labbé, VI. 917.

rasse, ut silentii praetextu a Pontifice indirectam saltem monotheleticae pravitatis confirmationem impetraret. Quamvis enim silentii oeconomiam commendet, tamen argumenta congerit ad defendendum errorem de una Christi operatione, et contrariam sententiam a Patrum traditione excludi perhibet. Nihil insuper praetermittit, advocatis opportune in auxilium etiam circumstantiis extrinsecis, ut probet, ab ecclesiastica prudentia alienum esse, doctrinam illam de una Christi operatione e professione fidei sancita eliminare, a cujus exclusione immensa animarum pernicies oriatur oporteat. Demum talem silentii oeconomiam exquirit, quae omnino ab iis qui doctrinam illam profitebantur ratione sancitae fidei professionis exspectari non poterat. — Joannes Baptista Bartholus episcopus Feltriensis in sua Apologia pro Honorio I R. P. (cap. XII.) omnino contendit, hanc epistolam Sergii ad Honorium a Monotheletis ante sextam Synodum vitiatam fuisse, ut Honorii recripto ab iisdem pariter corrupto responderet. De hac quaestione paucis agemus inferius; modo vero convenit eam, qua Honorius Sergio respondit epistolam, exhibere. Praecipuum enim controversiae documentum eadem constituitur.

Epistolam Honorii primam ad Sergium a. 334 (vel ad finem vergente a. 333) scriptam esse, jam superius diximus. Juxta recitationem in Concilio oecumenico VI factam ita se habet:

29. „Scripta fraternitatis vestrae suscepimus, per quae contentiones quasdam, et novas vocum quaestiones cognovimus introductas per Sophronium quemdam tunc monachum, nunc vero ex auditu episcopum Hierosolymitanae urbis constitutum, adversus fratrem nostrum Cyrum Alexandriae antistitem, unam operationem Domini Jesu Christi conversis ex haeresi praedicantem. Qui denique ad vestram fraternitatem Sophronius veniens, quaerelamque hujusmodi deponens, multiformiter eruditus, petiit de his, quae a vobis fuerat instructus paginalibus sibi syllabis reserari; quarum litterarum ad eumdem Sophronium directarum suscipientes exemplar, et intuentes satis provide circumspecteque fraternitatem vestram scripsisse, laudamus novi- Honorii epistola prima.

tatem vocabuli auferentem, quod posset scandalum simplicibus generare."

30. „Nos enim in quo percepimus oportet ambulare. Enim vero, duce Deo, perveniemus usque ad mensuram rectae fidei, quam Apostoli veritatis Scripturarum sanctarum funiculo extenderunt, confitentes, Dominum Jesum Christum mediatorem Dei et hominum operatum divina media humanitate Verbo Dei naturaliter (graece: *καθ' ὑπόστασιν*) unita; eumdemque operatum humana ineffabiliter atque singulariter assumpta carne, discrete, inconfuse, atque inconvertibiliter plena divinitate (ex textu graeco: *indiscrete, inconfuse, inconvertibiliter et plene a divinitate*); et qui coruscavit in carne plena divinis miraculis, ipse est et carneus effectus plene Deus et homo (graece: *in carne miraculis perfecta divinitate, ipse est qui et carnis affectus opprobriis operatus est, perfectus Deus et homo unus mediator*); passiones et opprobria patitur unus mediator Dei et hominum in utrisque naturis, Verbum caro factum, et habitavit in nobis, ipse filius hominis de coelo descendens, unus atque idem, sicut scriptum est, crucifixus Dominus majestatis, dum constet, divinitatem nullas posse perpeti humanas passiones; non de coelo, sed de sancta est assumpta caro Dei genitrice; nam per se veritas in Evangelio ita inquit: *Nullus ascendit in coelum, nisi qui de coelo descendit, filius hominis, qui est in coelo* (Joan. III. 13); profecto nos instruens, quod divinitati unita est caro passibilis ineffabiliter atque singulariter, ut discrete atque inconfuse, sic indivise videretur conjungi. Ut nimirum stupenda mente mirabiliter manentibus utrarumque naturarum differentiis cognoscatur uniri. Cui Apostolus concinens ad Corinthios ait: *Sapientiam loquimur inter perfectos, sapientiam vero non hujus saeculi, neque principum hujus saeculi, qui destruuntur; sed loquimur Dei sapientiam in mysterio absconditam, quam praedestinavit Deus ante saecula in gloriam nostram, quam nemo principum hujus saeculi cognovit. Si enim cognovissent, nunquam Dominum majestatis crucifixissent* (1 Cor. II. 8). Dum profecto divinitas nec crucifigi potuit, nec passiones humanas experiri vel perpeti;

sed propter ineffabilem conjunctionem humanae divinaeque naturae, idcirco et ubique Deus dicitur pati (ex graeco textu: *utrobique et Deus*), et humanitas ex coelo cum divinitate descendisse."

31. „Unde et unam voluntatem fatemur Domini nostri Jesu Christi, quia profecto a divinitate assumpta est nostra natura, non culpa (ex textu graeco: *non culpa in illa profecto quae*); illa profecto, quae ante peccatum creata est, non quae post praevaricationem vitiata. Christus enim Dominus in similitudine carnis peccati veniens, peccatum mundi abstulit, et de plenitudine ejus omnes accepimus; et formam servi suscipiens, habitu inventus est ut homo, quia sine peccato conceptus de Spiritu Sancto, etiam absque peccato est partus de sancta et immaculata Virgine Dei genitrice, nullum experiens contagium vitiatae naturae. Carnis enim vocabulum, duobus modis sacris eloquiis boni malique cognovimus nominari, sicut scriptum est: *Non permanebit spiritus meus in hominibus istis, quia caro sunt* (Gen. VI. 3). Et Apostolus: *Caro et sanguis regnum Dei non possidebunt* (1 Cor. XV. 50). Et rursum: *Mente servio legi Dei, carne autem legi peccati.* Et: *Video aliam legem in membris meis, repugnantem legi mentis meae, et captivum me trahentem in legem peccati, quae est in membris meis* (Rom. VII. 23). Et alia multa hujusmodi in malo absolute solent intelligi, vel vocari. In bono autem ita, Isaia Propheta dicente: *Veniet omnis caro in Hierusalem, et adorabunt in conspectu meo* (Isai LXVI. 23). Et Job: *In carne mea videbo Deum* (Job. XIX. 26). Et alias: *Videbit omnis caro salutare Dei* (Luc. III. 6). Et alia diversa."

32. „Non est itaque assumpta, sicut praefati sumus, a Salvatore vitiata natura, quae repugnaret legi mentis ejus; sed venit quaerere et salvare quod perierat, id est, vitiatum humani generis naturam. Nam lex alia in membris, aut voluntas diversa non fuit, vel contraria Salvatori, quia super legem natus est humanae conditionis. Et si quidem scriptum est: *Non veni facere voluntatem meam, sed ejus, qui misit me, Patris* (Joan. VI. 38). Et: *non quod ego volo, sed quod tu vis Pater* (Marc. XIV. 36), et alia

hujusmodi, non sunt haec diversae voluntatis, sed dispensationis humanitatis assumptae. Ista enim propter nos dicta sunt, quibus dedit exemplum, ut sequamur vestigia ejus; pius magister discipulos imbuens, ut non suam unusquisque nostrum, sed potius Domini in omnibus praeferat voluntatem."

33. „Via igitur regia incedentes, et dextrorsum, vel sinistrorsum venatorum laqueos circumpositos evitantes, ne ad lapidem pedem nostrum offendamus, Idumaeis, id est terrenis atque haereticis propria relinquentes, nec vestigio quidem pedis sensus nostri terram, id est, pravam eorum doctrinam omnimodo atterentes, ut ad id, quo tendimus, hoc est, ad fines patrios pervenire possimus, ducum nostrorum semita gradientes; etsi forte quidam balbutientes, ut ita dicam, nisi sunt proferentes exponere, formantes se in specimen nutritorum (doctorum scilicet) ut possent mentes imbuere auditorum; non oportet haec ad dogmata ecclesiastica retorquere, quae neque synodales apices super hoc examinantes, neque auctoritates canonicae visae sunt explanasse, ut unam vel duas energias aliquis praesumat Christi Dei praedicare, quas neque evangelicae vel apostolicae litterae, neque synodalis examinatio super his habita, visae sunt terminasse; nisi fortassis, sicut praefati sumus, quidam aliqua balbutiendo docuerunt, condescendentes ad informandas mentes atque intelligentias parvulorum, quae ad ecclesiastica dogmata trahi non debent, quae unusquisque in sensu suo abundans, videtur secundum propriam sententiam explicare."

34. „Nam quia Dominus Jesus Christus, Filius ac Verbum Dei, per quem facta sunt omnia, ipse sit unus operator divinitatis atque humanitatis, plenae sunt sacrae litterae luculentius demonstrantes[1]). Utrum autem propter opera divinitatis et humanitatis, una an geminae operationes debeant derivatae dici vel intelligi, ad nos ista pertinere non debent, relinquentes ea grammaticis, qui solent

---

[1]) Ex textu graeco: *Unus et idem operans divina et humana plene, sacrae litterae luculenter demonstrant.*

parvulis exquisita derivando nomina venditare. Nos enim non secundum unam operationem vel duas Dominum Jesum Christum, ejusque Sanctum Spiritum sacris litteris percepimus, sed multiformiter cognovimus operatum. Scriptum est enim: *Si quis spiritum Christi non habet, hic ejus non est* (Rom. VIII. 9). Et alibi: *Nemo potest dicere Dominus Jesus, nisi in Spiritu Sancto. Divisiones vero gratiarum sunt, idem autem Spiritus, et divisiones ministrationum sunt, idem autem Dominus, et divisiones operationum sunt, idem vero Deus, qui operatur omnia in omnibus* (1 Cor. XII. 3 et sqq.). Si enim divisiones sunt multae, et has omnes Deus in membris omnibus pleni corporis operatur, quanto magis capiti nostro Christo Domino haec possunt plenissime coaptari? Ut caput et corpus unum sit perfectum, ut profecto occurrat, sicut scriptum est, in virum perfectum, in mensuram aetatis plenitudinis Christi. Si enim in aliis, id est, in membris suis, spiritus Christi multiformiter operatur, in quo vivunt, moventur, et sunt; quanto magis per semetipsum mediatorem Dei et hominum, plene ac perfecte, multisque modis, et ineffabilibus confiteri nos communione utriusque naturae condecet operatum?"

35. „Et nos quidem secundum sanctiones divinorum eloquiorum oportet sapere vel spirare, illa videlicet refutantes, quae quidem novae voces noscuntur sanctis Dei ecclesiis scandalum generare, ut parvuli aut duarum operationum vocabulo offensi, sectantes Nestorianos nos vesana sapere arbitrentur; aut certe si rursus unam operationem Domini Nostri Jesu Christi fatendam esse censuerimus, stultam Eutychianistarum attonitis auribus dementiam fateri putemur; praecaventes, ne quorum inania arma combusta sunt, eorum cineres redivivos ignes flammivomarum denuo renovent quaestionum, simpliciter atque veraciter confitentes Dominum Jesum Christum unum operatorem divinae atque humanae naturae, electius arbitrantes, ut vani naturarum ponderatores, otiose negotiantes, et turgidis adversus nos insonent vocibus ranarum philosophi, quam ut simplices et humilis spiritu populi christiani possint remanere jejuni. Nullus enim decipiet

per philosophiam et inanem fallaciam discipulos piscatorum, eorum doctrinam sequentes; omnia enim argumenta scopulosa disputationis callidae atque fluctivaga in eorum retia sunt collisa."

36. „Haec nobiscum fraternitas vestra praedicet, sicut nos ea vobiscum unanimiter praedicamus; hortantes vos, ut unius vel geminae novae vocis inductum operationis vocaculum aufugientes, unum nobiscum Dominum Jesum Christum Filium Dei vivi, Deum verissimum, in duabus naturis operatum divinitus atque humanitus, fide orthodoxa atque unitate catholica praedicetis. Deus te incolumem custodiat, dilectissime atque sanctissime frater"[1]).

Honorii epistola aliera.

37. Etiam alterius epistolae Sergii ad Honorium fragmenta in Concilio oecumenico VI citata fuerunt. Qua occasione eadem ab Honorio scripta sit, haud omnino constat; forte ad Sergium missa est, postquam Romam advenerunt legati Sophronii, vel postquam Honorius Sophronii litteras synodicas accepit. In ea quoque epistola oeconomiam silentii approbat atque suadet. Haec autem de illa epistola in Actis Concilii VI, Actione XIII, citata inveniuntur:

38. „Dilectissimo fratri Sergio Honorius. Scripta dilectissimi filii nostri Syricii Diaconi. . ." *Habet autem eadem epistola post pauca haec:* „Nec non et Cyro fratri nostro Alexandrinae civitatis praesuli, quatenus novae adinventionis unius, vel duarum operationum vocabulo refutato, claro Dei ecclesiarum praeconio, nebulosarum concertationum caligines offundi non debeant vel aspergi; ut profecto unius vel geminae operationis vocabulum noviter introductum ex praedicatione fidei eximatur. Nam qui haec dicunt, quid aliud nisi juxta unius vel geminae naturae Christi Dei vocabulum, ita et operationem unam vel geminam suspicantur? Super quod clara sunt divina testimonia. Unius autem operationis vel duarum esse vel fuisse mediatorem Dei et hominum Dominum Jesum Christum, sentire et promere satis ineptum est. . . . ."

---

[1]) Labbé, VI. 928.

39. *Habet autem et circa finem eadem epistola sic:* „Et quidem quantum ad instruendam notitiam ambigentium, sanctissimae fraternitati vestrae, per eam insinuandam praevidimus. Ceterum quantum ad dogma ecclesiasticum pertinet, quae tenere vel praedicare debemus propter simplicitatem hominum, et amputandas inextricabiles quaestionum ambages, sicut superius diximus, non unam vel duas operationes in mediatore Dei et hominum definire; sed *utrasque naturas in uno Christo unitate naturali copulatas cum alterius communione operantes atque operatrices confiteri debemus; et divinam quidem, quae Dei sunt, operantem; et humanam, quae carnis sunt, exequentem,* non divise, neque confuse, aut convertibiliter Dei naturam in hominem, et humanam in Deum conversam edocentes; sed naturarum differentias integras confitentes. Unus enim atque idem est humilis et sublimis, aequalis Patri et minor Patre, ipse ante tempora, natus in tempore est; per quem facta sunt saecula, factus in saeculo est, et qui legem dedit, factus sub lege est, ut eos qui sub lege erant, redimeret; ipse crucifixus, ipse chirographum, quod erat contra nos, evacuans in cruce, de potestatibus et principatibus triumphavit."

40. „Auferentes ergo, sicut diximus, scandalum novellae adinventionis, non nos oportet unam vel duas operationes definientes praedicare; sed pro una, quam quidam dicunt, operatione, oportet nos unum operatorem Christum Dominum in utrisque naturis veridice confiteri; et pro duabus operationibus, ablato geminae operationis vocabulo, *ipsas potius duas naturas, id est divinitatis et carnis assumptae, in una persona Unigeniti Dei Patris, inconfuse, indivise, atque inconvertibiliter nobiscum praedicare propria operantes.* Et hoc quidem beatissimae fraternitati vestrae insinuandum praevidimus, quatenus unius confessionis propositum unanimitati vestrae sanctitatis monstremus, ut profecto in uno Spiritu anhelantes pari fidei documento conspiremus. Scribentes etiam communibus fratribus Cyro et Sophronio Antistitibus, ne novae vocis, id est, unius vel geminae operationis vocabulo insistere vel immorari videantur; sed abrasa hujusmodi novae vocis appellatione, unum

Christum Dominum nobiscum in utrisque naturis divina vel humana praedicent operantem. Quamquam hos, quos ad nos praedictus frater et coëpiscopus noster Sophronius misit, instruximus, ne duarum operationum vocabulum deinceps praedicare innitatur; quod instantissime promiserunt praedictum virum esse facturum, si etiam Cyrus frater et coëpiscopus noster ab unius operationis vocabulo discesserit[1])."

Heraclii Ecthesis.

41. Antequam examen epistolarum Honorii instituamus, convenit paucis describere eventus praecipuos, qui ulteriorem historiam Monotheletismi spectant; ut enim illud examen accuratius peragere possimus, hos eventus nosci oportet. Sergius Honorii epistolas non publicavit, et quamdiu ipse vixit de illis epistolis nulla quaestio invenitur exorta. Honorio autem anno 638 defuncto, Sergius specie quidem conciliandae concordiae, sed reipsa ad promovendam doctrinam monotheleticam, Heraclium Imperatorem permovit ad publicandum fraudulentum edictum, quo oeconomia silentii praescribebatur quoad vocem unius vel duplicis operationis, sed diserte asserebatur una Christi voluntas. In hoc edicto seu *Ecthesi*, praemissa doctrina de SS. Trinitate, de Verbi Incarnatione, deque una Christi persona et duabus naturis distinctis, Imperator constituebat: *Nullo modo concedentes alicui ex omnibus unam vel duas dicere sive docere operationes in divina Domini incarnatione, sed magis, sicut sanctae et universales tradiderunt Synodi, unum*

---

[1]) Labbé, VI. 968. — „Haec epistola, inquit Pennachi l. c. p. 71 in nota, integra quidem recitata est in Concilio, sed in actis illae tantummodo partes relatae, quae in suspicionem veniebant, ut ex ipsis actis constat. Hinc plenum judicium de ea ferri non potest, cum aliquando quae dubia videntur, optime ex contextu explicentur. Attamen partes quae supersunt dogma catholicum verbis evidentissimis complectuntur: ex quo intelligo partes quae desunt nullam dedisse Patribus suspicionem: 1° quidem, quia, sin minus eas quoque retulissent; 2° quia cum certissimum haberi debeat de una eademque re loqui partes quae desunt. Hinc deduco, eas efformasse veluti probationes eorum, quae in actis relata sunt; continuisse insuper luculentiorem explicationem fidei contra Monotheletas. Secus invidi Orientales partes illas silentio non praeteriissent." — Haec tamen ultima probabilem conjecturam non excedunt.

eumdemque Filium unigenitum D. N. J. C. verum Deum, confiteri operari divina et humana, . . . eo quod unius quidem operationis vox, licet ab aliquibus Patribus dicta est, tamen turbat extraneas quorumdam aures. . . . Similiter et duarum operationum vocem multos scandalizare, utpote a nemine dictam sanctorum et praecipuorum Patrum: sed et sequi in eo, ut duas confiteamur voluntates contrarie ad invicem venientes, Deo quidem Verbo volente saluberrimam passionem explere, incarnationem autem in eo factam obviam euntem ipsius voluntati et oppugnantem, et exinde duo contraria volentes introduci, quod impium est, et extraneum christiani dogmatis. Si enim insanus Nestorius, licet dividens divinam Domini nostri humanitatem et introducens filios duos, voluntates istorum dicere non est ausus, e contrario autem consonantem voluntatem in eo formatis duabus personis confessus est: quomodo possibile est, orthodoxam confitentes fidem, et unum Filium D. N. Jesum Christum verum Deum glorificantes, duas et has contrarias voluntates in eo suscipere? Unde sanctos Patres in omnibus et in hoc sequentes, unam voluntatem D. N. Jesu Christi verissimi Dei confitemur. . . . Haec pietatis dogmata tradiderunt nobis, qui ab initio praesentialiter viderunt et ministri verbi facti sunt, eorumque discipuli et successores, quique sequentes a Deo inspirati Ecclesiae doctores, id est sanctae et universales Synodi quinque[1]).

42. Quamvis Heraclius hanc Ecthesim ut edictum imperiale promulgaverit, ejus tamen auctor fuit Sergius. Id jam colligi posset ex influxu quem hic Patriarcha apud Heraclium habebat, atque ex consonantia hujus Ecthesis cum epistola Sergii ad Honorium. Sed id Heraclius etiam diserte asseruit. Etenim quum Severinus et Joannes IV Honorii successores Ecthesim condemnassent, Heraclius ad Joannem IV scripsit epistolam, in qua contestatus est, se non esso auctorem Ecthesis, sed Sergium. *Ecthesis,* scribit, *non est mea; neque enim ego dictavi, vel jussi ut fieret. Sed quum hanc Sergius patriarcha composuisset ante quinque annos priusquam ab Oriente repedassem, depreca-* **Sergius auctor.**

[1]) V. Concil. Rom. sub Martino I, Secret. III; Labbé, VI. 195

tus est, quum ad hanc felicem pervenissem urbem, ut nomine meo proponeretur cum subscriptione, et suscepi deprecationem illius. Nunc vero cognoscens, quod quidam super ea altercarentur, cunctis facio manifestum, quia non est mea. Hanc feci jussionem ad beatum Joannem papam condemnantem Ecthesim in his quae scripserat tunc ad Pyrrhum[1]). Hanc epistolam Heraclius initio anni 641 scripsisse dicendus est. Etenim Honorio defuncto mense octobri 638, Sedes vacavit usque ad diem 28um Maji anni 640, quo die consecratus est *Severinus*. Is tantum per duos menses Ecclesiam gubernavit, atque ei successit die 24° Decembris

Joannes IV. R. P.

anni 640 *Joannes IV*. Qui statim Ecthesim condemnavit: eaque de re certior factus, Heraclius culpa se exuere nisus est brevi ante mortem suam. Etenim die 11 Februarii anni 641 Heraclius hydropisi exhaustus obiit.

43. Ecthesim illam Heraclii patriarchae Orientis et plerique episcopi acceptarunt. Sergius quidem brevi post ejus promulgationem mense Decembri anni 638 obiit; sed Pyrrhus ejus successor pariter errori monotheletico addictus erat, et Ecthesim a. 639 synodo habita confirmavit. Ita in Oriente haeresis illa magis magisque propagata est, at Romani Pontifices mox cum vigore magno ei restiterunt. Jam diximus, a Severino a. 640 ac dein a Joanne IV a. 641 Ecthesim condemnatam fuisse, ac propterea Heraclium antequam moreretur eidem renuntiasse. Heraclio defuncto successit Constantinus III ejus filius, quem confestim Joannes IV litteris hortatus est, ut patris sui Ecthesim aboleret. In eadem epistola veram doctrinam exponit, simulque advertit, novas doctrinas a Pyrrho variis scriptis spargi, ab eodemque asseri, Honorium quoque Pontificem fuisse ejusdem sententiae. Dein Honorii et epistolae ejus ad Sergium suscipit apologiam, de qua inferius sermo recurret. Constantinus III, quem orthodoxum fuisse Zonaras tradit[2]), post septem menses exstinctus est, uti dicunt, veneno, et Heracleonas, alter Heraclii filius regna-

[1]) Fragmentum hoc epistolae Heraclii invenitur in Collatione inter Maximum et socium ejus coram principibus. Mansi, t. XI. p. 9.

[2]) Annal. L. XV c 18.

vit. Sed post sex menses ipse depositus est, imperiumque suscepit *Constans*, filius Constantini, qui per viginti sex annos (642—668) imperavit. Vir erat pravae indolis et Monotheletismi postea propugnator; attamen Joanni IV amicis verbis respondit, se orthodoxum esse, ac mandasse, ut documentum a Pontifice reprobatum (Ecthesis) deleretur.

44. Pyrrhus patriarcha, quod necis Constantini particeps argueretur, interim e sede sua dejectus est, eique successit *Paulus* et ipse Monotheleta. Pyrrhus testatus, se vi cedere neque episcopatu abdicare, secreto aufugit Constantinopoli et in Africam se recepit. Ibi anno 645, praesentibus Imperatoris praefecto Gregorio multisque episcopis, celeberrimam habuit *Disputationem cum S. Maximo Abbate* de doctrina monotheletica, in qua etiam de Honorii epistola actum est. S. Maximus, natus anno 589, fuit secretarius Heraclii usque ad annum 630, tunc vero relicta aula Chrysopoli (Scutari) monachus factus est, et orthodoxae doctrinae exinde fuit inter Orientales praecipuus propugnator. Quum Sophronius a. 633 primum Alexandriae Monotheletismum impugnaret, Maximus ejus comes erat, uti ipse asserit sua ad Petrum epistola. Videns vero, Monotheletismum magis magisque in Oriente propagari, Romam, jam abbas factus, proficisci constituit, atque hoc iter faciens in Africam venit ibique aliquanto tempore versatus est. Instanter episcopos Afros ab errore monotheletico deterruit, et cum Pyrrho ea occasione disputationem quam diximus habuit. Pyrrhus de errore convictus catholicam doctrinam professus est, et quum Romam cum Maximo venisset, oblato fidei libello a Theodoro Papa in communionem receptus et uti episcopus habitus fuit. At Ravennam postea regressus ad vomitum rediit, et episcopatu CPtano post mortem Pauli rursus potitus (a. 655), post quinque circiter menses defunctus est. Paulus, qui Pyrrhi profugi locum occupaverat, parumper haeresim dissimulavit, quam deinceps aperte professus est. *Theodorus* autem R. Pontifex Joannis IV successor (a. 642—649), quum neque per litteras neque per legatos eum corrigere potuisset, synodo coacta ipsum condemnavit. Qui ut sibi

Pyrrhus et S. Maximus.

Typus Constantis Imp.

consuleret novam fidei professionem, quae disputationes quaslibet de una vel duplici operatione ac voluntate Christi interdicebat, composuit, atque a. 648 Imperatoris nomine promulgandam curavit. Ista professio *Typus* Constantis appellatur, eaque est differentia inter Ecthesim Heraclii et Typum Constantis, quod Ecthesis unam vel duas operationes in Christo dici vetet, unam tamen voluntatem profiteatur; Typus vero nec voluntatem nec operationem unam aut duplicem in Christo nominari patiatur[1]).

45. Hoc edictum Constantis, Ecthesim Heraclii, atque una praecipuos monotheleticae haeresis auctores, sequenti anno 649 in synodo Lateranensi damnavit *S. Martinus I* (649—655) Theodori successor. Quae tamen constantia plurimas ei peperit aerumnas. Roma abstractus et Constantinopolim deportatus, contumeliis, carcere, fame, siti confectus, demum in Chersoneso exul obiit. Constantis saevitiam etiam subiit S. Maximus abbas, qui Imperatoris jussu Constantinopolim adductus, cum illius *Typo* subscribere nollet, post plura opprobria, linguâ et dexterâ praecisis, pariter relegatus fuit in Chersonesum, ubi a. 662 animam Deo reddidit. Respirare coepit Ecclesia, postquam anno 668, interfecto Constante, imperium obtinuit Constantinus Pogonatus ejus filius, fide et moribus a patre plane diversus. Pax tamen Ecclesiae reddita non est, nisi anno 680, quum per Synodum ocumenicam sextam haeresis damnata est.

Martinus I, R. P.

III.

Judicium criticum de Honorii litteris.

46. Praecipua quaestio quae in causa de qua agimus occurrit ea est, *quid sit censendum de recitatis duabus Honorii epistolis?* Admodum variae autem sunt de iis sententiae. Quod attinet imprimis ad *genuinitatem* illarum epistolarum, quidam auctores, uti Gravina et Coster, censuerunt, eas esse supposititias; Bellarminus [2]) eas habet

[1]) V. Petav. de Incarn. L. I. c. 21.

[2]) De Rom. Pont. L. IV. c. 11.

ut dubias; Baronius (ad a. 633), Bartholi (op. cit.), aliique eas habent ut interpolatas et corruptas a Monotheletis; quam sententiam nuperrime defendit cl. vir Casparus Bottemanne[1]). Plerique tamen tenent, epistolas has esse genuinas et incorruptas, cui sententiae subscribendum esse censemus. — Circa *doctrinam* quam epistolae continent, Graeci quidem tum antiqui tum recentes eas dogmati Monotheletarum favere contendunt, ob idque damnatas esse ut haereticas in Concilio VI; quibus et Protestantes assen tiuntur. E catholicis vero varii Gallicani, uti Richerius, Dupin, de la Luzerne, eamdem sententiam propugnaverunt, quibus accesserunt nostro tempore varii auctores, qui occasione Concilii Vaticani quaestionem hanc agitarunt. Quidam scriptores dum non eousque progrediuntur, tamen talia iis epistolis contineri affirmant, quae vix, aut ne vix quidem benigna interpretatione excusari possint. Plerique tamen auctores catholici epistolas Honorii ab omni monothelетica pravitate immunes declarant et probant. — Pariter circa *auctoritatem* quam sibi hae vindicent litterae, scriptores inter se non conveniunt, dum inquirunt, utrum eaedem habendae sint ut decreta fidei ex cathedra data, an vero talis character iis non conveniat.

Quaestiones variae.

47. Ex his quaestionibus quidem ea primum tractanda esset, quae genuinitatem et integritatem illarum litterarum spectat. Sed nostro tempore auctores majoris nominis et ponderis jam admittunt epistolarum genuinitatem et integritatem, atque argumenta tum externa tum interna, quae huc spectant, opportunius interseremus iis, quae de doctrina Honorii disputabimus ac de auctoritate illarum epistolarum. Paucis igitur agemus primum de *auctoritate* quae illis epistolis competit, dein vero de Honorii *doctrina,* passim vero hisce nectemus ea, quae de genuinitate et integritate epistolarum statuenda videntur.

48. Quum quoad Honorii epistolas illud maxime quae-

---

[1]) *De Honorii Papae epistolarum corruptione.* scripsit E. J. Bottemanne Decanus in Soeterwoude, olim S. Theol. Professor in Seminario Warmondano dioec. Harlemensis Buscoduci ap. Bogaerts, 1870.

Nulla definitio ex Cathedra.

ratur, *an infallibilitas Romani Pontificis ex iisdem impugnari possit,* quoad hanc rem haec animadvertenda sunt: Honorii epistolae certo haberi non possunt ceu solemnis aliqua fidei definitio, cui tantummodo infallibilitas ab Ecclesia tribuitur. Ut enim egregie ostendit Cardinalis Orsi[1]), isti sunt characteres, quibus eo tempore insignire solebant Romani Pontifices Decretales et solemnes de aliquo fidei dogmate Constitutiones. In synodo episcoporum Italiae aut saltem vicinarum provinciarum, vel in clericorum Romanae ecclesiae conventu proposita quaestio ventilabatur. Litterae Apostolicae ad patriarchas aut primates aut metropolitanos mittebantur, ut eas caeteris episcopis intimarent. Illud etiam plerumque in more positum erat, ut ad earum subscriptionem episcopi adigerentur, aut saltem ita scriptae erant, ut assertissimam potestatem et jurisdicendi principatum prae se ferrent, atque adeo parendi necessitatem imponerent. Haec ex iis, quae de decretis Coelestini, Leonis, Hormisdae, Vigilii vidimus, satis illustrantur. — Atqui a) neque in synodo Romana haec causa de qua Honorius Sergio scripsit, agitata fuit, nec quispiam sive Orientalium sive Occidentalium Honorii epistolas habuit ut synodicas. — b) Adeo vero missae non fuerunt ad episcopos omnes, ut in Oriente quidem ignotae permanserint usque ad Honorii et Sergii obitum, in Occidente vero velut novae acciderint, quum eas Pyrrhus primum jactaret. Id satis colligitur ex iis, quae habentur in Apologia Joannis IV pro Honorio et in epistola S. Maximi ad Marinum. Joannes videlicet initio epistolae ait: *Quantum ex diversis suggestionibus quae ad nos catervatim venerunt, quinimo et ex ipso auditu didicimus, omnes occidentales partes scandalizatae turbantur, fratre nostro Pyrrho patriarcha per litteras suas huc atque illuc transmissas nova quaedam et praeter regulam fidei praedicante, et ad proprium sensum quasi sanctae memoriae Honorium Papam decessorem nostrum attrahere festinante, quod a mente catholici Patris erat penitus alie-*

---

[1]) De Rom. Pont. auctoritate in definiendis fidei controversiis, L. I. c. 1. a. 2. §. 1 in fine.

num. Igitur ut vestra benignitas causam totam rei discere possit, subtilissima veritate quae ante brevis intercapedinem temporis gesta sunt enarrabo. — Maximus vero ad Marinum, postquam orthodoxum sensum sententiarum Honorii vindicavit, scribit: *Certiorem autem mihi hunc* (sensum) *sanctissimus fecit presbyter, dominus videlicet Anastasius abbas a seniori Roma reversus, vir scilicet incomparabilis, virtuteque divina et prudentia venustatus; qui asserens, quod multum sermonem moverit ad sacratissimos magnae illius ecclesiae viros, propter epistolam quae ab eo* (Honorio) *fuerat ad Sergium scripta, percontans, cujus rei gratia vel qualiter in ea inserta fuerit una voluntas, et invenit haesitantes in hoc et rationem reddentes. Insuper et eum, qui hanc per jussionem ejus latinis dictaverit dictionibus, dominum videlicet Joannem abbatem sanctissimum symponum affirmantem, quod nullo modo mentionem in ea per numerum fecerit unius omnimodis voluntatis: licet hoc nunc sit fictum ab his qui hanc in graecam vocem interpretati sunt* etc. — Satis ex his apparet, non nisi post mortem Honorii et Sergii attentionem ad illas litteras fuisse directam, et eousque eas veluti absconditas jacuisse.

49. Hoc loco vero utile erit animadvertere, Romae, quum ibidem Anastasius abbas quaereret de sensu Honorii, et Joannes IV anno 641 scriberet litteras apologeticas pro Honorio, quantum ex variis argumentis colligitur, *probabiliter haud adfuisse apographum epistolarum Honorii ad Sergium.* Hoc jam breviter ostendamus. Apologiam istam nomine Joannis IV idem scripsit Joannes abbas, Honorii jam secretarius, qui hujus Pontificis litteras ad Sergium confecerat. Hoc patet ex verbis S. Maximi in Disputatione cum Pyrrho. Ait videlicet Maximus: *Quis fuerit fide et auctoritate dignus, epistolae hujus interpres, qui eam ex persona Honorii scripsit adhuc superstes, et qui totum Occidentem cum aliis virtutibus tum dogmatibus fidei christianae illustravit, an ii qui Constantinopoli quae ex corde erant loquebantur? — Pyrrhus: Qui hanc composuit. — Maximus: Is igitur ipse, quum ad divum Constantinum Imperatorem ex persona sancti Papae Joannis de hac epistola*

An Romae apographi.

scriberet, dixit etc. — „Porro in componenda praedicta Honorii Apologia, advertit Bottemanne, scriptor non litteras hujus Pontificis prae oculis habuisse, sed suam potius consuluisse videtur memoriam, quod nobis rationem praebet suspicandi Honorii litteras eo jam tempore in Romanae ecclesiae tabulario amplius non exstitisse. Joannes enim abbas, Joannis papae nomine hanc scribens apologiam, nonne ipsa Honorii epistolae a se itidem conscriptae verba allegare, nonne ad ea catholice explicanda suae argumentationis seriem, suum verborum contextum invocare debuisset, si hoc facere potuisset? Potuisset autem, si litterarum apographum eo tempore Romae exstitisset. At methodum secutus est in sua apologia plane diversum. Neglectis enim Honorii, quinimo si ita dicere fas est, neglectis sui ipsius verbis, neglectis argumentatione ac contextu epistolae, catholicam de Christi Domini voluntate doctrinam simpliciter exponit, eique expositioni haec verba tantum subjungit: *Secundum hunc igitur modum Honorius scripsisse dignoscitur.* — Longe aliter fecit S. Maximus, qui et ipse Honorii defensionem adversus Monotheletas suscepit“[1]). — „Patet inspicienti, S. Maximum, apographo per amicos, quos CPoli habebat ipsi transmisso, priorem Honorii epistolam (cujus sententias percurrit), in conscribendis ad Marinum litteris prae oculis habuisse. Praeterea ex ejus agendi ratione, qua in privata ad amicum epistola Honorium defendens ipsis hujus Pontificis verbis atque argumentatione utitur, jure merito conficimus, nec Joannem IV in suis ad Imperatorem litteris hunc defensionis modum neglecturum fuisse, si epistolarum Honorii exemplar apographum adhuc Romae exstitisset“[2]).

50. Illud dein satis mirum profecto est, a S. Maximo in epistola ad Marinum ex Anastasii relatione asseri, Joannem abbatem negasse, se in epistola Honorii ad Sergium vocem *unam voluntatem* per numerum adhibuisse. Attamen haec verba revera in epistola Honorii, uti nunc exstat, inveniuntur. Unde ex hisce plures

---

[1]) L. c. p. 38. [2]) L. c. p. 43.

censuerunt invicte probari, a Graecis, quod etiam Maximus ibidem asserit, illa verba, *unde et unam voluntatem fatemur*, ficta et corrupta fuisse. — Sed argumentum hoc solidum non esse tenemus. Etenim ipse Joannes abbas in Apologia Joannis IV fraudem ejusmodi non commemorat, sed supponit, unam voluntatem per numerum commemoratam fuisse, atque qua ratione haec verba adhibita sint explicat. Pariter etiam S. Maximus aliquot annis post, quando a. 645 disputationem cum Pyrrho habuit, supponit illa verba ut genuina. Unde vel dicendum est, Anastasium in narrando errasse, et non bene Joannis symponi expositionem retinuisse, vel alia probabilior explicatio suscipienda est. Videlicet quum Anastasius primum Romae loqueretur de agitatione orta ex prolatis litteris Honorii, Joannes abbas, quum apographum illarum epistolarum jam non haberet, haud recordatus est, se illa verba *unam voluntatem* in accusationem adducta diserte adhibuisse, idque inficiatus est. Sed dein quum accuratius omnia perpendere cogeretur, ut nomine Joannis IV apologeticas litteras scriberet, in memoriam sibi revocavit, qua occasione et quo sensu ea verba adhibuerit, eademque convenienti explicat modo. Atque exinde etiam Maximus jam non perstitit in sua opinione, conficta illa esse a Graecis. — Sed vides, ex his confirmari suppositionem, apographum nullum illarum epistolarum Romae adfuisse; secus enim nullo modo intelligitur, quomodo Joannes abbas illa verba adhibita esse negaverit, vel quomodo Anastasius haud accuratius rem cognoverit.

51. Sed qua ratione id accidere potuit, ut litterarum istarum apographa in tabulario ecclesiae Romanae tunc non exstarent? Forte ex negligentia quadam ipse Joannes abbas vel alii ecclesiae Romanae ministri, quum epistolas illas haud haberent ut documenta magni momenti, earum apographa in tabulario non conservarunt. — Alia tamen suppetit explicatio probabilior. Quando scilicet mortuus est Honorius, Monotheletae in suas partes etiam summum Pontificem Honorii loco electum, sed per Imperato-

rem nondum confirmatum, trahere studuerunt. Postulatum videlicet ab eo fuit antequam confirmaretur, ut subscriberet Ecthesi Heraclii. Id novimus ex epistola Cyri ad Sergium in qua scribit, sibi delatum esse exemplar Ectheseos *ad Isacium excellentissimum patricium et exarchum Italiae destinatae, quam debet profiteri communis frater noster Severinus sanctissimus Deo juvante qui ordinatur in Roma*[1]). Similia colliguntur ex epistola S. Maximi ad Thalassium[2]). Quum vero Romae id denegaretur, diu confirmatio et ordinatio S. Severini delata est, ita ut Sedes Apostolica vacaret inde a 12 Oct. anni 638 usque ad diem 28um Maii anni 640. Eo interstitio direptio facta est episcopii Lateranensis, ac pars rerum direptarum Constantinopolim missa est. Legitur apud Anastasium in Vitis Pontificum: *Hujus* (Severini) *temporibus devastatum est episcopium Lateranense a Mauritio chartulario et Isacio patricio et exarcho Italiae, cum adhuc electus esset domnus Severinus. . . Introivit Mauritius cum judicibus qui inventi sunt cum ipso in consilio, et (intrantes sub specie pacis) sigillaverunt omne vestiarium ecclesiae, seu cymbilia episcopii, quae diversi christianissimi Imperatores seu patricii et consules pro redemptione animarum suarum B. Petro Apostolo reliquerant, ut pauperibus singulis temporibus pro alimonia erogarentur, seu propter redemptionem captivorum. Et postmodum misit Mauritius epistolas suas ad Isacium patricium Ravennam de hoc quod actum est, quomodo ipse cum exercitu sigillasset omne vestiarium episcopii, et quia sine aliqua laesione omnem substantiam saepe dictam potuissent depraedari. Cumque haec verius cognovisset Isacius, venit in civitatem Romanam, et misit omnes primates ecclesiae singulos per singulas civitates in exilium, ut non fuisset qui ei resistere debuisset de clero. Et post dies aliquantos ingressus est Isacius patricius in episcopium Lateranense, et fuit ibi per dies octo, usque dum omnes substantiam illam depraedarentur. Eodem tempore direxit exinde ex ipsa substantia par-*

Direptio episcopii.

---

[1]) Concil. Latoran. sub Martino I. secret. III.

[2]) V. Labbé, t. V. p. 1754.

tem quamdam in civitatem regiam ad Heraclium Imperatorem. Postmodum ordinatus est sanctissimus Severinus, et reversus est Isacius Ravennam[1]*).*

52. „Ex hisce Anastasii verbis, scribit Bottemanne, haud injuria conjici posse videtur, in hac episcopii Lateranensis direptione clam sublatas Constantinopolimque missas fuisse tum Sergii ad Honorium, tum Honorii ad Sergium et Imperatorem litteras, idque nullo alio fine, quam ut Pontifex ordinandus Severinus, nec primates clericos in exilium missos, nec praedecessoris scripta de exorta noviter haeresi consulere valens, ab Isacio, cui hoc munus per Imperatorem demandatum fuerat, facilius adduceretur ad probandam Ecthesim. Conjecturam esse fateor, sed conjecturam non parum probabilem. Ex eo enim quod omnes primates ecclesiae prius in exilium missi sunt, satis apparet, spoliationi Lateranensi praeter praedam et aliam subfuisse causam, quae causa si ea est quam suspicor, non solum explicat, quomodo et Honorii et Sergii epistolae e Romanae ecclesiae tabulario prorsus fuerint deperditae, verum etiam declarat, quî fieri potuerit, ut Honorii adversus haeresim *acta* quae S. Maximus commemorat, quaeque impedimento fuisse videntur, quominus vivente Honorio Ectheseos fieret promulgatio, nullibi terrarum sint reperta“[2]).

53. Haec omnia illud magis illustrant atque confirmant quod superius diximus, videlicet Honorii epistolas nullatenus ea ratione confectas, promulgatas, episcopis transmissas fuisse, qua id ea aetate fieri solebat quoad solemnia Pontificum decreta seu Constitutiones quae fidem vel disciplinam spectabant. Quamvis autem Romani Pontifices possint pro auctoritate sua sapientique arbitrio etiam quoad haec documenta variis temporibus varium adhibere modum confectionis et editionis, manifestum tamen est, nos merito concludere, epistolas Honorii talia documenta haud fuisse, quia penitus iis desunt illi characteres, quibus *tunc* a Pontificibus decreta ex Cathedra data *insigniri solebant.*

---

[1]) Ap. Labbé, t. V. p. 1753. [2]) L. c. p. 33.

An epistolae privatae. — Hinc varii auctores statuunt, epistolas Honorii esse litteras privatas. Id tamen nobis non videtur esse dicendum. Certe non sunt aliqua definitio vel decretum in re fidei vel morum ex Cathedra datum; sed inde non sequitur eas esse tantum litteras privatas, quo nomine insignire solemus scripta, quae ab aliquo, quatenus persona privata est et quoad res privatas, ad familiares, amicos, aliasve personas diriguntur. Sunt illae epistolae revera aliquod documentum, quod Honorius ut supremus Pontifex omniumque ecclesiarum negotiis intentus misit patriarchae CPtano, qui ejus consilium petierat. At nullam continent definitionem doctrinalem, nullumque decretum auctoritativum de quaestione unius vel duplicis operationis, sed tantum suasionem hortatoriam de modo loquendi. Possunt videlicet esse et sunt Pontificum documenta publica, seu documenta quae ad Ecclesiae administrationem spectant, etiam responsiones ad episcopos, quibus dum circa doctrinam versantur Pontificibus propositum est monere, suadere, reprehendere, quin intendant definitivam sententiam edicere qua tota obstringatur Ecclesia; eoque ipso non est locutio ex cathedra. Hujusmodi igitur documentum censemus merito haberi duas epistolas Honorii ad Sergium.

54. Haud quidem ignoro, quaedam iis quae diximus contraria asseri a cl. Penacchi. Ipse omnino supponit, apographum epistolarum Honorii in archiviis Romanis servatum fuisse, indeque ex parte probat, litteras Honorii non esse suppositas vel corruptas. Attamen argumentis a nobis propositis suam vim esse putamus[1]). — Existimat etiam Penacchi, epistolam Honorii primam in synodo aliqua Romana confectam fuisse, eaque refert quae dixerat teste Maximo Anastasius, diu se multumque cum magnae illius ecclesiae sacratissimis viris sermonem contulisse, ejus quam

[1]) De assertione Joannis abbatis, se non fecisse mentionem unius voluntatis, scribit Penacchi. „Dum dicit: se nullo modo in ea (epistola) per numerum mentionem fecisse unius prorsus voluntatis, vult intelligere, se de divina et humana Christi voluntate unam cum Monotheletis voluntatem non fecisse.“ L. c. p 100. — Sed haec interpretatio dura videtur.

ad Sergium scripserant epistolae gratia. „Qui autem erant, inquit Penacchi, sacratissimi illi Romanae ecclesiae viri qui epistolam scripserant, nisi ii qui synodum Romanam constituebant, et quos in negotiis magni momenti R. Pontifex interrogabat, eorumque opera utebatur"[1])? Sed argumentum hoc revera infirmum est. Potuerunt certe in confectione illius epistolae plures viri ecclesiastici, qui ejusmodi negotiis praeerant, concurrere, sed synodum habitam esse non existimamus. Praecipuae partes in componenda epistola certo fuerunt Joannis abbatis, qui non solum eam latine dictasse, sed etiam eam *composuisse* dicitur a Maximo in Disputatione cum Pyrrho.

55. Modo jam de *indole atque doctrina* epistolarum Honorii disseramus. Pontifex igitur et qui Romae erant ejus consiliarii quum ignorarent ea, quae a pluribus annis per Sergium aliosque Praesules facta erant, ut nova Monotheletismi haeresis promoveretur, gravitatem et indolem negotii non satis perspexerunt; quumque tum Heraclii in Ecclesiam merita tum Sergii famam bonam suspicerent, ac bona quae ex unione Aegypti confecta dicebantur secuta perpenderent, moti sunt, ut Sergii oeconomiam ad sopiendas controversias prudentem haberent et comprobarent. Continuae lites in Oriente motae de Incarnationis mysterio Occidentalibus displicebant ut valde periculosae, satiusque habebant, ut iis quae definita erant insisteretur et quaestiones curiosae vitarentur. Sic saeculo quinto S. Petrus Chrysologus in sua ad Eutychetem responsione de isto pruritu perscrutandi mysteria, tristi conqueritur animo scribens: *Tristis legi tristes litteras tuas. . . Triginta annis humanae leges humanas adimunt quaestiones, et Christi generatio, quae divina lege scribitur inenarrabilis, post tot saecula disputatione temeraria ventilatur*[2]). Et S. Hormisdas Pontifex aegerrime tulit controversiam a Scythiae monachis excitatam de formula: *Unus e Trinitate passus est*, nec usum hujus formulae comprobare voluit, sed potius ab ea abstinendum

Gravitas rei haud perspecta.

---

[1]) L. c. cap. VII p. 113. [2]) Epist. ad Eutychetem.

statuit, tanquam nova et inutili formula, sub qua Monophysitae errores suos tegere possent. Attamen formula sensu orthodoxo accepta postea comprobata est. — Ita igitur Honorius censuit, controversiam exortam de formulis potius sopiendam esse, tanquam periculosam. Hinc in sua epistola inculcat antiquam doctrinam in Conciliis, et praecipue in Concilio Chalcedonensi stabilitam, easque locutiones adhibet, quae jam usu ecclesiastico sancitae erant; formulas vero *operationis unius* vel *operationis duplicis,* habuit ut formulas novas et inusitatas, eo vel magis, quod in Scripturis etiam *operationis multiplicis* Christi mentio fieret. Quum unio Alexandriae confecta jam esset, et admissa perhiberetur a Monophysitis Aegypti doctrina Concilii Chalcedonensis, haud accuratius examinavit, quo sensu ibidem unius operationis mentio facta esset, sed praetermittenda haec censuit, et exinde oeconomiam silentii a Sergio commendatam comprobat. Quum res Orientis et Sergii artes Romae minus notae essent, non perspexit, in controversia ista jam silentium nec obtineri posse, nec opportunum esse.

Doctrina conformis Conc. Chalced.

56. Ut accuratius singula determinemus, 1⁰ quod ad *doctrinam* attinet, imprimis Honorii expositio identica est cum fide Chalcedonensi et cum epistola S. Leonis ad Flavianum, imo etiam cum epistola synodica S. Sophronii, quam tamen quum scriberet primam epistolam Honorius nondum receperat. — Dein vero Pontifex etiam diserte statuit talia, ex quibus perspicuum est, eum a Monotheletarum sententia omnino abfuisse, et tum divinae Christi naturae, tum humanae *propriam* tribuisse operationem. Scribit e. g. in epistola prima: *Eumdemque confitentes operatum humana ineffabiliter atque singulariter assumpta carne discrete, inconfuse atque inconvertibiliter plena divinitate; et qui coruscavit in carne plena divinis miraculis ipse est et carneus effectus plene Deus et homo* (graece *τέλειος θεὸς καὶ ἄνθρωπος*). — Clarius etiam in altera epistola: *Quantum,* scribit, *ad dogma ecclesiasticum pertinet, utrasque naturas in uno Christo unitate naturali copulatas cum alterius communione operantes atque operatrices confiteri debemus;*

et divinam quidem quae Dei sunt operantem, et humanam quae carnis sunt exequentem, non divise, non confuse, aut convertibiliter Dei naturam in hominem et nec humanam in Deum conversam edocentes. Et post pauca affirmat, *duas naturas, id est divinitatis et carnis assumptae in una persona Unigeniti Dei Patris inconfuse, indivise, et inconvertibiliter propria operari.* — Quum profiteatur Honorius, Christum esse plene (perfecte) Deum et hominem, utrasque naturas esse operantes et operatrices, *duas naturas,* id est divinitatis et carnis assumptae, *inconfuse operari propria,* manifeste omnino abfuit a Monotheletarum errore.

Comparata cum epist. Sergii.

57. Haec orthodoxia epistolae Honorii etiam ex comparatione cum epistola Sergii ad Honorium elucet. Ille enim caute evitat asserere, naturas utrasque esse principium *quo* operationis, sed dum duas naturas verbotenus confitetur, ita arte subdola disponit sententias suas, ut dum primo intuitu fere orthodoxas existimaveris similesque doctrinae Honorii, si accuratius eas perpenderis, invenias palliatum errorem. Sic e. g. dicit Sergius, oportere *confiteri unigenitum Filium Dei, qui veraciter Deus simul et homo est, eumdem operari divina et humana, et ex eo uno eodemque incarnato Deo Verbo inseparabiliter atque indivise omnem divinam atque humanam operationem procedere.* Similia haec videntur iis quae Honorius habet; sed animadverte, hac in professione fidei a Sergio nedum praedicari Verbum divinum ut *principium quod* operatur in utrisque naturis, sed etiam ut *principium quo* operationes utriusque naturae eliciuntur. Siquidem duo diserte distinguit, et Unigenitum Jesum Christum operatum tam divina quam humana, quibus constituit Verbum *principium quod;* et omnem operationem tam divinam quam humanam ab eodem incarnato Deo Verbo procedere indivise et inseparabiliter et ad ipsum redigi, quibus constituit *principium quo* operationes eliciuntur. Haec enim non amplius referuntur ad operantem, sed ad operationes ipsas, quas procedere affirmat ab ipso Verbo divino. Fatetur videlicet, a Verbo has operationes originem habere et elici tanquam a *principio quo,* humana natura mere passive se habente

ad Verbi operationem. Quod apertius exprimit dicendo: *Operatur quippe vere deitas per corpus, quod circa ipsam est, ut sit carnis quidem passio, Dei autem operatio.* Dum vero affert verba S. Leonis: *Agit enim utraque forma cum alterius communione quod proprium habet,* haec verba certo mente sua ad erroneam doctrinam contorquebat.

Consilium Sergii probatur.

58. Honorius 2° quoad *modum loquendi* comprobavit consilium Sergii. Quia haud satis cognoscebat illam agitationem, qua in Oriente jam ex pluribus annis nova haeresis promovebatur, non perspexit, quanti momenti esset haec quaestio *de professione* unius vel duplicis operationis in Christo, nec Sergii fraudes agnovit; sed considerans magna illa bona, quae teste Sergio ex silentio de una duplicive operatione Christi eventura erant, hortatur et monet, ut abstineant *a vocabulis* istis unius vel duplicis operationis, et persistant in sana doctrina a Concilio Chalcedonensi proposita. Controversiam de expressione unius vel duplicis operationis habet ut quaestionem de vocabulis, inutilem ac grammaticam, rhetoricis relinquendam. Pontifex haud sicuti Sergius expressioni unius voluntatis favet; argumenta vero, quae Sergius pro hac doctrina insinuaverat, nec recipit nec singillatim expendit. Partim id ex eo provenit, quod *doctrinale quaestionis momentum,* quum indoles illius haeresis Romae nondum perspecta esset, Honorius minus tractat. In tota hac re Pontifex manifeste veluti *materialem usum* formularum et vocabulorum considerat. Unde etiam animadvertit, in Scripturis *multiplices operationes* commemorari, adeoque non satis apte de una vel duabus disputari. *Nos enim,* scribit, *non secundum unam operationem vel duas Dominum Jesum Christum ejusque S. Spiritum sacris Litteris percepimus, sed multiformiter cognovimus operatum. Scriptum est: „Divisiones vero gratiarum sunt, idem autem Spiritus; et divisiones ministrationum sunt, idem autem Dominus; et divisiones operationum sunt, idem vero Deus, qui operatur omnia in omnibus.“ Si enim divisiones operationum sunt multae, et has omnes Deus in membris omnibus pleni corporis operatur, quanto magis capiti nostro Christo Domino haec possunt plenissime coaptari.* — Quoad

haec animadverte: Honorius quum utramque naturam *operatricem* esse et *propria* operari profiteatur, eo ipso implicite ratione *principii quo* duplicem in Christo operationem esse statuit. Sed quum materiali usui verborum intentus esset, advertebat, juxta Apostolum de multiplici operatione sermonem esse posse, quatenus videlicet operationes denominari et distribui possunt ratione *termini*, vel ratione *donorum Spiritus Sancti.* Quum praeterea timeret, ne vox duarum operationum in simplicibus, qui theologorum explicationes et voces non intelligunt, novitatis suspicionem excitaret et pacem turbaret, consultius habuit, sicut unius operationis quam rejicit, ita etiam duarum operationum externam et materialem computationem et expressionem evitare, et aliis verbis uti, quibus tamen vera fidei doctrina exprimebatur.

59. Epistolarum Honorii *scopus* 3° nullatenus erat, aliquam doctrinae definitionem de una vel duplici Christi operatione exhibere, nec ulla doctrinae definitio, uti jam diximus, in iis hac de re continetur. Finis epistolarum est tantum exprimere, quid Honorius sentiat de opportunitate rationis agendi Sergii et Cyri, qui convenerant, neque unam neque duas commemorare operationes Christi. Nec quoad hanc quaestionem, quam ut quaestionem de materiali usu vocabulorum Honorius considerabat, ipse ut Caput Ecclesiae aliquod decretum praeceptivum emittit, sed tantum comprobat oeconomiam practicam illorum Patriarcharum, atque hortatur, ut quum illa vocabula lites excitent, etiam in posterum ea evitent. *Caeterum quantum ad dogma ecclesiasticum pertinet,* scribit in epistola secunda, *quae tenere vel praedicare debemus propter simplicitatem hominum et amputandas inextricabiles quaestionum ambages, sicut superius diximus, non unam vel duas operationes in mediatore Dei et hominum definire, sed utrasque naturas . . . operantes atque operatrices confiteri debemus. . . Auferentes ergo, sicut diximus, scandalum novellae inventionis, non nos oportet unam vel duas operationes definientes praedicare, . . . sed confiteri ipsas duas naturas in una persona inconfuse propria operantes.* — Verba: *Non debemus definire, . . .*

Scopus epistolarum.

definientes praedicare, hic quidem haud directe referuntur ad aliquam definitionem ex Cathedra. Clarum tamen etiam ex his est, Honorium nullam dogmatis alicujus definitionem proponere. Dicit enim, standum esse iis, quae jam statuta sunt, videlicet in una persona Christi duas esse naturas, et utramque inconfuse propria operari. Sed non debere expressionem illam externam ac novam unius vel duarum operationum obtrudi fidelibus (definire, definientes praedicare). Existimat videlicet, haud expedire, ut de operationum computatione externa *novellae inventionis* lites generentur; adeoque comprobat oeconomiam practicam a Sergio suggestam, ut ab illis vocibus omnino abstineatur. — Neque dicas igitur, ab Honorio declinatam esse formulam *praecisam et technicam* duplicis operationis, qua dogma catholicum exprimitur. Etenim haec expressio formulae technicae et ecclesiasticae indolem nondum habebat, sed postea tantum obtinuit.

Non attingitur infallibilitas.

60. Jam superius diximus, immerito in quaestione de infallibilitate Romani Pontificis Honorii litteras in medium adduci, quia aliquam definitionem ex Cathedra dare nullatenus finis est harum epistolarum. Praeterea vero animadverte 4°, infallibilitati supremae in Constitutionibus ex Cathedra datis non subesse, nisi illud, quod proponitur tanquam definitum, determinatum, et ab omnibus tenendum. Sed Honorius in epistolis illis exprimit quidem id, de quo omnes conveniebant, regulam scilicet fidei Concilii Chalcedonensis sequendam esse ab omnibus; de una autem vel duplici Christi operatione nihil definit, et quoad usum vocabulorum non decretum emittit, sed tantum hortatur Patriarchas, ut in suscepta ratione agendi, quam ut prudentem habebat, procedant. Si vero in iis quae Honorius hac occasione in evolutione rationum Sergii et considerationum suarum scribit, aliquis error inveniretur, id sane dolendum esset, sed contra infallibilitatem Romani Pontificis ne minimum quidem praeberet argumentum. At revera nullus omnino fidei error in illis Honorii epistolis invenitur.

61. Ex dictis jam patet, perperam documenta illa universim spectata afferri, ac si confirmatio aliqua Monotheletismi iisdem contineatur. Sed etiam peculiaria quaedam effata, quae ab adversariis urgentur, nihil continent, quod fidei contrarium est. — Honorius igitur in responsione ad Sergium attingens ea quae hic scripserat, oeconomia videlicet quam proponebat utendum esse, *ne affirmari videantur in Christo duae voluntates contrariae*, dicit: *Unde et unam voluntatem fatemur D. N. Jesu Christi, quia profecto a divinitate assumpta est nostra natura, non culpa, illa profecto quae ante peccatum creata est, non quae post praevaricationem vitiata; . . . sine peccato conceptus, nullum experiens contagium vitiatae naturae. . . . Non est igitur assumpta a Salvatore vitiata natura, quae repugnaret legi mentis ejus... Voluntas diversa non fuit aut contraria Salvatori, quia supra legem natus est humanae conditionis. Et siquidem scriptum est: „Non veni facere voluntatem meam, sed ejus qui misit me Patris", et: „Non quod ego volo, sed quod tu vis Pater", et alia hujusmodi, non sunt haec diversae* (contrariae) *voluntatis, sed dispensationis humanitatis assumptae. Ista enim propter nos dicta sunt, quibus dedit exemplum, ut sequamur vestigia ejus, pius magister discipulos imbuens, ut non suam unusquisque nostrum, sed potius Domini in omnibus praeferret voluntatem.* Hisce igitur asserunt adversarii contineri professionem Monotheletismi, quum Honorius unam affirmet Christi voluntatem, et testimonia quae pro voluntate humana citari solent, ad quamdam dispensationem seu oeconomiam et modum loquendi reducat. Christus enim juxta Honorium, uti illi opinantur, non revera ea sensa habuit quae illis verbis continentur, et humanae voluntatis indicium sunt, sed tantum ad nostram instructionem ita locutus est.

Quo sensu: Una voluntas.

62. Vario modo, quae de Christi una voluntate Honorius scripsit, jam antiquitus auctores qui eum defenderunt interpretati sunt. Hac vero in re censemus interpretationem authenticam et peremptoriam contineri in epistola illa apologetica, quam Joannes IV pro Honorio scripsit. Haec interpretatio tum ex eo maximam auctoritatem sibi

vindicat, quod eam Romanus Pontifex dedit, Joannes IV, Honorii secundus successor, cujus sane muneris erat explicare, si quae dubia in litteris Honorii inveniebantur; tum ex eo, quod Apologia haec Honorii confecta fuit ab ipso Joanne abbate, qui Honorii epistolam composuerat. Is igitur optimus testis est, quid Honorius (seu secretarius ipse qui ex Honorii mandato responsum fecit), significare voluerit dum istis verbis uteretur. — Scribit itaque Joannes IV: *Igitur ut vestra benignitas causam totam rei discere possit, subtilissima veritate quae ante brevis intercapedinem temporis gesta sunt enarrabo. Sergius reverendae memoriae Patriarcha praedicto sanctae recordationis Romanae urbis Pontifici* (Honorio) *significavit, quod quidam in Domino nostro Jesu Christo duas contrarias dicerent voluntates: quo praefatus Papa comperto, rescripsit ei, quia Salvator noster, sicut esset monadicus unus, ita et valde mirabiliter super omne genus hominum conceptus et natus esset. . . Natus ergo est secundus Adam, nullam habens nascendo vel cum hominibus conversando peccatum. . . Et idcirco unam voluntatem, secundum primam formationem Adae, naturalem humanitatis suae D. N. J. C. habere dignatus est: non duas contrarias, quemadmodum nunc nos habere dignoscimur, qui de peccato sumus Adae geniti. . . Duas autem dico, mentis et carnis, sicut beatus docet Apostolus. . . . Unus et solus est sine peccato mediator Dei et hominum, homo Christus Jesus, qui in mortuis liber conceptus et natus est. In dispensatione itaque sanctae carnis suae duas nunquam habuit contrarias voluntates, nec repugnavit voluntati mentis ejus voluntas carnis ipsius. Unde scientes, quod nullum in eo cum nasceretur et conversaretur esset omnino peccatum, decenter dicimus et veraciter confitemur unam voluntatem in sanctae ipsius dispensationis humanitate, et non duas contrarias, mentis et carnis, praedicamus, secundum quod quidam haeretici velut in puro homine delirare noscuntur. — Secundum igitur hunc modum jam dictus decessor noster praenominato Sergio Patriarchae percontanti scripsisse dignoscitur, quia in Salvatore nostro duae voluntates contrariae, id est in membris ipsius penitus, non consistunt, quoniam nihil vitii*

Apologia Joannis IV.

traxit ex praevaricatione primi hominis. — Paulo inferius Joannes occurrit objectioni, quare Honorius haud etiam mentionem fecerit voluntatis divinae in Christo, hisce verbis: *Sed ne quis nonnunquam minus intelligens reprehendat, quamobrem de humana tantum natura, et non etiam de divina natura docere sciatur: etenim Christus in duabus naturis in una persona unitis cognoscitur, adoratur, et colitur Deus et homo perfectus. Debet qui super hoc ambigit scire, quoniam ad hoc facta est responsio ad jam dicti Patriarchae interrogationem. Praeterea et hoc fieri solet, ut scilicet ubi est vulnus, ibi medicinale occurrat auxilium. Nam et B. Apostolus hoc saepe fecisse dignoscitur, se secundum auditorum consuetudinem praeparans, et aliquando quidem de suprema natura docens, de humana penitus tacet, aliquando vero de humana dispensatione disputans, mysterium divinitatis ejus non tangit*[1]. Hanc explicationem Joannis IV etiam S. Maximus in sua Disputatione cum Pyrrho affert atque adoptat[2].

63. Porro 2° cum ipso *contextu* haec explicatio bene convenit. Legentibus enim patet, praeter divinam supponi humanam Christi voluntatem ab Honorio, eumque — **Contextus.**

---

[1]) Coll. Conc. Labbé Tom. V. p. 1758. — Satis mirum videtur, quod in hac epistola asseritur, Sergium Honorio significasse, quod quidam in Redemptore nostro D. J. C. duas contrarias dicerent voluntates, et *percontanti* Sergio Honorium modo exposito respondisse. In epistola Sergii hac ratione quaestio de duabus contrariis voluntatibus non proponitur. Hinc varii auctores validum argumentum depromi censent, interpolatas esse Sergii et Honorii epistolas; hujus tamen opinionis fundamentum satis solidum non invenimus. Sed ex hisce conjectura firmatur, tempore Joannis IV jam apographum epistolarum Sergii et Honorii in tabulario Romanae ecclesiae non adfuisse, et Joannem abbatem propterea ex memoria aliisve quibusdam adjumentis de epistolis Sergii et Honorii disserentem minus accurate singula referre.

[2]) Quantum ex internis argumentis conjici potest, S. Maximus habuit quidem apographum litterarum Honorii ad Sergium, sed nec quando scripsit epistolam ad Marinum, nec quando disputationem cum Pyrrho egit, apographum epistolae Sergii habuisse videtur. Inde enim explicandum censeo, quod minus accurate de iis quae in hac epistola continentur, loquatur.

totum in eo esse, ut ostendat, in Christo non esse contrariam voluntatem carnis. De hac locutus fuerat Sergius, et secundum sensum quem ex ejus epistola perceperat eam removet Honorius, adeoque Christi humanitati unam voluntatem esse convenit. Argumentatio Honorii id ostendit. Quia, inquit, a divinitate assumpta est nostra natura, non culpa, fatemur unam Christi voluntatem, scilicet eam quae inest naturae humanae ante lapsum (recta et bona), non vero voluntatem carnis quae est a culpa. — Haec autem voluntas humanitatis omnino conformis est cum voluntate Patris, et sic *indirecte* etiam indicatur unitas moralis voluntatis humanae et divinae in Christo. Sunt qui existimant, *directe* ab Honorio designari voluntatem *moraliter* unam (concordem) divinitatis et humanitatis verbis illis, quae in quaestionem vocantur. Huic tamen opinioni non assentimur, quia sine gravi ratione nimis illi recedunt ab explicatione quam coaevi dederunt, Joannes IV, Maximus, et Joannes abbas, quo nemo melius indicare potuit, quid expressio illa significet, quum ipse composuerit Honorii epistolam ad Sergium[1]).

64. Considerandum vero est 3, eo facilius fieri potuisse, ut Honorius directe tantum de humanitate Christi loqueretur, quod quum Christi voluntatem dicimus, saepe de voluntate ipsius humana cogitamus. Divina enim ejus voluntas ei cum Patre et Spiritu sancto eadem est; humana vero soli Christo propria est, sicuti nobis humana nostra; et dum Christum (Verbum incarnatum) dicimus, hac voce veluti inducimur, ut ad ea mentem advertamus, quae ipsi ob naturam assumptam sunt propria.

Objectio. 65. Adversarii quidem urgent particulam illativam: *unde* et unam fatemur voluntatem, et contendunt, Hono-

---

[1]) Si cui forte videretur, cum contextu logice magis convenire illam explicationem, qua de unitate morali seu concordia voluntatis divinae et humanae verba *una voluntas* directe intelliguntur, advertendum est, non semper strictam illam logicum nexum a loquentibus vel scribentibus observari. Quapropter in expositione illorum verborum non unice ad contextum, sed maxime ad explicationem auctoris aliorumque coaevorum attendendum est.

rium hac ratione ex unitate personae, de qua superius in epistola sua locutus erat, inferre unitatem numericam voluntatis in Christo; (Unus volens, ergo una voluntas). Sed sine fundamento hoc asseritur. Imprimis ipsi particulae *unde* per se non necessario vis strictae illationis tribuenda est, sed generalem quamdam connexionem cum praecedentibus eadem frequenter exprimit. Dein vero quod Honorius statuit, non duas contrarias, sed unam esse in Christo humanitatis voluntatem, recte ex praecedentibus infertur. Videlicet Christus est persona divina, a qua mira unitione assumpta est humana natura. In hac igitur *unione naturae humanae cum divinitate* ultima ratio est, cur non sit assumpta culpa, sed natura, adeoque non duae sint voluntates, carnis et spiritus, sed una humanitatis voluntas plane conformis voluntati divinae. Atque hoc eo magis menti Honorii obversabatur, quod immediate ante adverterat: *Propter ineffabilem conjunctionem humanae divinaeque naturae, idcirco . . . dicitur et humanitas e coelo cum divinitate descendisse.* — Omnino eodem modo loquitur S. Augustinus, dum explicat, quomodo Christus non fecerit voluntatem propriam. *Ut autem*, inquit, *mediator Dei et hominum, homo Jesus Christus, non faceret propriam quae Deo adversa est voluntatem, non erat tantum homo, sed Deus et homo; per quam mirabilem singularemque gratiam humana in illo sine peccato ullo posset esse natura. Propter hoc ergo ait: „Descendi de coelo, non ut faciam voluntatem meam, sed voluntatem ejus qui me misit", ut ea causa esset tantae obedientiae, quae omnino sine peccato esset hominis quem gerebat, quia de coelo descenderat; hoc est, non tantum homo, verum etiam Deus erat*[1]). Dein hanc Solvitur.

---

[1]) Contra sermon. Arian. n. 6. — Ibidem plerique textus qui ab Honorio afferuntur, pariter citantur. Jam alii merito animadverterunt, ab Honorio plurima ex Augustini scriptis videri deprompta; idque omnino suadetur, si Honorii expositio cum variis locis S. Augustini, praesertim cum ejus scriptis contra Arianos confertur. Praeter hunc locum vide: Contra Maximum Arianum L. II. c. 20; Enarratio in Ps. 93, nn. 28, 29; Sermo 77 in Matth. n. 6; De Oratione Dominica n. 6. Cfr. Schneemann. Studien über die Honoriusfrage, c. 3.

explicationem non solum piam, sed veram esse, ostendunt omnia quibus superius probavimus, Honorium abesse ab errore Monotheletarum et orthodoxam doctrinam profiteri.

Quid dispensatio. 66. Quod Honorius scribit, verba Christi: *Non veni facere voluntatem meam* etc., non esse voluntatis diversae (i. e. contrariae), sed *dispensationis humanitatis assumptae*, tantum abest ut faveat adversariorum placitis, ut Honorii orthodoxiam confirmet. Etenim sensum haud bene assecuti sunt, qui existimavere Honorium, dum dicit, illa verba esse *dispensationis* humanitatis assumptae, significare, ea prolata esse tantum oeconomia quadam, seu accommodatione loquendi, revera autem Christum non habuisse voluntatem humanam. Alia est illorum verborum significatio. Frequentissima enim est ista locutio apud Patres, ut nomine dispensationis, vel dispensationis humanitatis assumptae, humanam naturam libere assumptam et quae ad eam pertinent exprimant. Praecipue vero hac in re *οἰκονομίκως* seu dispensatione fit, quod quamvis vere, tamen accomodatione quadam fit et decessione de jure suo. „*Οἰκονομία*, ait Petavius, de Christi perpessione et hujusmodi caeteris dicitur, quae sola voluntate et benignitate ad hominum utilitatem et exemplum, non ex assumptae naturae proprietate, sive ut Graeci loquuntur, *ἀκολουθίᾳ* fecit aut sustinuit"[1]). Hinc ea ratione merito exprimuntur illi affectus tristitiae, angustiae, et reluctantiae contra mortem et passionem, quos Christus libere admisit in horto Olivarum et nomine *voluntatis meae* exprimit[2]). Et Honorius

---

[1]) De Incarn. L. II. c. 1. n. 3.

[2]) Praeclare ad rem S. Augustinus: „Cum rectam rationem sequantur istae affectiones, quando uti oportet adhibentur, quis eas tunc morbos seu vitiosas passiones audeat dicere? Quamobrem etiam ipse Dominus in forma servi agere vitam dignatus humanam, sed nullum habens omnino peccatum, adhibuit eas ubi adhibendas esse judicavit. Neque enim in quo verum erat hominis animus, falsus erat humanus affectus. Cum ergo ejus in Evangelio ista narrentur, . . . quod dixerit: *Gaudeo propter vos, ut credatis*, . . . quod propinquante passione tristis fuerit anima ejus, non falso utique referuntur. Verum ille hos motus *certae dispensationis gratia*, ita cum voluit suscepit animo humano, ut cum voluit factus est homo." De Civit. Dei L. XIV. c. .

nihil aliud edicit, nisi illis verbis non probari voluntatem rebellem, sed exprimi, voluntaria et libera dispensatione ejusmodi affectus in Christi humanitate admissos fuisse, ut nobis exemplum praeberet[1]).

67. Ex iis quae diximus colliges, in epistolis Honorii nihil contineri erronei, sed orthodoxam doctrinam ab eo proponi, quamvis oeconomiam silentii quoad vocabulum unius vel duplicis operationis comprobet et commendet. Si vero quaeritur, quid generatim de rerum expositione illis epistolis contenta videatur, animadvertendum est, duplici sub respectu easdem posse considerari. Spectari imprimis possunt, quatenus documentum constituunt ad administrationem rerum ecclesiasticarum pertinens, quo continetur responsio ad ea, quae a Sergio in suis litteris relata erant. Jamvero Honorius et qui nomine ejus magnas partes habuit in epistolarum compositione (Joannes abbas) haud bene perspexerant indolem doctrinae monotheleticae, in Occidente nondum notae, quae a Sergio subdole promovebatur; nec ejus artes atque intentiones penetraverant. Inde factum est, ut in epistola Honorii non ea praecise evolvantur, nec accurate exponantur ea puncta doctrinae catholicae, quorum expositio valde proficua fuisset, ut illico Monotheletismus penitus reprimeretur. Sed potius universim Incarnationis doctrinam, conformiter ad Concilii Chalcedonensis definitiones, Honorius inculcat, quaedam tangit et exponit quae minoris momenti erant, eaque ratione ut appareat, indolem controversiae et erroris non plene perspectam ei fuisse. Demum minus feliciter etiam acquiescit desiderio Sergii, quantum ad oeconomiam silentii. Sub hoc respectu igitur minus perfectas nec omni numero absolutas esse censemus Honorii episto- **Epistolarum indoles.**

---

[1]) Ita pariter S. Augustinus: „Te praesignavit Dominus in sua infirmitate, non se; non enim timebat Dominus pati, tertia die resurrecturus. . . Ergo tristis fuit? Prorsus tristis, sed voluntate suscipiens tristitiam, quomodo voluntate suscipiens carnem: quomodo voluntate carnem veram, sic voluntate tristitiam veram. Sic ergo voluntate ostendit in se, ut si forte subrepserit tibi humana infirmitas, . . dirigatur in Deum cor tuum." In Ps. 93. n. 19.

las. — At si litterae Honorii in se considerantur, quatenus de Incarnationis mysterio in iisdem disputatur, praeclaram prae se ferunt doctrinae catholicae cognitionem, ingenium disputationis subtile, et haud mediocrem usum et eruditionem quoad SS. Patres, maxime S. Augustinum et S. Leonem. Horum enim Patrum indolem et stylum plurima redolent in illis epistolis. Atque ex S. Maximo discimus, Joannem abbatem, qui Honorii nomine epistolas illas composuit, virum fuisse in rebus theologicis bene versatum, *qui* videlicet *totum Occidentem cum aliis virtutibus, tum dogmatibus fidei christianae illustravit*[1]).

IV.

De damnatione Honorii in Concilio oecumenico sexto.

Status quaestionis.

68. Haud mediocris difficultas in discutienda causa Honorii Pontificis exsurgit ex damnatione lata per Concilium oecumenicum sextum, a quo epistolae illius ad Sergium reprobatae sunt, et ipse Pontifex anathemate perculsus est. In ejusmodi sententia dijudicanda varias in partes abiere auctores. Protestantes atque Gallicani complures Honorium jure merito ut haereticum damnatum esse contendunt, atque ex hoc facto Gallicani aliique Sedis Romanae impugnatores superioritatem Conciliorum supra Papam evincere nituntur, illudque contra inerrantiam Sedis Apostolicae urgent. Baronius, Bianchi aliique varii auctores catholici contenderunt, Acta Concilii oecumenici sexti, ubi agitur de damnatione Honorii, esse interpolata et corrupta, nomenque Honorii inter eos qui damnantur postea loco Theodori insertum. Sed haec sententia firmis haud nititur argumentis, meritoque eam nostro tempore auctores communiter rejiciunt. Penacchi in laudato suo opere statuit, revera orientales episcopos in Concilio VI epistolas Honorii ut haereticas condemnasse, sed eos dum

---

[1]) Disp. cum Pyrrho.

hoc facerent errasse in facto dogmatico, nec ejusmodi judicium ullius esse valoris. Correctum videlicet fuit a Leone II, qui non ob pravam doctrinam, sed ob negligentiam tantum in exstinguenda haeresi Honorium damnandum significavit, ac suprema auctoritate definivit. Postremo multi auctores catholici tenent, etiam episcopos in Concilio congregatos, dum damnarunt Honorium, haud eum ut haereticum cum caeteris projecisse, sed sententia damnationis ob negligentiam eum perstrinxisse, quod judicium dein a Leone II confirmatum fuerit. Quid vero ista in re statuendum censeamus, aperiemus dum ea quae ad Concilium oecumenicum sextum spectant percurrimus. Maxime vero haec eo sub respectu considerabimus et accuratius evolvemus, quatenus Romanorum Pontificum auctoritas in gestis illis conspicitur, et negotium Honorii a Synodo ista tractatum est.

69. Constanti Imperatori, uti vidimus, successerat Constantinus filius cognomento Pogonatus, orthodoxae fidei addictus, qui egit primo cum Dono summo Pontifice, deinde cum Agathone ejus successore, de oecumenico Concilio CPoli congregando, praesidentibus Apostolicis legatis[1]). Annuit Agatho, suamque adhibuit pro hac causa auctoritatem. Habita igitur Romae synodo centum et viginti quinque episcoporum, in qua tres etiam episcopi Gallicani interfuerunt Gallicanae ecclesiae sententiam referentes, legati destinati sunt ad Concilium Theodorus et Georgius presbyteri cum Joanne diacono, qui Agathonis Papae nomine Concilio praeessent. Praeterea ad Synodum oecumenicam missi sunt Joannes Portuensis, Abundantius Paternensis et Joannes Rhegiensis episcopi nomine synodi Ro- **Convocatio Concilii.**

---

[1]) S. Martino successit *S. Eugenius I*, eoque a. 657 defuncto cathedram Petri tenuit *S. Vitalianus* usque ad annum 672. Hic Pontifex haeresi Monotheletarum cum vigore restitit, optimeque meritus est de ordinandis rebus ecclesiasticis Angliae. Quum 27 Januarii a. 672 obiisset, ei suffectus est *Adeodatus*, qui obiit a. 676. In ejus locum ordinatus fuit *Domus*, qui sedit usque ad a 678. Post Donum Pontifex constitutus fuit *S. Agatho*, qui virtutibus ac meritis clarus Ecclesiam gubernavit usque ad annum 682.

manae, et cum iis Theodorus presbyter loco Theodori Ravennatis episcopi. Datae fuerunt legatis duae epistolae ad Constantinum Imperatorem ejusque fratres Augustos Heraclium et Tiberium; illarum prior nomine Agathonis papae, altera ejusdem Pontificis et Romanae synodi nomine scripta erat. In utraque epistola doctrina de duabus Christi voluntatibus et operationibus exponebatur, et e S. Scripturae Patrumque testimoniis probabatur; error vero ei oppositus confutabatur; deinde Imperator interpellabatur, ut in omnibus Orientis ecclesiis fidei stabiliendae et exstirpandis erroribus operam daret.

Agathonis epistola.

73. Illud vero maxime animadvertendum est, auctoritatem Sedis Apostolicae in rebus fidei ejusque inerrantiam apertis verbis in istis epistolis urgeri, nec doctrinam Monotheletismo oppositam proponi ut discutiendam, sed ut veritatem exploratam necessario admittendam. Ita regula credendi jam Agathonis epistola continetur. Sufficiat ex epistola prima haec citare: *Beatus Petrus spirituales oves Ecclesiae ab ipso Redemptore omnium terna commendatione pascendas suscepit; cujus annitente praesidio haec apostolica ejus ecclesia nunquam a via veritatis in qualibet erroris parte deflexa est, cujus auctoritatem utpote Apostolorum omnium principis, semper omnis catholica Christi Ecclesia et universales Synodi fideliter amplectentes, in cunctis secutae sunt, omnesque venerabiles Patres apostolicam ejus doctrinam amplexi, per quam et probatissima Ecclesiae luminaria claruerunt. . . Quae* (Romana ecclesia) *per Dei omnipotentis gratiam a tramite Apostolicae traditionis nunquam errasse probabitur, nec haereticis novitatibus depravata succubuit, sed ut ab exordio fidei christianae percepit ab auctoribus suis Apostolorum principibus illibata fine tenus permanet, secundum ipsius Domini Salvatoris pollicitationem, quam suorum discipulorum principi in sacris Evangeliis fatus est: „Petre, Petre, inquiens, ecce Satan expetivit, ut cribaret vos, sicut qui cribrat triticum, ego autem pro te rogavi, ut non deficiat fides tua. Et tu aliquando conversus, confirma fratres tuos.“ Consideret itaque vestra tranquilla clementia, quoniam Dominus et Salvator omnium, cujus fides est, qui fidem Petri non defec-*

turam promisit, confirmare eum suos fratres admonuit, quod Apostolicos Pontifices, meae exiguitatis praedecessores, confidenter fecisse semper est cognitum... Eximenda ac summis conatibus cum Dei praesidio liberanda est sancta Dei Ecclesia, christianissimi vestri Imperii mater, de talium doctorum erroribus; et evangelicam atque apostolicam orthodoxae fidei rectitudinem, quae fundata est super firmam petram hujus beati Petri Apostolorum principis ecclesiae, quae ejus gratia atque praesidio ab omni errore illibata permanet, omnis praesulum numerus ac sacerdotum, cleri, ac populorum unanimiter ad placendum Deo animamque salvandam, veritatis formulam Apostolicae traditionis nobiscum confiteatur ac praedicet[1]). . . .

73. Quod ad legatos spectat qui ab Agathone ad Concilium missi erant, Pontifex in sua epistola scribit, eos in istis temporum angustiis minus quidem versatos esse in Scripturarum scientia, nec eloquentia esse insignes, sed nosse fidem orthodoxam Romae semper servatam. Iis vero demandatum esse, ut hanc fidem proponant, nec eam violari sinant. *Secundum piissimam jussionem*, scribit, *pro obedientia quam debemus, non pro confidentia eorum scientiae* (al. superabundantis), *quos dirigimus praesentes confamulos nostros,... cum supplici cordis devotione curavimus demandare. Nam apud homines in medio gentium positos, et de labore corporis quotidianum victum cum summa haesitatione conquirentes, quomodo ad plenum poterit inveniri Scripturarum scientia, nisi quod quae regulariter a sanctis atque apostolicis praedecessoribus, et venerabilibus quinque Conciliis definita sunt, cum simplicitate cordis et sine ambiguitate a patribus traditae fidei conservamus, unum atque praecipuum bonum habere semper optantes atque studentes, ut nihil de iis quae regulariter definita sunt, minuatur, nihil mutetur vel augeatur, sed eadem et verbis et sensibus illibata custodiantur. . . Licentiam proinde eis sive auctoritatem dedimus apud tranquillissimum vestrum Imperium, dum jusserit ejus clementia, simpliciter satisfaciendi, in quantum eis dumtaxat injunctum est, ut nihil profecto praesumant augere, minuere*

Legati Romani.

---

[1]) Labbé, VI. 636 669.

vel mutare, sed traditionem hujus apostolicae Sedis, ut a praedecessoribus apostolicis pontificibus instituta est, sinceriter enarrare[1]. — Modestiae sapienti sane adscribendum est, quod Agatho eruditionem et eloquentiam suorum legatorum minus insignem esse asserit, idque bono exemplo potuit esse Orientalibus, qui nimium subtilioribus disputationibus tribuebant. Caeterum legati in Concilio quod ad fidem tuendam spectat, optime suis partibus functi sunt.

72. Verum tamen esse videtur, eo tempore propter rerum angustias reapse Romae minus floruisse disciplinas sacras. Nam etiam in altera epistola nomine Agathonis et synodi Romanae ad Imperatorem directa lamentantur Patres, minus ob calamitates multiplices jam disciplinas coli posse. — *Quia*, scribunt, *tranquillissimae fortitudinis vestrae clementia personas de episcopali numero dirigi jussit vita atque scientia omnium Scripturarum praeditas, de vitae quidem puritate, quamvis quisquam munditer vixerit, confidere tamen non praesumit; perfecta vero scientia, si ad verae pietatis scientiam redigatur, sola est veritatis cognitio, si ad eloquentiam saecularem, non aestimamus, quemquam temporibus nostris reperiri posse, qui de summitate scientiae glorietur, quando quidem in nostris regionibus diversarum gentium quotidie aestuat furor, nunc confligendo, nunc discurrendo et rapiendo. Unde tota vita nostra sollicitudinibus plena est, quos gentium manus circumdat, et de labore corporis victus est, eo quod pristina ecclesiarum sustentatio paulatim per diversas calamitates deficiendo succubuit. . . Personas autem de nostrae humilitatis ordine praevidimus dirigere ad vestrae a Deo protegendae fortitudinis vestigia, quae omnium nostrum suggestionem offerre debeant, non tamen tanquam de incertis contendere, sed ut certa atque immutabilia compendiosa definitione proferre*[2].

Concilii celebratio.

73. Concilium oecumenicum VI inchoatum est die 7 Novembris a. 680, et octodecim Actionibus seu Sessionibus absolutum die 10 Septembris a. 681. Habitum fuit Concilium CPoli in secretario imperialis palatii, cui cognomen

---

[1]) L. c. p. 634. [2]) L. c. p. 681.

erat Trullus. Numerus episcoporum qui ei interfuerunt varius fuit vario tempore; in ultima sessione subscripserunt Patses centum septuaginta quatuor. Theophanes tradit, adfuisse episcopos ducentos octoginta novem[1]). Praesederunt legati Agathonis Papae, uti ex universis Concilii actis manifestum est[2]). Causam Monotheletarum in primis gessit Macarius patriarcha Antiochenus; sed cum doctrinam de Christi una voluntate e Patrum et praecedentium Conciliorum testimoniis probare suscepisset, eorum effata aut corrupisse, aut injuste applicasse, a legatis Pontificiis convictus est. Iidem legati exhibuerunt genuinorum collectionem locorum Patrum, quibus doctrina de duabus Christi voluntatibus et operationibus probabatur. Praelectae etiam sunt litterae Agathonis Papae et synodi Romanae. Georgius CPtanus, qui antea haesitasse videtur, doctrinam de duabus Christi voluntatibus et operationibus sincere professus est, idemque praestiterunt reliqui episcopi. Macarius vero Antiochenus in errore pertinax, depositus fuit, et in locum ejus suffectus Theophanes abbas.

74. Gallicani atque inter ipsos maxime Bossuetus[3]) et Maret[4]), contra plenam auctoritatem et inerrantiam R. Pontificis iterum urgent *retractationem epistolae Agathonis*, quamvis hic dogmata, ut certa et immutabilia compendiosa definitione protulisset. Non est, ut iterum longa disquisitione hac de re agamus; expedit tamen pauca innuere. Quum in Actione quarta epistolae Agathonis et concilii Romani cum testimoniis Patrum recitatae fuissent, postularunt legati R. Pontificis, ut Georgius CPtanus et Macarius Antiochenus (de Monotheletismo suspecti), et episcopi ipsis subjecti mentem suam exhiberent. Tunc petierunt hi ab Imperatore, ut *exemplaria praedictarum suggestionum perspicerent. Recurrentes namque et conferentes te-* Retractatio epistolae Agathonis.

[1]) Chronogr. ed. Bonn. T. I. p. 551 (ap. Hefele cit.).

[2]) Imperator adfuit in medio sedens praesidentia quadam exterioris honoris Ex parte utraque sedebant Patres, et quidem Legati ex parte laeva, quae ea aetate prae dextera honorifica erat.

[3]) Def Declar. P. III. L. VII. c 24.

[4]) Du Concile, Tom. I. L. II. Ch VIII.

stimonia quae in illis sunt sanctorum et probabilium Patrum cum codicibus hujus venerabilis patriarchii, in subsequenti competens dabimus responsum. Advertendum est, ipsos collationem testimoniorum Patrum potius petiisse, quam retractationem epistolae Agathonis. Concessa fuit eis ista collatio. Hac in re vero nihil aliud continetur, quam concessio *examinis intelligentiae,* non vero examinis dubitativi cum jure dissensus quoad epistolam Agathonis. Haud dubium est, quin ipsis, si ab epistola hac dissentirent, damnatio propter haeresim instaret, uti reapse Macarius damnatus fuit. Nihil igitur ex concessione illa contra auctoritatem Constitutionum R. Pontificis potest inferri[1]). — Sed

[1]) Rem fusius exponit Muzzarelli, De auctoritate Rom. Pont. Tom. II. c. X. §. 5. Apte ad quaestionem de retractione Constitutionum RR. PP. animadvertit: „Atque ut meam sententiam libere proferam, non intelligo, quare omnimoda retractatio de Constitutionibus Pontificiis in causis si recte explicetur recusanda sit episcopis sive in Concilio sive extra Concilium, posita etiam irreformabilitate hujusmodi Constitutionum. Subsistit enim semper et ubique in episcopis auctoritas originaria judicandi de fide, et ab iis exerceri potest tum circa fidem declaratam a Conciliis oecumenicis, tum circa fidem contentam in Constitutionibus Pontificis dogmaticis, ad eam confirmandam et sua consensione roborandam. Et in hoc consistit diversitas acceptationis episcopalis ab acceptatione caeterorum fidelium, in quantum acceptatio episcopalis non est solum actus obedientialis, sed etiam verus actus judicialis circa fidem; et ideo vocatur confirmatio fidei auctoritativa et canonica, ubi e contrario acceptatio caeterorum fidelium non est nisi purus actus obedientialis absque praerogativa judicii. . . Jamvero quatenus approbatio episcopalis decretorum est actus obedientiae, hoc efficit, ut non liceat episcopis ea non approbare; sed quatenus est actus auctoritatis judicialis, hoc efficit, ut jus habeant ad confirmandam fidem per acta et probata; quamvis cum subordinatione sub judicio superioris. Omne enim judicium auctoritativum, rectum, et rationabile, innititur accuratae et perfectae cognitioni causae de qua agitur et eam praesupponit. Cognitio autem non acquiritur nisi per ejusdem causae retractationem, sive examen. Quapropter non video, cur inerrantia decretorum de fide, sive Concilii universalis, sive R. Pontificis, prohibere debeat, quominus episcopi de iisdem decretis retractationem sive examen instituant, ut confirment fidem in iis definitam. Quinimo ex hac retractatione non parum utilitatis educitur, ut obstruantur ora haereticorum, et fidelium animi erigantur, quum vident Ecclesiam non praecipiti quadam et caeca deferentia, sed meditata et matura electione Conciliorum et Pontificum decreta et fidem amplecti et subsequi."

jam veniamus ad ea quae in causa Honorii in Concilio peracta sunt.

75. In Actione XII lectae sunt epistola Sergii ad Honorium, et epistola prima qua Honorius Sergio respondit, ex codice quem Macarius Antiochenus obtulerat. Georgius vero diaconus et chartophylax jussus est ex chartophylacio patriarchii exemplaria authentica afferre, ut ex collatione constaret, an genuinae et incorruptae epistolae essent. Allatis his exemplaribus, collatio facta est. Dicitur in Actis: *Item prolatus est alius codex sive regestum relectum similiter per eumdem religiosum Antiochum* (lectorem), *habens epistolam Sergii quondam patriarchae CPtani ad Honorium quondam papam Romanum. Et collata est cum codice qui a Macario datus est piissimo principi; et constitit. Similiter prolata est a Georgio Deo amabili diacono et chartophylace epistola authentica latina Honorii quondam papae Romani ad Sergium quondam patriarcham CPoleos, una cum ejus interpretatione, et collata est eadem latina epistola per Joannem reverendissimum episcopum civitatis Portuensis, qui unus exstitit de concilio antiquae Romae; et constitit.* Animadvertendum est, legatos Romanos in Actione III, quum proferrentur in favorem Monotheletismi *epistola Mennae ad Vigilium*, et *duae epistolae Vigilii*, vehementer reclamasse contra genuinitatem horum documentorum, et inquisitione facta haec opuscula agnita fuisse ut supposita vel corrupta. Hinc non est, cur negligentiae legatos accusemus. Haud supponimus quidem, sicuti quidam auctores, eos Roma apographa primitiva epistolarum Honorii attulisse; nam, uti exposuimus, censemus potius ejusmodi apographa in archiviis Romanis non fuisse. Attamen ex examine illo instituto satis colligitur, nullum vestigium suppositionis vel corruptionis in epistolis Sergii et Honorii fuisse detectum. Hoc argumentum accedit aliis variis rationibus, ob quas cum communi sententia tenemus, genuinitatem epistolarum Sergii et Honorii admittendam esse[1]).

Honorii causa.

[1]) Fragmenta secundae epistolae Honorii ad Sergium in Actione XIII recitata sunt, nec ullum dubium de eorum genuinitate motum est.

Honorius damnatur.

76. In subsequentibus porro Concilii Actionibus Honorius ejusque scripta iteratis vicibus damnati sunt. Ita in Actione XIII: *Retractantes*, aiunt Patres, *dogmaticas epistolas, quae tam a Sergio, quondam patriarcha hujus a Deo conservandae regiae urbis, scriptae sunt tam ad Cyrum, qui tunc fuerat episcopus Phasidis, quam ad Honorium quondam papam antiquae Romae; similiter et epistolam ab illo, id est Honorio, rescriptam ad eumdem Sergium; hasque invenientes omnino alienas existere ab apostolicis dogmatibus et a definitionibus sacrorum Conciliorum et cunctorum probabilium Patrum, sequi vero falsas doctrinas haereticorum, eas omnino abjicimus et tanquam animae noxias exsecramur.* — Eadem Actione Concilii Patres, postquam dixissent, Sergium, Cyrum, Pyrrhum, Petrum, Paulum, Theodorum, Monotheletarum coryphaeos, a Dei Ecclesia ejici, addunt: *Cum his vero simul projici a sancta Dei Ecclesia catholica, simulque anathematizari praevidimus et Honorium, qui fuit papa antiquae Romae, eo quod invenimus per scripta quae facta sunt ab eo ad Sergium, quia in omnibus mentem ejus secutus est et impia dogmata confirmavit.* — Actione XVI Patres dicunt: *Theodoro haeretico anathema; Sergio haeretico anathema; Cyro haeretico anathema; Honorio haeretico anathema.* — Actione XVIII in sermone acclamatorio ad Imperatorem iidem Patres dicunt: *Superfluas autem vocum novitates et harum adinventores procul ab ecclesiasticis septis abjicimus, et anathemati merito subjicimus; id est Theodorum Pharanitanum, Sergium et Paulum, Pyrrhum simul et Petrum qui CPoleos praesulatum tenuerunt, insuper et Cyrum, . . . et cum iis Honorium qui fuit Romae praesul, qui eos in his secutus est. Theodoro Pharanitae anathema. Sergio et Honorio anathema. Pyrrho et Paulo anathema . . . Omnibus haereticis anathema. Qui praedicaverunt et praedicant, docent aut docturi sunt unam voluntatem et operationem in dispensatione D. N. J. Christi Dei nostri, anathema.* Denique in epistola ad Agathonem Papam dicunt: *Anathematibus interfecimus ex sententia per sacras vestras litteras de iis prius lata, videlicet Theodorum episcopum Pharan, Sergium, Honorium, Cyrum, Paulum, Pyrrhum et Pe-*

trum[1]). Imperator autem Constantinus Pogonatus in edicto quod post Concilium dedit, hisce loquitur verbis: *Hujusmodi contagione ecclesias contaminaverunt etiam hi, qui ante nostra tempora sacrilegi sacerdotes ecclesias perverse gubernarunt. Sunt autem hi: Theodorus qui fuit Pharan episcopus, Sergius qui fuit nostrae a Deo conservandae regiae urbis antistes, ad haec et Honorius qui fuit antiquae Romae papa, hujusmodi haereseos confirmator, qui etiam sui exstitit oppugnator* etc. Et inferius: *Anathematizamus et refutamus et eos, qui supervacuorum et novorum dogmatum haeretici auctores atque fautores sunt. Dicimus autem Theodorum, . . . et Sergium, . . . ad haec et Honorium, qui fuit antiquae Romae papa, horum haereseos in omnibus fautorem, concursorem atque confirmatorem*[2]).

Sententia expenditur. 77. Jam paucis constringamus ea, quae de hac damnatione Honorii dicenda obveniunt. — Manifestum 1° est, quum Honorius nullam ediderit definitionem ex Cathedra, sententia illa nullatenus edici, ipsum in aliqua definitione ejusmodi in errorem incidisse. Proinde quum infallibilitas Romani Pontificis intelligatur de definitionibus ejus ex Cathedra in re fidei et morum, immerito ex illa damnatione argumenta contra hanc doctrinam depromuntur.

Leo II. eam determinat. 78. Nemo 2 negare potest, decretum alicujus Concilii eatenus tantum valere, quatenus accipitur et confirmatur a Romano Pontifice, et nonnisi consequenter ad hanc approbationem esse validum Concilii oecumenici decretum. Sed Leo II R. P., qui Concilium oecumenicum VI confirmavit, sententiam quam episcopi orientales de Honorio tulerant, eo sensu tantum admisit, auctoritate sua apostolica explicavit, et accuratius determinavit (vel correxit), ut Honorius damnatione nequaquam perstringatur, eo quod ipse Monotheletarum haeresi infectus fuerit, sed quod Sergium caeterosque Monotheletas non represserit, ut auctoritatem apostolicam decebat, et quod sua imprudenti conniventia haereticorum consilia promovere visus sit. Quamvis videlicet Honorius quoad mentem suam et optimam intentionem merito excusari possit, tamen

---

[1]) Labbé, VI. p. 1072. [2]) Labbè VI. p. 1083.

ejus agendi ratio *objective* spectata, non satis provida nimisque negligens fuit. Hoc sensu tantum a Leone II illam sententiam admitti et determinari, adeoque non aliam vim damnationis decreto convenire, patet ex variis epistolis Leonis, quae hoc Concilium respiciunt. In epistola ad Constantinum Imperatorem directa, qua Synodum confirmavit, dicit: *Pariterque anathematizamus novi erroris inventores, id est, Theodorum Pharanitanum episcopum, Cyrum Alexandrinum, Sergium, . . . necnon et Honorium, qui hanc apostolicam ecclesiam non apostolicae traditionis doctrina lustravit, sed profana proditione immaculatam maculari permisit*[1]). — In epistola ad Ervigium regem Hispaniae Pontifex ait: *De catholicae Ecclesiae adunatione projecti sunt, . . . una cum eis Honorius, qui immaculatam apostolicae traditionis regulam, quam a praedecessoribus suis accepit, maculari consensit*[2]). Et in epistola ad episcopos Hispaniae scribit: *Condemnatione mulctati sunt Theodorus . . ., Cyrus . . ., Sergius . . ., cum Honorio, qui flammam haeretici dogmatis non, ut decuit apostolicam auctoritatem, incipientem exstinxit, sed negligendo confovit*[3]). Proinde non nisi sensu exposito sententia de Honorio lata vim habet atque valorem.

Quae sententia Patrum.

79. Restat quaestio, *quo sensu* Patres ipsi Concilii VI Honorium damnare voluerint. Protestantium pluriumque Gallicanorum sententia est, Honorium ab iis damnatum esse ut haereticum stricto sensu. Sed etiam inter eos qui Honorium vindicant, sunt qui existimant, episcopos orientales in Concilio VI severius de Honorio judicasse, eumque condemnasse stricte ut haereseos in dogmate reum, Leonem II vero hanc sententiam non admisisse, sed abrogasse seu potius modificasse, quatenus non haeresis, sed

---

[1]) Labbé VI. p. 1109. — In textu Latino, uti exstat, habetur quidem *immaculatam fidem subvertere conatus est*, sed in textu Graeco legitur: *ἀλλα τῇ βεβήλῳ προδοσίᾳ μιανθῆναι τὴν ἄσπιλον παρεχώρησε.* Atque haec concordant cum iis, quae Leo scribit in epistola ad Ervigium regem.

[2]) Labbé VI. p. 1250.

[3]) Labbé, VI. p. 1246.

negligentiae tantum eum damnavit[1]). Attamen cum plurimis theologis censemus, etiam illos episcopos in Concilio VI haud damnasse Honorium praecise ut haeresis proprie dictae reum. Id enim ex verbis quibus utuntur non probatur. Appellatio *haeretici* eo tempore et prioribus saeculis non semper illo sensu stricto adhibebatur, qui postea a Schola et in Jure canonico accurate definitus est; sed non raro latiori sensu sumebatur, ita ut eo nomine non solum significarentur qui falsas doctrinas pertinaciter tuebantur, sed etiam schismatici, fautores haereticorum, suspecti de haeresi, vel ii qui suo agendi modo, conniventia vel negligentia haeresim promovebant[2]). — Reliqua vero quae a Concilio de Honorio dicuntur, aptissime ita accipi possunt, ut non formalem errorem in doctrina exprimant, eo vel magis, quod pluries a reliquis qui damnantur Honorius secernatur, et significetur, eum *condescendisse* haereticis et ita eos firmasse. Dicendum esse cen-

---

[1]) Haec est sententia quam propugnavit Jos. Pennachi in eximia sua Dissertatione: *De Honorii I causa*. Animadvertit, latam ab episcopis orientalibus sententiam valorem neque ex subscriptione legatorum Apostolicae Sedis hausisse, quum hi carerent facultatibus opportunis et necessariis, ut latae damnationi subscriberent. Consequenter illam damnationem per se nullius esse valoris.

[2]) Hoc summi momenti est ad solutionem quaestionis de qua agitur. Fusius vero et ex professo assertum demonstratur propositis exemplis a Bolgeni, in opere *Fatti dommatici* T. I. c. IV. Rem ipse probat e. g. ex historia Quartodecimanorum in controversia de Paschate, et ex modo loquendi, quo Patres varii in Concilium Ariminense et episcopos qui ibi adfuerunt invehunt. In Concilio CPtano I dicitur: „Haereticos autem dicimus et qui olim ab Ecclesia abdicati sunt, et qui postea a nobis sunt anathematizati. Ad haec autem et eos, qui se sanam quidem fidem confiteri prae se ferunt, avulsi autem sunt et adversus canonicos nostros episcopos congregationem faciunt.“ — Idem confirmat ex gestis Concilii Ephesini, et Synodi Chalcedonensis, in qua vel ipse Theodoretus, quum haesitare videretur Nestorium anathematizare, ab episcopis conclamabatur haereticus. In materia fidei illud vigebat principium Felicis III, quod etiam in Jure can. (Error. Dist. 83) citatur: „Error cui non resistitur approbatur, et veritas cum minime defensatur opprimitur.“ Ac passim quicunque positiva cooperatione vel conniventia, seu ignavia et negligentia, cooperabantur errori, haeretici dicebantur. —

semus, in Concilio *ratione generali* damnationis sententiam latam fuisse in illos, quos relate ad turbas a Monotheletis excitatas reos judicarunt, et generali haereticorum nomine eos appellatos fuisse; Patres tamen non clare et accurate determinasse, quo gradu Honorius reus sit. Dein vero Leo II apostolica sua auctoritate accuratius statuit et determinavit, quo sensu Honorii damnatio rata habeatur, et ipse poena anathematis reliquis jungatur, videlicet *propter negligentiam in exstinguenda haeresi.*

Simultas Orientalium. 80. Facile tamen existimaverim, plures ex episcopis illis orientalibus in Concilio VI congregatis in damnatione Honorii aliquid humani passos esse. Ipsos sane valde pungebat, tot praesules orientales, interque eos plures patriarchas, anathemate feriri; ac veluti solatio erat, saltem unum Pontificem Romanum ipsis jungi. Simultas quaedam etiam cordatorum virorum animos facile afficit, atque jam dudum Orientales in Occidentales animum minus pronum ostenderant. Hinc forte etiam plures episcopi orientales severius aequo de epistolis Honorii judicarunt: in damnationis tamen sententia, uti diximus, gradus culpae non accurate exprimitur. — Quaeres forte, cur legati non restiterint damnationi Pontificis? Fuerunt, qui inter rationes ob quas contenderunt Acta Concilii VI corrupta esse, etiam hoc silentium legatorum Occidentis in damnatione Honorii attulerunt. Certe enim, inquiunt, legati contra ejusmodi Orientalium ausus strenue reclamassent. Sed etiamsi causam hujus silentii explicare non possemus, inde tamen inferre non liceret, Acta Concilii falsata esse, quum nullum solidum argumentum pro hac assertione possit afferri. Caeterum haud ita mirum est, legatos huic damnationi se non opposuisse. Scite ad rem Hergenröther: „Potuerunt ipsi existimare, inquit, pacis gratia se hac in re debere cedere, eo vel magis, quod discrimen constitutum esset inter Monotheletarum coryphaeos et Honorium, atque hic tantum ut fautor haereseos proponeretur. Juxta usum loquendi illius aetatis sub nomine haereticorum etiam fautores errorum intelligi poterant. Videntur illi censuisse, haud esse prudentiae, sese absolute damnationi Honorii

Legati Romani.

opponere. Poterant enim contra Pontificem urgeri eadem principia, ad quae ipsius praedecessores provocaverant contra Acacium, ut ejus excommunicationem tuerentur“[1]).

81. Pleraque quae ab adversariis afferri solent, ut litteras et damnationem Honorii contra summi Pontificis auctoritatem et infallibilitatem urgeant, nostra expositione praeoccupavimus. Commemorandum tantum restat argumentum inde petitum, quod Honorius etiam a subsequentibus Pontificibus et Conciliis oecumenicis damnatus et tanquam haereticus sit consideratus. — Ad *Pontifices* quod spectat animadvertunt, damnationem Honorii contineri in professione fidei, quam antiquis temporibus Pontifices emittere solebant; Hadrianum II disertis verbis asserere, Honorium propter haeresim accusatum, ac praevio judicio ipsius Sedis Apostolicae a Concilio oecumenico VI damnatum fuisse; in Breviario vero Romano, festo S. Leonis II, usque ad initium saeculi XVIII adfuisse lectionem ab ipsis Pontificibus admissam et recitatam, qua Honorius Papa propter haeresim damnatus perhibebatur. — Quod ad *Concilia* attinet, provocant ad Concilia oecumenica VII et VIII, in quibus damnatio a Concilio VI in Monotheletas atque in Honorium pronuntiata, confirmata fuit. Difficultates

82. Haud arduum est has objectiones dissolvere. — Commemorata fidei formula praescripta fuit a Gregorio II, qui Pontificatum gessit ab anno 715 ad annum 731. Habetur autem haec professio fidei in Libro diurno RR. Pontificum et hisce continetur illa damnatio: *Auctores vero novi haeretici dogmatis Sergium, Pyrrhum, Paulum et Petrum CPtanos* Professio fidei.

[1]) Hergenröther, K. G. B. I. p. 369. Cfr. etiam B. III. p 136. — Orientales tempore schismatis Acaciani varias adducebant rationes, cur nomen Acacii ex dyptichis eradere non conveniret. Inter alia advertebant, Acacium haud contra fidem insurrexisse, uti Eutyches, nec sensu proprio esse haereticum. Ad summum eum posse reprehendi ob communicationem initam cum Petro Mongo, sed hac in re eum excusari ob suppositam Petri emendationem et ob necessitatem. Pontifices vero inter alia in eo insistebant, quod conniventia Acacii error maxime promotus esset. Jam citavimus Felicis III principium: „Error cui non resistitur approbatur, et veritas cum minime defensatur opprimitur.“

damnamus, una cum Honorio, qui pravis eorum assertionibus fomentum impendit. — Haec verba manifeste ex litteris Leonis II desumpta sunt; unde patet, Pontifices subsequentes haud alio sensu Honorium damnasse, quam ipse Leo, videlicet quod *negligentia sua haeresi fomentum praestiterit.*

Hadrianus II. 83. Gravior sane est difficultas, quae petitur ex verbis Hadriani II. Quum scilicet Photius coacto conciliabulo ausus fuisset excommunicare Nicolaum I Romanum Pontificem, ista de re dicit Hadrianus in sua Allocutione tertia ad synodum Romanam (a. 869), quae lecta est in Concilio oecumenico VIII, Actione septima: *Intolerabilis est ista praesumptio, et hanc aures praecordiorum, fateor, sustinere non possunt. Quis unquam vestrum tale quid, precor, audivit, vel quis hujusmodi temeritatis saltem lectione immensitatem invenit? Siquidem Romanum Pontificem de omnium ecclesiarum praesulibus judicasse legimus, de eo vero quemquam judicasse non legimus. Licet enim Honorio ab Orientalibus post mortem anathema dictum sit, sciendum tamen est, quia fuerat super haeresi accusatus, propter quam solum licitum est minoribus majorum suorum motibus resistendi, vel pravos sensus libere respuendi; quamvis et ibi nec patriarcharum nec caeterorum antistitum cuipiam de eo quamlibet fas fuerit proferendi sententiam, nisi ejusdem primae sedis Pontificis praecessisset auctoritas*[1]). Animadvertendum est, hisce Hadriani verbis haud dici, Honorium stricte ut haereticum damnatum fuisse; ac certe non aliter voluit Hadrianus intelligi sententiam contra Honorium datam, nisi eo, quo ipsa *de jure*, post confirmationem Leonis II suscipienda erat. Praeterea vero Pontifex minus peritum se in historia praedecessoris sui ostendit, atque in errorem lapsus est dum asserit, in damnando Honorio judicium Sedis Apostolicae praecessisse. Honorium videlicet a nullo Pontifice ante Concilium oecumenicum VI damnatum fuisse, colligitur tum ex silentio scriptorum, tum ex positivis documentis illius temporis. Sed deceptus est Hadrianus illis verbis, quae leguntur in litteris a Con-

---

[1]) Labbé, VIII. p. 1090.

cilii Patribus missis ad Agathonem Pontificem: *Anathematibus interfecimus, ex sententia per sacras vestras litteras de iis prius lata, . . . Theodorum . . . Sergium . . . Honorium* etc. Scripserat scilicet S. Agatho ad Concilium: *Restat, ut novitatis error cum suis inventoribus, et iis qui eorum doctrinam secuti sunt, propriae praesumptionis poenam exsolvant.* — Quum igitur episcopi orientales etiam Honorium inter eos haberent qui doctrinam illam secuti sint, eum pariter recensent inter illos, de quibus jam sententia ab Agathone prius lata sit. Sed omnino immerito. Hanc enim nullatenus fuisse mentem Agathonis patet ex iis, quae de suis praedecessoribus in epistola ad Concilium scribit. *Apostolicae memoriae meae parvitatis praedecessores,* inquit Pontifex, *dominicis doctrinis instructi, ex quo novitatem haereticam in Christi immaculatam Ecclesiam CPtanae ecclesiae praesules introducere conabantur, nunquam neglexerunt eos hortari, atque obsecrando commonere, ut a pravi dogmatis haeretico errore, saltem tacendo, desisterent, ne ex hoc exordium dissidii in unitate Ecclesiae facerent, unam voluntatem unamque operationem duarum naturarum asserentes in uno Domino nostro Jesu Christo.* — Illis verbis *saltem tacendo* commendat manifeste ea, quae Honorius in negotio Monotheletismi fecerat; ac proinde multum abest, ut Honorium damnari voluerit. Sed episcopi orientales generalem sententiam Agathonis de inventoribus haeresis et iis qui illos secuti sint, Honorio in epistola ad Pontificem applicarunt. Eorum autem epistola ac verbis deceptus est Hadrianus, ut existimaret, Honorium de haeresi fuisse accusatum, et de eo ante Concilium VI jam prius a Sede Apostolica sententiam latam fuisse. Vides igitur, hoc argumentum ex Hadriani II verbis depromptum vim nullam habere.

84. Jam veniamus ad difficultatem ex *Breviario Romano* desumptam. Legebatur in lectionibus secundi Nocturni festi S. Leonis, die 28 Junii: *Hic suscepit sanctam sextam Synodum, in qua condemnati sunt Cyrus, Sergius, Honorius, Pyrrhus, . . . qui unam voluntatem et operationem in Domino Jesu Christo dixerunt vel praedicaverunt.* Quum itaque haec in Breviario legerentur, duo, inferunt, Ro- Breviarium Romanum.

mana ecclesia confessa est, et Honorium praedicasse unam voluntatem et operationem in Christo, et ob id fuisse una cum Sergio, Cyro, et aliis, a sexta Synodo damnatum. Mira sane illatio. Quasi Romani Pontifices decreto aliquo sanciverint, vera ea omnia esse, quae in Breviario leguntur in lectionibus secundi Nocturni de sanctis. Historiae videlicet et facta quae ibi recitantur, aliam auctoritatem non habent praeter eam, quam sibi ex criticae regulis vindicare possunt. Si igitur falsa sit, vel minus exacta et accurata aliqua historia, quae in Breviario recitatur, dici Romana ecclesia non potest illam ut veram declarasse. — At, inquiunt, saltem per plurima saecula Romani ipsi Pontifices lectiones illas recitarunt; ergo eas veritate niti, sunt arbitrati. Consequentia prorsus neganda est. Plura sane et nunc recitantur, e. g. in lectionibus S. Marcellini, S. Clementis, S. Silvestri, quae jam non habentur ut vera. Quod si aliquando tum Romani Pontifices tum caeteri istis et aliis quibusdam narrationibus fidem suam adjunxerunt, haec non erat fides, sed credulitas quae tanti valet et tamdiu durat, quamdiu durat opinio circa authenticitatem documentorum, e quibus illae narrationes desumptae fuerunt. Hac autem sublata quaecumque credulitas ruit, quia haec credulitas est personalis, non catholica, est hujus et illius, non Ecclesiae, fundatur in criticae regulis, non vero in dogmatibus Scripturae et Traditionis.

Concilium VII et VIII.

85. Quod ad damnationem Honorii per Concilium VII et VIII attinet, per se patet, non alium valorem eam posse habere, nisi quatenus Patres, suscipientes Synodos praecedentes, suam quoque conformitatem profitentur cum condemnatione facta a Concilio VI; sed profecto prouti eadem a Romano Pontifice Leone II determinata et comprobata valorem habebat. Eo sensu igitur v. g. sumenda sunt illa verba Concilii VIII: *Sanctam et universalem sextam Synodum suscipientes . . . anathematizamus autem Theodorum, . . . Sergium et Pyrrhum, . . . atque cum eis Honorium Romae, una cum Cyro Alexandrino*[1]). — Objici pos-

[1]) In Actione X Concilii VIII legitur: „Anathematizamus Theodorum, . . et Sergium, et Pyrrhum, et Paulum, . . . atque cum iis Ho-

set, a Conciliis istis etiam approbatas esse professiones fidei, in quibus Honorius supponebatur damnatus cum reliquis Monotheletis, eo quod unam voluntatem Christi docuerit. Ita in Concilii VII Actione III lecta est et approbata ut orthodoxa synodica Theodori episcopi Hierosolymitani jam defuncti, in qua dicebatur: *Postquam sancta sexta Synodus quemadmodum alius sol emicuit 289 sanctorum Patrum, regiam urbem sortita pro requie, in qua celebrata, eos qui duas proprias voluntates et operationes in dispensatione carnis Dei nostri denegant, et unam voluntatem et unam portentose asserunt operationem Salvatoris nostri deitatis pariter et humanitatis, anathematizavit, id est Cyrum, Sergium, Pyrrhum, Petrum, Honorium.* — Sed dum Concilium synodicam illam epistolam approbat, eo quidem continetur testimonium orthodoxae ejus fidei quoad cultum imaginum, et quoad consensum cum doctrina praecedentium Synodorum. Nullatenus vero Concilium tali in re judicium emittit, Honorium ipsam doctrinam Monotheletarum tenuisse. Etiam verba Theodori sumenda sunt ut consensus in damnationem Monotheletismi et eorum qui ista in quaestione rei fuerunt. Dum vero Monotheletarum doctrinam paucis commemorans inter damnatos Honorium recenset, quousque ipse reus fuerit, certe noluit praecise determinare.

86. Universim autem potest adverti, damnationem aliquam virorum in Conciliis subsequentibus tantum valere, quantum juridice valet condemnatio, a Romano Pontifice confirmata, in ea Synodo facta, in qua causa ex professo tractata et discussa est. Vis subsequentium damnationum exigenda est ad valorem condemnationis factae per Concilium, in quo examen et judicium circa eorum

---

norium Romae, una cum Cyro Alexandriae, necnon et Macarium Antiochiae, qui malae opinionis Apollinarii, et Eutychetis et Severi, impiorum haeresiarcharum dogmata sectantas, sine operatione ac sine voluntate animatam anima rationali et intellectuali Dei carnem, sensibus laesis et revera sine ratione praedicaverunt." — Haec verba sumenda sunt, quatenus globatim et *in solidum* Honorius cum reliquis Monotheletis in Concilio VI damnatus est, et haec condemnatio accipitur; non vero, quatenus Honorii doctrinae et gradus reitatis ipsius hisce determinarentur.

fidem institutum est, et sententia cum Sedis Apostolicae confirmatione lata. Subsequentia enim Concilia simplici confirmatione hisce tantum se conformare, et suam concordiam cum praecedentibus Synodis profiteri intendunt. Hinc si ex errore historico irrepserint in tales confirmationes ea quae minus accurata sunt, vim ista non habent. — Romani autem Pontifices dum Concilia VII et VIII approbarunt, certe condemnationem Honorii non admittebant, nisi conformiter ad explicationem Leonis II et ad professionem fidei qua ipsi eum damnabant, eo quod pravis haereticorum assertionibus fomentum impenderit[1]).

Laudes Honorii.

87. Explanavimus ea, quae acciderunt Honorio in negotio Monotheletismi. Caeterum vero hic Pontifex multis virtutibus claruit, et praesertim de propagatione christianismi in Anglia, de restauratione multarum ecclesiarum in urbe Roma, et de cultus divini splendore optime meritus est. Unde etiam ab antiquis laudibus est evectus. Sic Jonas abbas, auctor illius temporis, in vita S. Bertulfi de Honorio dicit: *Erat venerabilis praesul Honorius sagax animo, vigens consilio, doctrina clarus, dulcedine et humilitate pollens*[2]). S. Maximus in sua epistola ad Petrum multis laudibus *magnum* Honorium effert, et clerus Romanus mortui Pontificis virtutes et merita insigni epitaphio descripsit.

88. Hinc ea postremo se offert quaestio, utrum revera Honorius in negotio Monotholetismi ita se gesserit, ut saltem ob negligentiam gravem illam condemnationem meritus sit. Censemus autem, non nisi invitum Leonem II, ut caveret gravia mala et schismata ex parte episcoporum orientalium, et vexationes ex parte Imperatoris, eo condescendisse, ut cum ista determinatione restringente Concilii VI sententiam approbaret[3]). Pontifex porro haud

---

[1]) De difficultatihut expositis confer praecipue Pennachi, *De causa Honorii* cc. XII et XIII; ac Botalla, *Pope Honorius*, IV. The sixth Synod and the condemnation of Pope Honorius.

[2]) Apud Baronium ad a. 626. n. 39.

[3]) Quoad modum agendi Leonis II et subsequentium Pontificum consideranda sunt, quae advertit Em. Pitra, Jur. Gr. II. 85: „Summam

judicans de internis seu de mente subjectiva Honorii, sed de factis objective consideratis, in Honorii agendi modo atque in detrimentis inde secutis sufficiens motivum invenire potuit, ut propter negligentiam qua haeresi fomentum impenderit, anathemati Concilii assentiret. Id etiam considerandum est, ejusmodi anathema in defunctum, haud aliquem in hunc exercere influxum et effectum, quum ipse coram tribunali divino jam pro merito justa receperit, sed esse potius poenam censurae in foro externo, qua nota memoriae illius inuritur, ac fideles a pravis doctrinis deterrentur. Potest autem ejusmodi censura ferri, quum quis prudenti judicio tali disciplinae poena dignus censetur; atque ejusmodi judicium prudens Leo II in quaestione satis ardua formavit. Ejus damnationem subsequentes Pontifices in professione fidei citata per aliquot saecula repetebant, sed post saeculum XI etiam RR. Pontifices praetermiserunt Honorium damnare, quod pravis haereticorum assertionibus fomentum impenderit. Non desunt vero auctores qui gravia afferunt argumenta, quibus Honorium excusari censent ita quidem, ut nec negligentiae revera reus fuerit. Argumenta plura congerit Penacchi in fine Dissertationis de causa Honorii; sed non est, cur hanc quaestionem subtilius examinemus. Juvabit tamen commemorare haec verba citati auctoris[1]. „Ex iis quae disputata sunt sequitur, nunquam RR. Pontifices jurejurando affir-

---

rem aequo animo consideranti perspicuum est, eam fuisse Graecorum indomitam superbiam, tum maxime a VI et VII Synodo et inde ad Photium, ut neque haereticorum nomina e s. diptychis erui, neque inseri Romanorum memorias, neque Sergium, Pyrrhum, Paulum, aliosque istiusmodi haereticorum antesignanos publice aperteque reprobari licuisset, nulla denique inter utramque Romam permansisset concordia, nisi antiquior passa aliquid fuisset in Honorii detrimentum. Propterea integerrima fide S. Sedis remanente, ipsoque Honorio in pace Ecclesiae certissimis testimoniis quiescente, permissum interea fuit, eum de incauta vigilantia argui, *quod non, ut decuit apostolicam auctoritatem, haresim incipientem exstinxit, sed negligendo confovit.*" V. Hergenröther K. G. B. III. p. 136.

[1]) Loquitur auctor secundum suam sententiam, qua tenet, ab episcopis orientalibus Honorium damnatum fuisse ut haereticum proprie

masse, Honorium a sexto Concilio jure fuisse anathematizatum; nunquam enim putarunt, eum probasse suo edicto haeresim, sed hanc negligentia, ei aperte nempe non resistendo, confovisse; quod judicium cum ex epistolis Leonis desumptum sit, tanti idcirco faciendum est, quanti unius Leonis auctoritas. Cum vero hujus judicium dogmaticum dicendum non sit, (non enim decreta dogmatica circa personales hominum defectus versantur), hinc eam tantummodo fidem sibi vindicat, quae ex historia haberi potest. Ex qua si reapse constiterit, Honorium negligendo haeresim confovisse, negligentiae utique damnabitur, haeresis vero nunquam, quum probari omnino non possit, eum haeresim aliquando docuisse vel confirmasse." — Atque hic finis esto Dissertationis de causa Honorii Romani Pontificis.

---

dictum, sed hanc sententiam a Leone II fuisse abrogatam et correctam. Quamvis huic opinioni non penitus acquiescamus, tamen quae hoc loco auctor dicit facile nostrae sententiae applicantur.

Index.

Pag

Dissertatio sexta.

Dissertatio septima.

Dissertatio octava.

Dissertatio nona.

Pag.

Dissertatio decima.

Dissertatio undecima.

Dissertatio duodecima.

Index alphabeticus rerum.

D.

E.

F.

G.

H.

I.

A. M. D. G.